This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARIES
THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
1817

P. PAPINII STATII

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA.

EXCUDEBAT JULIUS DIDOT

NATU MAJOR

REGIS TYPOGRAPHUS

22590

LIBRI QUINQUE
SILVARUM
P. PAPINII STATII

CUM VARIETATE LECTIONUM

ET SELECTIS *MARKLANDI* ALIORUMQUE NOTIS

QUIBUS SUAS ADDIDERUNT

J. A. AMAR ET N. E. LEMAIRE

IN REGIA GALLIARUM UNIVERSITATE

PROFESSORES EMERITI.

VOLUMEN PRIMUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXV

878
S7
L54
V.1

PRÆFATIO

RECENTIORIS EDITORIS

AD LECTOREM.

Quod erat in votis præcipue, ut opus Regiis auspiciis inchoatum, et unanimi doctorum virorum plausu adhuc exceptum, majus aliquid sibi et honorificentius gratularetur, fecit summa Regis amantissimi liberalitas, quæ *Bibliothecam* nostram inter libros *ad usum* instituendæ prolis Regiæ destinatos, adscribendam ultro decreverit. Quo quidem munere nihil evenire potuit, vel lætius nobis, vel ipsius operis fortunæ optatius. Quos enim animos et spiritus, quas vires ducturos inde sperandum est, illos omnes, qui sex abhinc annis curas indefessas, et quidquid studii inest ac roboris in molem hanc exstruendam contulerunt, quæ jam nunc adstupet ipsa sibi, et stupenda magis ac magis in posterum exstabit.

Ave tam bona, comitem se, et confidentius quidem, *Virgilio*, *Nasoni*, *Propertio* etc. superaddit Papinius, cujus ego publicandi provinciam eo suscepi libentius, quo faciliorem mihi viam præmunierat clarissimus et idem sagacissimus interpres, Jer. Marklandus; qui, si, quas in *Silvas* impendit, curas in *Thebaidem* et *Achilleidem* extendisset, nihil fere futuris interpretibus agendum reli-

quisset, nisi ut opus tot numeris absolutum typis integrum et intactum religiosissime demandarent. Non ita tamen absolutum opus Marklandi reputavit nuperus Silvarum Editor, *Ferdinandus Handius*, ut non emendanda nonnulla, plura vero addenda judicaverit. Doctissimi hujus viri disputationes (quas non ultra carmen III libri primi adhuc protulit), integras fere recepimus; nec ingratum erudito lectori fore speravimus, si haud ita inferiorem æmulum cum ipso Marklando committeremus, eventurum inde confisi, ut nova lux aliquando, ex ipsa rerum aut verborum contentione repente effulgeret. Nec, si forte carmen longius productum, vel planum minus argumentum, Domitii Præfatiunculas omisimus, quas Silvarum cuique præfigendas curaverat: cui quidem nonnulla etiam, quæ sive ad historiam et geographiam, aut ad obscuriores quosdam veterum mythos pertinerent, accepta candide referimus.

Supererat, ut, quod olim Marklando in mentem venerat, nec concessum ut perficeret, ipsi perficeremus: collationem dico Regii Codicis, « cujus aliquando si compos fuerim, inquit Marklandus in Præfatione sua, nostræ postposita, et si tanti videbitur, curas secundas huic operi non pigebit impendere. » Porro codicem illum, quem *satis antiquum*, Marklando teste, Th. Bentleius judicaverat, inter cæteros sic notat supra laudatus Ferd. Handius:

« *Codex Parisiensis*, chartaceus, unus ille, quem habet Bibliotheca Regia, n° 8282 signatum. Continet CXXXV foliis diversæ materiæ Silvas, Achilleidos libros II, Persii Satiras, Sallustii Declamationes in Ciceronem, Epistolam N. Rogerii ad Joannem Maludanum et fragmenta ex Ovidii Fastis, sed

omnia hæc non uno tempore, neque ab uno librario scripta. Nam Silvæ videbantur Hasio circa annum 1470 scriptæ, reliqua pluribus annis post, epistola vero Rogerii tempore Francisci primi. In prima pagina carminis primi inter lineas interpositæ sunt breviores explicationes, in reliquis usque ad fol. LX, sive ad carmen 5 libri IV glossæ in margine, quibus aut difficiliores sententiæ, aut res antiquæ illustrantur. Hasius descripsit eas, quæ ad primum librum et ad alia nonnulla carmina pertinent; quibus intelligitur auctorem Romæ vixisse, neque eruditione destitutum fuisse. Vid. ad I, 1, 37; 2, 138. Sæpe in scholiis afferuntur antiqui auctores Græci et Latini, sæpe etiam artis monumenta. Codex vero non omnia comprehendit carmina, sed finem habet in versu 257 carminis 2 libri V, cæteris abruptis. Idem est, quem, ut narrat Marklandus in præfatione, Bentleius contulerat. Neque vero magnam habet auctoritatem, sed librarius, ut in iis patet, quæ ad Epistolam libri tertii, ad III, 1, 43, et alibi monui, in eo describendo adhibuisse videtur veteres editiones. »

Hæc Handius; quæ res utcumque se habeat, nihilominus tamen describendum ex omni parte librum censuimus, religione quadam moti, ut Marklandi nostri votum absolveretur, sicque ejus quasi Manibus parentaremus. Si qui vero alienum ab opere instituto opus judicaverint, facile id condonabunt, modo propositi pietatem attentis respexerint animis.

Variantes quoque *Principis* (ut aiunt) Editionis, et Aldinas lectiones in medium contulimus, textuique in ima pagina subjecimus; additis Marklandi conjecturis, et lectionum varietatibus ex illius commentario depromptis, modo tamen per brevitatem liceret : cujus etiam brevitatis causa, et ne volumen extra modum excresceret, exempla, quæ plurima Marklandus attulerat, nonnunquam rescidimus, quæ satis erat subindicare. Quæ

vero ad interpretationem spectant, ad calcem carminis cujusque rejecimus, utpote quæ largiorem Criticis campum aperiant, ipsaque latius ideo exspatientur.

Opere confecto, Marklandus librum suum studiose revisit, recognovitque; et ne quid desiderandum videretur, alia mutavit, addidit alia, vel omnino delevit: quas quidem emendationes sedulo collegimus, et quasque suo quoque loco reponendas curavimus: excidisse tamen unam comperimus, quam restitutam hic habeas, Lector humanissime, velimus. Spectat ad vs. 83 carm. IV, lib. I: *Nec promissa semel;* ubi Markland.

« Ven. *præmissa.* Omnino verum est:

.... sed revocant fasti, majorque Curulis
Nec *permissa* semel.

Tò *nec,* ut sæpe dixi, resolvendum est in *et non:* major curulis *permissa, et non* semel, id est, *etiam* plus quam semel, *bis* puta, vel pluries *permissus Consulatus;* hoc enim vult per *majorem Curulem.* Recte vero *permissa,* sc. ab Imperatore. *Donare summas curules* eodem sensu Juvenalis, Sat. X, 91: Noster, Epithal. Stell. vs. 32,

.... adhuc optas, *permissa*que numine dextro
Vota paves;

ubi similiter erat *promissa:* vide Notas. »

Ea fuit nobis ubique magistri reverentia, ea religio, ut nihil tibi ex tanti pretii labore deperire volentes pateremur, singula exciperemus, fideliterque traderemus; nisi quod manifeste falsa correximus, in locis præsertim ex aliis auctoribus adductis, ubi sua facillime Marklandum memoria fallere potuit, fefellitque.

Quum autem priusquam ad auctorem accedamus, ipsum prænoscere, et quæ fuerit illius indoles, quod et

quale in scribendo ingenium præsentire, nec inutile sit, nec injucundum, pauca hic de genio Statiano, inprimisque de *Silvis*, comparata lector haud moleste feret.

Dubia prorsus et anceps, vel apud æquales, fuisse videtur fama Papinii nostri; ita ut eosdem versus alii in laudem illius, in vituperium alii et censuram converterint. Vere enim et ex animo dixisse Juvenalem quidam contendunt, Sat. VII, vs. 82,

> Curritur ad vocem jucundam, et carmen amicæ
> Thebaidos, lætam fecit quum Statius urbem etc.

Dum εἰρωνικῶς alii, et satirico more dictum existimant et interpretantur. *Hypercriticus* vero Scaliger (*Poet. VI*) heroicorum poetarum, tum Latinorum, tum etiam Græcorum, facile principem affirmat. « Nam et *meliores*, inquit, *versus facit*, quam Homerus. » Utrique modus excidit; nec immerito Noster cum puella Raciniana exclamaret:

> « . . . . je n'ai mérité
> « Ni cet excès d'honneur, ni cette indignité! »
> BRITANNICUS, act. II, sc. 3.

Nec æquiores vel prudentiores apud nos æstimatores Statius invenit. Hunc quidem *Voltaire* tangit obiter, et auctoritate sua declarat, « un *monstrueux* imitateur de l'Iliade « et de l'Énéide. » (*Essai sur la Poésie épique, ch. IV.*) *Laharpe* autem (quem ego *Quintiliani Gallici* nomine appellare haud dubitem, modo non in literas antiquiores longius excurrat) inconsultam adeo, ne dicam ineptam Statii mentionem fecit, ut *Martiali*, quos de Thebaide versus modo adduximus, adscriptos retulerit. (*Cours de littér. part. I, chap.* 11, *sect.* 2.)

Cæterum animadvertendum puto, omnem hunc criti-

corum impetum in unam *Thebaidem* deferbuisse, nec attigisse quidem vel *Achilleida*, vel *Silvas*, quo in opere « cuperem (ait *M. Anton. Sabellicus*), Statium operam omnem locasse : nihil est enim illis amabilius, floridius, magisque poeticum. »

Sed ipsum nunc Handium loquentem audiamus. Ea sunt viri politissimi verba, in quibus tum præcepta quædam de re critica hinc et inde subjicit, tum de Statio et ejus præsertim *Silvis* sagaciter, ut solet, et modeste admodum disserit.

« Universa, inquit, artis præcepta quamquam etiam in poetis Latinis tractandis criticum tenere oportet, tamen ut omnes sui officii partes impleat, ei ante omnia quærendum est de auctoris, quem sibi elegit, ingenio ejusque scribendi genere. Nam Græcorum poetarum optimus quisque, ut non alienis caussis, sed ipsius naturæ incitamento impulsus, sensum pulchri et honesti, quod in omnibus rebus unum est, verbis aptis et bonis exprimere solebat, ita omnes, quum linguam ad regulas conformatam, artemque certis legibus circumscriptam haberent, quo propius ab ipsius naturæ veritate aberant, eo magis communem rationem adhibebant, iisdemque ingenii virtutibus excellere cupiebant. At Latini iis quidem temporibus, ubi poetæ disciplina et studio informari cœperant, diversis caussis deducti, id maximopere spectabant, ut, quoniam plurimas res ab aliis tractatas, et ipsas poeseos leges antiquatas existimabant, novis formis ingenii facultatem exsererent; et si hac destituti fuerint, inusitatis artificiis approbationem sibi impetrarent. Quod nescio an nullo commodiori exemplo demonstrari possit quam carminibus Papinii Statii : nam nisi eæ res, quæ huic poetæ propriæ sunt, accurate considerentur, plurimis in locis scriptura veterum librorum corrupta, aut aliis nominibus suspecta videbitur. Quare ego quoque in primis operam dedi, ut assidua lectione non tantum usum verborum in Statii carmi-

nibus cognoscerem, sed ut, quod consilium poeta consequutus, et quo genere scribendi usus sit, ad animum revocarem. Quo facto etiam dubitare desivi, an Statius omnino dignus fuerit scriptor, in quo magnum studium collocemus: nam omnium vitiorum, quæ in poetis Latinis recentioris ævi vituperantur, fortasse nullum est, quod non exemplis ex illius carminibus depromptis demonstrari possit, sive nimiam eloquutionis ubertatem, sive affectatam dictionem, sive etiam inventionis paupertatem spectemus. Tamen non pauci exstiterunt hujus poetæ admiratores, et de ipsis hujus æstimationis caussis quærere convenit. Hoc vero, mea sententia, inde factum est, quod singulas virtutes agnoverint, iisque delectati de universo ingenio, aut falsa judicia, aut non satis circumspecta conceperint. Nec mirabor, ei, qui a lectione Virgilii et Lucani ad Statium transeat, multa in hoc magis placere, plurima magis ingeniosa videri. Quod enim poetæ istius temporis ingenio et arte sæpius abusi sint, id æquo animo feremus, si modo ipsius ingenii vestigia appareant, neque artis defectus, sed perversa ejus disciplina in reprehensionem incurrat.

« Statius quum subito calore et quadam festinandi voluptate, ut ipse ait, ideoque magis impetu quam consilio carmina scripsisset, hæc etsi multis vitiis laborent, id tamen habent proprium, quod nativum quemdam colorem referunt, et ubi non ad dolosa artificia aberrant, aut lascivo acumine ludunt, veram exhibent naturæ imaginem; id quod maxime in descriptionibus rerum oculis perceptarum cernitur. Neque in ipsa inventione poetam infelicem existimaverim, sed cultum ingenii magis desidero, quam instrumenta naturæ. Atque celeritas, quæ in aliis rebus utilitatem habet, in poesi magnopere nocet. Quare nisi Statius isti facultati versus extempore scribendi nimium indulsisset, et luxuriæ effervescentis æstum compescuisset, neque ad heroica argumenta, quæ non subita animi commotione, sed tranquilla contemplatione concipiuntur, se applicuisset, profecto non versificatoris, sed melioris poetæ nomen meriturus fuisset: nam non tam virium quam studii vitio laborabat, et quum tam multa

jam ab aliis poetis scripta vidisset, sæpe sibi cavendum esse putabat, ne in vulgarem modum incideret, sed providendum, ut nova arte antiquiores superaret. Quod ubi non firmo indicio moderatus erat, a simplicitate et sincera venustate sermonis ad affectatam elegantiam et insolentiam verborum deflexit. Dum igitur ad hæc, quæ plenius exponere nec propositum mihi est hoc loco, neque necessarium, animum attendo, et simul considero, quam magna fuerit culpa temporum, quæ non solum morum licentia depravata, sed tyrannorum metu et adulandi libidine corrupta, usquequaque impediebant, quo minus ingenia libere assurgerent: singula carmina placuerunt; atque ipse poeta, qui non in primis, neque in secundis, sed infra secundos proximum locum sibi vindicat, haud despiciendus mihi visus est. »

Et infra:

« Id mihi in universum constat, Statii carmina non tam corrupta et a librariis inquinata esse, quam N. Heinsius aliique existimarent. Multa enim in iis non aurificis statera, sed quadam populari trutina sunt examinanda: multa etiam excusationem habent negligentiæ non semper ingratæ. Subito scribendi fervore Statius multa effundit, quæ ambiguitate displiceant; aliis in locis obscurus fit, in aliis humilis; in plurimis simplicitatem sententiarum tumida et arguta oratione corrumpit. Præterea in dictione non pauca novavit, aut ab aliis novata accepit; quæ si a linguæ Latinæ ingenio non prorsus abhorreant, longissime a veritate aberrabit, qui ea ob ipsam raritatem mutanda censuerit. »

Tum denique:

« Etiamsi in his carminibus multæ dicendi formulæ occurrunt ab aliis quoque antea usurpatæ, nec desunt loca ad exemplum Virgilii et Lucani conformata, tamen magnopere falleremur, si omnia ea, quæ ab aliis scriptoribus, aut iisdem verbis, aut similibus expressa deprehenderemus, continuo imitationis nomine ad hos inventores referremus. Nec vulgarem imitandi modum sequitur Statius, sed ubi aliorum vestigiis insistit, ipsum incessum callida arte celat; quo sæpe

fit, ut verbis multum ab iis discedat, quibus ipsam inventionem debeat. De qua re Henkius egregie monuit his verbis, quæ suo libro adscripsit: « Unus est ex callidissimis imitatoribus Papinius. Ingenio suo fretus, ubi imitatur, numquam exemplum suum sequi vult, sed præsilire ac circa eosdem sensus certamen cum illo inire. Homeri Virgiliique quam plurima expressit, semper fere modum egressus, eoque ipso inferior, quod e magnis tumentia, e mirabilibus τερατόλογα et puerilia effecit. Itaque ne, qua via, quibusque ducibus summas, ut putabat, veneres assequutus erat, appareret, vulpis instar, quod dicit de Delphinis, Achill. I, 60: *delevit pedum vestigia caudis.* »

De *Silvarum* autem appellatione, plura Gevartius, in *Papin. Lect. I* et *II;* unde, quæ ad propositum nostrum faciant, excerpta hic habeas.

« Quærendum videtur, qua ratione *Silvarum* nomen libellis hisce indiderit Statius. An scilicet omnia opuscula conjunctim sumpta, an vero singula, et unumquodque poemation *Silvam* appellarit. Quod ut rectius intelligatur, notandum, veteres duplici ratione, opera sua *Silvas* appellasse. Primum quidem a multiplici materia, et varietate in iis contenta. Quemadmodum enim vulgo solemus, infinitam arborum indiscriminatim nascentium multitudinem *Silvam* dicere, ita etiam libros suos in quibus varie et diversæ materiæ opuscula temere congesta erant, *Silvas* appellabant. Ita eleganter Gellius, lib. XII, cap. 10: « Qui variam, inquit, et miscellaneam, et quasi confusam doctrinam conquisiverant, eo titulos quoque ad eam sententiam exquisitissimos indiderunt: namque alii Silvarum inscripserunt, alii Musarum. » Et hoc modo intelligendum illud Suetonii, lib. de claris Grammat. ubi de Valerio Probo: « Reliquit non mediocrem *Silvam* sermonis antiqui.» Et Cicer. de Or. III, 26: « Primum, inquit, *Silva* rerum et sententiarum comparanda est. » Et sic etiam Alexand. Aphrodisæus, Febrium differentias ac multitudinem, *Febrium Silvas* nominavit. Secundo, veteres opuscula sua, a rudi et inchoata, et necdum satis composita materia, *Sil-*

Hæc igitur, quæ subjecta sunt, partim ex libris, partim ex emendatione certissima, Marklandus Statii Silvas edituris consilium dat, ut in contextum admittant, et nos ad paginas hujus voluminis referenda diligenter curavimus.

PAG.	VERS.	PRO	ADMITT. IN CONTEXT.
12	18	amplior,	altius.
15	67	Famosus servat,	Famosi servant.
40	27	mendaces,	mordaces.
41	32	Noctis,	Sortis.
id.	41	justum,	tanti.
92	42	et,	aut.
127	10	questu,	questum.
id.	11	legesque,	leges.
129	29	Quum-quum,	Qua-qua.
132	83	promissa,	permissa.
133	93	admirante,	adversante.
id.	111	Deus,	Deos.
148	4	Tuque inimica,	Tu quoque muta.
149	26	Crescit,	Cessit.
157	15	caunis,	cannis.
159	42	tardum,	tantum.
id.	43	vescitur,	vescimur.
160	55	ferumque,	ferumve.
161	73	quæque,	quique.
id.	74	permutat,	permutant.
id.	92	adivit,	abit in.
176	27	vexo,	verso.
182	130	arctare,	jactare.
188	223	meruitve,	renuitve.
205	52	hic,	his.
212	151	avidique,	avidive.
224	10	hæc,	ea.
226	55	scrutatur,	tutatur.
254	65	dextram,	dextrum.
255	82	sævius,	secius.
id.	96	sævis,	seris.
256	105	amari,	amorem.

PAG.	VERS.	PRO	ADMITT. IN CONTEXT.
272	14	patet aut,	patulam.
275	67	Et,	Quod.
276	92	sæva,	læva.
277	112	reclusæ,	reclusum.
286	15	poteramus,	poteram.
297	148	fixam,	cinctam.
324	103	multisono,	mulcisono.
id.	110	stagnata,	signata.
325	123	hic armis,	his arvis.
id.	129	At vastos,	Hoc versos?
339	21	nigras,	pigras.
345	112	haudquamquam.	haud unquam.
id.	119	est sanguine,	a sanguine.
349	181	gemens,	fremens.
368	27	aram,	aras.
370	70	haud ullo,	et nullo.
382	11	vultu,	vultus.
387	59	amplectens,	amplexusque.
id.	60	terit viduo,	tenet viduum.
id.	*id.*	cubili,	cubile.
388	75	mundi,	mundos.
412	31	Latio,	Latios.
413	45	omnes patuere,	omen plausere.
422	4	multo,	lento.
434	19	culmen,	cælum.
438	67	uvidum,	humidum,
443	150	Quos,	Quot.
id.	151	Quos,	Quot.
457	49	vitæ,	miti.
458	63	metuendaque,	metuendave.
460	99	feret,	feram.
470	37	Hæc,	Nec.
480	32	castæ,	festæ.
507	53	que,	ve.
518	47	mihi,	nihil.
529	17	volucris,	volucrem.
533	81	Arctos,	Auster.
542	220	Noctis,	Sordis.

PAG.	VERS.	PRO	ADMITT. IN CONTEXT.
id.	222	nascitur,	surgitur.
544	252	placidos,	placidus.
id.	256	aperire,	laxare.
568	4	guttas,	guttæ.
569	11	etiamne,	et nunc.
id.	21	jugera,	munera.
610	35	labente,	trepidante.
615	104	semirutos subito de pulvere,	semiustos Vesuvino fulgure.
616	107	Munychiæ,	Monychiæ.
617	112	præstriuxit,	pressit sua.
622	191	certasset,	certassent.
677	8	revisunt,	recursant.
676	10	spargit,	tangit.
678	19	leviter,	levior.
684	67	ve,	que.
687	84	blandoque sinu,	blandique sinus.
id.	85	Exercere,	Excepisse.

Hæc habui, Lector humanissime, quæ præfarer: de opella autem mea, quod dicam, nihil habeo. Tu videris, et quæ tua est in nos benevolentia, æquius æstimaveris.

A. R.

Scribebam in ædibus Mazarinæis,
Kal. Decemb. a. C. M. DCCC XXIV.

PRÆFATIO

EDITIONIS LONDINENSIS,

1728.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

JER. MARKLANDUS.

Libuit experiri quid efficere possem in restituendis Statii Sylvis: et primo quidem pedetentim, et timide, et quasi rem sacram tacturus accessi; veritus nempe huic Luco immittere securim post labores Gronovii, Gevartii, Barthii, Domitii, Morelli, Crucei, Tiliobrogæ, et aliorum;

> .... motusque verenda
> Majestate loci, si robora sacra ferirem,
> In mea credebam redituram membra securim.
>
> LUCAN. III, 429.

Postea, deprehenso uno vel altero loco, in quo iis quoque humanitus aliquid acciderat, audacior factus, ad cetera eorum examinanda, et simul diligentem Poetæ ipsius lectionem me accinxi: ex qua hoc statim assecutus sum, ut vix decem versus perpetuos in ulla harum Eclogarum me adhuc intellexisse, non sine admiratione, perspicerem. Hinc enim obturbabat Latinitas falsa, vel suspecta; illinc, sen-

sus nullus, crebræ absurditates, contradictiones non paucæ, mos et compositio minime Poetica: denique, Οὐδὲν ὑγιές. Atrox, inquies, accusatio: et est sane; sed manedum, Lector; et nisi in Notis veram præstitero, non intercedo, quo minus impudentissimis et mendacissimis mortalium me accenseas.

His igitur difficultatibus magis incensus, denuo adortus sum; hoc fine, ut ad sensum et propositum Auctoris quoquo modo pervenirem: sperans fore (quod in aliis Auctoribus solenne noveram), ut, si rem providissem, verba et veræ Lectiones non invitæ sequerentur; diversæ quidem illæ, attamen a vulgatis non multum discrepantes, calami saltem ductibus, et apicibus literarum alludentibus. At, Dii boni, quantum in hac quoque parte falsus fui! Statim enim deprehendi, non cum punctis et apicibus et minutiis hisce criticis rem mihi futuram; sed debellanda esse « monstra horrenda, informia, ingentia, » et (ut Ille ait) quibus omne *lumen ademtum*. Non enim leviter, aut more solito in his Sylvis grassatæ sunt ignorantia et depravatio: sed penitus, et in imas medullas descendit pestis, non sine ferro et cautere exstirpanda. Notatis igitur nonnullis locis quæ non intellexi, et de quibus siluerant Interpretes, lectioni Statianæ diligentius incubui: experturus scilicet, an lucem aliquam sibi ipsi fœneraret Vates obscurissimus. Hoc tandem modo sese primum aperuit: donec aliud ex alio arripiens, et Statium sibi ipsi comparans, adblandiente profectu, in hanc persuasionem devenerim, ut ex quingentis locis quæ non intellexeram, jam non restent quadraginta, de quibus desperem.

Et illa quidem facile tolerari et tolli potuerunt Librariorum errata, quæ nascebantur ex positione vocis alicujus pro diversa ejusdem quantitatis, et quæ ab eadem litera inciperet. Planius loquar: Obvium fuit, saltem non adeo difficile, sensu necessario postulante, et literis præeuntibus, pro *et fervent compita flammis*, substituere *effulgent;* pro *verbere crudo, crebro;* pro *docto numine, dextro;* pro *admirante Fortuna, adversante;* pro *serenam, sedentem;* pro *munera cessant, munera census;* pro *Sic tota cum veste ruit, Sicut erat cum veste ruit;* pro *pudor inde novæ mentis, ingenuæ mentis;* pro *aut, atria;* pro *illi, hilari;* pro *cura, cultu;* quæ omnia (et multo plura possem) ex duobus prioribus Libris harum Sylvarum excerpsi: hæc, inquam, et similia non multum forte negotii facesserent attento Lectori, et qui sensui

inhæret, et mentem Auctoris et vestigia subsequitur: quid vero dices, cum inveneris *lecto* pro *furto*; *domus alta* pro *Venus alma*; *mensas* pro *nymphas*; *curvatus* pro *nudatus*; *bibit* pro *tulit*; *Discite*, pro *Vivite*; *Libertas* pro *Nobilitas*; *post crimina formæ* pro *discrimina*; *carmen vitæ* pro *limine*; et hæc omnia (quæ itidem ex duobus prioribus libris desumta sunt) a viris Doctis aut transmissa, aut, quod æque miraberis, defensa et explicata? Quid denique, quum ad illa monstra veneris, *peraravit auro* pro *decoravit*; *vadosæ Africæ* pro *dolosæ*; *Rusticus* pro *Troasin*: *perpetuis fastis* pro *centenis fastis*; *Atque tibi moresque tuos* pro *Meque habitus moresque tuos*; *fossa* pro *campo*; *oculis* pro *lacrimis*; iterum *oculis* pro *rogis*; *metas* pro *turmas*; *Sylva una* pro *Si conjunx*; *vexo tecum* pro *verso Phœbo*; et, ut uno exemplo omnia portenta complectar, quid, quum ex hisce duobus versiculis lib. IV Silvarum, carm. 3, 20:

> Hic scenis populi vias gravatas
> Et campis iter omne detinentes,

ut nunc vulgo leguntur, et a viris doctissimis explicati fuerunt; quum ex his, inquam, decem vocibus, sex, et in nonnullis Editionibus septem depravatas probavero? Habebisne fidem, Lector, his miraculis? an potius paratus eris non credere, etiamsi credideris?[1]

Atque hoc loco destinaram aliquid dicere de Mendis Statianis; et exemplis ex MSS. et antiquis auctoribus prolatis originem hujusmodi errorum detegere: sed diffundente se latius materia, et in capita plura surgente, commodius visum est hic omittere; præsertim quum in Notis plerumque, quando opus est, hoc facturus sim. Interea de conditione harum Sylvarum sic habe: Scripti earum Codices rarissimi sunt: duos habuit Barthius (unum literis capitalibus exaratum, qui utinam exstaret); neutri eorum nisi perpaucis horis uti illi licuit, propter flammas mansioni ejus injectas; e quibus tamen elapsos illos suspicatus est[2]. Alium laudat Justus Zinzerlingius, Promuls. Critica: alium, Lipsianum, Bernartius in Notis passim: alium Gebhardus Curar. Juvenilium lib. III. Senensis vero et Medicei Excerptis utebatur Gronovius; et postea, uno Joannis Rhodii, chartaceo; altero Ar-

[1] Vide infra hujus voluminis pag 434 et 446, ubi varias lectiones et emendationes Doctissimorum virorum relatas diligenter, ut mos est, discutit. Ed.

[2] « Hanc notitiam Marklandus ex Adversariis Barthii petiit. » Hand.

chiepiscopi Salisburgensis, membranaceo. Nic. Heinsius ex MSS.[1] (non dicit quibus) nonnulla loca emendat. Fr. Tiliobroga mentionem facit Codicis Puteanei, alterius Nic. Fabri, unius P. Petavii[2]. Facile vero fieri potest, ut aliquot ex his qui diversis nominibus a viris doctis appellantur, sint unus tantum idemque Codex, titulum cum possessore mutans. Exstat tamen in Bibliotheca Christianiss. Regis Galliæ Codex satis antiquus harum Sylvarum, prout me monuit a peregrinationibus redux vir eruditissimus Thomas Bentleius, L. L. D. tam suo quam Patrui nomine bene jam notus, et olim noscendus. Hujus collationem ex majore parte ipse Lutetiæ commorans absolverat; sed infortunio meo schedas Romæ reliquerat: et longius processerat prelum quam ut commode et mature ἀντίβολὴν Parisiis possem accersere: in quo tamen operam suam amice præstare paratus erat vir benevolentissimus. Si vero hujus Codicis aliquando compos fuero, et si tanti videbitur, Curas Secundas huic operi non pigebit impendere.

Ex his vero Libris, quos supra memoravi, in locis difficilioribus et manifesto depravatis raro quidquam aut multum auxilii; sæpius nullum. Ex qua conspiratione possum concludere, aut menda Statiana admodum vetusta esse, aut Codices, ex quibus profluxerunt quotquot exstant harum Sylvarum exemplaria, non fuisse valde vetustos: hos vero non adeo vetustos fuisse hinc colligo, quod pleræque depravationes ejus generis sunt, ut vix proficisci potuerint nisi a Libris minuto charactere, seu literis Longobardicis (ut vulgo dicuntur) conceptis: hoc vero scribendi genus ante sæculum a Christo nato octavum vel nonum non obtinuisse norunt Eruditi. Ex hujusmodi Codice vel Codicibus transcripta esse quotquot exstant Sylvarum exemplaria admodum verisimile est, quia plurimæ voces in alias demigrarunt similitudine ductuum calami. Ita *bibit* pro *tulit*: quoniam calami ductus in utroque vocabulo iidem pæne sunt, si isto charactere scribatur; magis diversi, si literis uncialibus concipiantur voces *bibit*, *tulit*. Idem dicendum de *tibi* pro *bibe* Sylv. V, 2. Sic *turbes* pro *tingas*, quum *tur* et *tin* idem sint, *b* vero et *g* sæpissime pervertantur. Ita *terræ* pro *cervæ*, quum *t* et *c* simillimæ sint, et nisi sensu vix dignoscendæ: dissimilio-

[1] Ex codd. Vaticanis quatuor. Vide Elench. Scriptur. Compend. et Syllog. Ep. tom. V, pp. 532, 537.

[2] « Hi codd. non Sylvas continent, sed Thebaidem. » HAND.

res aliquanto, si capitalibus scribas, TURBES, TINGAS; TERRÆ, CERVÆ. In singulis paginis exempla hujusce generis habebis; quum perpetuo commutetur *a* in *u*; *e* in *i*; *o* in *u* et *c*; *u* in *ic*: et hæ omnes vice versa. Sic *r* in *i* et *t* et *s*: *c* in *s* et *l*: *te* in *a* coaluit; unde pro *serenam* restitui *serentem*, hoc est, *sedentem*: contra *et* pro *a*; unde pro *bile feret*, feci *fera*. Sed hujusce generis præcipua est restitutio loci Sylvar. II, Carm. 6, vers. 27:

> Nec Paris Œbalios talis visurus amores
> Rusticus invisas dejecit in æquora pinus;

ubi probo scribi debere, *Troasin invisas* pro *Rusticus*. Vide autem initium et progressum hujus mendi: ultima syllaba *in* amissa erat in voce proxime sequente, *invisas*, ut sæpe fit: inde *troas* ceperunt pro *ticus*, quum literarum differentia in isto charactere minima sit, et nisi peritis vix dignoscenda: adjecerunt deinde vel ex voce præcedente, vel ex ingenio, syllabam *rus*: et sic concinnarunt vocem *Rusticus*, quæ absurda est et falsa.[1]

Infinitum esset, si omnia in hanc rem dicenda exsequerer: desinam igitur, si prius notavero aliud mendorum genus ex hac præcipue scriptione et charactere profluens: hoc est, quum totæ voces, non literæ tantum una et altera, pro aliis substituuntur: non quin et antiquioribus Libris, et literis majusculis scriptis, hoc usu venerit; sed non tam frequenter, nec tam facili erroris occasione. Quippe interdum Interpolatores, interdum festinantes Librarii, quorum lucro erat libros quam celerrime transcribere, quum nacti essent Exemplar aliquod, vel literis minusculis et abbreviationibus, vel vetustate aut multo usu et manuum tractatione obscurius, non semper fidei litabant; sed posthabita veteri et vera Lectione, cui indagandæ aliquod temporis forte esset insumendum, aliam de suo benigni impingebant; de sensu securi, modo ne violaretur metrum, et exemplarium suorum venustas. Hoc autem semel admisso, sæpe accidit, ut reliqua pars versus immutanda esset, ut sensum inductitiæ voci congruentem haberet: quo pacto, error unus Interpolatoris vel Librarii ansam dedit duobus vel tribus aliorum in eodem versu. Huic Scribarum festinationi, vel Interpolatorum audaciæ, refero, quod Sylv. I, 2, pro *vota precesque*

[1] In quas lectiones varias, emendationes et literarum mutationes ampliora legere si velis, adi hujus voluminis pag. 260; ibi plura invenies exempla a Marklando erudite adducta. ED.

vulgo legitur *dona*: et tale aliquid accidisse suspicor I, 3, 21, ubi Anio fluvius dicitur *Saxeus*. Hinc etiam venit *partem* pro *noctem*; *Libertas* pro *Nobilitas*; *nube* pro *laude*; *fateor* pro *pariter*; *Moribus* pro *Fascibus*; hinc *carmine* pro *numine*; *carmen* pro *limine*; *carmina* pro *tempora*; *carmina* pro *munera*; *jugera* pro *munera*; *vulnera* pro *munera*; *funera* pro *vulnera*; *vulnera* pro *murmura*; *funera* pro *fulmina*; *pulvere* pro *fulgure*; *pectora* pro *lumina*: quæ omnia loca restitui ex hac certissima regula, quod hinc stabant sensus et elegantia et usitata mutatio, illinc plerumque absurditas. Quippe notandum est in hac parte, non solum apud Statium, sed et ceteros omnes Poetas, voces *munera*, *vulnera*, *nomina*, *limina*, *lumina*, *flamina*, *flumina*, *fulgura*, *fulmina*, *funera*, *numina*, *murmura*, *carmina*, *tempora*, *germina*, *gramina*, et similia trisyllaba dactylica, sæpe in MSS. Codd. pro se invicem substitui[1]: nec dubito, quin Æneid. XII, 518, ubi nunc legitur:

> . . . . piscosæ cui circum flumina Lernæ
> Ars fuerat, pauperque domus; nec nota potentum
> Munera,

Virgilius scripserit *Limina*[2]; ut apud Martialem Epigr. XII, 18, 4:

> Dum per limina te potentiorum
> Sudatrix toga ventilat, etc.

et Claudianum, XXI, de Laud. Stilich. I, 42:

> . . . . nullis hærere potentum
> Liminibus;

et alios sine numero locos in utriusque generis scriptoribus; et quod proprius est, Servius videtur pro varia lectione invenisse *munia*; inter quam vocem et *limina*, detracta litera *l*, utpote initio versus, parum est differentiæ; quum ductus calami fere iidem sint in *munia* et *imina*: et has voces *munera* et *limina* alibi commutatas sæpe observavi: nam Georg. IV, 520, pro *munere* legendum esse *nomine*, extra omnem controversiam positum puto, post ea quæ dixi ad Sylv. III, 3, 87. Sic *limina* et *mœnia* commutantur in MSS. apud Ovid. Met. VI, 600, et XIV, 456, *lumina* et *tempora*, Ibide 32, *pectore* et *lumine*

[1] « De hac re vide Georg. Frid. Stephan. Stieberi Conjectanea et opiniones in nonnulla P. Ovidii, etc. loca. Erlang. 1786, p. 6. » Hand.

[2] Hanc lectionem Heynius in contextum recepit; vide nostræ Edit. tom. IV, pag. 346. Ed.

Seneca Herc. Fur. 219, *tempora* et *mœnia* Horatio Art. Poet. 141, *sanguineo* et *litore* Sil. Italic. V, 271. Idem X, 133, de Hannibale,

> Ni letho det cuncta virum, jungatque parenti
> Corpora, et excidat miseros cum stirpe penates:

ita in omnibus, opinor, legitur: sensus vero et oppositio plane postulant, *jungatque parenti pignora*, id est, *natos*. Propertius, IV, Eleg. 4, 67 de Tarpeia:

> Dixit, et incerto permisit brachia somno:

ita vulgo legitur. Sed an aliquis unquam intellexit quid sit *permittere brachia somno?* certe legendum vel *lumina*, vel, quod propius est, *pectora*; ut apud Nostrum Sylv. III, 2, 82: « quos nunc ego pectore somnos, Quosve queam perferre dies? » Ita apud Rutilium Numatianum Itinerar. I, 229 et sq.

> Præsidet exigui formatus imagine saxi
> Qui pastorali nomina fronte gerit:

loquitur de Castro Inui, oppido in Italia; cujus oppidi præstes erat Inuus, idem qui Pan: jam vero quid est « gerere nomina pastorali fronte? » Lege:

> Qui pastorali cornua fronte gerit:

ita enim fingebatur Pan vel Inuus: Macrob. Saturnal. I, 22: « Ergo Inui cornua barbæque prolixa demissio naturam lucis ostendunt, etc. » Nemini dubium esse potest, quin ita scripserit Rutilius: et si istud Poema editurus essem, sine hæsitatione in Contextum reciperem *cornua* pro *nomina*. Sic *tempora* et *munera* commutantur Manil. IV, 205, *nomina* et *præmia* Ovid. Fast. V, 205, *gurgite* et *litore* Claudiano in Rufin. I, 186, *omine* et *pectore* Catullo de Nupt. Pel. et Thet. ad finem. Valer. *Flacc. II*, 324:

> .... Venus ipsa volens dat tempora jungi,
> Dum vires utero, maternaque sufficit ætas:

de *connubiis* loquitur; unde patet eum scripsisse, *dat fœdera jungi*: cujus phraseos vide exempla apud Cl. Burmannum ad Ovid. Metam. VII, 403, et ubique occurrit. Possem tibi, credo (nec ex Poetis solum), quadringenta hujusmodi mutationum exempla proferre: hæc pauca adduxi, ne nimium mireris quando in Contextu hujus Editionis legeris *munera* pro eo quod erat *vulnera*, Epic. Patr. 45, vel *munera* pro *carmina* Epiced. Puer. 14, vel *vulnera* pro *funera* ibid. 46, et hujusmodi nonnulla. Ubi enim res erat manifestæ veritatis et summæ

necessitatis, admisi in Contextum (cur enim mihi negaretur, quod nisi aliis concessum antehac foret, vix duos versus continuos in his Sylvis potuisses intelligere?) non aliorum solum, sed etiam meas Conjecturas: in hac parte secutus consilium summi magistri, Gronovii: « Cur enim (inquit Ille, Præfat. ad Senecam) tantus labor insumitur eruendæ doctrinæ Veterum, et operibus redintegrandis, si nullus inde ad ipsos redeat fructus? Quid juvat toties novare Editiones, ut eædem corruptelæ in singulis maneant? Itaque fit sæpenumero, ut lector in facilibus intellectu, si bono consilio assumta e Criticorum scriptis (quæ omnibus evolvere non semper vacat) genuina manus Auctori reddita esset, quia vulgatum retinetur ulcus, crucietur; potiorem partem, aut non perceptam aut male, transeat; et nihil quod imitari tuto possit, inveniat. » Hæc ille, optima sanè, et utilissima si adhibeatur judicium; cui, quantum valui, intendi: et hoc temperamentum secutus sum, ut si in vulgata lectione aliquid sit absurdi, vel falsi, vel inelegantis; contra vero, in Conjectura sive mea, sive alius cujuspiam, ratio, auctoritas ipsius Statii et optimorum Scriptorum, una cum minima vel usitata discrepantia a vulgari scriptura, istud ejiciam, hoc in Contextum assumam. Atqui, dicunt, si hoc semel concedatur, actum est de antiquitate, et pro Statio legemus nescio quem. Immo, respondeo, pro nescio quo leges Statium. Si enim tu, levi vel usitata mutatione vocum, ex eo quod absurdum erat vel non intelligendum, efficere potes sensum perspicuum et vividum, filum Poematis et sermonem apte connexum præcedentibus et subsequentibus, Numeros æquabiles, et ceteris ejusdem Poetæ pares et similes; denique, cui nihil ab ulla parte objici possit; statim exclamabo, εὕρηκας; atque hoc, non isto modo, Poetam scripsisse credam. Quid enim si centum Codices consentiant in hoc Virgilii loco Æneid. VII, 593:

> Multa Deos aurasque pater testatus inanes,
> Frangimur heu ventis, inquit, ferimurque procella:

anne ideo dubitares in Contextum admittere, ex conjectura,

> Multa Deos arasque pater testatus inanes? [1]

[1] « Addimus hoc suffragium membranarum, quæ Hamburgi in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis servantur, in quibus diserte *arasque* exhibetur. » ACT. ERUDIT. 1729, p. 382. — De hac lectione vide quæ ab Heynio exponuntur in Variis Lectionibus nost. Edit. tom. III, pag. 319 et 320. ED.

Præsertim quum in isto nullus sit sensus; et ipse alibi eamdem sententiam iisdem fere verbis proferat, Æneid. XII, 496:

Multa Jovem et læsi testatus fœderis aras:

quem locum exscribit perpetuus ejus imitator Sil. Italic. XVII, 87:

. . . . castas polluti fœderis aras
Testatus.

et VI, 692:

. . . . pollutas fœderis aras
Deceptumque Jovem.

Quis tam inepte fautor Veterum Lectionum, ut non hoc concedat? nemo certe, nisi si quis tam durus reperiri queat, ut fateatur se vetera et falsa quam recentia et vera malle: cujus sinisteritatem pro judicio suspicere, næ esset indicium mentis infirmæ, et veritatis numine parum contactæ. « Revereor sane (ut ille ait, ad Livium, XXIV, 25) Veteres Libros; ita tamen ut illorum scripturam nunquam prævertam ei quam ipsos auctores reliquisse credibile est. » Quando igitur in Textum admitto *Parthenopeque* pro *Major et inde: Si conjunx* pro *Sylva una; Meque habitus moresque* pro *Atque tibi moresque; lacrimis* pro *oculis; decoravit* pro *peraravit;* et centum alia ejusdem audaciæ et veritatis; scito, Lector, me adeo non petere veniam, ut etiam tibi imputem. Atque utinam pari certitudine (pæne Mathematica) in ceteris difficilibus locis versari potuissem! omnia uno ordine habuissem, Catienis mille ducentis reclamantibus. Quid enim refert a qua parte veniat, modo venerit, veritas? eadem est Dea, sive a me et Cruceo, sive ab Heinsio et Gronovio in lucem proferatur; nisi nobismetipsis tam maligni et iniqui judices esse volumus, ut quod ab aliis profectum pro vero statim amplecteremur; id, quia nostrum est, inter *dubia* rejiciamus: quæ quidem diffidentia a judicio et vero profectu æque longe remota est, ac oppositum ejus φιλαυτία. Hæc semper tibi applaudit, et, licet fallatur, rem bene gestam autumat: illa semper pendet et fluctuat etiam in veris; certe autem tam peccat qui nihil credit, quam qui omnia: et si ab alterutro perire necesse sit, felicior videtur sors copia quam fame pereuntium. Sed mediam viam insistit judicium; neque ultra Verum progreditur, neque citra deficit.

Non tamen mihi in hac parte conjecturali, quæ cuique maxime adblanditur, semper indulsi: sed ubicumque erat dubitationi locus, Conjecturam ad imam paginam plerumque detrusi: unde petas licet,

si non ipsum Statium, sensum tamen vulgato potiorem, et cujus in Notis rationem reddam, quas quia non otium aut animus tibi forte fuerit consulendi, statui hoc pacto decidere cum deliciis et fastidio tuo. Extra hos fines si me evagantem unquam deprehenderis, injicias, quæso, manum, et in viam reducas; leniter tamen et sine acerbitate, prout decet Musarum non duelli et discordiæ sacris operatos : neque enim, si calculum recte ponas, tanti sunt allucinationes meæ, ut propterea tu humanitatem exuas; et longe ante tibi denuntio, si me errantem coargueris ex ratione rei et veterum auctoritatibus (quomodo tecum ago), me primo intuitu manus daturum, et fassurum sine flagro et verberibus, quæ procul amoventor a liberalibus disciplinis; in quibus quicumque ingenue versatur, civis Romanus est. Et quid si ego erraverim? quis hoc a me exigit, aut quando promisi futurum, ut nunquam fallerer? an si decem locis (ut Gronovii verbis utar) ter excidissem, malles tu septies falsa et obscura lectione torqueri, quam tres mihi lapsus et monstrare et condonare? non, opinor; si hominem te memineris. Neve hæc gratis dicta putes, hac occasione stuporem meum ultro agnosco; qui alio Opusculo (Epist. Critic. p. 39) in loco L. Flori II, 2, pro, « Africam et Syrtes omnium imperia gentium, insularum litora replevit, » legebam : « Syrtes et omnium in eo mari jacentium insularum litora; » quum verum esset, « Syrtes et omnium interjacentium insularum litora; » prout me comiter monuerunt summi viri Franciscus Hare et Ricardus Bentleius, et eruditus vir Daniel Walterus, tutor olim meus : quibus viris præstantissimis, et hoc, et multis aliis nominibus, obstrictum me profiteri gaudeo. Idem dictum volo de loco Ciceronis de Nat. Deor. III, 35, ubi pro « vi timpanitis rogo illatus est, » legebam : « in triumphantis toga elatus est; » quod falsum est, quum de Dionysio Siculo sermo fiat, cui non competit *toga*, quæ Romanorum est. Sed ad rem.

De prioribus harum Sylvarum Editoribus parum dicam, ne eorum existimationem vero, aut mei ipsius falso judicio lædam. Hoc solum audebo dicere, eos nimis negligenter huic assiluisse; dum unum quemvis locum arripientes in quo aliqua esset Codicum aut Editionum discrepantia, huic uni catervatim incubuerunt, de decem obscurioribus et depravatioribus securi, et ne verbum quidem facientes. Quid aliud quam negligentes (viros alias acutissimos) dixeris, qui centies forte relegerunt locum Auctoris, in quo matres in luctu dicuntur *ferre ci-*

neres et carmina oculis; vel ubi infans dicitur *implicare gemitum* alicui; vel ubi Tithonia dicitur *spargere* aliquem *flagello;* vel ubi *lanugo* dicitur *carpere genas;* vel ubi *Tibris* et *Lucanus ager* dicuntur *torquere aquas:* qui hæc, inquam, et ter centum talia relegere potuerint et edere, sine ulla vel sensus explicatione, vel absurditatis mentione? Atque hæc est Statii in his Sylvis sors; ea Editorum securitas. Nimirum, illis non videtur suboluisse de tam prodigiosa horum librorum depravatione; et mendorum consensum pro sanitate acceperunt. Ni ita se haberet, quomodo fieri potuit ut tot absurditatibus acquiesceret (non dico Gevartius et Barthius, sed) summus ille Gronovius, sine ulla vel suspicionis suæ mentione? Nec hoc dico, ut mea majoris æstimentur, aut ut famæ et meritis illius detraham (quorum neutrum aût in animo aut in potestate mea situm est); sed ut hinc perspicias quam diversæ res sint Linguam Latinam et Poetas Latinos optime et accurate intelligere: quorum istud, si cuiquam mortalium, Gronovio contigit; hoc (accurate dico), vix uni et alteri, quod sciam (vivos enim prætereo, utpote quos Libitina nondum sacraverit), præter Nic. Heinsium, verum Phœbi alumnum, et Calliopes sinu innutritum: qui aliud agens pæne plura loca, certe difficiliora, in his Sylvis restituit, quam omnes alii simul sumti (Gronovio excepto) qui ex professo insudarunt huic operi; nec dubito quin multo plura lateant in margine Exemplaris ejus; quod a Burmanno aliquoties citatum video, Not. ad Ovidium; et meminit Grævius in Epist. ad Bentleium, Not. ad Horat. Carm. I, 23, 5. Nec tamen hoc Gronovio vitio vertendum duxerim; non hercle magis quam quod Gallus vel Britannus non fuerit; non magis quam quod « spectandus nigris oculis nigroque capillo » forte non fuerit. Hoc enim donum est Naturæ, et illis solis contigit, quos « Nascentes placido lumine viderit » Melpomene. Multo altiora et forte utiliora novit et excoluit vir ille vere maximus; quorum innumera specimina exhibet in præclara Diatribe in Statii Sylvas: in quo tamen opere multa ad Poetarum locos spectantia mutasset, sat scio, Heinsius, si ad illius judicium res fuisset exigenda. Interea, inde se solari potest Gronovius, quod hoc (nescio an dicam infortunium) commune habuerit cum viris in aliis eruditionis partibus longe summis. Hinc etiam se tueri potest, quod hæc Diatribe primum ejus tentamen, et opus juvenile fuit: juvenile quidem illud, sed Gronovii juvenis, et quale non perfectius elaborare potuerint multi, qui hisce literis totam ætatem impenderunt: etiam errores istius viri quiddam eruditius ha-

bent quam aliorum διορθώματα. Et in universum, hoc quasi ex Phœbi tripode effatum sume : Nunquam interituram esse veram Eruditionem, donec Gronovii Opera legentur.

At periculosum erat a tanto viro dissentire. Erat quidem : sed, ut puto, ducem rationem sequebar; cujus rei, tu, Lector, constitutus es judex. Et quid facerem? Hinc, ut mihi videbatur, stetit veritas; illinc, Gronovius : anne difficilis electio? Gronovio certe, quantumvis magno, major veritas. Nec cuipiam unquam fraudi fuit a quopiam cum ratione dissensisse; præsertim in his studiis; in quibus non ad formulam astringimur, et idem jus est Mævio quod Titio : absit modo livor et petulantia; quorum causas procul habeo. Etiam ab ipso Heinsio sæpissime in hoc opere dissentio : nec tamen propterea vel de illo pejus, vel de meipso melius existimo.

Moles hujus voluminis obstitit, quo minus ederem præclaram hanc Gronovii Diatriben (cujus exemplaria jam rariora sunt), et simul Papinianas Lectiones Jani Casperii Gevartii, cultissimum opus, et Eruditis bene notum : et licet Gevartius in re critica nihil fuerit ad Gronovium, feliciter tamen in hoc opere versatus est, et Statium luculenter explicavit, et non raro emendavit : ut proinde multum illi debeant Papinianæ Literæ. Barthii Editionem Statii nondum vidi : septem tamen vel octo emendationes (quæ in Edit. Varior. occurrebant) parvas quidem, sed indubitatas, admisi. Bernartius, Morellus, Cruceus, quidquid contulerint, suis locis memorabitur. Hi omnes (et alii aliquot) ediderunt has Sylvas. Janus Parrhasius (monente Barthio), Argument. Præfat. in lib. I. Claudiani de Raptu Proserpinæ, pollicetur Commentaria in Sylvas; quod et facit Politianus Epist. VI, 1, ubi etiam testatur se publice prælegisse hos Libros. Jos. Scaliger. Castigat. in Propertii lib. II, pag. 185, Edit. Patisson. memorat se enarrasse totos quinque libros Sylvarum Ludovico Castanæo, Equiti Regio. Sed privatæ, opinor, hæ Scaligeri, non publicæ, aut scriptis commissæ Prælectiones; quod tamen innuere videtur Barthius. Alii quoque multi lucem et sanitatem huic Opusculo obiter contulerunt : ut sane dubitem, an inter omnia Antiquorum Scripta ullus sit libellus, qui tot medicas manus expertus sit; quippe in Contextu hujus Editionis habes certissimas Emendationes virorum ad minimum quadraginta in re literaria Principum. Nec tamen, ut mihi videtur, dimidiam partem

mendorum abstulerunt, aut locorum difficilium explicarunt: unde magno emerim scire, quibus rationibus sibi ipsis imposuerint viri in aliis Auctoribus perspicacissimi; vel quo modo interpretaturi fuerint ter centum loca quæ ex his Sylvis possem proponere, et quorum illi nullam rationem habuerunt.

Quum primum hoc opus aggressus eram, ad manus fuerunt Editiones (Libri enim MSS. in Britannia nulli) quæ vulgo habentur præstantissimæ, Aldi An. MDII. Gronovii, Gevartii, Bernartii, Crucei, Grasseri, Veenhusii, et aliæ minorum gentium: Tiliobrogæ quoque Variantes Veteris Codicis, qui in plerisque cum Edit. Rom. consentit. Gronovii Diatribe suppeditavit Lectiones Codicum Senensis et Florentini, et Editionum Rom. et Aldinæ et Venetæ MCCCCXC. De quibus libris ait (Præf. ad Diatriben). « Se summa cum diligentia eos contulisse, cum religione et fide optima citare. » Anno 1653, idem edidit Statium, et una cum illo Reliqua ad Sylvas: hæc præbebant Varietates nonnullas optimas duorum aliorum Codicum, Rhodiani et Salisburgensis. Excussi quoque Notas omnium quotquot nancisci poteram, qui in hunc Auctorem scriptitarunt.

Tandem maximo beneficio, et quod multorum MSS. instar habuit, me mactavit præclarissimus et in his studiis summus Vir Franciscus Hare, Episcopus Asaphensis; qui ex Bibliotheca Illustrissimi Comitis Sunderlandiæ Editiones Parmensem et Romanam mihi impetravit; hanc, Anni MCCCCLXXV; illam, MCCCCLXXIII: utramque ex diversis Codicibus, Parmensem ex optimis expressam, prout testatur N. Heinsius alicubi ad Claudianum; et res ipsa fidem fecit. Quippe hujus solius ope nonnulla loca restitui, quæ, absque hac foret, nulla Conjectura assequi posset. Sic Glauc. Ated. 193, pro *volventem* Parm. *tergentem;* quod verum est. Herc. Surrent. 16, pro *Ductavit scopulos* Parm. *Divisit:* et ibid. 152, pro *Addiscis* Parm. *Adscises;* unde feci *Adsciscis.* Ita pro *gères* restitui *pater,* ex Parmensi, quæ habet *getæ:* pro *raram quietem, navam:* pro *nitidas speculas* Parm. *vides;* unde feci *vigiles:* pro *labente manu* restitui *trepidante:* pro *fissa buxo, fœda:* pro *Cyda labor nomenque fuit,* Epiced. Patr. 94, loco notissimo, Parmensis *Cidaliben nomenque fuit;* unde feci, *Cura Lyre, nomenque fuit.* Epiced. Puer. ad fin. pro *Exercere genas,* Parm. *Excopere;* unde feci *Excepisse.* Hæ sunt egregiæ restitutiones, huic libro debitæ: mitto multas alias, quas per

totum opus sparsas videbis. Liber est in Folio (quemadmodum loquuntur), charactere nitidissimo, et opinor, ad scripturam Codicum unde desumtus est, accedente. Magni eum fecit Heinsius: passim citat, et ex illo Statii loca emendat. Mihi hoc præcipue nomine gratus fuit, quod nulli antea Editorum, quantum novi, hunc vidisse contigerat: et magis magisque gratus, postquam Conjecturas meas ab illo confirmatas comperissem; quam voluptatem multis in locis cepi. Ad finem hujus Editionis legitur hæc notabilis Epigraphe: « P. Papinii Statii liber qnt⁹ explicit: quāq non desint qui velint epistolam quæ scribitur Abascantio Priscillæ Marito non esse principium quinti, sed interpositam in quarto; et silvas solum in libros quatuor esse divisas: quod quidem constare videtur ex his verbis poetæ: Quare plura in Quarto Silvarum quam in prioribus. Correctum p. d. (opinor, *per dominum*) Franciscum Puteolanum: et vere, ultra impressionem Venetiis factam, in III millibus locis emendatum, SS. Catullum et Silvas: ut tu Lector ambobus exemplaribus experiri poteris: itaque nullo m intelligi possit: et cetera. Impressum Parmæ per me Stephanum Corallum. Anno Christi MCCCCLXXIII secundo Cal. Septembris. » Franciscus hic Puteolanus (ut hoc obiter addam) præceptor fuit viri magis noti, Philippi Beroaldi, prout disco ex Gevartio Papin. Lect. III, 6. Idem, opinor, est Puteolanus, cujus meminit Politianus, Epistolar. II, 14. Hinc vero patet, antiquiorem hac Parmensi fuisse Venetam aliam, quam forte innuit Gevartius Papin. Lect. I, 13, ubi citat Principem Edit. Venetam ad confirmandam Lectionem *nymbo* pro *thymbra;* quum tamen *thymbra* sit in Veneta Anni MCCCCXC, ut notat Gronovius Præfat. Diatribes: et proinde necesse sit aliam esse Venetam illa vetustiorem. Immo trium Venetarum antiquiorum mentionem invenio; unius nempe, an. 1483, apud Cl. Fabricium Bibliotheca Latin. lib. II, cap. 16, et Supplement. p. 712. Alterius, an. 1475 apud Gronovium Reliq. ad Statii Sylvas. Tertiæ, Parmensi vetustioris, in Epigraphe modo adducta. Erravi igitur siquando Parmensem omnium antiquissimam dixerim. Quum de hac Veneta Editione quærerem, admonitus eram illam servari in Bibliotheca Celsissimi Ducis Devoniæ, egregii Literarum fautoris: a quo (interventu Nobilissimi cujusdam Amici) thesaurum hunc impetravi: quorum adeo humanitati et comitati utinam pares gratias referre possem. Et jam video, omnia quæ de præstantia Edit. Parm. prædicaveram, ad hanc potiori jure transferenda esse: quippe Parmensis ex hac plane expressa fuisse vide-

tur, mutatis nonnullis (et frequenter in pejus) vel ex aliis Codicibus, vel forte ex libitu correctoris, Francisci Puteolani: et quæcumque egregia habet Parmensis, hæc quoque habet; et multa præterea, quæ in Addendis videas: adeo ut absque hac omnino manca fuisset nostra Editio. Liber est pulcherrimus, in Folio: in eodem volumine continentur Catullus, Tibullus, et Propertius. Uno anno Parmensem præcessit, impressus Venetiis An. 1472. Non dubito quin hæc sit omnium antiquissima harum Sylvarum Editio; certe, omnium rarissima est; neque mentionem ejus alibi invenio præterquam in obscuro isto angulo Editionis Parmensis; istius quoque perquam raræ.

Romana quoque Editio, licet ab aliis præflorata, nonnihil novi ex suo contulit, et lectiones Parmensis et Venetæ Editt. confirmavit; quod passim videbis. Huic præfuit Domitius Calderinus, ex scriptis in diversos Auctores bene notus, et, ut illo ævo, vir sane doctissimus. Multa ille Statio feliciter restituit; in multis puerilitor erravit: hoc tamen nomine maxime culpandus, quod si quid non intellexerit, statim mutavit; etiam absurde nonnunquam; sæpe etiam, quod valde suspicor, nulla mentione facta. Utilis tamen Editio, quod diversorum Codicum scripturam repræsentet; quum jam pæne certus sim, Domitium, quando istam evulgaret, non vidisse aut Parmensem, aut Libros ex quibus Parmensis expressa fuit: de quo aliquando incertus eram.

Sed dudum ante nactos hos libros suspicatus eram, quod postea verum comperi, non multum auxilii expectandum esse a duobus vel tribus exemplaribus quibusvis: quippe altius adactum erat vulnus; et *post omnia* quæ invenire potui a viris doctis restituta vel e Libris vel ingenio, restabant adhuc pæne innumera quæ nullo modo erant intelligenda. His igitur incumbebam, hæc premebam, et omnes strophas vertebam: et interdum veritas primo discursu sese ingerebat; aliquando res erat morosioris disquisitionis. In summa: si quid in his rebus certi sit, pæne ausim in me recipere et præstare, te jam legere posse Statii Sylvas plus quam ter centum locis restitutas ex conjectura; partim sensu præeunte et necessario postulante has emendationes, partim literis et calami ductibus ad veras Lectiones ducentibus: adeo ut jam non restent quadraginta loca de quibus desperem. Juveniliter nimis dictum hoc tibi forte videbitur: spondeo, dictum

esse citra affectationem aut jactantiam; quarum occasiones, ut mihi videtur, ab his studiis longissime excluduntur: bene enim scio, quo pretio hæc et omnia hujusmodi æstimanda sunt: quæ tunc demum tolerabilia fieri incipiunt, quum ab animo simplici et candido proficiscuntur: sin minus, reponenda sunt inter Flacci nugas quæ « seria ducunt in mala. »

Nonnulla in his Sylvis depravatissima puto, et sine aliis Exemplaribus nunquam restituenda, utpote forte mutila: velut hoc Epiced. Phileti vs. 64:

Seu Lucanus ager, seu Tibridis impetus altas
In dextrum torsisset aquas.

Arb. Ated. 69:

Et secrete palam, qui digeris ordine vitam.

ad Uxor. 49:

Et quamquam sævi fecerunt Mænada planctus.

ad Marcell. 83:

. . . . proavitaque toto
Rura abiisse mari.

et 102:

. . . . nec enim Tirynthius almæ
Pectus amicitiæ.

Quæ omnia (præter istud Epiced. Phileti[1], de quo omnes tacent), summi viri Gronovius et Gevartius sanissima putant, et explicare conantur: ego non possum mihi in tantum imponere, et simpliciter fateor me non intelligere ista loca; quod utinam facere omnes qui veterum Auctorum Editiones procurant; et sane facere debent, et facerent, nisi puderet fateri se aliquid non intelligere: qua dissimulatione nihil studiis est damnosius. Hinc enim Lector non adeo eruditus (qui plures numero) quum in tale aliquid inciderit, incusat primo stuporem suum, per quem non intelligit quod cæteros omnes putat intelligere; quum tamen forte ejusmodi sit quod nemo unquam aut intellexit, aut intellecturus est. Statim sequitur incertitudo in studiis; et hanc excipit desparatio; et novissime, contemtus. Fideliter igitur indicavi (certe volui) omnia loca de quibus mihi non liquet; et nonnullis interdum forte opitulari possem, nisi tæderet conjecturis in-

[1] Sylv. II, 6, 50, ubi vide lectionem quam eruimus.

dulgere in locis quæ tribus vel quatuor modis refingi possint : quum ea sola pro certis habeam ad quæ unus tantum est aditus. Si quid tamen hujusmodi incideret, fidi Editoris erat Lectorem monere ; nec monere solum, sed et remedium tentare : nec enim ferendus esset medicus qui ægroto tantum diceret, *ægrotus es*, absque ulteriore cura aut conatu eum sanandi. Tentavi igitur : et interdum forte verum vidi ; sæpius, opinor, peccavi.

De ipso Statio omnia sunt vulgata : nec quidquam hnovi abui, nisi ut refellerem opinionem magnorum virorum qui statuunt eum victum fuisse in Agone Capitolino in commissione Thebaidos suæ : quod nec minimum verisimilitudinis habere, nec ab eorum Argumentis probari, doceo ad Epiced. Patr. 231. De ἀκριοίᾳ et tumore, quæ Statio sæpe objiciuntur, aptior erit alius dicendo locus. Notandus obiter fuit eorum error qui Sellium seu Epirotam faciunt Nostri Patrem ; quum ille plane fuerit Neapolitanus ; Gens vero Papinia, ex Velia Lucaniæ oppido.

Restat a te petam, Lector, ut ignoscas longitudini Notarum, cui aliquoties forte nimis indulsi ubi per se perspicua res fuit. Atque utinam exemplorum numerus multis in locis circumcideretur. Sed hanc garrulitatem mox (si nihil interpellat, et si eruditioribus tanti videbitur) compensabo brevitate Notarum et Emendationum in Propertium, cui jam quum maxime incumbo : et proxima fœtura excludet Statii Thebaida et Achilleida ; quas cum Libris MSS. collatas edere destino : in quam rem viros eruditos exoratos velim, ut mihi transmittere dignentur si quid huic proposito accommodum penes se habeant : reddam vicem, si reposcant ; reddam, et si non reposcant.

De Virgilii Æneide, quibusdam in locis (præcipue p. 302, col. I [1]), liberius quam mos est, opinatus sum. Hujus opinionis audaciam expavet eruditus quidam amicus meus : cujus causa, et ut quod censeo sine ambagibus proferam, addo : Plurima esse in isto Poemate, quæ, si ego (pessimus omnium Poeta) versus scriberem, nollem in meis conspici : et licet numero infinita ultra humanæ imitationis metas in illo emineant, nonnulla tamen sunt contradictoria, multa lan-

[1] Vide infra hoc vol. pag. 653 et Postcriptum pagin. seq.

guida, exilia, nugatoria, spiritu et majestate Carminis Heroici defecta: quæ si perfecti Operis signa sunt, sit per me quantumlibet perfecta Virgilii Æneis. Et de Georgicis quidem quantum vult concedo; de Æneide vero, renuo negitoque. Non solus ita censeo: immo hoc sensisse videtur ipse Virgilius, optimus certe sui judex; aut quare *flammis aboleri jussit* hoc opus? Sed et solus, ita censebo, donec sensus communis et rerum notiones animo hærebunt. Impudentiam vel dementiam meam miraris? quod dixi, præstare paratus sum; et in hanc rem, non mediocrem Sylvam jam in mundo habeo; cujus specimen in Notis passim videbis. O Virgili, quale te numen habere dicerem, si sic omnia scripsisses quemadmodum multa in secundo, quarto, et sexto Libris! Et tu quidem sic omnia scripsisses, si tibi permisissent tempus et male feriati homines: sed nunc pars minima es ipse tui. Vale, Lector, et, si minus recte de his rebus sentiam, docere me vel redarguere, si tanti sit, ne dedigneris.

J. M.

Londini, Idibus April. A. D. 1728.

N. B. In hac Marklandi præfatione plurima sunt acute et feliciter cogitata, quæ sincera mente laudanda profiteor: unum tamen graviter offendit, quod silentio præterire, quasi conscius adsentiar, neque animus, neque rerum evidentia patitur. De Virgilii scilicet Æneide *liberius quam mos est*, fatetur se pronuntiare; *liberius* profecto, ne dicam audacter et impie, de Divino illo, ut vocat Statius, poemate. Cæterum, erudite Lector, quoniam se *redarguere* Marklandus ipse nos invitat, vide Maronis editionem nostram passim, sed in primis Vol. VII, pag. 279, 289, 328, 333, 357 et seqq. atque 659.

Invenies etiam in nost. Edit. Poetarum Latin. minor. Vol. II, p. 417 et seqq. duo Carmina Lyrica hujus P. Pap. Statii, quæ illic expressa reliquimus, ne Wernsdorfii rara Collectio nobis truncaretur, adjectis insuper nostro Duci pluribus notis et variis Lectionibus, ut planum foret, quoties Marklandus ingenii impetu se transversum abripi pateretur, et vulgatam lectionem, quia sensum recte non intellexerat, temere mutatam repudiavisse non timuisset.

Vive, vale et laboribus nostris fave.

N. E. L.

PUBLII PAPINII STATII

SILVARUM

LIBRI QUINQUE.

PUBLII PAPINII* STATII

SILVARUM

LIBER PRIMUS.

EPISTOLA P. P. STATII

AD STELLAM.

Diu multumque dubitavi, Stella juvenis optime, et in studiis nostris eminentissime quæ parte voluisti, an hos libellos, qui mihi subito calore et quadam festinandi voluptate fluxerant, quum singuli de sinu meo prodiissent,

VARIÆ LECTIONES.

* *P. Papinii Statii.* Inscriptionem exhibent antiqui libri his verbis; *Statii Papinii Neapolitani Silvarum liber primus ad Stellam.* Ita Cod. Drak. et Urat.; sed Paris. mutat ordinem nominum: *Papinii Statii.* Ed. princ. ita: *P. Papinii Statii Surculi Silvarum liber primus prohœmium ad Stellam.* In Cod. Leid. hoc et reliquorum librorum proœmia desiderantur. Hand.

1. *Dubitavi.* Ed. Ven. 1472, quæ in bibl. Paris. servatur, *cogitavi.* Hand. — *Eminentissime.* Hæc vox non est in Cod. Merseb. Si Statiana, videtur trajicienda: *et in studiis nostris, qua parte voluisti eminentissime.* Barth.

4. *Fluxerant.* Parmens. et Venet. *fluxerunt;* forte rectius. — Inde ab Romana omnes editiones *fluxerant;* sed auctor Jansenianæ a. 1630, re-

congregatos ipse dimitterem. Quid enim?.... quoque auctoritate editionis onerari, quum adhuc pro Thebaide mea (quamvis me reliquerit) timeo? Sed et Culicem legimus, et Batrachomyomachiam etiam agnoscimus : nec quisquam est illustrium poetarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore præluserit. Quid? quod hæc serum erat continere, quum illa vos certe quorum honori data sunt, haberetis. Sed apud ceteros necesse est multum illis pereat ex venia, quum amiserint, quam solam habuerunt, gratiam celeritatis : nullum enim ex illis biduo longius tractum ; quædam et in singulis diebus effusa :

stituit *fluxerunt*, quod legitur in Codd. Urat. Paris. et edit. princ. Parm. Vicent. Unus Gronovius secutus est. Sæpe vero grammatici mutarunt perfectum quod vim habet aoristi Græci. Burm. etiam correxit *effluxerant*. Sic Hand. qui recepit *fluxerunt*. — *Prodiissent. De sinu meo pro.... congregatos;* ita Parm., suppletum in margine *prodiissent* : et mox : *quid enim..... quoque auctoritate*, suppletum eadem manu : *oportet hujus quoque auctoritate*. Eadem lacuna in Venet. Vulg. *Quid enim oportet hujus quoque*. — In Codd. Uratisl., Drak. et Paris. legitur *prodiissent*; Lind. scripsit *prodissent*. Verba *oportet hujus* leguntur in Codd. Urat. Drak. et Paris., et in ed. Vicent. quæ non correcta est ad exemplum Romanum. Sic Handius, qui et ipse habet *oportet hujus quoque*, etc. Vid. not.

6. *Quum adhuc. Quod adhuc.* — *Quod adhuc;* ita Cod. Paris. et omnes edd. inde ab Romana. Sed Cod. Urat. et ed. princ. *quo*, quod defendi non potest. Hand. — *Quod adhuc* legitur in editione Hand. Vide notam 5, pag. 7.

8. *Batrachomyomachiam etiam agnoscimus.* Ed. princ. *batracomachiam*. Heyn. in procemio ad Culicem, nescio, an de industria, scripsit *cognoscimus*. N. Heins. conjecit *Batrachomyomachiæ ignoscimus;* sed agnoscere hoc loco significat probare, non reprehendere. Barthius in ineditis notavit, voc. *etiam* non fuisse in Cod. Merseburg. Hand.

10. *Op. suis.* Lege *op. seriis.*

11. *Quum illa vos certe.* Editio Romana pro *quum*, habet *quom;* reliquæ *cum*. Hand.

13. *Solam habuerint.* Sic Hand. qui hæc : restitui lectionem omnium Codd. et edd. antt. Gevartius, non librorum auctoritate, sed sua sponte edidit *habuerunt*, quod in Gronov. et Markl. transiit. Utrumque, si ad grammatica præcepta revocaveris, probatum accipies : sin sensum et reliqua verba respexeris, conjunctivum præferes.

15. *Et singulis diebus.* Parm. Ven. et Rom. *et in singulis;* recte. — *In singulis* legitur in omnibus antiquis libris. Aldina præpositionem omisit, et post eam omnes; restituendam tamen censuimus, Hand. duce.

quamvis metuo, ne verum istuc versus quoque ipsi de se probent. Primus libellus sacrosanctum habet testem : sumendum enim erat a Jove principium. Ceterum hos versus, quos in Equum Maximum feci, indulgentissimo imperatori, postero die quam dedicatum erat opus, tradere jussus sum. Potuisti illud (dicet aliquis) et ante vidisse. Respondebis illi tu, Stella carissime, qui Epithalamion tuum, quod mihi injunxeras, scis biduo scriptum. Audacter mehercule; sed tamen CCLXXII hexametros habet. At fortasse tu pro collega mentieris. Manlius certe Vopiscus, vir eruditissimus, et qui præcipue vindicat a situ literas jam pæne fugientes, solet ultro quoque nomine meo gloriari, et villam Tiburtinam suam descriptam a nobis uno die. Sequitur libellus Rutilio Gallico Valenti dedicatus : de

16. *Quamvis metuo.* Parm. *Quamvis me ore verum;* in margine *metuo ne.* — *Quamvis nemo.* Barth. in ined.— Cod. Paris.: *Quamquis metuo verum;* edit. princ. *quamvis in meone verum;* Vicent. *quam quis metuo ne v.* At ut jam Calderinus restituit in Romana, *quamvis metuo, ne verum,* ita legitur in Cod. Urat. optimo. Hand.

17. *Hoc versus.* Edit. princeps exhibet *hos usus.*

20. *Dedicatum erat.* Vulgo *dedicaverat.* — Hand. habet *dedicaverat,* sic Cod. Paris. Vid. notas, p. 9.

21. *Jussus sum.* Cod. Urat. *uisum;* ed. pr. *jussum* omisso *est.* Præterea in antiquis edd. verba *feci indulgentissimo imperatori* conjunguntur. Hand.

23. *Scis biduo scriptum.* Parm. *triduo;* male.— Cod. Uratisl. *scibis.* Hand. — Edit. pr. omittit vocem.

24. *Mehercule.* Restitui ex antt. libris *mehercle.* Inde a Gevartio editum *mehercule.* Hand. — Ed. princ. *mehercles.* — *Sed tamen CCLXXII hexametros.* Parm. et Ven. *Sed tantum tamen exhametros.* — Cod. Urat. *sed tamen hexametros.* Hand. — Edit. princ. *sed tantum tamen.* Vid. not. — *Est fortasse... mentieris. Et fortasse.* — Omnes libri præbent *et;* Cod. Par. CCLXXVII *exametros,* ei mox *mentiris* pro *mentieris.*

26. *Vindicat.* Cod. Uratislensis, *vendicat.* Hand.

27. *Nomine meo.... et villam.* Parm. omittit *et,* unde recte puto me emendasse: *nomine eo gloriari, villam,* etc. id est, ea causa.—Vulgo legebatur, *et villam.* Barth. in suo libro scripsit : « MS. *eo,* vere; *et illam* (voluit *villam*) non habet. Meræ sunt glossæ. » Eadem fere in Anim. ubi tamen Codd. auctoritatem desiderat. Cod. Urat. *nomine meo gloriari, villam.* Editio princeps addit *et.* Ego nihil mutandum video in illa optimi codicis scriptura. Hand.

29. *Gallico Valenti,* Omnes edd.

quo nihil dico, ne videar defuncti testis occasione mentiri; nam Claudii Hetrusci testimonium est, qui Balneolum a me suum intra moram cœnæ recepit. In fine sunt Kalendæ Decembres, quibus utique creditur : noctem enim illam felicissimam habent, et voluptatibus publicis inexpertam.

Rutilio Gallico Valenti de quo nomine nil constat. Cod. Urat. *Gallico est ualenti;* ed. pr. *ualēti.* N. Heins. correxit *convalescenti.* Idem Scriverius ita notavit; *GalliCOualescenti.* Emendationem necessariam putavi. Sic Hand. qui dedit *Gallico convalescenti.*

31. *Claudii Hetrusci.* Edit. pr. *Claudi hetrusci,* Cod. Urat. et Drak. *Etrusci;* Lind. Gevart. Markl. *Hetrusci.* HAND. — *Est.* Lege *exstat qui.*

32. *Suum intra moram.* Cod. Urat. *suam,* etc. HAND.

33. *Utique.* Cod. Urat. habet *uti.* HAND. — *Creditur.* Lege *credetur.*

34. *Felicissimam habent.* Cod. Uratislensis et editio princ. omittunt *habent;* ille præterea dat *ex voluptatibus.* HAND.

NOTÆ

IN EPISTOLAM P. P. STATII

AD STELLAM.

Linea 4. Voluptate *fluxerant*. Obvium erat, *voluptate* effluxerant: sed sanam locum præstat Ausonius Epist. XVI: « Adjuro benevolentiam tuam, verecundiæ meæ testem, eos (*epodos*) *mihi subita* persuasione *fluxisse*: nam quis hos diu cogitaret? quod sane ipsi de se probabunt. » Ubi manifesto alludit huic Statii loco, et alteri infra, « Quamvis metuo ne verum istuc versus quoque ipsi de se probent. » Nisi dicas apud Ausonium quoque legendum esse *effluxisse*. Sed non opus est; *fluxerant* pro *effluxerant*, simplex pro composito; ita *pressum* comis cruorem, pro *expressum*, Thebaid. XII, 320; *tractas* membris spirantibus hastas, pro *extractas*, Thebaid. II, 712; ita enim legendum; vulgo *fractas* Sic etiam *lata* pro *elata*, Ovid. Art. Am. III, 20; *surgere* ponto pro *exsurgere*, Manil. V, 619; *fundere* equitem pro *effundere* ap. Nazarium Panegyr. c. 24, et id genus innumera. Paulo ante, « eminentissime qua parte voluisti; id est, in poemate elegiaco. » Elegiacus enim erat Stella; inde est quod in Epithalamio ejus, v. 252, dicit Statius Philetam, Callimachum, Propertium, Ovidium et Tibullum (omnes poetas elegiacos) diem Stellæ nuptialem libenter celebraturos fuisse, si in vivis essent. Pessime Domitius interpretatus est, « in eo de quo voluisti me deliberare. » — *De sinu meo prodiissent, congregatos*, etc. Ita bene supplevit Domitius, quum in codicibus suis invenisset *de sinu meo* pro... *congregatos*, etc., spatio relicto, ubi integram dictionem esse oportuit. Barthius maluit *prosiluissent*. Atqui *liber* non *prosilire*, sed *prodire* dicitur.

5. *Quid enim oportet hujus quoque*, etc. Hunc etiam locum ex ingenio supplevit idem Domitius, quum in omnibus codicibus desiderarentur voces *oportet hujus;* quæ in editiones deinceps receptæ fuerunt, pessimo exemplo. Sensus est: « Quid enim? dicet aliquis: adeone me audacem vel stultum esse, ut judicia hominum provocem his nugis, quum adhuc de eventu Thebaidos meæ, operis serii, trepidem? » Respondet Statius: « Sed et Culicem legimus et Batrachomyomachiam, etc. Objecerat aliquis Statio argumenti humilitatem: hanc ille defendit exem-

plis Virgilii et Homeri. Nullum alium sensum huic loco subesse posse, patet ex responso poetæ : verba autem, « Quid enim quoque, etc. » hunc nullo modo efficiunt : scripsisse enim debuit ad hanc formam : « Quid enim? Men' auctoritate levis quoque et nugatoriæ editionis onerari, quum adhuc pro Thebaide mea, quamvis me reliquerit, timeo? » Hoc, inquam, vel tale aliquid dixisse debuit; locus igitur sine dubio mutilus est; sed non ullius ingenio absque codicum MSS. ope supplendus. Barthius tentavit, «Quid enim? Editionis quoque auctoritate onerari?» multis nominibus refellendus, nisi jam dixeram. Monendus tamen es, pro *quod adhuc* omnino legi debere *quom*, id est, *quum* : hoc postulat sensus : simillimus huic locus in præfat. lib. IV, ubi eandem objectionem diluit. — *Quod* pro *quanquam* usurpari exemplis non tantum serioris ætatis demonstrarunt Muret. ad Catull. 22, p. 36; Heins. ad Ovid. Her. 17, 51; Burmann. ad Anth. Lat. II, pag. 484. Temere igitur Markland. correxit *quum*. Hand.

7. *Quamvis me reliquerit.* Nemo hæc accurate interpretatus est. Reinesius in ineditis : « *reliquerit*, i. e. victus fuerim in committenda ea. » N. Heinsius : respicit ad pudorem, quod victus fuit, dum recitaret. Cf. ejus Adversaria pag. 591. Gronovius, quamvis eandem hanc sententiam amplexus, scilicet Statium desertum se a Thebaide sua sensisse, tamen explicat his verbis : « etsi jam edita, jam publicata sit, ut nunc sero et frustra pro illa *timere* verear. » *Relinquere* proprie dicitur de opere, quod ex manibus artificis exit absolutum et perfectum. Hand.

10. *Operibus suis stilo remissiore præluserit.* Vide totum locum : « Nec quisquam est illustrium poetarum qui non aliquid operibus *suis* stilo remissiore præluserit. » Clare opponuntur *stilus remissior* et *opera;* si igitur sic scripserit Statius, hi Silvarum libri non inter *opera* censendi sunt, sed tantum *prælusiones* sunt *operum* : *opera* igitur significant *majora* et *graviora opera*, qualia sunt Thebais et Achilleis; inepte et falso; lege, *qui non aliquid operibus* seriis *stilo remissiore* præluserit. Jam vides oppositionem inter *seriis* et *præluserit;* notum istud Virg., Ecl. VII, 17 :

Posthabui tamen illorum mea seria ludo.

quem locum exscribit Ausonius Mosella, v. 206 : « ... sua seria ludo Posthabet... » Plin. ep. VII, 9 : « Fas est et carmine remitti, non dico continuo et longo, id enim perfici, nisi in otio, non potest, sed hoc arguto et brevi. quod apte quantaslibet occupationes curasque distinguit : *lusus* vocantur; sed hi *lusus* non minorem interdum gloriam, quam seria, consequuntur. » Contracte scriptum fuit *siis* pro *seriis;* unde minima mutatione *suis;* pari fere modo depravatus locus Auctor. de Caus. corrupt. eloquentiæ, cap. 20 : « traduntque invicem ac sæpe in colonias ac provincias suas scribunt, sive in *suis* aliquis arguta et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito et poetico cultu enituit; » ubi Acidalius et Freinshemius pro *in suis* legunt *sensus;* atqui hoc non satis est, quippe deest oppo-

sitio; lege, *sive in* subitis *aliquis*, etc. *Subita* sunt extemporanea, quibus opponuntur *meditata*, et *exquisita*, et *elaborata*. Plin. Epist. I, 16: « Audivi causas agentem acriter et ardenter, nec minus polite et ornate, sive *meditata*, sive *subita* proferret. » Et ita passim in Epistolis Plinius et alii. Vid. cap. 10 istius libelli elegantissimi. — Seriis operibus non nisi ludicra opponuntur. Neque illa correctio dialogi de Caus. corrupt. eloq. cap. 20, probari potest. Cur enim subitæ orationes intelligantur? Et, quod alii non observarunt, quæritur quid sit, aliquem arguta sententia effulsisse? Literæ verborum videntur a librariis non recte dispositæ. Quare legendum arbitror: « traduntque invicem ac sæpe in colonias ac provincias suas scribunt, si venustius aliquid arguta et brevi sententia effulserit, sive locus exquisito et poetico cultu enituit. » Præcipit enim Cicero Brut. cap. 95: « genera autem Asiaticæ dictionis duo sunt: unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis quam concinnis et venustis. » Hand.

20. *Quam dedicaverat opus.* Quis *dedicaverat?* non *imperator;* illi enim dedicabatur. Quis igitur *dedicavit?* disces hoc e versu 99. *Senatus* itaque *Populusque Romanus* dedicavit hoc opus; reponendum, *postero die quam* dedicatum erat *opus, tradere jussus sum.* Scriptum fuit *deducatū erat*, et elisa litera *t*, *dedicaverat.* — Omnes libri scripti et antiquæ editt., excepta una Vicentina, consentiunt in vulgata scriptura; illa vero exhibet *dedicaverum.* Præter Marklandum unus Parrhasius de his verbis commentatus est epist. 57, pag. 104 (pag. 796, Thesaur. crit.) ita: « *Dedicaverat* Domitianus ipse statuam, quia pontifex maximus, ut historia Tranquilli tradit et Dion. » Jacob. Gutherius de Veteri Jure Pontificio lib. III, c. 11, pag. 140, tom. V, Thesaur. Græv. ait: « Nihil sacrum fieri potuit, nisi vel princeps illud *dedicasset*, vel dedicandi dedisset potestatem. » Hand.

24. *Sed tamen CCLXXII hexametros.* In Domitii Codicibus numeri deerant, quos ille ex sensu addidit; recte.—Olim omisso numero referebant ad artificium heroicorum versuum, ut sensus esset: quamvis biduo *sit scriptum*, heroicis tamen versibus. Sed Calderinus recte substituit numerum. Mirum vero quod omnes editiones usque ad Gronovianam exhibent.: CCLXXII, et quod Barth. 278 versus numeravit. Hand.

25. *Et fortasse tu pro collega mentieris.* Lege: At *fortasse*, deleta interrogationis nota. Objectionem denotat vox *at.* Cicero de Divinat. II, 21: « At vetus, tum Pinarii Nattæ, nobilis; a nobilitate igitur periculum; » ita olim emendavi, pro *ac vetustum.* Ovidius Met. VIII, 60: « At, puto, vincemur; » ita legendum; vulgo *Ut.* Exempla ubique. Sensus est: « At, objiciet aliquis, fortasse tu, Stella, mentieris pro collega, poeta pro poeta. » Respondet Statius: « Esto, ut mentiatur Stella in gratiam meam, *a me rogatus:* alterum tamen testem habeo, Manlium scil. Vopiscum (at quem virum!) qui non rogatus, sed *ultro* et sua sponte gloriari solet ea causa, scilicet *villam suam descriptam* esse a me uno

die. » Hæc explicavi ut intelligeres, quam necesse sit pro *meo* nomine legere *eo* nomine, et delere præpositionem *et* ante verba « Villam Tiburtinam eo nomine, id est, ea de causa : » vide not. ad III, 3, v. 87.

31. *Nam Claudii Hetrusci testimonium est, qui balneolum*, etc. Videtur aliquid deesse. Vide antecedentia : « Sequitur libellus Rutilio Gallico Valenti dedicatus : de quo nihil dico, ne videar *defuncti testis* occasione mentiri : nam Cl. Hetrusci testimonium *est*, qui, etc. » Dixisse debuit testimonium *superest*, ut bene interpretatur Calderinus; lege, *testimonium* exstat; *qui*, etc.; hoc modo sensus expletur. Horatius, Serm. I, 5, 55; « Sarmenti domina *exstat.* » Seneca de Benef. I, 12 : «Ergo, si fieri potest, consumi munus meum nolo : *exstet*, hæreat amico meo, convivat. » Auctor Eleg. de Morte Drusi, v. 238 : *Auctor* abit *operis, sed tamen* exstat *opus :* ubi eandem oppositionem vides. Noster, Theb. X, 613 :

Cadat generis quicunque novissimus exstat, etc.

ubi male MS. Petrensis *exit*. Bene igitur testimonium *exstat;* quæ vox hoc modo, forte, scriptaf uit $\overline{ext}$: unde minima mutatione abiit in *est*. Mox pro *creditur*, mallem *credetur;* pari sensu Seneca in Ludo de Mort. Claudii : « Scitis enim optime ; nec periculum est ne excidant, quæ memoriæ publicum gaudium impresserunt. » Paulo ante, *moram cœnæ* est *tempus* vel *spatium* cœnæ, ut *moras* annorum Carm. I, 92, et lib. V, 1, v. 167.

CARMEN I.

EQUUS MAXIMUS DOMITIANI.*

Quæ superimposito moles geminata colosso
Stat Latium complexa forum? Cælone peractum
Fluxit opus? Siculis an conformata caminis
Effigies, lassum Steropem Brontemque reliquit?
An te Palladiæ talem, Germanice, nobis
Effinxere manus, qualem modo frena tenentem

VARIÆ LECTIONES.

* *Equus maximus Domitiani.* In Cod. Urat. desideratur inscriptio; edit. pr. *in equum maximum imp. Domici;* ed. Rom. et reliquæ omnes, *equus Max. Domitiani.* HAND.

1. *Superimposito.* Codd. Urat. et Vind. et editt. antiquæ omnes exhibent separatis verbis *super imposito.* Marklandus primus in unum vocabulum conjunxit. HAND. — *Moles.* Codd. Urat. et Vind. a manu rec. *sedes.* — *Geminata.* Codd. Voss. Drak. Paris. edd. Roman. Vicent. Venetæ Petit. Aldin. I, Colon. Grasser., *gemmata,* quod probarunt in commentar. Calderinus, Morellus, Bernartius; etiam Th. Rhud. correxit *gemmata.* Sed Codd. Senens. Lipsian. Urat. Vind. a pr. manu, Paris. in margine præbent *geminata.* Hanc vero lectionem probam et sinceram, quæ etiam in ed. princ. exstat, restituit Aldus in secunda ed., et optime ante Marklandum exposuerunt Gevartius et Vossius in Etymologico sub voce *Colossus,* p. 174, 6. HAND.

2. *Latium.* Cod. Urat. *latum.* HAND. —Vid. not. crit. —*Peractum.* Codd. Urat. Senens. et Lipsii, *per auras;* reliqui et omnes editiones, *peractum.* HAND.

4. *Effigies.* Ita omn. Codd. et edd. pr. et Rom. Sed auctores editionum Venet. 1490, 1494, 1498, et Petit. receperunt *effigiem,* quod temere defenderunt Parrhasius et Bernartius, ut moles intelligeretur effigiem conformata, per synecdochen. HAND.

6. *Effinxere.* Cod. Urat. et ed. pr. *effigere.* In sqq. Cod. Urat. *non frena* pro *modo frena,* solenni errore. HAND. —*Tenentem.* Cod. Mer-

Rhenus et attoniti vidit domus ardua Daci?
Nunc age, fama prior notum per sæcula nomen
Dardanii miretur equi, cui vertice sacro
Dindymon, et cæsis decrevit frondibus Ida:
Hunc neque divisis cepissent Pergama muris,
Nec grege permixto pueri innuptæque puellæ,
Ipse nec Æneas, nec magnus duceret Hector.
Adde, quod ille nocens, sævosque amplexus Achivos;
Hunc mitis commendat eques: juvat ora tueri
Mixta notis belli, placidamque gerentia pacem.
Nec veris majora putes; par forma decorque,
Par honor; exhaustis Martem non amplior armis
Bistonius portat sonipes, magnoque superbit
Pondere; nec tardo raptus prope flumina cursu
Fumat, et ingenti propellit Strymona flatu.
Par operi sedes: hinc obvia limina pandit

seb., ait Barthius in ineditis, affert *terentem*. Hand.

10. *Ida*. Editiones omnes *Ida*. Cod. Uratisl. *Iden*. Hinc solennis confusio cum *idem*, de qua Burm. ad Valer. Flacc. II, 519, Barthius et Burmann. ad Claudian. Epithal. Honor. v. 18. Voluit librarius *Ide*. Nam Statius, ut aliis videbimus exemplis, affectavit Græcas formas exprimere Latinis nominibus, ideoque semper scripsit *Ide*, *Iden*. Vid. ad Theb. IV, 104 et 785. Quare etiam hoc loco restitui. Et ita voluit Isaac. Vossius, ut notat Burmann. et vir doctus in exempl. Gotting. Thomas Rhædus correxit *Idam*, ut videtur, non intellectis verbis superioribus. Hand.

11. *Divisis*. Vulgo *discissis cœpissent*. — Codd. Urat. Vind. Paris. et editt. omnes, *discissis*. Hand. — Antiquam et *certam*, ut ait, ex Cod. Leid. lectionem *decussis* restituendam putavit cl. Hand. A.

15. *Hunc mitis commendat eques*. Cod. Urat. *nunc mitis commendat equos*. Hand.

16. *Gerentia*. Cod. Mers. *quærentia* ex comp. *q̄rentia*. Hand.

17. *Forma*. Editio Parmensis, *fama*. Hand.

18. *Exhaustis M. non amplior*. Parm. *non altius*, et ita Lips. Cod., et verum puto, nisi malis *altior;* ita etiam Veneta, *altius*. — *Non amplius* correxit Calderinus, unde legitur in Rom. Venetis, Petit. Aldinis, Grasser. Lind., et ita Codd. Vaticanus n. 3596 et Leidens. *Non altius* exhibent Codd. Vatic. 3885, 3282 et 3283, Fabric. Lips. Paris. ed. princ. Hand. — *Exutis Martem non altior armis*, cum N. Heinsio et

Qui fessus bellis, adscitæ munere prolis,
Primus iter nostris ostendit in æthera divis.
Discitur e vultu quantum tu mitior armis;
Qui nec in externos facilis sævire furores
Das Cattis Dacisque fidem: te signa ferente
Et minor in leges iret gener, et Cato castris.
At laterum passus hinc Julia tecta tuentur;
Illinc belligeri sublimis regia Pauli.
Terga pater, blandoque videt Concordia vultu.
Ipse autem puro celsum caput aere septus
Templa superfulges, et prospectare videris,
An nova contemptis surgant pallatia flammis
Pulchrius; an tacita vigilet face Troicus ignis,
Atque exploratas jam laudet Vesta ministras.
Dextra vetat pugnas: lævam Tritonia virgo
Non gravat, et sectæ prætendit colla Medusæ,
Ceu stimulis accendat equum. Nec dulcior usquam

Cod. Ur. recepit cl. Hand. Vid. not. Markl. ad vers. 47.

23. *Adscitæ*. MS. Flor. et ed. pr. *adsectæ;* reliqui libri omnes perhibent *adsertæ*. Hand.

25. *Discitur e vultu*. Cod. Urat. et editio princeps *discit et e vultu*, quemadmodum sæpe confunduntur compendium syllabæ *tur* et vocula *et*. Hand.

27. *Cattis*. Cod. Leid. ed. Rom. Ven. Vic. Aldinæ, *Catis;* Cod. Urat. et ed. pr. *captis*. Primus Bernartius edidit *Cattis;* Lind. et Cruceus *Catthis*. Hand.

28. *Cato castris*. Forte *Et Cato justas*.

29. *Tecta*. Vulgo *templa;* recte admisi in contextum *tecta*, et ita Parm. et Veneta. — *Legitur templa* in editt. Rom. Vic. Venett. Petit. Aldd. et, ut videtur, in Cod. Leid. Antiquam vero scripturam a Markl. restitutam esse confirmant Codd. Urat. Lips. Paris. edit. princeps et Parmensis. Hand.

34. *Pallatia*. Cod. Paris. habet *palatia;* et ita cl. Hand. A.

35. *Tacita*. Ed. pr. *tanta;* reliqui libri *tacita*. Hand. — *Troicus*. Venet. *Troius ignis*, et ita carm. IV, 125, pro *Troica sæcula*, eadem habet *Troia secula*.

37. *Lævam Tritonia virgo*. Cod. Urat. *lavium tritonia vulgo*. Hand. — Edit. pr. *lævam Trit. vulgo*.

39. *Accendat*. Malim lectionem Cod. Lind. *accendit*. Barth. — In omn. scriptis et antt. libris legitur *accendit*. Aldin. auctor correxit *accendat*. Hinc vulg. lectio: *et sectæ prætendit c. M., c. st. accendat eq.*

Lecta deæ sedes; nec si, pater, ipse teneres.
Pectora, quæ mundi valeant evolvere curas,
Et quîs se totis Temese dedit hausta metallis,
It tergo demissa chlamys: latus ense quieto
Securum; magnus quanto mucrone minatur
Noctibus hibernis, et sidera terret Orion.
At sonipes, habitus animosque imitatus equestres,
Acrius attollit vultus, cursumque minatur:
Cui rigidis stant colla jubis, vivusque per armos
Impetus; et tantis calcaribus ilia late
Suffectura patent. Vacuæ pro cespite terræ
Ærea captivi crinem terit ungula Rheni.
Hunc et Adrastæus visum extimuisset Arion;
Et pavet aspiciens Ledæus ab æde propinqua
Cyllarus: hic domini nunquam mutabit habenas

Alii conjecerant *prætendens*, quod legitur in Cod. Senensi. HAND.

40. *Lecta*. Ed. pr. *læta*.

41. *Mundi valeant evolvere c.* Cod. Leid. *valeant mundi;* Cod. Urat. *pateant;* ed. pr. *deducere curas*, fortasse ex Virgil. Æneid. V, 720, huc delatum. HAND.

42. *Et quis se totis Temese dedit.* Cod. Urat. *et qui se totis themes edidit;* edit. pr. *et quæ se totis themes edidit;* etiam Parm. *quæ;* ed. Rom. et reliq. omnes ante Gronov. *et quis se totis themese*, vel *Temese dedit.* Veenhusen, *et cui se toties T. d.* Cod. Leid. *themse;* inde ab Aldina *Temese.* HAND. — *Cui se totis*, etc. legitur in edit Hand. A.

43. *It tergo demissa.* Cod. Sen. *et tergo.* HAND. — Editio princeps *et tergo dimissa.*

44. *Magnus quanto m.* Cod Leid. *magnus quantus m.* HAND.—Ed. pr. *magnis*, ut antea *lacus* pro *latus.*

46. *Habitus a. imitatus equestres.* Pro *habitus* ed. pr. *initus;* pro *imitatus* Cod. Urat. *mutatus. Equestris*, quod in omn. libb. scr. et antt. edd. exstat; Gevartius, et qui eum sequebantur mutaverunt in *equestres.* Sic Hand. qui recepit *equestris.*

48. *Vivus.* Pro *vivus* ed. princeps *nimius.*

51. *Crinem terit.* Pro *crinem* Cod. Urat. *crimen;* omnes, quos novi, Codd. præbent *tegit.* HAND.

52. *Adrastæus.* Cod. Drak. *Aristeus;* edit. pr. *Acasteus;* edit. Vic. *Adrastrus;* recentiores male *Adrastæus:* est enim Ἀδράστειος. HAND. — *Adrasteus* edidit Hand.

53. *Ledæus ab æde propinqua.* Antiqq. edd. *Ledeus*, recentiores *Ledæus*, et recte. HAND.— Edit. pr. *ab ore propinquum.*

54. *Mutabit.* Bernartius fidenter, ut ait, correxit *mutabit*, atque omnes editores probarunt. Ego resti-

Perpetuus frenis, atque uni serviet astro.
Vix sola sufficiunt, insessaque pondere tanto
Subter anhelat humus : nec ferro aut ære laborat,
Sed genio ; teneat quamvis æterna crepido,
Quæ superingesti portaret culmina montis,
Cæliferique attrita genu durasset Atlantis.
Nec longæ traxere moræ : juvat ipsa labores
Forma Dei præsens ; operique intenta juventus
Miratur plus posse manus. Strepit ardua pulsu
Machina continuo : septem per culmina montes
It fragor, et magnæ vincit vaga murmura Romæ.
Ipse loci custos, cujus sacrata vorago
Famosusque lacus nomen memorabile servat,

tui, ex Codd. Urat. Leid. edd. pr. Rom. Venett. Aldd., *mutavit*. Hand.

55. *Perpetuus. Perpetuis* in Codd. Leid. Paris. et edd. antt. legitur; sed optime Cod. Urat. *perpetuus*. Hand. — *Atque*. Cod. Leid. *utque*.

56. *Vix sola insessaque p. tanto*. Cod. Urat. *Vix esa p. t.*; Leid. *inlesaque p. t.*; Cod. Drak. *insessaque*; Sen. et marg. Parm. *exesaque*; edit. pr. *viscera sufficiunt vi sessaque p. toto*; Rom. *in lessaque p. tanto*. Parmens. et Venet. *toto*. Calderinus restituit *insessaque p. tanto*, quod legitur in omn. edd. recentt. Unus Lind. scripsit *infessaque*, ut ait, ex vet. edit. Hand.

57. *Laborat*. Pro *laborant* legendum *laborat*, ut *anhelat*; pro *sed genio*, Cod. vet. mendose habet *sub*. — Omnes libri, præter edit. Markl. antiquiores, *laborāt*, recentiores *laborant* exhibent. *Sed genio*, ita primus edidit Aldus, et post eum omnes. Cod. vero et edd. Rom. Ven. Petit. *sub genio*. Hand. — Ed. princeps *sub gremio*.

59. *Superingesti*. Cod. Leid. *super impositi*; Cod. Paris. et ed. pr. et Venet. *super ingentis*. Hand.

61. *Longæ*. Codd. Urat. et Leid. edit. Petit. Aldinæ, Bern. *longe*, et affert Lind. ex ant. ed. Hand.

62. *Præsens; operique*. Edit. pr. *pressis operaque*.

64. *Continuo*. Codd. Urat. Leid. Paris. edd. Rom. Vicent. Ald. Petit. *continuus*, quod præter Markland. omnes servarunt. Cod. Vind. *continuos*; ed. pr. et Venetæ *continuis*. Præterea Codd. Leid. Paris. edd. pr. Rom. Vic. Venetæ et Petit. *montis*. Hino Grasserus edidit : *continuas s. p. c. montis it fr*. Reliqui libri inter quos quatuor Vaticani, *montes*. Hand.

65. *Vincit*. Ed. princeps *figit*.

67. *Famosusque lacus... servat*. Parm. et Rom. *famosique*, quod verum est, ut inf. v. 82, *profundos lacus*; et hoc pacto vitatur sibilus; legendum quoque *servant*; et hoc in textum recipi velim. Ita etiam Veneta. — Cod. Leid. Barth., et,

Innumeros æris sonitus, et verbere crebro
Ut sensit mugire forum, movet horrida sancto
Ora situ, meritaque caput venerabile quercu.
Ac primum ingentes habitus, lucemque coruscam
Expavit majoris equi; terque ardua mersit
Colla lacu trepidus: lætus mox præside viso;
« Salve, magnorum proles genitorque deorum,
Auditum longe numen mihi! nunc mea felix,
Nunc veneranda palus, quum te prope nosse, tuumque
Immortale jubar vicina sede tueri
Concessum. Semel auctor ego, inventorque salutis
Romuleæ; tu bella Jovis, tu prælia Rheni,
Tu civile nefas, tu tardum in fœdera montem
Longo Marte domas: quod si te nostra tulissent
Sæcula, tentasses, me non audente, profundos
Ire lacus; sed Roma tuas tenuisset habenas. »
Cedat equus, Latiæ qui contra templa Dione,
Cæsarei stat sede fori; [quem tradere es ausus
Pellæo, Lisyppe, duci, mox Cæsaris ora
Aurata cervice tulit] vix lumine fesso

ut videtur, Paris. ed. princ. Rom. Vic. Venetæ, *famosique;* Codd. Urat. Sen. et editiones post Aldum omnes *famosusque*. Cod. Leid. et edd. quot vidi omnes *servat*. Cod. Urat. *servant*. Restitui hujus Cod. lectionem. HAND.

68. *Æris sonit*. Edd. antiquæ et Aldinæ, Lindenbr. Gevart. *aëris;* editor Amst. Gronov. Daum. Markl. *æris*, recte. HAND.

71. *Ac primum*. Editio princeps, *at primum*, quod non probari potest. HAND.

72. *Terque*. Ed. pr. *tibique*.

73. *Trepidus*. Sic vulgo legitur; editio princ. *tepidus*. — Ex Codice Urat. Cl. Hand. recepit *trepidans*. A.

78. *Semel*. Ed. princeps et Ven. *simul*.

84. *Cedat equus, Latiæ qui contra*. Edit. pr. *cedet;* edd. Rom. et Venet. *cedat equus Latiæ: quæ contra*, etc. In sq. Cod. Paris. *stat ede*, id est, *æde*. HAND.

85. *Tradere es*. Ed. pr. *traderis*.

86. *Lysippe*. Omn. edd. præter Grasser. et Daum. *Lisyppe*. Edd. antt. *Pelleo*. HAND.

87. *Aurata cervice*. Codd. Urat. et Vind. *mirata*. N. Heins. conjecit *sublata*. Vocabulum *aurata* non genuinum esse mihi persuasum habeo. HAND.

Explores quam longus in hunc despectus ab illo.
Quis rudis usque adeo, qui non, ut viderit ambos,
Tantum dicat equos, quantum distare regentes?
Non hoc imbriferas hyemes opus, aut Jovis ignem
Tergeminum, Æolii non agmina carceris horret,
Annorumve moras, stabit dum terra polusque,
Dum Romana dies. Huc et sub nocte silenti,
Cum superis terrena placent, tua turba relicto
Labetur cælo, miscebitque oscula juxta:
Ibit in amplexus natus, fraterque, paterque,
Et soror: una locum cervix dabit omnibus astris.
Utere perpetuum populi magnique senatus
Munere: Apelleæ cuperent te scribere ceræ,
Optassetque novo similem te ponere templo
Atticus Elæi senior Jovis; et tua mitis
Ora Taras, tua sidereas imitantia flammas
Lumina, contempto mallet Rhodos aspera Phœbo.
Certus ames terras, et quæ tibi templa dicamus,
Ipse colas: nec te cæli juvet aula; tuosque
Lætus huic dono videas dare tura nepotes.

91. *Opus.* Hoc vocabulum abest a Cod. Leid. et ab edd. pr. et Romana. HAND.

92. *Horret.* Cod. Uratislensis, *horror.* HAND.

94. *Huc.* Ed. princ. *hac.*

96. *Juxta.* Ed. princ. *juncta.*

100. *Munere: Apelleæ.* Parm. *Munera Pelleæ*, quod frustra probat Politianus, ep. VI, 1. — Cod. Urat. *Peleæ.* HAND. — Ed. princeps *pelleæ.* Hæc ead. habet *cœnæ*, pro *ceræ.*

103. *Ora Taras.* Parm. et Rom. et Venet. *Tonans;* emendavit Politianus. — *Taras*, ita Politianus, nec longe abit Sabellicus. Vulgo *tonans.* GRUT.—Codd. Urat. et Vindob. *terens;* Cod. Paris. edd. pr. Rom. Vic. Venett. Lind. *tonans;* Cod. Drak. et, ut videtur, Leid. *Taras.* Neque amplius de lectione dubitari potest. HAND.

105. *Certus.* Ed. princ. *cæcus.*

106. *Lætus.* Edit. Rom. *lætius;* male. — Antt. libb. omnes *lætius*, ante Aldum quem reliqui omnes secuti sunt; sola Veneta, 1494, nescio an de industria correctoris, præbet *lætus.* HAND. — *Huic dono.* Ed. pr. *hoc d.* — *Tura.* Cod. Uratislensis, *jura.* HAND.

NOTÆ

IN CARMEN PRIMUM LIBRI PRIMI

SILVARUM.

• Equus *maximus Domitiani*. Equestris statua Domitiani inter ea antiquæ artis opera referri debet, quorum, nisi poetarum carminibus celebrata essent, omnis memoria evanuisset. Nam præter ea, quæ Statius et Martialis, Epigr. I, 71, v. 6, narrarunt, nullum exstat ejus vestigium. P. Victor et Sext. Rufus non nisi nomen afferunt his verbis: *equus aheneus Domitiani Augusti*, nulla tamen accurata expositione addita. Quanquam igitur critici undique collegerunt antiquitatis testimonia, sunt hæc aut falsa, aut aliena ab hoc Domitiani monumento, cujus auctor ne conjectura quidem probabili cognosci potest. Hand.

Vers. 1. *Moles geminata*. Multa super hunc locum frustra effuderunt interpretes, dum alii legunt, *Quæ, superi, imposito*, etc.; alii, *superimpositi colossi*; alii, *moles gemmata*, cum nonnullis editionibus; alii denique *moles geniata*. Frustra, inquam, hæc omnia: sana enim et sola vera est vulgata lectio, ut recte probat Gevartius. Constructio est: « Quæ moles, geminata superimposito colosso, stat complexa Latium forum? » per *molem* intelligit equum insistentem basi; per *superimpositum colossum*, Domitianum: recte igitur *geminata*, id est duplicata. *Complexa* Latium forum est, ambitu suo occupans et implens. Ita Silv. II, 2, v. 1, de Arbore Atedii: « .... opacat Arbor aquas, complexa lacus. » Similiter Martial. Epigr. IX, 62, 5, de Platano Cæsaris:

.... totos *amplexa* penates
Stat platanus densis Cæsariana comis.

Enormiter Stat. Theb. I, 563:

Terrigenam Pythona deus septem orbibus atris
Amplexum Delphos .....

Scilicet *perculit*. Hanc non adeo tritam vocis significationem adnotare non abs re visum fuit.

2. *Latium*. Vid. Drak. ad Silium, XVII, 433. De hoc loco agunt Lips. de Magnit. Rom. III, 7, p. 160, et Parrhas. qui negat forum Romanum

ab ullo alio scriptore nominari *Latium*. Ovid. quidem Trist. IV, 4, 6: « facundia.... Qua prior in Latio non fuit ulla foro; » sed potest de triplici foro, Romano, Cæsaris et Augusti intelligi. HAND. — *Cælone peractum*. Dubitant *cælone* de fabrili instrumento accipiendum sit, an de cælesti regione. Sed si de instrumento, nihil singulare nec admirandum, nec diversum a sequentibus dixisset poeta: ergo postremum verius. Sed falluntur etiam, qui *fluxit* exponunt, delapsum est, et signum adeo δοκεῖν vel οὐρανοῦν volunt intelligi. Sane *fluxit* multo lenius vocabulum est, quam quod lapsum tantæ molis exprimat, et sane crassum nimis commentum fuisset poetæ, si lapsam cælo tam immanem molem dixisset. Neque enim hoc ea probabilitate dici poterat, ut de Palladio et ancilibus. Ego verbis *peractum fluxit* nihil aliud indicari puto, quam fabricatum, formatum et perfectum est. WERNSD.

5, 6. *Palladiæ.... manus*. Sunt quidem *Palladiæ manus* artificum, ab ipsa Pallade edoctæ, ut ipsa ars Palladia dicitur, quæ statuam Juliæ perfecit, ap. Martial. VI, 13:

Vel quis Palladiæ non putet artis opus.

Nam Pallas artibus et opificiis omnibus præesse credebatur, et hinc Ἔργάνη dicebatur Græcis. Hoc tamen ita dicit Statius, ut simul significet, singulari instinctu, imperio et ope Palladis confectum, ut aduletur Domitiano, qui Palladis tanquam sibi peculiari numine gloriabatur, teste Suetonio. WERNSD. — *Germanice*. Quo anno Domitianus hoc nomen acceperit, magna est dissensio inter historicos. Dodwellus in Annal. Stat. VIII, p. 206 sq. demonstrare conatus est, Domitianum Germanici nomen sibi arrogasse anno 81 p. Ch. n., sive 834 U. C. quo imperium suscepit: cujus sententiæ confirmandæ causa Drakenborchius, ad Sil. III, 607, profert testimonium nummi antiqui, quem Mediobarba descripsit, ut Suetonius, c. 13, narrare videatur, Domitianum ex suis nominibus menses appellasse post duos de Germanis actos triumphos. Sed nummi istius auctoritatem omnino rejecit Ekhelius, nec dubitari potest de a. 836 aut 837, quo illud cognomen assumptum sit. HAND.

8. *Nomen Dardanii equi. Nomen Dardanii equi*, id est, Dardanium equum: ut *maxima sceptra sub nomine Phœbi*, id est, sub Phœbo, vel sole, apud Val. Flaccum V, 484. Ita *sapiens nomen hominum* pro philosophi, apud Sulpiciam, in Satyra v. 37: « ..... et sapiens hominum nomenque genusque; » de Domitiano, qui philosophos Roma expulit. *Nostrum nomen* pro *nos* Arnobio lib. I, p. 5: « Ut ille immanis Xerxes mare terris immitteret et gressibus maria transiret *nostri nominis* effectum est causa? » Ita legendum; vulgo, *effectum est cura*. *Nostri nominis causa* est *nostri causa*. Ita p. 10: « Si ut inopia magna sit meum nomen in causa est, cur nihil impedio ut sit feracitas maxima? » ubi vides *meum nomen* pro *ego*.

10. *Cæsis decrevit*, etc. Hunc locum sublegit Sidonius Apollinaris Carm. IX, 115, vocum Statianarum perpetuus fere captator.

11. *Hunc neque discissis cœpissent.* Alludit ad locum Virgilii Æneid. II, 234, de equo Trojano:

Dividimus muros, et mœnia pandimus urbis:

quo observato, colligere potes Statium scripsisse:

Hunc neque *divisis* cœpissent Pergama muris:

non *discissis;* quæ etiam vox ob sibilum et σιγματισμὸν auribus poeticis merito displicebit. Sen. Nat. Quæst. VI, 1, de terræ motu qui Pompeios, Campaniæ urbem, pessum dedit: « Adjiciunt his sexcentarum ovium gregem exanimatum, et *divisas* statuas; » et cap. 29: « Statuam *divisam* non miror, quum dixerim montes a montibus recessisse, et ipsum diruptum esse ab imo solum. » Quibus locis pro *divisas* et *divisam* Gronovius conjicit *diffissas* et *diffissam*, ut apud Horatium *diffissa rate* (voluit, opinor, *diffissa nate;* est enim Serm. I, 8, v. 47, *diffissa nate ficus*). Sed non opus est: æque enim probum *divisas*, eodem sensu. Idem Horatius Serm. I, 1, 100: « ..... at hunc liberta securi *Divisit* medium ..... » Silius Italicus, II, 96:

Ille vagam cælo divisit sæpe volucrem.

Noster, Tiburt. Manlii, v. 24: « .... nec te mitissimus amnis Dividit. » Potuit quidem *divisa nate* dicere Horatius; sed noluit propter τὸ αἰσχρὸν quod huic voci subesse norunt eruditi. Quæ sequuntur apud Statium: *Nec grege permixto*, etc., ex eodem Virg. loco II, 238, sumpta sunt. Sed quid est istud *cœpissent?* putarem erratum esse typographorum, nisi quod ita constanter editiones exhibent. Lege *cepissent Pergama.* Troja non satis ampla fuisset hunc equum capere, muris divisis. Satis quidem hyperbolice: et ita per totum hoc carmen. — Marklandi correctionem probavit Heynius ad Virgil. Æneid. II, 234. Hand.

16. *Mixta notis belli*, etc. Recte Behotius, *notas* ea mente, inquit, dictas puto, qua Thebaid. IV, 744: « regales tamen ore notæ, » et Achill. 1, 309; « Sic variis manifesta notis, palletque rubetque Flamma recens, » pro vultu et ea oris conformatione, ex qua, quo animo quis sit affectus, conjicere liceat. Adeo ut velit Papinius Domitianum, neque nimia truculentia ferum, neque nimia mollitie effeminatum; sed eo habitu et oris temperamento, ut in fronte bellum et pacem gerere videretur. Hand.

20. *Nec tardo raptus prope flumina cursu Fumat*, etc. Dudum videram legendum esse, *nec* tanto *raptus*, etc.; quod et Gevartio in mentem venerat, Papinian. Lect. cap. 6. Sensus est: Martis equus non amplior fuit, nec cursu velociori rapiebatur, quam hic equus videtur. Ex vs. 47, apparet hunc equum Domitiani specie currentis effictum esse, elatis sc. primoribus pedibus. *Tanto* igitur cursu *raptus*, non *tardo*. Similem harum vocum commutationem habebis infra, Kal. Decemb. ubi pro *tardum* annum probabo scribendum esse *tantum*. Sed acriter pro *tardo* dimicat Gronovius, et capite elegantissimo (Diatr. 4) tuetur: Est, inquit, simplex descriptio equi Martis, et verba hoc modo dissolvenda sunt,

« et fumat raptus non tardo cursu prope flumina. » At quorsum descriptio equi Martis nisi aliquam relationem habeat ad equum hunc Domitiani? certe non tam inepte otiosus fuisset Statius ut equum Martis tot verbis describeret, nisi ut eum compararet cum equo imperatoris; nisi ut in priori sententiæ membro *magnitudo*, ita in posteriori *velocitas* hujus equi innuatur, et cum *velocitate* equi Martis comparetur. Cur non itidem descripsit Strymona hoc loco? æque bene, hoc est æque inepte, potuisset. Risissemus si Statius scripsisset : Non *amplior* fuit Martis equus, *et non* pascebatur hordeo et avena, sed ambrosiæ succo; et habebat magnas ungulas et longam caudam : risissemus, inquam, et quæsissemus, quid hoc ad equum Domitiani? Atqui ista, « nec tardo raptus, » etc., æque inepta sunt nisi ad utrumque equum referantur. Maneat itaque comparatio in utraque sententiæ parte, *non amplior* fuit Martis equus, *nec velocior :* et vide hos similes poetarum locos. Noster, Thebaid. VIII, 406, et IX, 435; Silvarum, III, 1, v. 130; Sidonius Apollin. Carm. V, 190 et 449; Claudianus, de Rapt. Proserp. II, 238; Avienus, Descript. Orb. v. 1178; Seneca, Hippolyto, v. 1009; Claudianus, de Bello Get. v. 601; Lucanus, IX, 798. In omnibus hisce locis vides duas comparationes; et in priori sententiæ parte *non*, in posteriori *nec*, quæ vox transitionem ab una ad alteram denotat, et duo comparata a se invicem disjungit. Ita etiam fieri oportuit hoc Statii loco; *non amplior* est Martis equus, *nec tanto* cursu raptus, seu *velocior*. « At, inquit Gronovius, equum Bistonium non sic currere, non tam rapide promoveri, quam equum in ære vel coloribus, Statius ut dicat, cras credam forte, hodie nihil. » At quare non? nonne in infinitis omnium poetarum locis *æra* et *signa* et *colores vivere* et *spirare* dicuntur, quia exprimunt et imitantur *viventes*, et *videntur vivere?* notum istud Virgilii Æneid. lib. VI, vs. 847 :

Excudent alii spirantia mollius æra,
(Cedo equidem) vivos ducent de marmore vultus.

(Ita legendum pro *Credo*, alias probabo), et Martial. Epigr. III, 41. Nota, inquam, sunt hæc et similia, et nimis otiosi esset probare. Cur non eodem jure *currere* dicatur equi statua ahenea quæ currentem exprimit, et videtur currere? Istud enim *videtur* semper intelligitur in omnibus ejusmodi descriptionibus. Lege modo hæc ex Thebaid. IV, 131, ubi Hippomedontis clipeus describitur; vides hic noctem illam facinorosam Danai ad vivum expressam esse, *vivere* in auro; *ardent* thalami, *laudat* pater nefas, et enses *inspicit;* omnia *in auro*. Quod si hæc fieri possunt *in auro*, cur non equus currat *in ære?* Lege descriptionem vestis quam Cereri texebat Proserpina, apud Claudianum de Rapt. Proserp. I, 259, ubi, post alia, hæc habes : « . . . assiduo sitiebant stamina sole : » audacter sane, stamina *sitiunt* in tela. Sed pergit,

Vitales utrinque duas, quas mitis oberrat
Temperies habitanda viris. Tum fine supremo
Torpentes traxit geminas, brumaque perenni
Fœdat, et æterno contristat frigore telas.

Vel hanc IV Cons. Honorii, v. 590:

> Anget acus meritum, picturatumque metallis
> Vivit opus, multaque animantur Iaspide cultus,
> Et variis spirat Nereia bacca figuris:

ita legendum; vulgo frigide, *ornantur Iaspide:* atqui ista *vivit* et *spirat* omnino postulant *animantur.* Sed ad rem: ex his locis (et alia infinita adduci possunt) videš morem poetarum, qui suis fictionibus rerum verarum descriptiones accommodant; fingunt primum; deinde quasi facta describunt. Quod igitur de equo vero et vivo dixisset Statius, hoc de statua equi more poetis familiarissimo dicit. Ita hic equus animos imitatur Domitiani, v. 46; *Acrius attollit vultus,* v. 47; immo *vivum* huic per armos impetum donat, vs. 48; et Cyllarus (ipse etiam aheneus) ab æde Castoris propinqua *pavet* hunc, quasi vivum, v. 53; recte igitur dicitur *currere,* licet in *ære.* Innumera huc spectantia ex nostro et aliis afferre possem, si meo et lectoris otio abuti vellem. — *Prope flumina.* Barthius explicat in Adversar. IV, 13, 31; 33, 16, de celeritate ipsum fluvii decursum æquante, et agit de formula *prope esse,* i. e. attingere. Gronovius Diatr. cap. 4: « Prope Hebrum aut Strymona currit equus Martis illum cursum, qui nec in ista vicinitate prope rapidos fluminum lapsus tardus sit. » Nimis subtiliter, ut puto. *Prope flumina* simpliciter est i. q. juxta flumina. Hand.

23. *Qui fessus bellis.* Falsum hoc: non enim *fessus* erat bellis Cæsar quum interficeretur, utpote qui expeditionem in Dacos et Parthos pararet, ut ex Suetonio bene notat Barthius; et de Augusto quidem hoc recte diceretur, ut de eo Auctor Octaviæ v. 525, sed non de Julio. Instituitur tacite comparatio Divi Julii et Domitiani; et sensus est: Cæsar qui primus in divos referebatur, bellis et cædibus gaudebat; tu contra, pace et clementia: quanto igitur magis tu cælum mereris! Ne dubites quin scripserit Statius: *Qui fisus bellis.* Multus in hac voce Sil. Italicus, VII, 667; X, 629; XV, 32 et 244, et ita passim. *Armorum fidens* Lucanus, IX, 373, de Catone: « Sardus generoso sanguine fidens Herculis, » ap. Silium, XII, 359: « Viridi fidens inventa Crispinus, » Silv. V, 2. Ita πεποιθὼς apud Græcos poetas et Homerum passim. Tacitus, Hist. IV, 60, de Civili: « Ceterum neque se neque quemquam Batavum in verba Galliarum adegit, fisus Germanorum opibus. » Potes etiam, « Qui fretus bellis, » eodem sensu. Tacitus, Annal. VI, de rege Artabano, cap. 31: « fretus bellis quæ secunda adversum circumjectas nationes exercuerat. » Vel, *Qui suetus bellis,* pro *fessus.* Ita *suetus regibus Oriens,* Tacit. Hist. IV, c. 17; et *suetus fluminibus,* V, cap. 14; *suetus civilibus armis,* Lucanus, I, 325; *bellis adsuetus Opheltes,* Virg. IX, 201, et, *his ego suetus,* sc. *armis,* V, 414; sed mihi præcipue placet *fisus,* quia est proxima emendatio, quum parum differentiæ sit inter *fisus* et *fessus.* — *Fisus* Marklandi jejunius quam *fessus,* nec bene convenit cum sequentibus. Immo quia *bellis fessus* est, petit cælum. Lenz. — *Adscitæ munere prolis.* Pro *adscitæ* plurimæ editiones habent *adsertæ,* sed illud restituit Grono-

vius, primo conjectura, deinde ex edit. Venet. an. 1475, recte. Notum istud Ausonii Cæsar. XV : « Adsciti quantum præmineant genitis. » *Adscitæ* prolis est *adoptatæ; adsertæ*, si aliquid est, alia res est. Tollius quidem ad Auson. Ep. XXII : « Suis querelis adserit nostras preces, etc. » notat, « adserit, id est, adsciscit : qua notione etiam in impressis aliquot et scriptis Statii codicibus invenias Silv. I. in Equum Maximum : » deinde hunc locum citat. Sed fallebatur vir doctus in vocis significatione : *adserere* enim *preces* non est adsciscere, adoptare, quod nullum sensum habet, sed adjungere : « meas preces adjungit suis querelis. »

27. *Das.... fidem.* Intelligo veniam, promissionem impunitatis et salutis, interposita fide publica. Cicero, Catil. III, 4 : « Vulturcio fidem publicam jussu senatus dedi. » Lenz. — *Te signa ferente et minor*, etc. Crux criticorum fuit hic locus. Gronovio valde arrisit scriptura duorum Barthii codicum qui pro *signa* hic exhibent *regna;* ut sensus sit : « Si tuis auspiciis partes, quæ erant Cæsaris, administratæ essent; si tu *regnum* Romæ instituere voluisses; ultro gener Pompeius ille solus olim *Magnus* et parem ferre indignatus, nunc lubens te *minor*, armata manu libertatem adoriretur, invaderet; nec minus Cato. » Hæc vir summus : *ferente* regna pro *inferente*, et *ire in leges*, id est, adversum leges seu libertatem; de qua vocis notione doctissime agit toto capite secundo Diatribes : et *ire in leges castris*, id est, aperta vi, armis. Minime tamen audiendus : quippe non de regno hic agere potest Statius, sed de bello, ut ex sensu et priori sententiæ parte perspicies, si prius memineris Julium et Domitianum hoc loco inter se comparari, ad hunc sensum : Cæsar in externa bella facile impellebatur; tu contra das pacem Cattis Dacisque : etiam in civilia et domestica cum Pompeio et Catone ille prolapsus; quæ si tu gessisses, si tu signa tulisses, ultro illi tibi et tuis legibus se submisissent. Vides jam, opinor, sensui necessarium esse *signa ferente*, et Statium non potuisse hoc loco *regna* scripsisse : ostendam infra ad IV, 1, noluisse. Præterea, disjunctiva vox *nec* clare ostendit de duobus bellorum generibus (non de regno) hic loqui Statium, externorum et domesticorum; et in utroque genere mitem Domitiani animum laudare et Cæsari præferre : quasi dixiset, adeo mitis es bellis, ut des pacem et fidem externis, Cattis et Dacis : in hac parte quantum supra Cæsarem, qui in *externa* bella facile flammabatur : adeo mitis, ut, si tibi, quemadmodum illi, res fuisset cum domesticis hostibus, Pompeio et Catone, illi ultro submisissent se legibus et conditionibus æquis et bonis, quas tu illis obtulisses : in hac etiam parte quantum supra Cæsarem, qui inimicos suos ad ultimum obstinatos expertus est! Hæc mens est Statii, hoc artificium, ut sane mirari liceat ingenium poetæ, qui tam subito (quippe postero die quam opus dedicatum erat, imperatori hæc tradere jussus fuit) tam accurate scribere potuerit. *Ire sub leges* est conditiones accipere, et *minorem* se fateri. Ita, « irent sub vincula tigres, » apud Claudian. de IV Cons. Honorii, v. 605; « in gyros ire coactus equus, » apud Ovidium, Art. Am. III, 384 : « sub leges pacis iniquæ Tradiderit, » Virgil. Æneid.

lib. IV, v. 618; Lucan. lib. IX, v. 238: « .... sub jura togati Civis eo. » *Subire leges* vocat Noster, Epithal. v. 28: « Subiit leges et frena momordit. » His ita explicatis vides jam nullum locum esse τῷ *castris*, de cujus etiam interpretatione magnæ sunt lites. Gevartius, post refutatas aliorum sententias, acquiescit in conjectura Dan. Heinsii legentis: « Et minor in leges iret gener et Cato nostras: » *Nostras leges*, κολακικῶς Cæsarianas vocat: nam Domitianus Cæsarianis partibus successerat; unde recte illius partes quas Romani tunc temporis omnes sequebantur, *nostras* appellavit, in gratiam imperatoris. Hæc ille; sed, præterquam quod istud *nostras* nimis familiare videtur, deest τῷ *leges* epitheton, quod *mitem* Domitianum prædicet. In hoc enim totus hic Statii versatur locus, ut probet quantum mitior armis Cæsare Domitianus. Lego,

Et minor in leges iret gener et Cato justas,

ut sensus sit: Pompeius et Cato submisissent se legibus et conditionibus tuis, æquis scil. mitibus et justis, utpote tuis. Ita alibi Silv. IV, 3, de Domitiano: « ...Qui limina bellicosa Jani Justis legibus et foro coronat... » Ita etiam conjectantem Cruceum postea deprehendi; licet illum hoc nomine suggillet Gronovius. — *Te signa ferente*, etc. Vexatissimum locum sic expono; si tu Cæsar fuisses et bellum civile gessisses, gener Pompeius, non jam Magni cognomine superbiens, sed minor et submissus, Cato item pertinacissimus Cæsaris hostis, ultro *castris decederent*, militiam, bellum deponerent, et *in leges tuas*, in conditiones pacis abs te oblatas, in imperium denique tuum *concederent*. Wernsd. — In recensendis aliorum judiciis otium nobis fecit Gronovius, qui de hoc loco agit in tribus capitibus Diatribes p. 26—53, multa doctrina refertis. Hand.

29. *Laterum passus hinc Julia templa tuentur.* Supra v. 22 mentionem fecerat *templi* Julii Cæsaris e regione hujus statuæ; « hinc obvia limina pandit qui fisus bellis, etc. » Quomodo igitur idem templum a latere? huic difficultati succurrit codex Lipsii, qui habet *hinc Julia tecta tuentur*: basilica scil. Julia, quæ etiam in foro Romano fuit, ut ex diversorum auctorum locis probant interpretes, et de hac capiendus Martialis, Epigr. VI, 38; in hac enim centumviri causas agebant. *Laterum passus* sunt, quos vocat *laterum tractus*, Thebaid. IV, 173; *laterum extentus*, Silius Italicus, IV, 618; *laterum actus*, Priscianus, Perieg. v. 479; *laterum arcus*, Claudianus in Eutr. II, 361. Voces autem *tecta* et *templa* plus vice simplici in his Silvis commutantur. — *Templa* retineri potest, et quandoquidem hoc vocabulum de magnis ædibus, seu palatiis, dicitur. Vide Doering. ad Catull. 64, 75; Lennep. ad Coluth. I, 7; Wakefield. ad Lucret. I, 1013. Vidit jam Cruceus. Nec poterat poeta Cæsaris palatium, aut basilicam *tecta* vocare, quum sequenti versu *sublimem regiam Pauli* dicat. Atqui *templum* prorsus huic epitheto respondet. Lenz.

31. *Blandoque videt Concordia vultu.* Id est, hilari vultu adspicit eum, quippe pacem et concordiam ferentem. Lenz. — Equidem de ipsa Concordiæ statua ejusque vultu intelligo sereno, quod quidem ex artis

operibus non facile demonstrabitur; nam omnes, quæ nunc nomine Concordiæ signantur, statuæ, ita comparatæ sunt, ut certum judicium non admittant. HAND.

34. *Contemptis.... flammis.* Omnes interpretes intelligunt de Capitolio, quod bello civili concrematum Vespasianus quidem instauraverat, sed sub Tito rursus exustum Domitianus restituit. WERNSD.—Si ipsum vocabulum consideraveris, Capitolium intelligi poterit, non vero si regionem, quam *prospectasse* dicitur Domitianus, attente perlustraveris. Palatium enim in monte Palatino imminebat; Capitolium a tergo positum erat, nec simul cum templo Vestæ uno adspectu comprehendi poterat. Hinc etiam Martialis viam describens I, 71, 3:

.... vicinum Castora cane
Transibis Vestæ, virgineamque domum:
Inde sacro veneranda petes Palatia clivo,
Plurima qua summi fulget imago ducis.

Contemptas flammas intelligo oblitas, quarum noxa non perpetua. Palatia enim dicuntur tanto splendore restituta, ut ruinæ olim factæ nullum exstaret vestigium. HAND.

36. *Atque exploratas jam laudet*, etc. Omnia in his verbis Statii sana sunt et intellectu facilia. Sed tam pulchra occasione non transmittendus est insignis Virgilii locus Æneid. II, 154, ubi Sinon dolosam suam orationem hoc modo orditur:

Vos, æterni ignes, et non violabile vestrum
Testor numen, ait.

Ita omnes, opinor, Codd. MSS. et editiones; et ita legit Servius, quantum conjicere possumus ex ejus interpretatione. Ipse tamen Virgilius vix mihi persuaserit se non scripsisse,

Vos, æterni ignes, et non violabile Vestæ
Testor numen, ait:

ut infra v. 296:

Sic ait: et manibus vittas Vestamque potentem
Æternumque adytis effert penetralibus ignem:

ubi similiter conjungit *ignem æternum* et *Vestam*: ex quo etiam loco apparet quantum fallitur Servius, qui superiore loco per *æternos ignes* intelligit aut ararum quas fugit, aut certe Solem et Lunam. Neutrum horum, mihi crede, significat Virgilius: sed *ignes* illos, qui in templo Vestæ adservabantur, et *non exstinguebantur*; unde Vestam *æternam* vocat Horatius Carm. III, 5. Iterum Virgilius Æn. V, 743; Ovid. Fastor. III, 421, de his ignibus; et mox v. 426. Hinc intelligis, qui sint isti *æterni ignes*, non *ararum*, nec *Solis* et *Lunæ*, sed *Vestæ*. Inde *vigil* Vesta Ovidio Art. Amat. III, 463:

Illa potest vigilis flammas exstinguere Vestæ.

Vide Sil. Italic. I, 542, et Ovid. Fast. VI, 250 et seqq. ubi sæpe conjun-

guntur hi *ignes* et *Vesta*, ut in his Virgilii et Statii locis. Juven. IV, 60:

> Utque lacus superat, ubi quanquam diruta servat
> Ignem Trojanum, et Vestam colit Alba minorem;

ita legendum; vulgo *suberant*, vel *superant*: male, quum de solo piscatore illic loquitur, ut ex versu proximo apparet, « Obstitit intranti miratrix turba: » non *intrantibus*. Exempla in omnibus poetis invenies. Vide autem quam artificiose Sinonem inducit Virgilius ingredientem orationem ejus a mentione et invocatione *Vestæ;* ut scilicet gratiam Trojanorum captaret: *Vesta* enim ab iis maxime colebatur. Nihil dico de *ταυτολογία* in istis, *testor vos* et *vestrum numen:* nemo enim, opinor, de hac restitutione dubitabit.

40. *Nec si, pater, ipse teneres.* Omnino legendum « nec si, pater, ipse teneres. » Non gratior Deæ sedes foret etiam *si* tu, o Jupiter, eam teneres; nihil clarius. Gronovius retinet *sic*, ad hunc sensum: « Et huic operi seu effigiei Palladis par sedes: nusquam optabilior, nusquam gratior deæ aula; nec tu ipse, pater deæ, Jupiter, *sic*, tanta amplitudine, gratia, lubentiaque eam ferres, teneres. » Subobscure. Quanquam et retento *si*, inquit ille, non absurdus sit sensus. Tò *teneret* Crucei, et alterius quem ille nominat, « nec si patris ipsa teneret Pectora, etc. » nihili sunt. De sequentibus ita Gronovius: « Mirum profecto, integro sæculo, et quod excurrit, hos versus neminem intellexisse. Et vide quam levi brachio tantæ tenebræ dispellantur:

> Pectora, quæ mundi valeant evolvere curas:
> Et cui se totis Temese dedit hausta metallis
> It tergo demissa chlamys: »

Hæc ille: mihi tamen hæ tenebræ nondum dispelluntur: quippe valde improprie fecit Statius, si de chlamyde tam ingentia prædicaret, silentio pæne transmitteret pectus, in cujus magnitudine seu latitudine excellentioris naturæ notam posuerunt veteres. Val. Flaccus, II, 489; Noster, Theb. IV, 173, de Capaneo; vide et VII, 311, de Hypseo; Seneca, Hippolyto, v. 806: « Martis belligeri pectore latior. » Virgil. X, 482, de Pallante:

> Dixerat: at clipeum, tot ferri terga, tot æris,
> Quem pellis toticns obeat circumdata tauri,
> Vibranti medium cuspis transverberat ictu,
> Loricæque moras et pectus perforat ingens:

ita legendum; vulgo *Quum pellis.* MSS. habent *Quom.* Sed hæc alias. Male Servius ad hunc locum vocem *ingens*, non ad *pectus*, sed ad *cuspis* refert; ne incongruum sit, inquit, si dixerit de puero *pectus ingens.* Quæro igitur quid faciet istis paulo inf. v. 496: « rapiens immania pondera baltei? » nonne hoc quoque incongruum, dare puero « immania pondera baltei? » sed ne metuat; pectus enim pueri pro modo et ætate recte *ingens* dici potest, et hoc inter laudes ponitur. Horum locorum memor statim vidi legendum esse et distinguendum,

> Pectora, quæ mundi valeant evolvere curas,

Et queis se totis Temese dedit hausta metallis.
It tergo demissa chlamys.

Et ita fere inveni postea in edit. Aldina, nisi quod vulgatam distinctionem retineat. Mitto quod, si interpungas post τὸ *curas*, multo melius legendum foret *at cui se totis*, non *et*. Habeat itaque Domitiani pectus metalla sua Temesæa; et elegantiam, sive mavis, adulationem suam, Statius.

46. *At sonipes, habitus.... equestris, Acrius attollit vultus.* Non penitus damno hanc lectionem; mallem tamen scripsisse, *animosque imitatus eriles*, id est, *heriles;* animos heri sui, Domitiani. Valer. Flacc. VI, 413:

Hinc bijuges, illinc artus tenduntur heriles.

Et 706:

.... Subitos ex ore cruores
Saucia tigris agit, vitamque effundit herilem.

Noster, Achilleid. I, 246: «.... jugo fessi delphines herili.» Virgil. Æneid. lib. VIII, vers. 461:

Nec non et gemini custodes limine ab arto
Procedunt, gressumque canes comitantur herilem:

ita legendum; vulgo *limine ab alto*, quod absurdum est, quum paulo ante dixerat *humili tecto*, vs. 455, et *tecta pauperis* Evandri, vs. 360; Ovid. Metam. III, v. 140: «.... Vosque canes satiatæ sanguine herili.» Claudian. IV Cons. Honor. v. 65:

.... solito cum murmure torvis
Sol occurrit equis: qui postquam rursus heriles
Agnovere sonos, rediit meliore magistro
Machina, concentusque poli.

Equus imitatus animos equestres pro animos equitis et insessoris, non valde placet: nihil tamen audeo mutare. — *Equestres habitus* dicuntur ut Theb. I, 1: *fraternæ acies*. Quare id non sollicitare debebat Marklandus, cujus emendatio magnopere displicet. Hand. — Deinde pro *Acrius* optime legere potes *Altius*, ut apud Silium Italicum, XV, 508; et XVII, 398; Ovidius Halieutic. v. 69; Virgil. Georg. III, 552. Petronius Satyrico: «Postquam se amari sensit, supercilium altius sustulit.» Hæ vero voces *acrius* et *altius* interdum inter se commutantur in codicibus MSS. Vide Heinsium ad Ovid. Remed. Amor. v. 651. Et sane vix intelligo quid sit *acrius* attollere vultus: saltem dixisse debuit *Acrior attollit*, ut v. 18, *non amplior armis;* ubi pariter editiones occupaverat *amplius*. Restituit Bernartius, a Cruceo improbatus, qui non necessarium ait, quia *amplius* denotat qualitatem, non tempus. Intelligat qui potest. Claud. VI Cons. Honor. v. 331:

Acrior interea visendi principis ardor
Accendit cum plebe patres.

Ita etiam Baln. Etrusci, v. ultim., pro *melior* vulgo legitur *melius*. Thebaid. lib. IX, vers. 805:

Acrior hoc juvenem stricto mucrone petebat
Amphion....

— Poeta vocabulum retulit ad vultus, non ad ipsum equum. Hinc recte scripsit *acrius*. Alia est ratio in exemplis Claudiani et Thebaidos allatis. Sic Gifanius recte prætulit in Lucr. lib. III, vers. 290 : *ex oculeis micat acrius ardor*, non *oculeis acribus*, neque *acrior*. HAND.

51. *Ærea... crinem terit.* Legendum : *Ærea captivi*, etc., quippe *aeneus* trissyllabon nunquam occurrit apud poetas veteres, sed ubique aut *aheneus* aut *ahenus*, ut notat doctissimus Bentleius ad Horat. Serm. II, 3, v. 183. Fallatur igitur necesse est N. Heinsius, qui ap. Martial. Spect. Epigr. 27, pro *ignipedes tauros* conjicit *aenipedes;* quum plane legendum sit *æripedes*, ut apud Valer. Flac. VII, 545 : « daret æripedes in prælia tauros : » immo et ipsum Ovidium, Met. VII, 104, de his ipsis tauris :

Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant
Æripedes tauri :

quod miror Heinsium fugisse. *Ignipedes* quidem Solis equi recte dicuntur Ovidio et Statio; sed non ita hi tauri. Vide eum ad Ovidii Heroid. VI, 32; iterum ad Met. II, 392 : « Ignipedum vires expertus equorum, » hæc notat : « *ignipedes* equi nescio an recte dicantur : quare fuit quum *ænipedum* rescribi debere censerem : quale mendum et ex Martiali sustulimus notis ad Epist. VI, 32. Sed Statius initio Theb. de Phœbo, « ignipedum frenator equorum. » Prudentius tamen lib. I contra Symmach. v. 350, de Solis equis,

Cernuat ore senex barbatus, et oscula figit
Cruribus ænipedum, si fas est credere, equorum.

Quomodo illic constanter editi ac scripti codices : nisi quod *æripedum* in nonnullis; quanquam illic de Solis statua agitur ahenea. » Eundem errorem errat vir magnus : omnino enim isto Prudentii loco legendum *æripedum*, ut *ærea ungula* hoc Statii loco, de re eadem, ahenea nempe statua equi. Recte tandem idem ad Herr. XII, 93 :

Jungis et æripedes inadusto corpore tauros :

ubi Gronovii codex omittit *et* : unde legit *Jungis ahenipedes*. Pro *crinem terit ungula*, in multis editionibus mendose legitur *tegit*. Lucret. I, v. 80 :

Quare relligio pedibus subjecta vicissim
Obteritur . . . .

Prudentius Cathemer. Hymn. ante cibum, vers. 129 :

. . . . ut mulier
Colla trilinguia calce terat.

Sub pede colla tenere eodem sensu, Ovidius Heroid. IX, 12; et *sub pede colla premere*, Rem. Am. 530 ;

Victorem terris impositura pedem,

de Roma, Fast. IV, 858; Claudian. de VI Cons. Honorii, ad finem :

Colla triumphati proculcat Honorius Istri.

54, 55. *Nunquam mutabit habenas : perpetuis frenis, atque uni s. a.* Qua interpunctione, qua depravatione, nullus huic loco sensus relictus :

quis enim intelligere potest quid sit servire *perpetuis frenis atque uni astro?* Jam vero intelliges, modo legas et distinguas,

> . . . . hic domini nunquam mutabit habenas
> Perpetuus frenis; atque uni serviet astro:

perpetuus frenis, i. e. tuis frenis, tibi perpetuo inserviturus, et semel insertas non mutaturus habenas, ut de se loquitur, carm. ad Uxorem. Græcismus elegans interpretes fefellit. Ita Silv. III, 2, v. 46; Manilius, V, 413; Claudian. in Eutrop. II, 409:

> Pulcher it, urbanæ cupiens exercitus umbræ,
> Assiduus ludis:

scil. *exercitus*. Ita legendum; vulgo sine sensu aut exitu, *pulcher et urbanæ:* vide locum. Noster, Thebaid. I, 702: « assiduam pelago non quærere Delon. » Et IV, 751, *novus thalamis* ut *perpetuus frenis*. Multus in hac elegantia Tacitus: Annal. II, cap. 78: « Haud magna mole Piso promptus ferocibus in sententiam trahitur. » Sic *facilis inanibus* eodem libro, de Druso. Ita *crudus* maritis *ignibus*, Thebaid. VII, 298; *novus lacrimis*, Seneca Troad. v. 67; *surdus timori*, Sil. Italic. XI, 354; *asper paci*, XII, 348; *difficilis lacrimis*, Senec. Herc. Fur. v. 578; *vilis morti*, Florus, II, 6, et innumera id genus. *Uni astro serviet*, tibi tantum, non duobus, uti Cyllarus, qui Castori et Polluci inserviit. Imitatur hunc locum Claudian. IV Cons. Honorii, v. 554.

57. *Subter anhelat humus* est ex Homero, Iliad. β, 95: ὑπὸ δὲ στεναχίζετο γαῖα.

64. *Continuus septem per culmina montes it fragor.* Vox *montes* sine dubio depravata: septem enim *culmina* Romam denotant et hic et alibi; adeo ut supervacuum sit istud *montes*. Barthius duobus modis tentavit; « septem per culmina montes cit fragor; » atqui hoc est, fragor per septem montes movet septem montes. » Vel, « continuos septem, par fulmine, montes cit fragor; » atqui hoc modo vox *continuos* abundat, quum satis fuerat dixisse, fragor par fulmine movet *septem montes*. Mitto *par fulmine* pro *fulmini*. Gronovius non dubitat Statium reliquisse: « septem per culmina Martis it fragor. » *Martis* enim *urbs* et *Martia Roma*, ut pueri sciunt, inquit ille. Atqui hoc in idem vitium recidere videtur; adhuc enim *septem culmina* Romam denotant sine additamento *Martis*. Et quidem *culmina Martis* pro *urbe Martis* recte dici non negaverim; sed vehementer dubito, an quisquam dixerit *septem culmina* seu *septem montes Martis;* quoniam unusquisque fere ex septem collibus suum habuit peculiarem deum, cui sacer erat; sic Tarpeius Jovi, Palatinus Apollini, Aventinus Dianæ, Quirinalis Quirino, Janiculum Jano cessit. Vide Silium Italicum, XII, 718, ubi post alios deos memoratos, addit:

> Hinc Janus movet arma manu, movet inde Quirinus,
> Quisque suo de colle deus:

ad defendendam nempe Romam contra Hannibalem. Non igitur septem culmina Martis recte dici possunt: illi enim sua statio in *Campo* cogno-

mine assignata fuit. Statim vidi deesse epitheton τῷ *pulsu*, « .... Strepit ardua pulsu Machina continuo : » Non enim satis fuit machinam hanc seu molem *pulsu* strepere, nisi hic esset *continuus*. Hæc enim mens est poetæ in hoc loco, laudare opus ob celeritatem; *Nec longæ traxere moræ*, et *operi intenta juventus;* recte igitur *pulsu continuo*. Prima litera vocis *septem* adhæsit præcedenti *continuo;* unde *continuos*, et mox *continuus*. Jam de reliquo videamus, *septem per culmina* montes *it fragor*. Hic quoque deest epitheton τῷ *fragor;* neque enim *fragor* per se sufficit, et requiritur *ingens* et *vastus*, et qui possit *fingere murmura magnæ Romæ*. Lege,

Strepit ardua pulsu
Machina continuo : septem per culmina multus
It fragor :

Hæc est ipsa res. Scriptum fuit *moltus* antiqua ratione scribendi pro *multus:* inde frequenti vice literarum N et L, *montus;* dehinc *montes*, vel ut in Rom. Cod. *montis*. *Multus* fragor, ut *ingens* fragor, Ov. Met. XI, 507; *major* fragor, Nostro Silv. III, 1, v. 131. Si cui magis arrideat « septem per culmina longus It fragor, » his se exemplis tueri potest : Via Domitiana, v. 61, loco huic simillimo :

Fervent litora nobilesque silvæ,
It *longus* medias fragor per urbes.

Thebaid. VI, 600, de cervis :

.... Rapit attonitos fuga cæca, pavorque
Congregat, et *longum* dant cornua mixta fragorem.

Plinius, Hist. Nat. XXXIII, 4 : « mons fractus cadit a sese longo fragore qui concipi humana mente non potest. » Ita *longus clamor*, Theb. IV, 495, et V, 552, et sane vero non absimile est vocem *montes* deberi glossatori alicui, qui eam in margine libri sui adpinxerat ad explicandum τὸ *culmina*, unde postea in textum irrepsit : ut forte scripserit Statius, *longus it fragor*. Sed tutius videtur *multus* propter minorem vocum differentiam. — In mutando vocabulo *continuus*, quod recte conjungitur cum *fragore*, acumen fefellit Marklandum. Nam verba, *strepit machina pulsu*, i. e. motu *continuo* significant, juvenes non intermisso tractu movisse machinam strepentem; quod ab hoc loco alienum est. Ego quidem locum a librariis ex versu 59 interpolatum esse arbitror, et Statium scripsisse :

Strepit ardua pulsu
Machina : continuus septem per culmina cælo
It fragor :

Sic Valer. Flacc. III, 277 :

It gemitus toto sinuosa per æquora cælo.

Statius infra IV, 3, 62, dixit :

It longus medias fragor per urbes.

In textu quidem nihil mutavi, sed antiquam codicum scripturam *montis* aliis explicandam reliqui. Hand. — Jam vero quid est quod sequitur *fingit vaga murmura?* Quid est *fingere* murmura Romæ? an imitari? aut

hoc aut nihil. Qui vero fieri potest ut pulsus æris imitetur varia, diversa, vaga murmura et strepitus Romæ? Lege certissima emendatione,

Et magnæ vincit vaga murmura Romæ:

tantus fit fragor, ut etiam murmura et strepitus, qui in urbe fiunt, ab hoc superentur et non exaudiantur. *Vincere* hac significatione usitatissimum. Manilius, V, 625, de iis qui sub Andromeda nati sunt:

Carnificisque venit mortem vincentis imago:

ita optimus Codex Gemblacensis: Scaliger tamen edidit *mortem ducentis*, sensu non satis salvo. Imago carnificis mortem *vincentis*, est, carnifex morte terribilior; ut in loco Senecæ quem ille adducit, « et morte tristi tristior mortis locus » (quem tamen memoriæ nimis fidens male citat; est enim Herc. Fur. v. 706: « Ipsaque morte pejor est mortis locus »); ita OEdipo, v. 180: « O dira novi facies leti gravior leto, » id est, *vincens* letum. Putares Scaligerum conjecturam suam labefactatum, et lectionem codicis quam spernit stabilitum ire. Noster, Theb. I, 520, ex Virgil. Æneid. I, 730, et II, 77. Exempla ubique. Ita etiam Græci νικᾶν. *Vincit* pro *fingit*: V enim et F sæpe commutantur in MSS. Ita ap. Virg. Æneid. III, 316: «Ne dubita, nam vera vides,» olim conjeceram legi debere *nam vera fides*, utpote multo elegantius et phrasi poetis usitatissima. Confirmavit MS. Petrensis, qui clare exhibuit *fides*. Alibi illustrabo. Interea vix unus et alter accedet; scio: mihi tamen persuasissimum est Virgilium ita scripsisse. Ita *viros* pro *feras* apud Manil. V, 181; *Vincentemque feras*: ita enim legendum puto; vulgo *viros*. De G pro C vide Carionem ad Valer. Flacc. I, 729, et passim exempla habemus in his Silvis. — Ille fragor vaga murmura *fingit*, h. e. movet et moderatur, ita ut novo quoque percussu novus per urbem rumor eat, multitudo ad visendum concurrat, alius alii narret, et passim voces tum mirantium, tum laudantium audiantur. Wernsd. — Scripti libri omnes, etiam quatuor Vaticani, præbent *fingit*, et ita editiones antiquæ præter principem, quæ habet *figit*. Nemo in hoc loco hæsit ante N. Heinsium, qui, in Adversariis p. 334, emendavit *vincit vaga murmura*. Ibi affert Horatii Serm. I, 6, 44: « *magna* sonabit cornua, quod vincatque tubas. » In ineditis hæc: « *vincit* infra II, 6, 7, *majora vincit plaga minor*; Virgil. Æneid. I, 727: *funalia vincunt noctem*; Thebaid. XII, 242: *gelidæque facem vicere tenebræ*; Juvenal. Sat. XIII, 112: *vincere ut Stentora possis*; Horat. Epist. II, 1, 200: *pervincere voces*. » Burmannus vero pro vulgata lectione addidit hæc: « fingit, id est refert, simulat. Val. Flacc. II, 130. Vid. ad Luc. V, 392. » Ibi scripsit: « Heinsius corrigebat *vincit*, quod et Marklando in mentem venit. Sed sine libris sola emendandi libido talia fingit. Quis enim librarius, si *vincit* invenisset, inde fecisset *fingit*, quod reconditioris erat sensus, pro captu scribarum. » Hand.

66. *Ipse loci custos.* De Curtio inter divos relato et de lacu Curtio vide Varron. de Ling. lat. IV, 32; Livium, VII, 6; Sueton. Aug. 57, ibique interpretes. Barthius in ineditis scripsit: Fort. *cui jus*; suam paludem mox

dicit. Lenzius *custodem loci* male interpretatur sospitatorem, qui Romam servaverit, quum sit genius loci. HAND.

67. *Famosusque lacus. Famosus* nonnunquam bono sensu usurpatur, ut a Lucano IV, 654:

> Hinc ævi veteris custos, famosa vetustas
> Miratrixque sui signavit nomine terras.

Item Græci ambiguo sensu dicunt περιβόητον. Vide Barthium in Adversar. pag. 1431, et Marklandum ad V, 1, 93. Præterea de hoc vocabulo ejusque usu contra Gellium et Calderinum docte disseruit Jacobus a Cruce, Bonon. in Annotat. HAND.

68. *Verbere crudo.* Quid sit *verber crudum* non equidem intelligo: hoc tamen scio, Statium scripsisse, *verbere crebro*, Thebaid. V, 231; IX, 352; Ovidius, Halieutic. v. 12; Lucan. III, 523; Ausonius, Idil. II, 91; *Numerosa verbera* Auctor Ætnæ, v. 37:

> Illi his Cyclopas memorant fornacibus usos
> Quum super incudem numerosa in verbera fortes
> Horrendum magno quaterent sub pondere fulmen:

ita legendum; vulgo, *Illis Cyclopas;* Scaliger *Illi:* sed deest aliquid sensui, nisi legas *Illi his.* Vide locum poetæ istius, quem nemo mihi persuaserit eundem esse Corn. Severum, cujus fragmentum poematis de morte Ciceronis refert Senec. Suasor. VII, adeo omnia diversa. Ad ævum et ingenium multo inferius detrudendus mihi videtur auctor obscuri istius poematis de Ætna. Facile plura exempla congererem; sed hæc sufficient. Has vero voces *crudo* et *crebro* inter se aliquando commutari, evincit locus Thebaid. II, 709, ubi, pro *crudo robore cortex*, MS. collegii Petrensis male habet *crebro.* — Omnes libri *crudo.* Scaliger conjecit *surdo*, ut notat Burmannus, cui quum Marklandus non recte emendasse videretur, ipse scripsit *duro.* Alii facile invenient meliora, tamen abstineo a mutatione, non nescius, Statium hoc vocabulo *crudus* magnopere delectari. Sic Thebaid. I, 422, *crudi sudores;* VIII, 432, *crudus torrens;* X, 342, *crudus honor.* Vid. Burm. ad Quintil. declam. pag. 220. Alibi occurrunt *crudelia verbera*, etiam in rebus sensu destitutis. HAND.

69. *Mugire forum.* Cod. Leid. a manu pr. *solum.* De verbo *mugire* egit Burmannus ad Valer. Flacc. II, 498; exempla satis nota collegit Barthius ad hunc locum et Achill. I, 524. HAND. — *Horrida sancto ora situ.* Situ vetustatis, tum squalore voraginis, *sancto* tamen, quod se immerserat, pietate in patriam motus. *Sancti* inprimis, qui se devovent. WERNSD.—Narrat etiam Flaminius Vacca, apud Montfaucon. Diar. Ital. p. 183, suo tempore imaginem Curtii in voraginem se præcipitantis celatam eo loco, quo nunc templum B. Mariæ positum est, repertam et muro Capitolii affixam esse. HAND.

72. *Terque ardua mersit colla. Ardua* sunt erecta et elata. Nescio au-

tem, an satis probabiliter fingat Papinius, Curtium caput efferre e lacu, quum constet lacum tunc temporis non exstitisse, sed locum sæptum in foro. Ovid. Fast. VI, 403 (vid. tom. VI, p. 420, nost. Edit.):

> Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras,
> Nunc solida est tellus, sed lacus ante fuit.

74. *Proles genitorque deorum.* Burmannus comparat Virgilii Æneid lib. IX, vs. 642: «Dis genite et geniture deos.» Addi potest Silius Italic. lib. III, vs. 625, (Editionis nostræ, volum. I, pag. 214. Ed.): «o nate deum divosque dature.» Claudianus, de Nupt. Honor. vs. 252:

> Salve, sidereæ proles augusta Serenæ,
> Magnorum soboles regum, parituraque reges.

75. *Auditum longe.* Quod quidem longe audivi adhuc in profunditate lacus mei, nunc excitatus æris sonitu propius adspicio. Wernsd.— Barthius explicat: «diu ante hunc conspectum tuum.» Non ita arbitror. Significat potius: ex longinquo, in profundo lacu, quemadmodum dicunt *longe conspicuum*. Nec sine causa critici dubitarunt, an *longe* ullo in loco dicatur pro *diu*. Et erat hæc res accurata expositione digna; nam Lambinus ad Cic. Philipp. V, 6, omnino negasse videtur, reliqui vero omnes diversa exempla miscuerunt, ne eo quidem cognito, quod inter *diu* et *longum* intercedat. Hand.

79. *Bella Jovis.* Sunt hæc bella Capitolinum (Sueton. Domit. cap. 1; Tacit. III, 71), Germanicum contra Cattos gestum (Silv. I, 4, 89), civile a Lucio Antonio motum (Sueton. cap. 6), et Dacicum duplex (Theb. I, 19), quæ iterum celebrat initio Thebaid. Hand.

80. *Tardum in fœdera montem.* Infra III, 3, 169: «quæque suum Dacis donat clementia montem.» De monte sacro Dacorum interpretatur Lipsius ad Taciti Histor. I, 2; et eum sequitur Bernartius ad locum Thebaid. Regiam vero Dacorum in altissimo monte exstructam, eamque h. l. intelligendam esse demonstrare voluit Gevartius in Papin. Lect. cap. 5. Etsi utraque sententia aliquid verum contineat, tamen non totam rem complectitur. Optime enim Calderino præeunte Gronovius intellexit ipsos Dacos, qui in monte sedes collocaverant, tardos in fœdera. «Non ipse mons, non templum in monte, non regia, sed in genere tota gens montem colens. Florus IV, 12. *Daci montibus inhærent.*» Hand.

81. *Longo Marte domas.* Nemo dicitur *domare bella* et *prælia longo bello*. Intelligendum quasi scripsisset, «tu bella Jovis, tu prælia Rheni geris; tu domas civile nefas, etc.» Hæc loquendi forma optimis scriptoribus familiarissima. Noster, Theb. VII, 560:

> Hi precibus questuque deos; hi Martia tela
> Belligerosque hortantur equos:

atqui nemo hortatur *deos* precibus *et* questu. Intelligendum igitur

adeunt vel *fatigant* deos *precibus* et *questu*, et equos *hortantur*. Tale est istud Val. Flacci III, 262 :

> Illi autem neque adhuc gemitus, neque conscia facti
> Ora levant :

ubi si *ἀπὸ κοινοῦ* sumas τὸ *levant*, neque *gemitus levant* neque *ora*, sententiam corrumpes, quum *levare gemitus* menti poetæ omnino contrarium est. Subaudiendum, neque edunt vel emittunt gemitus, neque levant ora. — Apud Statium exempla ubique obvia sunt. Vid. Thebaid. I, 246 et 254. Post *montem* sustuli comma ; nam longitudinem belli Dacici per quinque annos gesti his poeta mihi videtur indicasse. Hand.

82, 83. *Tentasses me non audente profundos ire lacus.* Lipsius olim emendavit *me non gaudente* : bene, si Statianum loquendi morem intelligas, secundum quem *non gaudente* est idem quod *dolente*. Silv. IV, 2, v. 5 :

> Ast ego, cui sacræ Cæsar nova gaudia mensæ
> Nunc primum, dominaque dedit non surgere mensa,
> Qua celebrem mea vota lyra?

ita forte legendus locus pro *consurgere*. *Non surgere* mensa, est assidere mensæ. Paulo infra, v. 16 :

> . . . . Datur hæc juxta, datur ora tueri
> Vina inter mensasque, et non assurgere fas est?

datur mihi *non assurgere*, id est sedere, imperatore præsente? Iterum Silvar. lib. II, carm. 6, vers. 99 : *non mutum caput* est loquax caput Orpheos, de quo Virgil. Georg. lib. IV ; adhuc Thebaid. lib. VI, v. 544 ; de Leandro natante, chlamydi intexto :

> In latus ire manu, mutaturusque videtur
> Brachia ; nec siccum spectes in stamine crinem :

ita legendus locus, vulgo, *manus*, et *speres*. *Nec spectes siccum crinem*, id est, et spectare potes crinem non siccum, hoc est, humidum. Tanto artificio elaborata fuit chlamys ista, ut etiam crines natantis Leandri humidi viderentur in stamine. Tacitus, Annal. lib. I, cap. 53, de Sempronio Graccho : « Tunc milites ad cædem missi invenerunt in prominenti litoris nihil lætum opperientem » : id est, omnia tristia opperientem seu exspectantem. Alterum exemplum, sed luculentum, addam ex Thebaid. lib. IX, vers. 334, ubi describitur cælatura in clipeo Crenæi : « . . . teneris jam cornua palmis Non tenet : » mira locutio videtur *non tenere* aliquid manibus *teneris* : quid enim manuum *teneritudo* ad *non retentionem* rei alicujus? Sed si *non tenere* manibus teneris accipias pro *dimittere* manibus teneris, evanesceat obscuritas. Ita Silv. lib. V, carm. 3, vers. 88 : « nec fissa gavisam Pallada buxo, » est, « et Pallada non gavisam fissa buxo, » hoc est, abominantem et odio habentem. Ita *nec major sitis* pro, et minor, Silv. IV, 7, v. 11 : *nec major fragor* pro, et minor, III, 1, v. 131 : *quam non major gloria* pro, quanto minor, Epiced. in Patrem, v. 219 ; ubi male legitur *qua non*. Sic *non magna ratis* pro, parva, Nemesiano Cyneg. v. 59 ; *non tarda* pro,

agilis et *gnava*, Virg. Georg. II, 125. Pluribus hæc adnoto, ne locutionis insolentia tirones offendat. Ad hunc igitur morem *me non gaudente* est me dolente, utpote cui gloriam servandæ patriæ tu præreptum ires. Cruceus retinet *non audente*, hoc sensu: *me non audente*: id est, si ego non ausus essem, ut supra, *te signa ferente*, si tu signa tulisses: Galli dicerent, *au cas que je n'eusse le courage*. Bene hæc Cruceus; et ideo in textu nihil muto; de phrasi vide Gronovium ad Senec. de Benefic. I, 10. — Tacente me, virtute et caritate patriæ permotus tentasses ire in lacum, nec ego ausus essem tibi præripere hanc gloriam; Roma vero tui caritate ducta, retentis equi frenis, impedisset ne ires. Wernsd. — Emendationem, quam Lipsius in Electis II, 14, proposuerat, Bernartius et Barthius in Adversar. p. 1438, probaverunt. Ea Marklando præbuit occasionem doctæ et accuratæ expositionis, qua tamen ipsa non digna fuisset. Nam ea admissa, sensus existit infacetus et parum venustus. Bene igitur Adr. Behotius in Apophoret. I, 8, p. 28: « arridet magis, inquit, antiqua lectio; neque enim *me non audente* ad timorem, sed ad pietatem et reverentiam referendum est. » Hand. — Sequitur *Profundos ire lacus*: non male. Cum quarto enim casu hoc verbum jungitur, ut Thebaid. VIII, 513, ubi Hercules Minervam alloquitur:

. . . . Ipsa et comes, invia mecum
Tartara, ni Superos Acheron excluderet, ipses:

ita legendum puto; vulgo inepte *ipsa heu comes*. Scriptum erat *eu* pro *et*; unde istud *heu*. Sed mihi Statianum magis videtur *profundo ire lacu*, id est, in lacum: Ita Baln. Etrusci, v. 53: « cui non ire lacu, « pigrosque exsolvere amictus suadeat. » Supra, hoc carm. v. 67, *famosusque lacus*, numero singulari; licet ibi vetus codex habeat *Famosi*: non male, et v. 72: « terque ardua mersit Colla lacu trepidus. » Mihi placet *profundo lacu*, vel ob hanc rationem, ut vitetur sibilus et sigmatismus istorum: « profundos ire lacus, sed Roma tuas tenuisset habe- « nas. » *Ire lacu*, id est, in lacum, ut *ire polo*, Epithal. Stellæ, in polum; *deferre montem vallibus*, in valles, Val. Flacc. II, 523. — Editiones omnes *profundos ire lacus*, Marklandi vero emendatio non solum ob causas supra ad v. 67 expositas probari debet, sed confirmatur etiam auctoritate codicis Uratislens. in quo scriptum: *profundo ire lacuset*. Cum his Lensius comparat *ire freta* apud Gratium Cyneget. v. 64; ubi vulgo legitur:

Nonne vides, veterum quos prodit fabula rerum,
Semideos? illi aggeribus tentare superbis
Ire freta, et matres ausi tractare deorum,
Quam magna mercede meo sine munere silvas
Impulerint.

Sed hæc, et sensu commodo destituta sunt, et auctoritate antiquorum librorum. In iis enim leguntur: « superbis freta matres ausi, etc.; » quo apparet, depravatum esse locum a librariis. Itaque eum restituendum puto:

Nonne vides, veterum quos prodit fabula rerum
Semideos, illi aggeribus tentare superbis

Freti, vel matres ausi tractare deorum,
Quam magna mercede meo sine munere silvas
Impulerint?

Freti cum infinitivo compositum, ut Statii Thebaid. lib. VI, vers. 23; *pontum irrumpere fretæ*. Intelligendum vero est, tentare deos vel matres deorum tractare. HAND.

85. *Quem tradere es ausus*, etc. Hos versus quos uncinis inclusos vides, comparationis seriem interrumpentes, si sapias, Lector, transmittes: certum enim est hos spurios et insititios esse. Patet hoc ex versu 88; « quam longus in hunc despectus ab illo »; et 89: « qui non « ut viderit « ambos »: e quibus manifestum est duos tantum equos, Julii Cæsaris et Domitiani, in comparationem deductos esse; et proinde nullum esse locum Bucephalo Alexandri. Sic igitur hiantem Statium connectas:

Cæsarei stat sede fori: vix lumine fesso
Explores, etc.

Et hæc opinio fuit Dan. Heinsii et P. Scriverii, a Gevartio etiam approbata Lect. Papin. cap. 9; ob hanc inexpugnabilem rationem, quia effigies equi, quam statuit Jul. Cæsar ante ædem Veneris Genetricis (de qua re videndi Plinius et Suetonius) erat effigies sui equi, non Bucephali (qui enim potuit?) quem Lysippus Alexandro fecit. Gronovius, delinitus phasi *traderis ausus*, quam ex MS. Florentino et editt. Rom. et Venet. réstituerat, non omnino ejiciendos putat, sed de conciliatione ulterius cogitandum. Atqui hæc conciliatio nunquam eveniet, nisi probari potest Cæsaris et Alexandri equos unum et eundem esse. — Gevartius in eam tandem sententiam descendit, ut putet tres illos versus, quibus de equo Lysippi agitur, insititios esse, et margini ab indocto aliquo librario appositos deinde in textum irrepsisse. Qua tamen in re non habet assentientem Gronovium, cui hi versus non adeo futiles videntur, ut ab indocto homine scribi potuerint. Et mihi attentius consideranti non solum minime futiles videntur, sed prorsus necessarii et genuini, ut, sententia salva, e contextu ejici vel omitti non possint. WERNS. — *Traderis ausus*. Ita restitui ex omnibus codicibus et edit. princ. Parm. Rom. Vic. Venet. Aldus vero, quem reliqui omnes sequuti sunt, edidit *tradere es ausus*. *Traderis*, id est diceris. Vide Gronovii Diatrib. p. 67, ubi etiam voc. *ausus* reddit verbis: non timuerit fingere. At hoc quidem non satis accurate. *Audere* enim proprie dicitur de artis operibus, nulla timoris significatione admixta, et ab *aveo* deductum, primariam habet notionem conandi. Sic Horat. Art. poet. v. 125: « si quid inexpertum scenæ committis, et *audes* personam formare « novam. » HAND.

88. *Quam longus in hunc despectus*. Quod enim equus Domitiani altissima crepidine erat sublatus, ut in alterum Cæsaris infra se positum, quasi despicere videretur, hinc a poeta callide videtur ratio contemnendi hujus equi præ illo Domitiani peti. WERNSD. — Hoc in verbis

poetæ non inest. Sed Drakenborchius quoque ad Silii VI, 185, alia affert scriptorum loca, in quibus aliquis ex loco excelso et altiore *despectare* dicitur. *Despectus* vero h. l. est oculorum descensus ab eximiis et majoribus, ad humiliora et abjecta. HAND.

94. *Dum Romana dies.* Dum sol lucebit, qui non nisi Romanam diem facit, h. e. nusquam lucet, ubi non Romani imperent. Sic plane Martialis, IX, 2, 9: « Manebit altum Flaviæ decus gentis cum sole et astris « cumque luce Romana. » In eandem sententiam Ovidius, Fast. I, 85:

Juppiter, arce sua totum quum spectet in orbem,
Nil nisi Romanum, quod tueatur, habet.

Potest etiam *Romana dies* accipi de sæculo et ævo mundi, sive æternitate. Etenim æternam Romam cum Romano imperio esse, nec nisi cum ipso mundo interituram, Romani scriptores ubique gloriantur. WERNSD. — *Huc et.* Codd. Urat. Leid. Paris. et omnes antiquæ editiones *hoc et*, præter edit. princ. quæ habet *hac.* Correxit auctor Aldinæ. Recte quidem; sed illud *et* languet, præsertim si quis id conjungat cum sequenti *que.* Nisi necessario requireretur *huc*, facilis esset emendatio. Jam vero explices: ut nos diu frequentabimus locum, ita etiam sub nocte huc descendent superi. Ita quidem sæpe usus Latinorum et Græcorum in particulis *et*, *etiam*, *καὶ* vindicari debet. HAND.

98. *Una locum cervix dabit omnibus astris.* Una hæc cervix colossi tuam magnitudinem referens, satis ampla erit, in qua hæreant et quiescant amplectentes omnes gentis tuæ divi, qui amorem suum erga te sic post fata testabuntur. Similiter Cornelia apud Propert. IV, 11, 75. WERNSD.

101. *Optassetque novo similem*, etc. Nemo corrigat, *Optaretque novo*, ut respondeat *τῷ cuperent*, quemadmodum in Consolat. ad Ursum, vs. 24:

Optarent multum Graiæ cuperentque Latinæ
Sic peperisse nurus:

Nihil enim frequentius his temporum mutationibus. Ita Glaucia Melioris, vers. 140:

Hunc nec sæva viro potuisset carpere Procne,
Nec fera crudeles Colchis durasset in iras;
Torvus ab hoc Athamas insanos flecteret arcus;

non *flexisset.* Supra hoc carm., vers. 59:

Quæ superingesti portaret culmina montis
Cæliferique attrita genu durasset Atlantis:

ubi non opus est ut cum Bernartio legas *duraret.* Vide et Epiced. in Patr. v. 51 et seqq.: et ita passim omnibus poetis. Constructio hujus loci est: « Atticus senior optasset te similem ponere in novo templo « Elei Jovis. » *Atticus senior*, est Phidias, ut *senior Gargettius*, Epicurus, Tiburt. Manlii, v. 94; *senior Thessalus*, Chiron, Achilleid. II, 382; *Cous senior*, Hippocrates, apud Marcellum Empiricum de Medicina, v. 5:

Quodque Cous docuit senior, quodque Abdera suasit:

ubi *Abdera* pro *Democrito*. *Te similem ponere*, id est tuam statuam, ut *Aristotelem similem*, apud Juvenal. Sat. II, init. *imaginem* Aristotelis: et passim his Silvis. *Novo templo*, ut innuat indignum vetus ædificium honore excipiendi Domitiani. Hæc fere Gronovius. Male Lipsius et eum sequutus Bernartius legunt *Atticus sector*.

102, 103. *Tua mitis ora Taras*, etc. Intelligi debere colossum Tarentinum, ut sensus sit: ipsam urbem Taranta malle vultus Domitiani hoc colosso expressos cernere, quam ipsius Jovis, docte quidem exposuit Gevartius Papin. lect. I, cap. 11. Tamen Gronovius in Diatrib. p. 89 (47), sententiam ita accuratius reddidit: mallent illi deos suos non sub istis formis, quæ eorum esse creduntur, verum in tua facie venerari, quæ magis Jovem, Phœbum, Herculem deceat et æquet: non secus quam et præoptasset Phidias tua facie Jovem Olympium decorare. Quod vere præstat. *Taras* correxerunt etiam Grotius in epistol. ad Gronov. 673, Guyetus et Scriverius in ineditis. *Mitis* vocatur Taras, ut Thebaid. lib. I, v. 334, *mitis Corinthos*; lib. II, v. 382, *mitis Eleusis*. Hand.

105. *Certus ames terras*. Edit. princ. *cæcus*. Ita verba commutari solent, quod Beverlandus novit, quum apud Martialem V, 61, 8, conjiciebat: « sane cæcus et asper homo est; » sed præter necessitatem. In scholiis codicis Paris. affertur antiqua scriptura *serus*, ut etiam Peyrardus voluit. Hanc vero conjecturam, quæ in hac sententiæ expositione displicet, non nominato auctore rejecit Gronovius, p. 488 (315), et vulgatam *certus* interpretatur: haud ambigue. Miscuit vero ibi exempla variæ significationis, et *certus* male ad valetudinis aut vitæ periculum retulit. Intelligi enim debet: constanti animo ac firmo in terris manendi consilio. Hand.

107. *Lætus hūic donō*. Sic varii Editores punctis duobus superpositis literam *ü* distinxerunt, ut monosyllabum *huic* in duas partes divisum primam corriperet, produceret alteram; atque ita metro consuleretur. Sed illa divisio nullis firmatur exemplis, quæ noverim certa nullisque lectionum varietatibus obnoxia: unde malim *lætius*, vel hanc transpositionem; *huic dono lætus*. Vide tamen infra not. 135, pag. 48. Ed.

CARMEN II.

EPITHALAMION STELLÆ ET VIOLANTILLÆ.*

Unde sacro Latii sonuerunt carmine montes?
Cui, Pæan, nova plectra moves, humeroque comanti
Facundum suspendis ebur? Procul ecce canoro
Demigrant Helicone deæ, quatiuntque novena
Lampade solemnem thalamis coeuntibus ignem,
Et de Pieriis vocalem fontibus undam.
Quas inter vultu petulans Elegia propinquat,
Celsior assueto; divasque hortatur, et ambit
Alternum factura pedem, decimamque videri
Se cupit, et medias fallit permixta sorores.

VARIÆ LECTIONES.

* *Epithalamion..... Violantillæ.* Tiliobroga vult hoc nomen semper scribi per *e*, *Violentilla*. Nescio sane qua auctoritate. Analogia enim videtur reclamare; quippe non a *Violenta*, sed *Violanta*, deducitur hæc vox. *Viola*, *violanta*, *violantilla*, non *violentilla*: ut a *Quadrata*, *Quadratilla Numidia*, apud Plin. Ep. VII, 24, non *Quadretilla*. Ita a *Quarta*, *Quartilla*, apud Petronium, non *Quertilla*. *Violantillam* vero a *viola* deduci non a *violenta*, luculenter probat Martial. Epigr. VI, 21, et VII, 50, quibus locis eam vocat *Ianthida*, a Græco scil. ἴον, *viola*. Lemma hujus carm. in Parm. et Venet. ita concipitur: « Epithalamion in Stellam poetam et *Violentillam* Stellæ conjugem. » — Ita etiam edit. pr. et Vicent. In reliquis inde ab Romana legitur: *Violantillæ*, nis quod in una alterave scriptum es *Violanthillæ*. Cod. Urat. exhibe « Epith. in Stell. et *Violentillam*. » Hand. — Cod. Paris., « Epithal. in Stell. poet. et *Violantill.* St. conj. »

2. *Moves.* Cod. Uratisl. *movens.* Hand. — *Comanti.* Editio princeps habet *tonanti.*

4. *Quatiuntque.* Editio princeps habet *quantumque.*

9. *Factura.* Sic Codd. Vat. Paris. et omnes edd. Cod. Urat. *fultura*, quod cl. Hand. recepit.

Ipsa manu nuptam genitrix Æneia ducit
Lumina demissam, et dulci probitate rubentem:
Ipsa toros, et sacra parat; cinctuque Latino
Dissimulata deam, crinem vultumque genasque
Temperat, atque nova gestit minor ire marita.
Nosco diem causasque sacri: te concinit iste
(Pande fores!) te, Stella, chorus: tibi Phœbus et Evan
Et de Mænalia volucer Tegeaticus umbra
Serta ferunt: nec blandus Amor, nec Gratia cessat
Amplexum niveos optatæ conjugis artus
Floribus innumeris et olenti spargere nimbo.
Tu modo fronte rosas, violis modo lilia mixta
Excipis, et dominæ niveis a vultibus obstas.
Ergo dies aderat Parcarum conditus albo
Vellere, quo Stellæ Violantillæque professus
Clamaretur Hymen. Cedant curæque metusque,
Cessent mendaces obliqui carminis astus;

11. *Ducit.* Sic vet. edit. GRUTER. — *Ducis* exhibent Cod. Drak. edd. Aldinæ, Colin. Bernartii qui notavit, « sententiam insistens malim *ducit.* » Ita legitur in Codd. Leid. Paris. et edit. Rom. Vicent. Venet. Restituit Lindenb. In Cod. Urat. et ed. pr. est *duxit.* HAND.

12. *Lumina.* Ed. pr. et libri omnes usque ad ed. Amst. 1630, *lumine;* sed jam Mor. affert *lumina demissa;* quod verum est. HAND.

13. *Cinctu.* Vulg. ex ed. pr. *cœtu.* — Omnes edd. et Codd. *cœtu.* HAND.

14. *Crinem vultumque.* Parm. et Ven. *vultusque;* recte. Vide IV, 2, vs. 41. — Vulgo legitur *vultumque;* ego ex Cod. Urat. et ed. pr. recepi *vultusque.* Ed. Ven. *crimen*, quod correxit Avantius. HAND.

15. *Nova.... marita.* Ed. princ. *novo.... marito.*

17. *Evan.* Ed. pr. et Vic. *euahn;* Rom. et Venetæ *euhan*, ut in aliis locis. Reliquæ *evan.* HAND. — Cod. Paris. *euahn.*

18. *Mænalia... Tegeaticus.* Antiquæ editiones *Menalia;* Cod. Urat. *tegeticus.* HAND.

19. *Sexta... nec bl.* Edit. princ. *Secta....* *nec te blandus.* — *Cessat.* Cod. Paris. *cessant.*

21. *Nimbo.* Vulgo *Thymbra.* — *Tymbra* exhibent Codd. Vatican. quatuor, Paris. ed. pr. Rom. Vic. Venetæ, Ald. HAND.

22. *Fronte.* Edit. princeps *fonte.* — *Violis.* Codd. Flor. Leid. Paris. edd. pr. Parm. Rom. Vic. Venetæ, *mollis. Violis* primus edidit Avantio auctore Aldus, quem omnes sequnti sunt, et legitur ita in Cod. Urat. HAND.

23. *Dominæ.* Ed. princ. Parm. et Venet. *dominis.* Latet aliquid.

27. Ed. pr. *mendacis.... astris.*

Fama, tace : subiit leges, et frena momordit
Ille solutus amor : consumpta est fabula vulgi,
Et narrata diu viderunt oscula cives.
Tu tamen attonitus, quamvis data copia tantæ
Noctis, adhuc optas, permissaque numine dextro
Vota paves. Pone, o dulcis, suspiria, vates,
Pone : tua est. Licet expositum per limen aperto
Ire, redire, gradu : jam nusquam janitor, aut lex,
Aut pudor : amplexu tandem satiare petitæ
Conjugis, et duras pariter reminiscere noctes.
Digna quidem merces, et si tibi Juno labores
Herculeos, Stygiis et si concurrere monstris
Fata darent, si Cyaneos raperere per æstus.
Hanc propter justum Pisæa lege trementem

29. *Solutus. Salutis,* Cod. Leid. edd. Rom. Venetæ; sed *solutus*, Codd. Urat. Paris. edit. pr.; restituit Aldus. HAND.

30. *Narrata oscula.* Pro *oscula*, Leid. *obstula.* HAND. — Pro *narrata*, edit. princ. *natura*, vitiose quidem pro *matura.*

32. *Noctis.* Lege *Sortis.* — Hand. recepit *sortis.* Vide not. crit. A. — *Permissa.* Ed. pr. *promissa.* — Codices omnes, etiam Vaticani, *promissaque*, quod necessario mutandum erat. HAND.

33. *Paves.* Ed. princeps *pave.*

34. Editio princeps exhibet *expositam.*

36. *Petitæ conjugis. Petito.* — Cod. Paris. *potito.* Hand. habet *petito*, *Contigit!* Hic versus deest in editione principe quæ versu 37 habet *contigit* pro *conjugis.*

40. *Cyaneos raperere.* Cod. Urat. *traneos.* HAND. — Ed. pr. *cianeos raptare.*

41. *Hanc propter justum.* Ita edidi ex conjectura Gronovii pro *tutum*, quod absurdum erat. Et hæ voces *tutum* et *justum* pariter confunduntur apud Ovidium Metam. XV, 588, ubi pro *justius* tres libri habent *tutius.* Cl. vero Burmannus ad Ovid. Amor. II, 14, 43, monet Heinsium legisse : « Hanc propter votum Pisæa lege. » *Votum* est res optanda, ut Lucan. lib. VII, vers. 63. Parmensis vero habet, « Hanc propter licuit Pisæa, etc. » unde nullo negotio efficitur : « Hanc propter libuit Pisæa lege trementem Currere. » Propter hanc voluptati esset etiam trementem currere. Et videtur exscribere hunc locum suo more Claudianus, de Nupt. Hon. et Mar. v. 255 : « Te propter libuit tantos explere labores : » id est, voluptati erat. Sed veritatem unice servat Venet. quæ habet, « Hanc propter tanti Pisæa lege, etc. » Nihil certius. Sic Via Domit. v. 81 : « Et grates ago, servitusque tanti Quod sub te duce, te jubente, cessi : » ubi Venet. et Parm. omittunt verbum substanti-

Currere, et OEnomai fremitus audire sequentis.
Nec si Dardania pastor temerarius Ida
Sedisses, hæc dona forent: nec si alma per auras
Te potius prensa veheret Tithonia biga.
Sed quæ causa toros inopinaque gaudia vati
Attulit, hic mecum, dum fervent agmine postes
Atriaque, et multa pulsantur limina virga,
Hic, Erato jucunda, doce: vacat apta movere
Colloquia, et docti norunt audire Penates.
Forte serenati qua stat plaga lactea cæli,

vum *est* post *tanti*, ut in hoc loco. — *Tutum* fortasse probandum; quippe quem in certamine et discriminibus, quibus caput objicit puellæ causa, illa tuetur, illius cogitatio tanquam præsidium est et tutamen. *Tutus* proprium in amore, si quis potitus est voto. LENZ. — Codex Paris. *tute*. Cod. Vatican. 3595, et edit. Parm. *licuit*, a glossatoris manu. Cod. Leid. edd. Rom. Vic. Venett. *tutum*. Aldinæ verba ita conjuncta habent: « raperere per æstus hanc propter tutum: Pisæa lege, etc.; » item Colin. commate posito. Bernartius distinxit ita: « si... æstus, hanc propter tutum Pisæa lege trementem currere, et OEnomai, etc. » et ita Gevartius puncto post *æstus* posito. At non amplius de lectione aut de integritate loci dubitabitur, quum affirmavero *tanti* legi in Cod. Uratisl. in Vaticanis 3282, 3283, 3875, et in edit. pr. quod verbum est antiquum, integrum, a librariis stultis mutatum. Sensus enim hic existit: tanti est cum OEnomao certare, dummodo Violantilla potiaris. HAND.—Cod. Par. *tutum* a pr. manu, *tute* ab emendatione.

42. *OEnomai.... sequentis.* Edit. pr. *emonia*, et *frequentes* pro *sequentis*. Vic. *Ænomai;* in antecedente, editt. antt. *Pisea*. HAND.

44. *Sedisses.* Parm. et Rom. *venisses;* Venet. *dixisses:* male. — *Sedisses* Cod. Urat. et bene restituit Aldinæ corrector, quem omnes sequuti sunt. Codd. Leid. Paris. edd. Rom. Vic. Venetæ, *venisses*. HAND. — Ed. pr. *dixisses*.

45. *Prensa.* Lege *pressa.* — In omnibus Codd. et edd. legitur *prensa*. HAND. — Edit. princ. *prehensa*. — *Prensum* habet vir cl. Hand, qui illud ad *te* refert. Vid. finem notæ ad hunc versum. A. — *Tithonia*. Ed. princ. *tritonia;* omnes reliquæ ante Markl. *Titonia*. HAND.

46. *Vati.* Cod. Urat. *vatis*. HAND. — Edit. pr. *vates*.

48. *Pulsantur limina.* Edit. pr. *pulsantis;* ed. Lind. et Gr. *lumina*, operarum errore; sed idem legitur in Cod. Urat. adeoque explicatur a Guyeto: lictorum facibus, et male a Gratio corrigitur *lumine*. Forcellinus vero recte explicat: a multis magistratibus aditur domus. HAND.

49 *Doce*. Ed. princeps *decet*.

51. *Qua st.* Cod. Voss. *quæ*. HAND.

Alma Venus thalamo, pulsa modo nocte, jacebat,
Amplexu duro Getici resoluta mariti.
Fulcra, torosque deæ tenerum premit agmen Amorum:
Signa petunt, quas ferre faces, quæ pectora figi
Imperet, an terris sævire, an malit in undis,
An miscere deos, an adhuc vexare Tonantem.
Ipsi animus nondum; nec cordi fixa voluntas:
Fusa jacet stratis, ubi quondam conscia culpæ
Lemnia repserunt deprenso vincula furto.
Hic puer e turba volucrum, cui plurimus ignis
Ore, manuque levi nunquam frustrata sagitta,
Agmine de medio, tenera sic dulce profatus
Voce (pharetrati pressere silentia fratres):
« Scis ut, mater, ait, nulla mihi dextera segnis
Militia; quemcunque hominum divumque dedisti,
Uritur: at tandem lacrimis, et supplice dextra
Et votis precibusque viri concede moveri,
O genitrix! duro nec enim ex adamante creati,
Sed tua turba sumus. Clarus de gente Latina
Est juvenis, quem patriciis majoribus ortum

— Edit. princ. *quo* et in seq. versu, *jacebant*.

53. *Getici*. Ed. princeps *Græci*.

59. *Fusa*. Vulgo *fessa*. — *Fessa* Hand. ex ed. pr. qui nullam varietatem exstare in libris affirmat. A.

60. *Furto. Lecto*. — *Repserunt deprenso vincula furto*. Vulgo legebatur *u. q. c. c. L. repserunt deprenso v. lecto*; Cod. Urat. *deprenso repserunt*; edit. pr. Venetæ, Lind. *deprehenso*. Corruptionis vestigia supersunt in Cod. Urat. quibus insistens locum emendare ausus sum: *deprensæ reps. v. lecto*. H. — Cod. Par. et ed. pr. *deprenso v. lecto*.

63. *Profatus*. Recepi, ut vel sine librorum auctoritate debebam, e Cod. Urat. *profatur*. Hand.

67. *Tandem. Quondam*. — Omnes libri *quondam*, et recte. Hand.

68. *Et v. pr. viri*. Ed. pr. *pro viri. pr. v.* Cod. Paris. et ed. pr. *virum*, quod Hand. revocavit et defendit. A.

69. *O genitrix*. Cod. Leid. edit. pr. Rom. *genetrix*, non tamen in vs. 10, ubi omnes *genitrix*. Hand. — *Duro nec e. ex adamante*. Edit. pr. *nudo n. e. exclamante creati. Sed t. t. simus Cl. de g. L.* cl. Hand. dedit *Neque enim*.

71. *Est juv.* Parm. *et juv.* Reliqui libri, etiam scripti, omnes, *est juv.* Hand. — *Patriciis*. Ed. pr. *patruis*.

Nobilitas gavisa tulit, præsagaque formæ
Protinus e nostro posuit cognomina cælo.
Hunc egomet tota quondam (tibi dulce!) pharetra
Improbus, et densa trepidantem cuspide fixi.
Quamvis Ausoniis multum gener ille petitus
Matribus, edomui victum, dominæque potentis
Ferre jugum, et longos jussi sperare per annos.
Ast illam summa leviter, sic namque jubebas,
Lampade, parcentes, et inerti strinximus arcu.
Ex illo quantos juvenis premat anxius ignes
Testis ego, attonitus quantum me nocte dieque
Urgentem ferat: haud ulli vehementior unquam
Incubui, genitrix, iterataque vulnera fixi.
Vidi ego et immiti cupidum decurrere campo
Hippomenem, nec sic meta pallebat in ima:
Vidi et Abydeni juvenis certantia remis

74. *Egomet.* Cod. Urat. habet *ego me.* HAND.

78. *Jussi sperare.* Lind. ex ant. ed. affert *jussu;* ed. pr. *spectare,* quod fortasse alii pro *exspectare* accipient; sed *sperare* proprie de hac re usurpatur, unde *sperata.* HAND.

79. *Summa leviter.* Cod. Urat. *leniter,* quod nemo probabit. Edit. Ven. 1494, *summam,* errore typographi, ut notavit Avantius. HAND.

80. *Inerti.* Vulgo *inermi.*—*Inerti str. arcu. Inermi,* Codd. Leid. Paris. edd. pr. Rom. Vic. Venetæ, Aldin. et recentiores omnes; edit. Parm. *inerti;* hanc lectionem confirmant optimus Cod. Urat. et quatuor Vaticani, eamque recepi. HAND.

82. *Testis ego, attonitus,* etc. Veneta editio et chartaceus MS. Jo. Rhodii, membranaceus: *Testis ego attonito.* GRONOV.— *Ex illo quantos juvenis premat anxius ignes Testis ego; attonitus, quantum,* etc. Ita enim legendum et distinguendum: et ita fere Gronovius Diatr. cap. 9, licet in Reliq. ad Stat. Silv. legat, *Testis ego attonito:* quod sane non capio. — Ante Aldum, quem omnes posthac sequuti sunt, interpungebatur *testis ego attonitus, quantum,* etc. Et Gronov. in Diatr. pag. 100 (54) dictum putabat de Amore admirante juvenem fortem, ut voluit etiam Marklandus commate post *attonitus* et colo post *ego* posito. *Attonito* quod ille edidit, legitur etiam in edit. princ. HAND.

83. *Urgentem.* Cod. Leid. *urgendum.* HAND.

84. *Fixi.* Cod. Urat. *fodi.* HAND. — Edit. pr. *facti.*

86. *Ima.* Cod. Par. et ed. princ. *ipsa.* Sic cl. Hand. recepit.

87. *Abydeni.* Edit. pr. et Rom. *Abideni* et antea *Hyppomenem.*

Brachia, laudavique manus, et sæpe natanti
Præluxi : minor ille calor, quo sæva tepebant
Æquora. Tu veteres, juvenis, transgressus amores :
Ipse ego te tantos stupui durasse per æstus,
Firmavique animos, blandisque madentia plumis
Lumina detersi. Quoties mihi questus Apollo
Sic vatem mœrere suum ! Jam, mater, amatos
Indulge thalamos : noster comes ille piusque

88. *Laudavique manus.* Boxhornius pessime *lassantique manus.* — *Præluxi.* Edd. habent *prælusi;* male. Restituit Bernart. — Cod. Urat. *præulsi;* Senens. *præluxi;* Leid. edd. princ. Rom. et reliquæ, *prælusi.* Hand. — Cod. Par. *Prælusi.*

90. *Tu veteres, juvenis, transgressus amores.* Ita unus Marklandus recte verba distinxit, ut appellaretur juvenis Stella. Alii omnes ea conjungunt hoc sensu : tu juvenili ætate veteres amatores superasti. Quod ferri non potest. N. Heinsius conjecit *juvenum;* male quidem.

91. *Ipse ego te tantos stupui durasse per æstus.* Editt. habent *superesse per æstus.* Scripta lectio non male *durasse,* inquit Bernartius. Immo optime et verissime, ut V, 1, 129 : « tecum omnes animo durare per æstus; » ubi eadem vides omnia. Pro *superesse* Parm. *durasse,* quemadmodum edideram; et ita Venet. — *Durasse* exhibent Codd. Uratisl. Vatic. 3282, 3875, Paris. et Piccarti, ut narrat Gebhard. in Crepund. III, 27, pag. 172, ed. pr. Parm. Vic. *Superesse* Codd. Leid. Vatican. 3595, 3283, edit. Rom. Venetæ, Aldinæ, quod acriter defendit Barth. opinione magis quam argumentis. Hand.

92. *Firmavique animos.* Ed. pr. et Vicent. *firmari.* Venet. *firmavitque,* quod correxit Avantius. Vid. ad II, 5, 23. Hand. — Cod. Paris. *firmari.*

93. *Quoties mihi questus Apollo.* Recepi *quotiens* ex edit. pr. Rom. Vicent. Venetis pro vulgari *quoties.* Hand. — Cod. Par. *Quotiens mihi questus Apollo est.*

95. *Indulge thalamos.* Cod. Urat. et edit. princ. *indulget.* In Cod. Uratisl. supra *jam* scriptum *sic.* Edit. Grasser. *amaros.* H. — *Noster comes ille piusque Signifer.* Jacobsius emendat : « ille, pius qui Signifer.... campos, Hic tibi plectra dedit... myrto; Hic juvenum, etc. » Immo comma ponendum ante *qui. Noster comes ille pius, qui Signifer.* De terminatione versus in *qui* vide Markland. ad II, 2, 81. Sed verba *comes ille piusque signifer* separari posse non puto, et ad Veneris ἀκάνθα referendum censeo. Lenz. — Veteres editores interpunxerunt post *thalamos.* In Romana ita legitur : « noster comes ille piusque. Signifer : armiferos, etc. » Inde ab Aldina omnes editt. : « comes ille, piusque Signifer, armiferos... campos. » Edit. Amstelod. *priusque,* errore typographi. Certissimum est, conjungi debere verba : *piusque Signifer.* Hand.

Signifer armiferos poterat memorare labores,
Claraque facta virum, et torrentes sanguine campos;
Sic tibi plectra dedit, mitisque incedere vates
Maluit, et nostra laurum subtexere myrto.
Hic juvenum lapsus, suaque, haud extrema, revolvit
Vulnera. Pro quanta est Paphii reverentia, mater,
Numinis! hic nostræ deflevit fata columbæ. »
Dixerat; et tenera matris cervice pependit
Blandus, et admotis tepefecit pectora pennis.
Illa refert, vultu non aspernata rogari:
« Grande quidem, rarumque viris, quos ipsa probavi,
Pierius votum juvenis capit: hanc ego, formæ
Egregium mirata decus, cui gloria patrum
Et generis certabat honos, tellure cadentem
Excepi, fovique sinu; nec colla genasque
Comere, nec pingui crinem deducere amomo
Cessavit mea, nate, manus: mihi dulcis imago

98. *Sic tibi pl. d.* Bernartius legit: *Hæc tibi.* Parmensis legit *Sic;* quod verum est. Sic est talis. Pro *Hinc tibi* Ven. et Parm. *Sic:* recte. Et ita edidi. — *Sic tibi plectra dedit*, Codd. Urat. Paris. edd. pr. Parm. *Hic tibi*, Cod. Leid. editt. Rom. Vic. Venett. Aldina puncto posito post *campos* pergit *Hinc tibi*, etc. Quod servarunt Lindenbr. Gevart. Grasser. Hand. — Cod. Par. *Sic* a pr. manu, *hic* ab emendatione.

99. *Nostra l. s. myrto.* Edit. pr. *vestra l. s. quercu.*

100. *Haud extrema. Externa.* Conjeceram *haud extrema;* confirmat Ven. quæ habet *aut extrema.* — Codd. Vatic. 3595, 3875, Paris. et ed. pr. *aut extrema;* Cod. Voss. et ed. Rom. *aut externa*; Cod. Vat. 3282, 3283, *haud extrema;* Cod. Urat. *haud externa;* edd. Parm. Vicent. Venetæ, *aut externa.* Aldus edidit *haud hesterna*, quod per omnes editiones propagatum, donec Gronovius scripsit *haud externa* quod voluerant jam Avantius et Scriverius. Non dubitavi recipere emendationem Marklandi, nunc codicum auctoritate confirmatam. Hand. — Cod. Par. *aut externa.*

103. *Dixerat; et tenera.* Cod. Urat. *finierat tenera;* edit. princ. *dempserat intenera*, mira confusione; edd. Rom. Vic. Ven. *dixerat et teneræ matris.* Hand. — Sic habet Cod. Paris.

105. *Rogari.* Lege *Rogantem.*

106. *Rarumque v., quos.* Edd. Rom. et Ven. *ratumque;* pro *quos*, Cod. Urat. *quod.* Hand.

107. *Capit.* Vulgo *cupit.* — Omnes libri exhibent *cupit.* Sic Hand. ex edit. princ.

Prosiluit. Celsæ procul aspice frontis honores,
Suggestumque comæ; Latias metire quid ultra
Emineat matres: quantum Latonia nymphas
Virgo premit, quantumque egomet Nereidas exsto.
Hæc et cæruleis mecum consurgere digna
Fluctibus, et nostra potuit considere concha:
Et si flammiferas potuisset scandere sedes,
Hasque intrare domos, ipsi erraretis, Amores.
Huic quamvis census dederim largita beatos,
Vincit opes animo: queritur jam Seras avaros
Augustum spoliasse nemus, Clymeneaque deesse
Germina, nec virides satis illacrimare sorores:
Vellera Sidonio jam pauca rubescere tabo,
Raraque longævis nivibus crystalla gelari.
Huic Hermum, fulvoque Tagum decurrere limo,
(Nec satis ad cultus) huic Inda monilia Glaucum,
Proteaque, atque omnem Nereida quærere jussi.
Hanc si Thessalicos vidisses, Phœbe, per agros,
Erraret Daphne secura: in litore Naxi

113. *Honores.* E Cod. Leid. se recepisse lect. *honorem* pro vulgato *honores* dicit Cl. Hand., qui tamen edidit *honores*. A.

114. *Metire.* Ed. pr. habet *nectire*.

116. *Exsto.* Ed. princeps *æstu*.

119. *Flammiferas.* Cod. Urat. *flammigeras*. Hand.

122. *Opes animo.* Edit. pr. *ope atque animo*. — *Seras.* Cod. Urat. *seres*. Hand. — Ed. pr. *serus*, et in sq. *dumeta* pro *Clymenea*.

123. *Augustum... nemus.* Unus Cod. Urat. exhibet *angustum* nemus; reliqui libri omnes, etiam Vaticani, *augustum* cum omnibus edd. Domitius intellexit sacrum nemus novo, ut ait, atque insolito fœtu; Barthius vero, nemus sacris arboribus consitum. Præstat altera, quam recepi, scriptura non intellecta a Barthio. *Angustum* enim vocatur nemus ob raritatem sericorum, quæ a seris jam spoliata ad ornandam Violantillam haud sufficiebant. Hand. — *Spoliasse. Spoliare.* — Vulgo legitur *queritur j. S. av... spoliare nemus.* Hand. — Sic Cod. Par. et ita dedit vir cl. Hand. In marg. Cod. Par.: alias *angustum*. Vid. not. cr. A.

127. *Huic Hermum.... huic Inda.* Ed. pr. *hinc H.... hinc I.*

128. *Inda monilia.* Cod. Ur. *vincla*. Hand. — Ed. pr. *uda*. — Cod. Paris. sic exhibet et interpungit: *nec satis: hanc uda m. Glaucum Pr.* etc.

131. *Erraret Daphne secura. Er-*

Theseum juxta foret hæc conspecta cubile,
Gnosida desertam profugus liquisset et Evan.
Quod nisi me longis placasset Juno querelis,
Falsus huic pennas et cornua sumeret æthræ
Rector, in hanc vero cecidisset Juppiter auro.
Sed dabitur juveni, cui tu, mea summa potestas,
Nate, cupis: thalami quamvis juga ferre secundi
Sæpe neget mœrens: ipsam jam cedere sensi,

raret Daphne secura: in litore Naxi, etc. ita Rom. Cod. et edit. Lindenbrogii. Aldina distinguit post *Daphne:* unde error optimi Gevartii legentis « Erraret Daphne: si curvo in litore Naxi: » male, quia non satis erat Daphnen errare nisi et secura erraret. Sensus igitur postulat *Erraret Daphne secura.* Tollius ad Auson. Epist. XX, novam proponit lectionem, et veram putat, « Erraret secura Daphne: si litore Naxi, etc. » Non male; si consentirent editiones: prima enim in *Daphne* corripitur; vide quæ notavi ad V, 3, vs. 222. Sed sine his nihil mutandum puto, quum non sit necesse. Hunc locum imitatur Sidonius Apollinaris Carm. XI, 73 et sqq. — Cod. Senens. *si curvo in l. N.* Cod. Vind. *erraret secura Daphnes*, unde fortasse Tollii emendatio probabilis videatur. Reliqui omnes vulgatum ordinem verborum, et Vatic. 3175, 3282; Uratisl. cum ed. princ. exhibent *daphnes;* Vaticani 3283, 3595, Leid. Paris. *daphne.* Hand. — Ex Cod. Vatic. 3595, cl. Hand distinxit: *Er. D. secura. In l. N.* A.

134. *Nisi me.* Ed. pr. *nisi nec.*

135. *Falsus huic pennas.* Priscianus lib. XIII, pag. 961, a Gevartio adductus, citat hunc locum ut probet *huic* esse dissyllabon. Non igitur *falsas*, quod voluit Domitius, sed *falsus*, ut apud A. Sabinum Epist. III, 41: « Piniferamque Iden falsus lustraverat ales. » Licet aliter non inepte (ut dure nimis Gevartius) *falsas* Domitius. Pariter enim Theb. IX, 423 de Jove: « falsa nunc improba fronte cornua nunc, etc. » *Huic* per diæresin, ut Eq. Maxim. v. ult. « Lætus huic dono videas dare tura nepotes. » Avienus, Descr. Orb. 22: « Finis huic Gades. » Sidon. Apoll. Carm. VII, 145: « Assurrexit huic cogit quod torridus Auster. » — Omnes antiqui libri exhibent *falsas.* Drakenborch. ex vetere, nescio quo codice, affert *falsus.* Gevartius auctoritate Prisciani reduxit *falsus* et reliqui assentiebant, cum Heinsio ad Ovid. Am. I, 3, 24, et Burmanno ad Val. Fl. VI, 491. Et ita voluit Avantius. Neque hoc loco librorum consensus negligi debebat, ubi lectio non tantum metro, sed maxime sensu commendatur. Hand. — Ed. pr. « *falsas hinc pœnas* et cornua sumeret. »

136. *Vero.... auro.* Vid. not. cr.

137. *Sed dab.* Ed. princ. *si dab.*

139. *Sæpe n. m. Ipsam j. cedere sensi.* Venet. *Sede neget m. ipsum;* correxit Avantius. Hand. — Ed. pr. *cedere sensu.*

Inque vicem tepuisse viro. » Sic fata, levavit
Sidereos artus, thalamique egressa superbum
Limen, Amyclæos ad frena citavit olores.
Jungit Amor, lætamque vehens per nubila matrem
Gemmato temone sedet. Jam Tibridis arces
Iliacæ; pandit nitidos Venus alma Penates,
Claraque gaudentes plauserunt limina cycni.
Digna deæ sedes, nitidis nec sordet ab astris.
Hic Libycus Phrygiusque silex, hic dura Laconum
Saxa virent: hic flexus onyx, et concolor alto
Vena mari rupesque nitent, quis purpura sæpe
Œbalis et Tyrii moderator livet aheni.
Pendent innumeris fastigia nixa columnis;
Robora Dalmatico lucent satiata metallo.
Excludunt radios silvis decussa vetustis
Frigora; perspicui vivunt in marmore fontes.
Nec servat Natura vices: hic Sirius alget,
Bruma tepet, versumque domus sibi temperat annum.

140. *Levavit sidereos artus.* Editio princeps *locavit sydereos arcus*, et versu sequenti cum Vicentina *lumen*.

143. *Vehens p. n. m. gemmato t.* Venet. *germano tem.* Hand. — Ed. pr. *vehemens.*

144. *Jam Tibridis arces Iliacæ.* Miro modo ed. pr. exhibet *uas Tibridis arcis;* ed. Romana, *tam;* sed Venetæ *jam;* editiones antiquæ, *Illiacæ.* Hand.

145. *Pandit nitidos Venus alma p.* Una ed. princ. pro *nitidos* exhibet *rutilos.* Pro *Venus alma* Cod. Par. et ed. pr. *domus alta*, quod vir cl. Hand. recepit. Vide not. A.

146. *Gaudentes pl. limina c.* Pro *gaudentes* Cod. Leid. *plaudentes.* Hand. — Ed. pr. *littora cygni.*

147. *Nitidis.* Editio princeps habet *viridis.*

148. *Hic Libycus Phrygiusque.* Ed. princ. *libyus*, et ita Salmasius scripsit; præterea illa pro *hic* habet *nec*, et cum Cod. Paris. *Phrygiusve.*

149. *Hic flexus onyx.* Cod. Senens. *fossus on.* Hand. — Ed. princ. *his.* — *Alto.* Edit. princ. exhibet *auro*, et v. seq. *rupesque nitet.*

153. *Dalmatico.... metallo.* It Codd. et edit. pr. et Aldinæ: *Dal matio*, edd. Rom. Venet. Lind. De auro Dalmat. v. Florum, IV, 12. H.

154. *Decussa.* Auctoritate Cod. Urat. et ejus quem Heinsius in ed. Parm. descriptum habuit, lectionem mutavit cl. Hand, et edidit *demissa.* A.

Exsultat visu, tectisque potentis alumnæ
Non secus alma Venus, quam si Paphon æquore ab alto,
Idaliasve domos Erycinave templa subiret.
Tunc ipsam solo reclinem affata cubili:
« Quonam hic usque sopor vacuique modestia lecti,
O mihi Laurentes inter dilecta puellas?
Quis morum, fideique modus? Nunquamne virili
Submittere jugo? Veniet jam tristior ætas.
Exerce formam, et fugientibus utere donis.
Non ideo tibi tale decus, vultusque superbos,
Meque dedi, viduos ut transmittare per annos
Ceu non cara mihi: satis, o, nimiumque, priores
Despexissse procos. At enim hic tibi sanguine toto
Deditus, unam omnes inter miratur amatque,
Nec formæ, nec stirpis egens: nam docta per urbem
Carmina qui juvenes, quæ non didicere puellæ?
Hunc et bis senos (sic indulgentia pergat
Præsidis Ausonii) cernes attollere fasces
Ante diem: certe jam nunc Cybeleia novit

158. *Exsultat.* Ed. pr. *exultant*, et in seq. v. *quæ se phaon.*

160. *Idaliasve.... Erycinave.... subiret.* Omnes libri præbent *Idaliasque.... Erycinaque*, et recte, quare id restitui. Hand. — Editio princ. *subire* pro *subiret.*

161. *Ipsam s. reclinem affata.* Cod. Leid. Drak. Paris. ed. princ. Rom. Vic. Venetæ, Aldin. Bernart. *reclivem;* primus edidit Lindenbr. *reclinem*, quem recentiores sequuti sunt. Præterea ed. Rom. habet *ipsa.* Hand. — Ed. pr. *ad fata.*

162. *Sopor.* Leg. *Pudor.* Vid. not.

164. *Fideique.* In editt. Rom. et Venet. omittitur *que* post *fidei;* Avantius correxit *fideive.* Hand.

166. Ed. princ. *exercet formam*, *ætas* scil. mutata interpunctione. A.

168. *Transmittare.* Edd. pr. et Parm. *transmutare.*

169. *Cara.* Edit. pr. et, ut videtur, Parm. *clara.* — *Satis o n.* In Cod. Urat. omittitur *o.* Hand.

171. *Inter.* Edit. princ. *semet.*

172. *Urbem.* Cod. Paris. *orbem.*

173. *Qui j.* Edit. pr. *quæ juv.*

174. *Bis senos.* Ed. pr. *bissenus.* — Edd. ante Aldinam interpunctionem habent post *pergat.* Hand.

175. *Præsidis.* Ed. pr. *præsibus.*

176. *Novit.* Edd. princ. et Rom. exhibent *movit;* non bene. — *Cybeleia novit limina.* Edit. Vicent, *Cybellia*, aliæ *Cybelia*; Codd. Urat.

Limina, et Euboïcæ carmen legit ille Sibyllæ.
Jamque parens Latius (cujus prænoscere mentem
Fas mihi), purpureos habitus, juvenique curule
Indulgebit ebur : Dacas, quæ gloria major!
Exuvias, laurosque dabit celebrare recentes.
Ergo age, junge toros, atque otia deme juventæ.
Quas ego non mentes, quæ non face corda jugavi?
Alituum pecudumque mihi, durique ferarum
Non renuere greges. Ipsum in connubia terræ
Æthera, quum pluviis rarescunt nubila, solvo.
Sic rerum series, mundique revertitur ætas.
Unde novum Trojæ decus ardentumque deorum

Paris. Edd. Rom. Vicent. Venett. *movit*. Hand. — Edit. princ. *movit lumina*.

180. *Dacas, quæ gl. m.* Editiones plures exhibent *quæ est gloria major*. Ejecerunt Gevartius et Gronovius, retenta tamen interrogatione, quam retentam non oportuit. Distingue : « Dacas, quæ gloria major, exuvias, laurosque dabit celebrare recentes. » Ita Soter. Gallici v. 90; Senec. de Benef. IV, 4; vide et VI, 31. Edit. Parm. habet *quæ ē gloria :* hoc enim modo scribitur *est*. Unde nil mirum, si sæpe excidat. — Codd. Leid. Paris. et edd. præter principem omnes *quæ est gloria major;* ad quæ Domitius : « hunc versum mendosum et syllabis olim vacillantibus in hos numeros redegimus. » Signum interrogationis, ejecto vocabulo *est*, addidit Gevartius, probavit Guyetus in ineditis; quo sententia nimis intenditur. Edit. pr. exhibet : « indulgebit doctas et gloria major, » Cod. Urat. « dacasque et gloria major. » Hand. — Vir cl. Hand. dedit « Dacasque... en gloria m. » A.

181. *Recentes*. Vir clarus Hand. scripsit *recentis* auctoritate Codd. Urat. Leid. edd. princ. Venet. et Aldin. A.

183. *Quas e. n. gentes, q. n. f. corda jugavi*. Pessime hic conjunguntur *gentes* et *corda*. Lege, *quas ego non mentes*, etc. Virgilius Æn. V, 643; Silius I, 63; II, 28; III, 5; Valerius Flaccus, VI, 475; Lucanus, V, 727; Silius Italicus, VIII, 118; XIII, 90. Hæ vero voces sæpe commutantur. Vide Heins. ad Ovidii Met. I, 99. — Omnes libri perhibent *gentes*. Heinsius quoque conjecerat *mentes*. Nihil tamen mutandum est. Hand. — Ed. pr. *jugali*.

185. *Renuere*. Ed. Ven. *tenuere*, quod correxit Avantius. Hand.

186. *Æthera*. Codex Uratislensis, *æthere*. Hand.

188. *Unde... ardentumque deorum raptorem*. Ita ex Rom. et Ven. Codd. et MS. Florent. restituit Gronovius pro *Raptor erat*. Verissime : et ita etiam Parmensis. Horatius Serm. II, 7, 116; Lucanus, VII,

Raptorem, Phrygio si non ego juncta marito?
Lydius unde meos iterasset Tibris Iülos?
Quis septemgeminæ posuisset mœnia Romæ,
Imperii Latiale caput, nisi Dardana furto
Cepisset Martem, nec me prohibente, sacerdos? »
His mulcet dictis, tacitumque inspirat amorem
Connubii: redeunt animo jam vota precesque,

28: « Unde pares somnos populo, noctemque beatam? » Ita legendum pro *populi*. Simili modo *quo* cum quarto casu, Horatius, Epist. I, 5, 12. Quæ duo loca adduxit Gronovius. Pariter Virgilius Æn. IV, 98: « Sed quis erit modus? aut quo nunc certamina tanta? » Ita recte emendavit vir cl. Fr. Hare Epist. Crit. pag. 23, pro *certamine tanto*. *Quo* est *quorsum*, *cui bono*. Virgil. Æn. X, 315: « Inde Lichan ferit, exsectum jam matre perempta Et tibi, Phœbe, sacrum; casus evadere ferri *Quod* licuit parvo. Nec longe, etc. » Ita vulgo legitur et distinguitur: ubi notat Servius: legitur et *cui*. Et respexit ad illud, quod ferrum nunc juvenis vitare non potuit, quod parvus evasit. » Pierius probat *quod*. Vide quam facile elegantissimus locus restituitur: « Et tibi, Phœbe, sacrum. Casus evadere ferri Quo licuit parvo? » Cui bono fuit illum parvum evasisse casus ferri, si jam juvenis ferro interiturus esset? Val. Flacc. IV, 476: « ... Nam vestra voluntas Quo, juvenes, sine pace Deum? » ubi pariter in MSS. erat *quod*. — Et legitur ita in Codd. Uratisl. Leid. Vaticanis, Paris. et in editt. antiquis. Avantius vero, Aldinæ corrector, ut videtur, de conjectura dedit *rapor erat*, quem sequuti sunt omnes præter Heinsium, qui in Sylloge Epist. *raptorem*, in marg. ex. Parm. notatum probavit. HAND.

189. *Si non*, etc. Cod. Uratisl. habet *sic*. HAND.

190. *Unde.. Iulos*. Edit. princ. *inde... iullos*.

191. *Quis septemg. Qui sept.* edidi e Cod. Uratisl. et antiquis editionn. Aldina habet, *quis*, unde reliquæ omnes. HAND. — Cod. Par. præbet *quis*.

192. *Nisi.... cepisset Martem*. Cod. Uratisl. *si;* omn. edd. ante Gron. *cœpisset;* Romana, *cœpisset matrem;* Venetæ *cœpissent matrem*. HAND. — Cod. Paris. habet *cœpisset Martem*.

194. *Tacitum inspirat honorem*. Pro *amorem* Parmensis habet *honorem*. Venet. quoque *honorem:* forte rectius. *Tacito* quoque, non *tacitum*, eadem; sed non tam bene. E Cod. Urat. et edit. princ., qui præbent *tacito honorem*, recepi *honorem* pro vulgari *amorem*. HAND.

195. *Redeunt a. j. dona. Dona* nihil ad rem: non enim Violantilla animo adeo sordido et minuto fuit, ut *dona* Stellæ acciperet, Stellam rejiceret. Non hoc convenit iis, quæ supra dixit, *vincit opes animo*. Lege *vota precesque*. Supra vs. 68; Silv. V, 2, 159; Thebaid. XI, 616; Virg. Æneid. VI, 51; Sil. XII, 327; Al-

Et lacrymæ, vigilesque viri prope limina questus;
Asteris et vati totam cantata per urbem;
Asteris ante dapes, nocte Asteris, Asteris ortu,
Quantum non clamatus Hylas. Jamque aspera cœpit
Flectere corda libens, et jam sibi dura videri.
Macte toris, Latios inter placidissime vates,
Qui durum permensus iter cœptosque labores,
Prendisti portus: tumidæ sic transfuga Pisæ

cimus Avitus, IV, 654; Tacit. Hist. I, cap. 50; Martial. Epigr. X, 28; Virgil. XI, 157; Seneca, Consol. ad Polyb. c. 36. Obiter restitue hanc vocem Eumenio Grat. Act. cap. 4: « quod si votis et conatibus Æduorum fortuna favisset, etc. » ita, inquam, lege; vulgo male *vobis*. — Omnes libri exhibent *dona*. Hand. — Sic Cod. Par. et ed. Hand.

196. *Limina*. Edit. pr. *lumina*.

197. *Vati t. cantata*. Omnes libri præbent *vatis;* ed. pr. *vatis coram;* in Aldinis, Col. Bern. Grass. interrogationis nota posita est post *ortu*. Correxit Bernart. Gevart. et Gron. comma intulerunt post *vatis*, sed novo errore Markland. ordinem verborum ita constituit *Ast. et, vati t. c. p. urbem; Asteris*, etc. Sensus verborum, quem plurimi non recte percepisse videntur, in eo maxime continetur, quod questus viri quodam modo opponuntur carmini vatis. Hand. — Cod. Paris. *vatis*. In sua edit. vir cl. Hand. sic dedit et interpunxit. *Ast. et vatis, t. c. p. urbem, Ast.* Vid. not. crit. A.

198. *Dapes, nocte*. Ed. pr. *pedes macte*, et pro *ortu* habet *ortus*.

200. *Corda*. Edit. princ. *corde*.

202. *Qui*. Ed. pr. *quod*. — *Cæptosque labores*. Codex Paris. et ed. pr. *cæptique laboris*.

203. *Prendisti*. Edd. Ald. Bern. Lind. exhibent *prehendisti*. Hand. — Vid. not. cr. — *Tumidæ sic transfusa Pisæ*. Pro *tumidæ* libri habent *miadæ* et *intiadæ:* placet Gronovii *nitidæ*, propter palæstras. Ovidius Met. VI, 241; Cicero, de Orat. I, 18. Inde Pollux vocatur *nitidus magister*. Theb. X, 501. Heins. ad Ovid. Metam. V, 576, legit *portum Eliacæ*, etc. vel *Eliadis Pisæ*. Certe latet proprium nomen. Veneta habet *mie sic transfugæ Pisæ*. — *Tumidæ Pisæ. Tumidæ*, i. e., victoribus celebratæ. Εὐδοξος Πίσα Pind. Olymp. 14, 33. Est igitur tumens, inflata victoriis. Sic infra v. 263: « tumeat Sebetos alumna; » Ovid. Metam. I, 754: « tumidus genitoris imagine falsi. » Fortasse sunt, qui malint *tumidam Pisam* dici propter tumidum Alpheum. Sic Theb. I, 271, « fluctivaga qua præterlabitur unda, etc. » de Alpheo. Lenz. — Cod. Voss. Paris. et omnes Vatic. ed. Rom. Vic. Venetæ et post Aldinam omnes *tumidæ Pisæ*. Edit. princ. *mie;* Colinæa *tumide*. Codicis Salisb. lectionem typographus iterum depravaverat in notis Gronovii. Vulgatam Barthius et Guyetus explicant: superbæ Pisæ. Heinsius in Epist. ad Falconerium: « Locus mendosus. Cur enim *tumi-*

Amnis, in externos longe flammatus amores,
Flumina demerso trahit intemerata canali;
Donec Sicanios tandem prolatus anhelo
Ore bibat fontes: miratur dulcia Naïs
Oscula, nec credit pelago venisse maritum.
Quis tibi tunc alacri, cælestum munere, clare
Stella, dies! quanto salierunt pectora voto!
Dulcia quum dominæ dexter connubia vultus
Annuit, ire polo, nitidosque errare per axes
Visus. Amyclæis minus exsultavit arenis
Pastor, ad Idæas Helena veniente carinas:
Thessala nec talem viderunt Pelea Tempe,
Quum Thetin Æmoniis Chiron accedere terris
Erecto prospexit equo. Quam longa morantur

da Pisa? » Sed Cod. Urat. accurate servavit *nitidæ*, quod Gronovius conjectura invenerat; nec dubitavi id in textum recipere. Attamen non de palæstris, sed de splendore intelligo. Horat. Ep. I, 15, 46: « nitidis fundata pecunia villis, » quod alii explicant de villis fructuosis atque opimis. Sæpe etiam voces *tumidus* et *nitidus* confusæ sunt; vid. Ov. Met. VII, 389; VIII, 495. HAND.

204. *Amnis.* Cod. Urat. et edit. pr. *annus.* HAND. — *In externos l. flammatus am.* Ed. Rom. *flammatis.* HAND. — Editio princeps *extremos .... amores.*

206. *Prolatus.* Cod. Urat. *ploratus.* HAND. — Ed. pr. *populatus.*

207. *Bibat fontes.* Cod. Voss. *bibit;* ex edit. pr. recepi *fontes* loco vulgati *fontes.* HAND.

209. *Alacri, c. m. claro.* Pro *claro* olim conjeceram, *clare* Stella: et ita Gevartius. Jam vero placet *care* Stella, ut in Epist. Præfat. *Stella carissime,* etc. et ita Præfat. lib. IV, *Marcelle carissime,* et sup. v. 33: « Pone, o dulcis, suspiria, vates. » Magna familiaritas huic Stellæ cum Statio intercessit. Cruceus retinet puerile epitheton *cælestum munere claro.* Imitatur hunc locum Claudian. III Cons. Honor. v. 73. — Codd. Urat. Voss. Vind. « tunc alacri cælestum in munere claro. » Cod. Paris. « nunc alacris cælestum munere claro. » Ed. pr. et Vicent. « tunc alacris cælestum in munere claro. » Edit. Rom. Venett. Aldd. et omnes recentiores « tunc alacri cælestum munere claro. » Equidem in codicum scriptura, præpositione *in* ejecta, nil corrigendum putavi. *Clarum* vero non Stellam hic vocat poeta, sed munus deorum insigne, aut candidissima luce clarum. HAND.

210. *Salierunt.* Ed. pr. *subierunt.*

211. *Annuit.* Cod. Urat. *adjuvat.* HAND., ex em. Cod. Paris. *annuat.*

Sidera! quam segnis votis Aurora maritis!
At procul ut Stellæ thalamos sensere parari
Latoïs vatum pater, et Semeleïus Evan,
Hic movet Ortygia, movet hic rapida agmina Nysa.
Huic Lycii montes, gelidæque umbracula Thymbræ,
Et, Parnase, sonas; illi Pangea resultant,
Ismaraque, et quondam genialis litora Naxi.
Tunc caras iniere fores, comitique canoro
Hic chelyn, hic flavam maculoso nebrida tergo,
Hic thyrsos, hic plectra ferunt: hic enthea lauro
Tempora; Minoa crinem premit ille corona.
Vixdum emissa dies, et jam socialia præsto
Omina, jam festa fervet domus utraque pompa:
Fronde virent postes, effulgent compita flammis,

218. *Maritis.* Cod. Paris. et edit. Hand. *mariti.* Vid. not. crit. A.

219. *Parari.* Edit. Rom. *parati.*

220. *Latous v. p. e. Semeleius Evan.* Cod. Urat. *Lethous;* Vicent. *Semelius;* Cod. Voss. et ed. Rom. *euhan.* Hand. — Cod. Paris. edit. princ. et Vic. *euahn.*

221. *Hic movet Ortygia, movet hic rapida agmina Nysa.* Editio Romana, *ortigia.* Hand. — Editio princeps, *hinc movet Orthigia rapida atque agmina nisi.*

222, 223. *Huic..... illi.* Cod. Urat. *hic.... illi;* Cod. Vind. edit. princ. Rom. Ven. Ald. *hinc.... illi.* Hand. — *Lycii.* Edit. princ. *latii;* Rom. et Ven. *licii.* Hand. — *Thymbræ.... Pangea.* Edd. Rom. Ven. et Vicent. *tymbræ;* omnes vero *Pangea,* quod scribendum erat *Pangæa.* Hand. — *Parnase, sonas.* Vulgatam *Parnasus honos,* quæ est in Codice Parisino, affert et tuetur vir el. Hand. A.

225. *Iniere fores.* Edit. princ. et Ven. *ingressa f.;* Rom. *ingere.* Correxit Avantius. Hand.

227. *Ferunt.* Edidi *ferunt* ex conjectura; et ita plane Veneta. — *Ferunt* legitur in Cod. Paris. ed. princ. et Ven.; *ferit,* in Codd. Uratislens. Leid. edd. Rom. Vic. Ald. Hand. — *Hic enthea.* Cod. Leid. *hinc enthea;* edit. princeps, *hic enisa lauro.* Vide Markland. II, 1, 115. Hand.

230. *Omina.* Cod. Urat. ed. pr. Ven. Lind. Gevart. exhibent *omnia.* Hand. — *Fervet d.* Editio Vicentina *servet.* Hand.

231. *Effulgent.* Divinaculus fui hoc loco; pro *et fervent,* edidi *effulgent:* ecce Veneta *et fulgent.* — Codd. Leid. Paris. edd. Rom. Vic. Venet. Aldin. et recentiores omnes *et fervent;* sed certa divinatio Marklandi confirmatur Codice Uratislensi et ed. pr. in quibus legitur *et fulgent.* Hand.

Et pars immensæ gaudet celeberrima Romæ.
Omnis honos, cuncti veniunt ad limina fasces :
Omnis plebeio teritur prætexta tumultu.
Hic eques, hic juvenum cœtu stola mixta laborat.
Felices utrosque vocant; sed in agmine plures
Invidere viro. Jamdudum poste reclinis
Quærit Hymen thalamis intactum dicere carmen,
Quo vatem mulcere queat : dat Juno verenda
Vincula, et insigni geminat Concordia tæda.
Hic fuit ille dies : noctem canat ipse maritus.
Quantum nosse licet, sic victa sopore doloso
Martia fluminea posuit latus Ilia ripa :
Non talis niveos strinxit Lavinia vultus,
Quum Turno spectante rubet; non Claudia talis
Respexit populos, mota jam virgo carina.
Nunc opus, Aonidum comites, tripodumque ministri,
Diversis certare modis : eat enthea vittis

232. *Et pars.* Edit. Rom. *et parcas;* Venet. *et pares.* Hand.

233. *Omnis honos.* Versum *Omnis honos*, etc., omittit ed. Parm. typographorum, puto, errore.

235. *Hic e. hic juvenum cœtu.* In omnibus Codd. et antt. edd. legitur *juvenum questus.* Hand. — Vide not. crit. E Cod. Urat. Leid: Paris. et edit. princ. cl. Hand. reduxit *hinc .... hinc* pro vulgari *hic .... hic.* Ed. pr. *missa.* A.

236. *Utrosque.* Cod. Urat. *verosque;* ed. Rom. *uterosque.* Hand. — *In agmine.* Edit. princ. *imagine.*

237. *Poste.* Cod. Uratisl. *posse.* Hand. — *Reclinis.* Codd. Uratisl. Leid. Drak. Paris. edd. pr. Rom. Ven. Ald. Bernart. *reclivis;* mutavit Lind. Hand.

238. *Intactum.* Ed. pr. *vitatum;* ed. Lind. *intectum.* Hand. — Vide not. crit.

239. *Dat Juno.* Ed. pr. *da Juno.*

240. *Insigni geminat C. tæda.* Ven. *geniat.* Sic legitur in edit. pr. Vir cl. Hand edidit : *insignis geminat C. tædas.* A.

242. *Nosse licet.* Ed. Vic. *nosce;* pro *licet* Cod. Uratisl. *luet.* Omnes edd., præter Grasserianam, verba exhibent ita distincta. *N. c. i. maritus, quantum nosse licet. Sic victa*, etc. Hand. — *Victa.* Edit. pr. *juncta.*

245. *Rubet.* Edit. princ. *jubet.*

248. *Vittis.* Cod. Leid. edit. pr. Venet. Aldin. Col. Bernart. *victis;* Codex Drakenborch. *vitris;* sed *vittis*, Cod. Uratislensis, editio Romana, et ita correxit Bernartius in notis. Hand.

Atque hederis redimita cohors, ut pollet ovanti
Quisque lyra; sed præcipue qui nobile gressu
Extremo fraudatis epos, date carmina festis
Digna toris: hunc ipse, Coo plaudente, Philetas
Callimachusque senex, Umbroque Propertius antro
Ambissent laudare diem; nec tristis in ipsis
Naso Tomis, divesque foco lucente Tibullus.
Me certe non unus amor, simplexque canendi
Causa trahit: tecum similes junctæque Camœnæ,
Stella, mihi; multumque pares bacchamur ad aras,
Et sociam doctis haurimus ab amnibus undam.
At te nascentem gremio mea prima recepit
Parthenope, dulcisque solo tu gloria nostro
Reptasti: nitidum consurgat ad æthera tellus
Euboïs, et pulchra tumeat Sebetos alumna:
Nec tibi sulfureis Lucrinæ Naïdes antris,
Nec Pompeiani placeant magis otia Sarni.
Eia age, præclaros Latio properate nepotes,

249. *Pollet.* Edit. princ. *pellet.*

250. *Præcipue.* Cod. Uratisl. et edit. princ. *præcipui;* quod falsum est. HAND.

251. *Epos.* Omnes libri, etiam Vaticani, consentiunt in vocabulo *opus,* quod non erat mutandum. HAND. — *Opus* retinuit cl. Hand. Vid. not. crit. A. — *Festis.* Edit. Rom. *fessis.* HAND. — Cod. Paris. et edd. princ. et Vicent. *choris.* A.

252. *Hunc ipse, Coo.* In Cod. Leid. *h. ipsum coo;* in Urat. Paris. ed. princ. Ven. legitur *h. ipse coo;* in Vic. *choo;* sed Cod. Drakenb. *choro,* ut Avantius correxit, quo auctore etiam Ald. Gevart. Grass. HAND. — *Choro* edit. Hand. Vide not. crit. A.

257. *Similesjunctæque Camœnæ.* Ed. pr. *similis victæque Camœnæ.*

262. *Nitidum consurgat.* Codd. Leid. Paris. ed. princ. in qua post *nitidum* distinguitur, Vicent. Ven. Ald. Col. Bernart. Lindenb. Grass. *consurgit.* Veram lectionem (*consurgat*) optimi Cod. Uratisl. et ed. Rom. auctoritate confirmo. HAND.

263. *Sebetos.* Piccarti codex *Selenis;* ed. Rom. *Sebetus.* HAND.

264. *Nec tibi.* Codd. Urat. Leid. Paris. edd. princ. Rom. Vicent. *nec sibi.* HAND. — *Sibi* retinuit cl. Hand. Vid. not. crit. A. — *Lucrinæ Naides.* Edit. pr. *uicinæ;* Codd. Leid. Paris. edd. Rom. Vic. Ven. *Naiades;* sed recte Codex Uratislensis cum editionibus ex Aldina descriptis *Naides.* HAND.

266. Edit. pr. *Latios properare.*

Qui leges, qui castra legant, qui carmina ludant.
Acceleret partu decimum bona Cynthia mensem:
Sed parcat Lucina, precor! tuque ipse parenti
Parce, puer; ne mollem uterum, ne stantia lædas
Pectora; quumque tuos tacito Natura recessu
Formarit vultus, multum de patre decoris,
Plus de matre feras. At tu, pulcherrima forma
Italidum, tandem merito possessa marito,
Vincla diu quæsita fove. Sic damna decoris
Nulla tibi; longæ virides sic flore juventæ
Perdurent vultus, tardeque hæc forma senescat!

267. Cl. Hand. *regant*. Ed. pr. *laudant*, pro *ludant*. Vid. not. crit. A.

270. *Uterum.... lædas*. Edit. pr. *iterum*. — Ant. ed. apud Lind. *lædat*. HAND.

272. *De patre*. Edit. Rom. *de parte*. HAND.

273. *At tu*. Editio princeps *ac*. — Edit. Veneta *at ut*, correctum ab Avantio. HAND.

275. *Vincla d.* Ed. pr. *victa d.*

276. *Longæ virides*. Pro *viridis* legendum *virides*: *vultus virides flore longæ juventæ*. Vel si retineas *viridis* legendum *perduret*; sed prius verum. Silv. III, 3, v. 124. Vide quæ notavi ad IV, 2, vs. 41, de τῷ *vultus* in numero plurali. Editt. Parm. et Rom. *longe*. — Codd. Leid. Paris. editt. princ. Rom. Ven. *longe*. *Viridis* habent Cod. Urat. Leid. Paris. edit. pr. Rom. Vicent. Venet. Ald. Barthius vero et Marklandus necessarium existimarunt *virides*, non reputantes ejusdem nominis formam in *is* terminari.

NOTÆ

IN CARMEN SECUNDUM LIBRI PRIMI SILVARUM.

Vers. 9. Ambit *alternum factura pedem*. Primo intuitu adblanditur Gevartii *fractura*, eodem sensu quo *truncare gressu* heroos tenores Epiced. in Patr. v. 99; et *fraudare epos extremo gressu*, infra v. 250. Sed *factura* eruditissime defendit Gronovius Diatr. c. 8, et Elench. Antidiatr. c. 2, ubi probat versus elegiacos non posse dici *frangi*, et aliud esse *truncare* et *fraudare gressu*, aliud *frangere*. *Pes* est versus: Horatius Epist. I, 19, 28:

Temperat Archilochi musam pede mascula Sappho:

ad quem locum vide cl. Bentleium. *Facere alternum pede* est scribere versus elegiacos, qui absolute *alterna carmina* et *versus alterni* vocantur, et *alterni pedes*. Ovidius Trist. III, 7, 9: « in alternos cogere verba pedes. » Item Heroid. XV, 5, ubi Sappho dicit:

Forsitan et quare mea sint alterna requiras
Carmina, quum lyricis sim magis apta modis.

Alterno pectine, eodem sensu Fast. II, 121.

13. *Cinctuque Latino*. Bene emendavit Barthius *cinctuque Latino*: nec opus fuit, ut tam dubitanter proferret. Claudianus in Eutrop. I, 28:

Rupta Quirinales sumant ergastula cinctus.

et ita passim apud hunc et alios. Erudite item IV Cons. Honor. v. 157:

Ipsa Quirinali parvum te cinxit amicta
Mater.

Veste in dissimulationem sui composita, ut de Nerone eleganter Tacitus Annal. XIII, cap. 25, nisi mavis *cultuque Latino*; ut apud Claudian. de Laud. Stilic. II, v. 365. Sed mihi magis placet Barthii *cinctu*. Potes etiam, pro *Dissimulata deam*, legere *Dissimulante deam*, ut apud Ovid. Heroid. IV, 55:

Juppiter Europen (prima est ea gentis origo)
Dilexit, tauro dissimulante deum;

(ubi pro *Dilexit* sensus postulare videtur *Delusit*, vel *Elusit*, ut Met. VI, 103. « Mæonis elusam designat imagine tauri Europen) » : Sed probum etiam *Dissimulata*. Idem Art. Amat. I, 689:

Turpe! nisi hoc matris precibus tribuisset, Achilles
Veste virum longa dissimulatus erat.

id est, *dissimulavit, celavit.* — Idem Ovidius in libro Fastor. VI, 507:

> Dissimulata deam Latias Saturnia Bacchas
> Instimulat factis insidiosa suis.

15. *Temperat. Temperat crinem*, id est, moderatur divinitati suorum crinium, ne pulchriores sint crinibus Violantillæ; ut optime et eleganter Domitius. Ita Theb. I, 305, de Mercurio, *temperat astra galero*, est, a calore astrorum defendit caput galero. Mirifice nugatur scholiastes vetus isto loco.

20. *Niveos.... artus. Amplexâm virides optatæ conjugis artus.* Ita Editio Gronovii, et eam sequutus Veenhusius. Plures tamen exhibent *niveos:* quod quare mutabant? Ita Silv. lib. II, carm. 3, vers. 32: « In fontem, niveos ne panderet artus, Sicut erat cum veste, ruit. » Sic enim legendum esse ad locum probabo. Silius Italicus, lib. XII, 243; Catullus, de Nupt. Pel. et Thet. vers. 364; Valerius Flaccus, I, 219; Virgilius in Ciri, v. 399. Recte se haberet *virides artus*, si de juventa vel robore dicendum foret: hic vero de forma et venustate loquitur Statius, quibus congrui sunt *nivei* potius quam *virides* artus. Barthius, Adv. XXVIII, 4, ait in vetustissimo exemplari se invenisse *annos* pro *artus;* et huic libens adsentitur Gronovius Diatr. c. 53. Nec dubium est, quin *virides annos* suo loco optimum sit: hic tamen mihi videtur nimis longe petitum, si dicas *virides annos* optatæ conjugis, id est, juventam conjugis, id est, juvenem conjugem. Nec sane video, quare hoc admittatur unius tantum codicis auctoritate contra omnes alios, tum codices, tum editiones, quantum noverim; præsertim quum non necessarium sit, immo melior, meo judicio, antiqua lectio. Sed, ut sæpe dicturus sum, eruditos et minus obvios sensus et phrases maxime appetebat Gronovius; quale est quod sequitur, « et olenti spargere Thymbra »: pro qua voce edit. Veneta habet *nymbo*, et ita legisse Claudianum verosimillimum est, qui in Nupt. Honor. et Mar. v. 296, hunc locum imitatur et eadem voce utitur. Sic *ninguere floribus* Lucretio, et *odorati imbres* Seneca in eadem re, et Martialis IX, 39: « Lubrica Corycio quamvis sint pulpita nimbo, » et multa alia quæ adduxit politissimus Gevartius (cui hæc debentur) Papin. Lect. c. 13. Hæc tamen Gronovio tanti non sunt, ut non quocunque sensu retinendum censeat *Thymbra*, Diatr. cap. 53. Videamus quid sibi velit hæc lectio. *Thymbra* locus est, seu ager, Trojæ vicinus, plenus herba cognomine, quam *satureiam* vocamus, inquit Servius ad Virg. Æn. III, 85; *thymbra* igitur olenti spargere (sive pro loco, sive pro herba, sumas, ad idem recidit) est perfundere satureia. At vide quam inepte fecerit Statius, si induxerit Amorem et Gratias spargentes non lilia, et rosas, et myrtum, et violas, sed satureiam. Decent Apollinem, inquit, munera sui campi; atqui Apollo non dicitur spargere hanc thymbram, sed Amor et Gratiæ; quin ne ipsum quidem Apollinem decerent hæc munera tam festo tempore, nisi medicus fuisset Stella; vel nisi dicas urbanum hoc loco esse Statium, et tacite allusisse

ad notas satureiæ virtutes in re Venerea adjuvanda (de quibus nequitiæ magister Ovidius et alii veteres passim), et ideo sparsam esse thymbram seu satureiam. Sed quid nugor? omnino verum puto *olenti nimbo;* quem interpretari potes vel de floribus, vel de liquore aliquo, quem secum adducebant Amor et Gratiæ; qualis est *Idalius succus* I, 3, et *arcani liquores*, III, 4; vide Claudian. de Nupt. Honor. et Mar. v. 101 et 209, et Epithalam. Palladii et Celerinæ, v. 116: « largosque rosarum im- « bres, etc. », ubi hunc locum clare imitatur.

22. *Tu modo fronte rosas.* Pro *fronte* Gronovius Diatr. cap. 9, legebat *fronde:* ut enim, inquit, *lilia mixta violis*, ita *rosæ fronde.* Elench. Antidiatr. tamen, cap. 2, retinet *fronte*, quia caput potissimum in hujusmodi ἀνθοσολίαις petitur. Et hoc potius videtur, si locus sanus sit.

23. *Dominæ niveis a vultibus obstas.* Pro *niveis a vultibus* forte legendum *nitidis*, quoniam præcessit *niveos artus.* Contra apud Senecam, Hippol. Act. II, v. 375:

Non idem vigor,
Non ora tingens nitida purpureus rubor:
Populatur artus cura: jam gressus tremunt;
Teneræque nitidi corporis cecidit decor:

legendum puto,

Non ora tingens nivea purpureus rubor.

Voces enim *nitida* et *nitidi* vix est ut eo modo collocaret Seneca, et oppositio postulat *nivea:* « purpureus rubor tingens nivea ora, Indum « sanguineo veluti violaverit ostro si quis ebur »: verba sunt Maronis Æn. XII, 67. — Qui amplectitur uxorem, eum uxori *obstare*, seu ex adverso stare, per se patet. Sed sensus esse videtur: Dum Amor et Gratia vos ambo proterva φυλλοσολίᾳ cumulant, Stella obstat a vultibus dominæ, et coercet ictus rosarum violarumque a vultu uxoris, et hos ictus ipse excipit sua fronte. Capite suo quasi tegebat sponsæ frontem, ita ut in se caderent rosæ. Lenz. — Calderinus explicaverat ita: tu amplexus Violantillam objicis te rosis et floribus, qui jaciuntur, ne niveos dominæ vultus offendant. Hand.

25. *Professus..... hymen.* Forcellinus explicat: manifestus, notus. Immo vero est non clandestinus, sed legitimus, ut dicitur *confessus amor.* Hand.

26. *Clamaretur hymen.* Ita scripsi, non *Hymen.* Ipsum enim intelligitur carmen, non deus, ut Ovid. Heroidd. XII, 137, vol. I, pag. 225 nostræ edit. *hymen cantatus.* Ed.

27. *Cessent mendaces obliqui carminis astus.* Optime huic loco congrueret *mordaces* pro *mendaces*, nisi quod versu proximo sequitur *frena momordit;* quod tamen tanti non est, ut rejiciamus *mordaces.* Ita enim interdum accidit, præsertim in his quasi extemporaneis ingenii pericu-

lis, in quibus festinatio et necessitas patrocinantur usui ejusdem vocis. Ita Herc. Surrent. v. 152:

Nudosque virorum
Certatus, et parva sæ simulacra coronæ.
Quin age, et ipse libens proprii certaminis actus
Invicta dignare manu.

Vides *certatus* et *certaminis*: nec quidquam ibi mutare potes absque summa violentia. Optimum, inquam, *mordaces astus*. Ovid. Trist. II, 563:

Non ego mordaci destrinxi carmine quemquam.

Sidon. Apollinaris, Carm. IV, 15:

Non ego mordaci fodiam modo dente Maronem.

Manilius, V, 145:

Et sale mordaci dulces quærentia risus.

Eleganter Paulinus, Epist. III, ad Ausonium, v. 158:

Fermentare jocos satiræ mordacis aceto.

Invidia mordax, Phædro Prolog. lib. V. Ridicule hic Domitius, qui *mendaces astus* explicat *magicæ artes quibus amantes uti solent*. Melius Cruceus, qui interpretatur: Cessent mordacia, et jocosa carmina, et facetiæ satiricæ, quales fere in procos aut sponsos illustriores jactari solent, sub fictis nominibus, non directe; unde *obliqui carminis astus* dicuntur. *Morsus figuratos* vocat Macrob. Sat. VI, 3. Martial. VII, 62, *obliquam garrulitatem*. Cato adversus potentes semper *obliquus*, ut de eo Florus, IV, 2. Sed Stellæ præcipue congruebant hi lusus satirici; ejus enim vita et mores a rebus amœnis et vagatione juvenili minime abhorrebant. Et hoc agnoscit Statius, « subiit leges et frena momordit ille solutus amor, etc. » et innuit Venus apud Martial. epigr. VI, 21, de his nuptiis:

Perpetuam Stellæ dum jungit Ianthida vati,
Læta Venus dixit, plus dare non potui.
Hoc coram domina: secretius illud in aurem,
Tu, ne quid peeces, exitiose, vide.

Ita legendum puto; vulgo *hæc*, et, *sed nequius*: nisi mavis *hæc*, et, *secretius illa*, *et in aurem*. Omnino enim incongruum est *sed nequius*, quum nihil nequam sit, nulla lascivia in illis, quæ sequuntur. Sed hoc obiter. Non igitur *mendaces* erant hi *astus* et sales qui in Stellam componebantur, sed *mordaces*. Et ita omnino legendum, ut vitetur falsum. Hæ voces *mendax* et *mordax* commutantur apud Ovid. Art. Am. I, 431, et alibi. — Scholiastes ait: forte legendum *obliqui criminis astus*. Non est sane: nam appellat Statius *obliquum* Stellæ carmen, elegiam, qua celebravit Asterida. Gruter. — Erant alii, qui maledicta, alii, qui fescennina carmina intelligerent. Hand.

31. *Data copia tantæ noctis*. Quale hoc est hysteron proteron, *copia tantæ noctis?* quippe Stella nondum supponi potest habuisse noctem, quum dies tantum nuptialis describitur. Supra vs. 24: *Ergo dies aderat*, etc. Infra vs. 209:

Quis tibi tunc alacri, cælestum munere, clare
Stella, dies?

Et mox,

. . . . quam longa morantur
Sidera! quam segnis votis Aurora maritis!

Versu 229:

Vix dum emissæ dies et jam socialia præsto
Omina.

et 241:

Hic fuit ille dies: noctem canat ipse maritus.

Qui locus luculenter probat quod dixi, *diem* sc. *nuptialem* hic describi, et proinde nihil de nocte dici posse, quum nox nondum aderat. Sed et hoc manifesto probatur ex choro deorum et dearum, quem se videre fingit Statius commigrantem ad ædes Stellæ, die scil. nuptiali: et istis vers. 13: « Ipsa toros et sacra parat; » si toros parat Venus, nondum in toris convenerant Stella et Violantilla, et consequenter *copia noctis* nondum data fuerat Stellæ. Vide et vers. 47: « dum fervent agmine postes, etc. » et vers. 16: « Nosco diem causasque sacri. » Sentis jam absurditatem illius *noctis;* pro qua minima mutatione reponendum, *q. d. c. t. sortis, a. o. Sors* proprium in hac re vocabulum, de *matrimonio* scilicet. Noster ad Uxorem, v. 22; Thebaid. III, 157:

Ah! quanto melius dextraque in sorte jugatæ . . . .

Ita legendum pro *At quanto*. Achilleid. I, 252, ubi Thetis Achillem alloquitur:

Si mihi, care puer, thalamos sors æqua dedisset, etc.

Inde *consors* pro *maritus:* Claudianus, Laud. Seren. v. 12:

Consorte redemto
Casta maritali successit Thessala fato:

(Quod plenius extulit Ovidius Met. X, 246, *consors thalami*, et alii) et *consortium*, proprie de matrimonio. Idem, de Rapt. Pros. II, 367; et in Laude Serenæ reginæ, v. 82:

Debita cui longe conjux, penitusque remoto
Orbe parabantur tanti consortia fati.

Ita legendum; vulgo inepte *parabatur concordia*. Inde *sortiri torus* apud Auctor. Octaviæ, v. 536, et alios passim. — Omnes libri consentiunt in vocabulis *tantæ noctis*. *Noctis*, qua novus maritus gaudeat, commemoratio non magis displicet, ubi dies tantum celebratur, quam quod poeta omnem vitæ felicitatem ad hanc noctem retulerit. Tum vero inepto nomine magna aut tanta vocatur, nisi Stellam cum ipso Jove, tanto Alcumenæ amatore, comparatum velis. Certissima mihi videtur Marklandi correctio, qua nulla elegantior aut facilior esse potest. *Nocte* cum *sorte* et *forte* sæpe confusum est, maxime ab initio versuum. HAND.

32. *Permissaque numine dextro vota*. Sequitur, « promisseque numine dextro vota paves »; pro quo N. Heinsius ad Sil. Italicum, XVI, 432, le-

git *permissaque*. Recte. *Vota permissa* sunt vota, quorum jam compotes sumus. Claudianus de IV Cons. Honorii, v. 618. Hoc sensu sumenda vox *permissus*, Achilleid. II, 264, ubi Deidamia queritur, quod *eripitur miseræ permissus Achilles*, id est, Achilles quem jam suum fecerat, cujus compos fuerat. Val. Flacc. VIII, 80:

> Nec dare permissæ, quamvis juvet, ora quieti
> Sustinet.

Pulchre hoc loco describitur cunctatio hominis, cui aliquid boni voto majus contigit. Imitatur Claudian. de Bel. Gildon. v. 6. — *Promissa vota* essent promissa connubia. Tamen dii votis jam annuerant, et puella dicitur, v. 274, *merito possessa marito*. Sententiam igitur bene perspexit Marklandus. Hand.

36. *Amplexu tandem satiare petitæ*. Pro *amplexu petito conjugis*, legendum, *petitæ conjugis*. Intelligent hoc qui compositionem Statianam intelligunt. Ita supra v. 20: « niveos optatæ conjugis artus. » Seneca, Hippol. v. 862:

> Et expetiti conjugis vultum excipis?

Juvenal. Sat. X, 241. *Potito*, quod legitur in Cod. Paris. edd. Rom. Vic. Venett. et iterum in Lindenbrog., explicarunt olim per: satiare et potire amplexu conjugis. Sed jam Parrhasius hanc doctrinam prorsus repudiavit, revocata altera scriptura *petito*, quæ exstat in Cod. Urat. Drakenborch. et in Aldinis. Hinc etiam Bernart. Gevart. Gronov. et reliqui. Barthius in scripto libro, nescio quo, se invenisse *petitæ* narrat, idque iterum corrumpit mala conjectura: *potitæ*. In editione princ. desideratur totus versus 36. Sed recte dicitur *petitus amplexus*, ut apud Virgil. Æn. VIII, 405, *optati amplexus*. Jam vero in omnibus editionibus inde ab Aldina legitur *amplexu conjugis*, quamquam omnes antiquiores libri præbent *contigit*, Cod. Urat. *contingit*. Parrhasius et Bernartius defensionis argumentum ab antiquo usu verbi activi *satiare* repetierunt, quod probari non potest. Tamen illa correctio Aldina *conjugis* in hac fervidiore oratione mirifice languet, neque etiam ferri potest, nisi scribatur *petitæ conjugis*. Ea vero interpolata videtur a grammatico quodam, qui constructionem verborum *satiare contigit* impeditam vidisset. Vulgo enim legebatur: « amplexu tandem satiare petito contigit, et duras, etc. » Emendata igitur emendatione locum restituisse mihi videor. Verbum *contigit*, quod non sine elegantia excipit vocabulum *petito* in ea re, quam poeta tractat, proprium habet usum. Hand.

38. *Digna quidem merces*. Ita Propert. II, 2, 49; 3, 39: « Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles.

41. *Hanc propter tutum Pisæa lege trementem*. Quomodo *tutum*, inquit Gronovius (Reliq. ad Statii Silv.) si *trementem*, si *Pisæa lege?* Legit igitur, *hanc propter justum*. Bene. Ausonius, Epitaph. Her. VIII; Silius

Italicus, lib. III, vers. 95 : « ... Tua justior ætas, etc. » Id est, *dignior;* vide ibi Dan. Heinsium. Ad hanc formam est istud Persii, lib. XIV, v. 16 :

Anticyras melior sorbere meracas;

et Statii Theb. X, 429 :

Ego infandos potior satiare volucres;

id est *dignior*, et Propertii Eleg. II, 3 :

Pulchrius hac fuerat, Troja, perire, tibi.

Sed phrasin Statianam exigenti occurrit ab illo profectum esse, « hanc propter verum Pisæa, etc. » prima syllaba *ver* amissa in præcedente *ter. Verum* est *æquum*, *justum*. Epiced. in Puer. v. 49; Plinius Epist. VIII, 2; Horat. Epist. I, 7, 98. Sed melius est Gronovii *justum*, utpote proximius. Vide var. lect.

44. *Sedisses*. Vide Nostri proprietatem in ista voce *sedisses*, de Paride. Judex enim, dum causam cognoscit, proprie *sedere* dicitur. Plin. Epist. lib. V, 1; Senec. Agamemn. vers. 730; Silius Italicus, lib. VII, vers. 437, loco huic simillimo :

Laomedonteus Phrygia quum sedit in Ida
Pastor, etc.

Plene Seneca de Benef. VI, 4. Sed nota hæc sunt : fateor; malui tamen decem legere quæ sciebant, quam quinque quæ non intelligebant. — *Hæc dona forent. Hæc* positum est pro *hæc talia*, id est, tam præclara, tam digna. Sic lib. IV, carm. 6, vers. 41 :

.... hæc exitiale ferebant
Robur, et Argoos frangebant brachia remos.

Recte jam Calderinus intellexit : « .....nec si alter Paris fuisses, talem esses nactus mulierem.... » in eo tamen falsus, quod voc. *hæc* feminino genere accipi jubet.

45. *Te potius prensa veheret*, etc. Janus Parrhasius legit *prensum* vel *pressa*, adsentiente Bernartio. Posterius verum puto. *Pressa* biga, i. e., *depressa*, *demissa* in terras ut te, quemadmodum Tithonum, exciperet. Noster, Theb. XII, 305; Lucanus, VI, 505, de Luna :

Et patitur tantos cantu depressa labores, etc.

nisi ibi legendum sit *deprensa*. *Pronis curribus* eodem sensu Theb. X, 370 :

Incendit pronis dea curribus almum
Sidus, et admoto monstrabat funera cornu :

ubi tamen transponendas voces puto, et legendum *pronis cornibus* et *admoto curru*, ut supra citato loco Thebaid. XII, 305; Gronovius, Diatr. cap. 9, et Elench. Antidiatr. cap. 2, retinet *prensa*, alia vocis notione, pro *juncta*, ut apud Virgil. Georg. I, 284, et III, 207; et Ovid. Remed. Amor. v. 235; Tacitus, de Morib. Germ. cap. 10 : « publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis, candidi, et nullo mortali opere contacti : quos prensos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur,

hinnitusque ac fremitus observant. » Ita legit pro *pressos*. His locis addere potuisset istum Ovidii Amor. I, 2, v. 13 :

Detrectant prensi dum juga prima boves ;

Sic enim et ibi legendum forte pro *pressi*. Subjungit, eruditionis Statianæ ingens argumentum *prensa* illa *biga*. Sed non recte argumentari videtur vir magnus. *Prendere boves* est *jungere boves;* ergo, *prendere bigam* est *jungere bigam*. Nequaquam concedenda consequentia : quid enim si ego hoc modo argumentaret, prendere equos est jungere equos ; ergo, prendere fœdus est jungere fœdus : concederesne ideo recte et latine dici posse *prendere fœdus* pro *jungere fœdus?* Non certe, nisi exemplum hujusmodi locutionis proferrem ex probato aliquo auctore. Quippe in his rebus non dominatur analogia, sed usus ; nec a similibus ad similia progredi potes, sed cedendum consuetudini, quam penes arbitrium est et jus et norma loquendi ; loquendi recte, nam ut *erudite*, nil moror. Si aliquis hoc pacto argumentaretur, *frenare equum* est *regere equum ;* ergo *frenare tellurem* vel *provinciam*, est *regere tellurem* vel *provinciam ;* recte, dicerem, quia hæc phrasis occurrit Silv. V, 2, 140, et Valer. Flacco, I, 22, et aliis. Quod si pergeret, ergo *frenare valetudines principis* est idem quod *regere valetudines principis* apud Tacit. Annal. VI, 50, non admitterem, nisi exemplis et auctoritatibus confirmaret. At quare non? inquit. Quia non visum est magnæ deæ, consuetudini, metaphoram eo usque pertingere. Similiter in hac voce *prendere;* cujus notio videtur peti debere a coactione, quæ adhibetur bis animalibus natura feris : cujus consequentia tantum videtur subjugatio, non ut pro primaria significatione sumi possit. Adeo ut, si recte et secundum consuetudinem dicere possis equum vel bovem *prendi* vel *jungi*, utpote occupatum ab homine et coactum subire jugum, quum tamen nihil tale competat *bigæ* vel *currui*, nollem affirmare bigam *prendi* dici posse, sine exertis et indubitatis veterum testimoniis : præsertim quum contrarium potius verum videatur. Si enim equus recte dicatur *prensus*, certe biga seu currus, cui equus jungitur, non itidem *prensus* recte dici potest : hoc enim tale esset quale istud Virgil. Æneid. lib. VII, vers. 778 :

Unde etiam templo Triviæ lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi, quod litore currum
Et juvenem monstris pavidi effudere marinis.

Ubi quæro si recte dicatur *juvenis effundi curru*, quomodo eodem tempore *currus* ipse dici potest *effundi?* Si enim liquor, qui est in poculo, effunditur, poculum ipsum non dici potest *effundi*, sed *everti:* et ita hic oportuit, *evertere* currum et *effudere* juvenem. Sed de hoc loco alias. Pergit tamen vir doctissimus ; et ad finem Diatribes, in Omissis et Erratis, p. 401, duo exempla adducit ex Thebaide. Primum est IV, 219, de Amphiarao ; de hoc mox dicam. Alterum est Theb. VIII, 563 :

Ruit primis immixtus, et agmina Lernæ
Nunc pedes ense vago, prensis nunc celsus habenis,
Ceu spectetur, agit ;

hoc est, inquit Gronovius, nunc pedes, nunc *curru juncto* pugnat. Quid

audio? *prensis habenis* idem quod *juncto curru*? revera non credidissem hoc a Gronovio profectum esse, suo, et vigilanti: et bene quod inter *Errata* ponitur. Vir doctus hoc in animo fixum habuit, *prensum* idem esse quod *junctum;* unde quaque occasione hoc ingerit. Quid sit *prensis habenis*, si nescis, disce ex hoc loco Valerii Flacci, lib. VI, vers. 209, de Castore, postquam ex equo Gelam dejecerat:

Alipedemque
Constitit excusso vector duce: risit ab alta
Nube pater, prensisque equitem cognovit habenis;

ita restituit celeberr. Burmannus pro *victor*. Risit, inquit Flaccus, lætatus est Juppiter hoc filii sui præclarum facinus cernens; et statim cognovit equitem esse, Castorem (non Pollucem, ille enim cæstu gaudebat), quia habenas prehenderat, frenum occupaverat equi; hoc enim est *prensis habenis*, et in hoc, et in Statii supra citato loco, *prensis nunc celsus habenis:* nunc pedes, nunc celsus in curru et *frena tenens*, *prensis habenis*, non *curru juncto*. Nam de Thebaid. IV, 219:

Arma simul prensasque jugo moderatur habenas,

imposuit viro eximio locus, ut mihi videtur, depravatissimus. Elige enim quam vis verborum constructionem; sive hanc, *moderatur habenas prensas jugo* (i. e., secundum Gronovium, *junctas*) falsum continet: quippe habenæ non junguntur jugo: sive illam, *jugo moderatur prensas habenas*, absurda est; jugum enim non potest moderari habenas. Nihil igitur hinc probari potest, nisi locum esse corruptissimum. Lege,

Arma simul prensisque jugum moderatur habenis.

Dicit Amphiaraum armatum pugnare e curru: sinistra manu *arma*, id est, clipeum moderatur, dextra *prensis habenis*, tenens habenas, regit et moderatur equos seu currum. Nihil jam intellectu facilius. Et his locis maxime confirmatur, quod dixi de notione vocis *prendere* pro *jungere*, quando de equis vel bobus sermo est, aratro vel currui adhibitis: nempe quia occupantur et a feritate sua in mitiorem habitum rediguntur: cui consequens est ut jungantur aratro vel curruî. Extra hos fines *prendi* pro *jungi* recte dici posse non puto: nec in isto Claudiani loco, *famuli currum junxere volantem*, substituere potes *prendere* vel *prendidere* (ut Sil. Italicus effert), nec in isto Ciceronis, a Gronovio citato: « Vedius venit mihi obviam cum duobus essedis et rheda equis juncta, » æque bene dixisse potuit rheda equis *prensa*. *Prensus* vero pro *occupatus* tralatitium est. Noster, Thebaid. VI, 479 et 641. Habeo et quod opponam emendationi Gronovianæ in Tacito, et Ovidio ubi legit *prensos* pro *pressos*. Velut hoc Senecæ Herc. Fur. 1019: « Jugoque pressum libera turpi Jovem: » ubi, si legat *prensum*, ingeram illi hoc Auctoris Octaviæ v. 250: « Orbis tyrannus, quem premit turpi jugo; » et 413: « premere subjectos jugo Tauros feroces; » et alios aliorum locos. Vide Ovid. Met. XII, 77. Quod vero contra Gronovium disputavi, nolo ita accipias, Lector, quasi præfracte affirmem; non dico hæc ita esse, sed videri. Ille enim, si quisquam, linguæ Latinæ indolem pulchre perspectam habuit, et in

penitissima ejus arcana penetravit; sed nimia eruditione (audebo dicere) in Statio explicando non raro peccavit, dum minus obvias lectiones et interpretationes sequutus est, et doctrinam intempestivam impingendo, eruditum potius quam bonum poetam Statium esse voluit, quod a me suis locis notatum invenies. Ipse alias harum rerum judex erat et exactor acerrimus. Lege modo hanc ejus observationem Notis in Senecæ Contr. XI, pag. 412, ubi de phrasi *animam agere*, id est, *animam in discrimine habere* contra Schottum disputat, his verbis: « Observa tamen delicias veterum: quem *animam agere* usitate dixerunt, ejus, ut dicerent, *anima agitur*, absurdum visum est: cujus contra *caput* aut *fortunas agi* dixerunt, eum *caput* aut *fortunas agere* ut dicerent induci non potuerunt. » Humanissime deinde disputationem claudit hoc modo: « Nos tamen Schotti meritis et hos et alios errores facile condonamus; ut alios illis depravari et deduci pateremur haud visum est faciundum. Nam et nostros reprehendi malumus; quam illis et nos et alios decipi. » Pulchrum hoc et laudabile; et ad hanc regulam exigas peto, Lector, si unquam a Gronovio aut quoquam alio viro docto dissensero. Malo igitur Parrhasii *pressa biga*: et eo magis quia hæ voces perpetuo in MSS. commutantur. Ita Virgil. Æneid. lib. X, vers. 97:

Ceu flamina prima
Quum deprensa fremunt silvis et cæca volutant
Murmura;

dudum videram legi oportere *depressa*, comparatione scilicet hoc postulante, *depressa fremere* (more Græco, participium pro adverbio) est humili et submisso sono murmurare, ut apud Lucret. IV, v. 545:

Quum tuba depresso graviter sub murmure mugit.

Ita *rauca gemere* apud Lucan. V, 217. Et ita postea inveni inter varias lectiones codicis Markiani, licet Servius agnoscat *deprensa*. Pro *fremunt* legendum quoque *gemunt*; præcessit enim *cunctique fremebant*. Sed de his alibi fusius. Vide cl. Bentleium ad Horat. Carm. I, 14. — Marklandus quum multis verbis de usu verborum loquutus esset, et *prensam* bigam non dici de jugis junctis docte exposuisset, ab eodem, quem coarguerat, errore deceptus, contendit *vehi pressa biga* esse idem quod *vehi biga in terram demissa*, ut aliquis excipiatur. Etenim si quis sensus in his verbis inest, certe ea significant, Tithoniam cursum bigæ deorsum flexisse, et Cephalum per auras in terras vecturam fuisse. Igitur aut hoc ineptum, aut corrigendum esset etiam vocabulum *veheret*. Neque eo sensu cepisse videtur Parrhasius. Vulgaris autem lectio nulla ratione defendi potest, sed verbum requiritur, quo exprimatur raptus esse Cephalus, qui vulgo *præda Auroræ* vocatur. Neque enim aliter vocabula *te potius* ferri possunt. Quare scribere ausus sum *prensum*. Hand. — *Tithonia*. Pro *Tithonia* N. Heinsius ad Ovid. Fast. IV, 941, legit *Titania*. Sed, licet non recte, minime tamen reprehendendus, quia ipse errorem suum agnoscit not. ad Val. Flacc. III, 1, his verbis: « Ceterum quod ad Nason., in Fastis IV, 943, monebam, ubicumque apud poetas

Tithonia simpliciter ponitur pro Aurora, non addito *conjunx* vel quid simile, ibi *Titania* videri reponendum, id nunc aliter videtur, quod frequenter *Tithonia* in scriptis poetarum Aurora nuncupetur, nec sit vero simile librarios tam pertinaciter impegisse. » Et hoc in universum verum puto, ubicumque de *Aurora* sermo est, legendum esse *Tithonia;* ubi de *Luna, Titania:* licet etiam *Latona* hac appellatione occurrat apud Ovid. Met. VI, 346, ut *Titanius* pro Sole apud Avien. Phænom. Arat. v. 1062. Interpretes hunc locum intelligunt de Cephalo, quem, itidem ut Tithonum, rapuit Aurora: vide Ovid. Met. VII, 701, et mythologos. Doctissimus vero Bentleius ad Horat. Carm. I, 28, v. 8: « Tithonusque remotus in auras, » ad hunc refert. Parum interest: sequor tamen Bentleii expositionem, quia ad verba Horatii *in auras,* forte respiciunt ista Statii *per auras.*

49. *Vacat apta movere colloquia.* Pro *colloquia* legendum forte *alloquia:* idem nempe quod *alloquutio* Genethl. Lucan. v. 62. Et hoc innuit epitheton *jucunda; Hic Erato jucunda doce:* et vox *apta, Alloquia apta* huic tam festo diei. De alloquutione nuptiali consulas Salmasium ad Hist. Aug. Scriptores, vol. II, p. 214. Nisi per *colloquia* hoc loco intelligas dialogum inter Venerem et natum ejus. Utcumque sit, pariter depravatus est locus Thebaid. lib. V, vers. 82:

Sub nocte dieque
Assiduis ægræ lacrimis solantia miscent
Alloquia;

ita legendum; vulgo *Colloquia.* Theb. VI, 46, et XI, 196. Supra citato Theb. loco pro *sub nocte dieque,* MS. Petrensis habet *nocteque dieque;* lege, *noctesque diesque,* ut Achilleid. I, 637, *Movere colloquia* seu *alloquia,* ut *movere* carmen. Supra vs. 2, « Cui, Pæan, nova plectra moves? » — Non est alloquutio nuptialis, qua sponsus et sponsa compellabantur, verum poeta se cum ceteris spectatoribus in limine fingit colloqui una cum Erato. Melius tamen fortasse *vacet,* i. e. tibi, o Musa. LENZ.

59. *Fessa jacet stratis.* Lege, *Fusa jacet stratis,* etc. Quomodo enim *fessa,* quæ perpetem noctem quieverat? Silv. II, carm. 1, v. 170:

Tu modo fusus humi lucem aversaris iniquam.

Thebaid. lib. I, vers. 407:

Fusus humo gelida partem prior hospes habebat.

Mox vers. 565, de Pythone serpente,

Castaliis dum fontibus ore trisulco
Fusus hiat.

Claudianus, de Bello Gildon. vers. 327:

Tyrio qua fusus Honorius ostro
Carpebat teneros Maria cum conjuge somnos.

Ovidius, Pontic. lib. III, epist. 3, vers. 8:

Fusaque erant toto languida membra toro.

Virgilius, Culice, vers. 152:

At circa passim fusæ cubuere capellæ;

ita legendum; vulgo ibi quoque *fessæ*. Exempla ubique.—Neque hoc loco Venus dicitur fessa labore, neque exhausta libidine, sed quæ membra levat quiete, ut solent a somno excitati, cuique nondum animus erat aliquid agendi. Nos dicimus *lass*. Sic Ovidius Metam. II, 422: « Juppiter ut vidit fessam et custode vacantem, » i. e. negligenter recumbentem, qualem describit Amor. I, 14, 21. HAND. — *Ubi quondam conscia..... vincula lecto.* Venus jacet fusa lecto, in quo lecto quondam Lemnia vincula repserunt, deprehenso lecto. Nonne hoc mirum est? dixisse debuit, deprenso adulterio vel Marte: ut Ausonius in Cupid. crucifix. v. 84; et Idyll. IV, 27; Ovidius, Amor. I, 9, 39. Non *lecto:* lectus enim non deprehendebatur, sed Mars et Venus in lecto. Vide Ovid. Trist. II, 377. Scripsit Statius, « .... Deprenso vincula furto; » id est, adulterio, et furtivo amore. Infra v. 191; Theb. lib. II, v. 269; Ausonius, Idyll. V, 7; Ovid. Met. I, 605, et III, 6; Virgil. Georg. IV. 345; Sidon. Apollinaris, Carm. XI, 32, de Vulcano, huic Statii loco manifesto alludens; suavissime Statius, Theb. X, 61; Sil. Italic. XIII, 615. *Deprenso furto*, ut apud Martial. Epigr. I, 88, licet alio sensu. Ortus vero error ex geminatione ultimæ syllabæ vocis *vincula: la* enim et *lec* ejusdem sunt ductus in MSS. Hujus generis mendorum plurima exempla in his Silvis deprehendimus. Adumbratus est hic locus ex Valer. Flacco, IV, 355:

Dominam Lyrceia tellus
Antraque deprensæ tremuerunt conscia culpæ.

Quod Noster *furtum* vocat, Valerius *culpam*. Hæc scripseram quum deprehendi Cruceum in eadem conjectura. Gronovius tamen, Diatr. cap. 9 et 52, retinet *lecto*, et hæc notat: « Offensus repetitione vocis interdum synonymæ Cruceus reposuit, *vincula furto;* sed nihil mutandum. *Strata* enim pars lecti hic sunt, seu stragula vestis, quæ lecto ingesta erat ad commoditatem cubandi. » Et verum quidem est, quod observat vir doctus de τῷ *strata* pro parte lecti, seu quodcumque lecto insternitur. Ita apud Claudian. in Rufin. lib. I, vers. 210, et de Bell. Get. vers. 352, et Ovid. Metam. lib. V, vers. 34. Ita *tectum* pro parte domus apud Sil. Italic. lib. VIII, vers. 321, et Lucanum, lib. VII, vers. 403: « .... Stat tecto putris avito In nullos ruitura domus; » ita legendum, vulgo, *tectis putris avitis:* quod aures elegantes statim respuent. Nihilominus tamen sensus imperfectus est, si retineas *lecto*, ob supra dictam rationem, quia lectum non deprehendebatur, sed adulterium. Præterea, verba *deprehenso lecto* superflua sunt: priora enim, « ubi quondam Lemnia vincula repserunt, » deprehensionem lecti satis describunt. Imposuit Gronovio locus iste Thebaid. lib. VII, vers. 63, de hac re:

Nondum radiis monstratus adulter
Fœda catenato luerat connubia lecto.

Putavit idem esse *catenatum* et *deprensum* lectum. Catenatus lectus est catenis cinctus, circumdatus; deprensus lectus quid sit nescio. In con-

textum itaque admisi *furto*, patrocinante necessitate. — Marklandi emendatio, non sine consilio facta, premitur audaciæ reprehensione, neque ipsa se commendat præmissis verbis *conscia culpæ*. Hand.

67. *At quondam. Quondam* nihil ad rem, lege *tandem*. Deinde, pro *virum* lege *viri*, ita sensu postulante. Si enim *virum* scripsit, dixisse debuit *supplicibus dextris*, non *supplice dextra*. *Viri*, i. e. Stellæ, ut v. 196: « Et lacrimæ vigilesque viri prope limina questus. » Virg. Eclog. VI, 66: « Utque viro Phœbi chorus assurrexerit omnis. » Et ita legit Bernartius.

74. *Hunc egomet tota quondam.... tibi dulce....* Pro *quondam* Parrhasius voluit (*quoniam tibi dulce*) *pharetra;* sed non opus est. Innuit enim olim hoc factum esse, unde mox v. 78: « longos jussi sperare per annos, » et 82: « Ex illo quantos juvenis premat anxius ignes, Testis ego. »

80. *Inermi strinximus arcu.* N. Heinsius, Not. ad Claudian. de Mall. Theod. Cons. v. 326, legit *inerti arcu.* Non enim, inquit, vult Statius nulla sagitta tactam fuisse Violantillam, sed levi sagitta. Optime quod ad vocem; non adeo exacte in ejus interpretatione. Sumtum enim ex Ovid. Metam. lib. I, vers. 468:

> Eque sagittifera promsit duo tela pharetra
> Diversorum operum: fugat hoc, facit illud amorem:
> Quod facit, auratum est, et cuspide fulget acuta;
> Quod fugat, obtusum est, et habet sub arundine plumbum.

Hic igitur *iners arcus*, i. e. sagitta de quo Statius, est *plúmbeum telum* Ovidii. Non vulneravi illam *acuta* mea cuspide, sed altera, *obtusa*, scil. et *inerti*. Verba etiam ex Ovidio sumta Heroid. XVI, 275.

86. *Nec sic meta pallebat in ipsa.* Diu suspicatus fueram Statium scripsisse *pallebat in ima:* quippe extremam metam hic designari manifestum est; et hoc sensus postulat, et Gevartius, Elect. III, 9, egregie probat contra Cruceum, qui de prima meta hæc interpretatus erat. Atqui hoc non efficit *ipsa* meta, sed *ima*. Dum hæc meditabar, non parum delectatus incidi in hunc locum Sidonii Apollinar. Præfat. Epithal. Polemii et Araneolæ, vers. 12:

> .... nec insequentem
> Pallens Hippomenes ad ima metæ
> Tardat Schœnida ter cadente pomo.

Plane exscripsit Statii versum:

> Hippomenem, nec sic meta pallebat in ima.

In contextum itaque recipiatur *ima*, æque fideuter ac si inventum fuisset in MS. seculi quinti. Metam *novissimam* dicit Ovid. Metam. X, 597, in hac historia; *ultimam salutis metam*, Apuleius Miles. IX (p. 185 Pricæ); « primis meus ecce metis hæret Achilles, » Noster Silv. IV, 7, 23; *extremam metam*, Propertius. — Hippomenes duplici ratione dici poterat, aut *ad imam metam* palluisse, quum prope ad finem cursus pervenisset, aut *in ultima meta ejus* cursus, quem Græci δίαυλον vocabant. Quo sensu etiam Sophocles in Electr. v. 720, ἰσχάτην στάλην, i. e. metam in extremo sta-

dio positam, unde novus instituebatur cursus. Hæc vero nullo pacto *ima meta* vocari potest, quæ erat in fine curriculi, quamquam Ovid. Amor. III, 15, 2, ait: « raditur hic elegis ultima meta meis, » ubi intelligitur ultimus cursus, quem instituunt ab ima meta reversi. In ima meta nemo palluit de victoria adhuc incerta. Quæ quum ita sint, Statius scripsit *in ipsa meta*, pro in ipso cursu, aut metæ flexu. Nam hoc sensu usurpant illam vocem multi scriptores, et maxime poetæ recentiores, ut ipse Sidonius in verbis supra allatis. HAND.

100. *Haud extrema revolvit vulnera.* Editt. habent *hesterna.* Quivis videat legi debere *suaque*, *haud extrema*, *revolvit vulnera:* cantat Stella juvenum amores, et quæ ipse passus est vulnera, non minima, nec extremo loco ponenda. Adumbratum ex Virg. XI, 700. Vetus etiam codex habuit *aut extrema.* Perpetuæ vero vices vocum *extremus* et *externus* vel *hesternus.* Ita apud Silium Italicum, lib. V, vers. 273:

Degustat cuspis generosum externa cruorem,

in optima Drakenborchii editione invenies *extrema;* quum tamen vox *extrema* modo præcesserit. « Necquidquam extremæ longinquus cultor arenæ; » et sensus omnino postulet *externa*, ut Val. Flaccus, VII, 422:

An jacet externa quod nunc mihi cuspide Canthus?

Editiones Parmensis et Romana habent *suaque aut externa revolvit.*

105. *Vultu non aspernata rogari.* Nimis sera hæc, nec recte temporibus divisa, o Stati, si nobis narres Venerem non aspernatam *rogari*, quum jam rogasset filius: dixisse hoc debuisti antequam rogaretur, vel quum Cupido primum cœpit rogare. Lege, « vultu non aspernata rogantem. » Jam alia res est. Hanc mihi emendationem suggessit Claudian. de Cons. Mall. Theod. vs. 292, ubi verba Statii suo more sublegit:

Non aspernata rogantem
Amphitheatrali faveat Latonia pompæ.

Virgil. Georg. lib. III, vers. 392:

Pan, deus Arcadiæ, captam te, Luna, fefellit
In nemora alta vocans; nec tu aspernata vocantem.

Propertius, lib. II, eleg. X, vers. 41:

Interea cave sis nos aspernata sepultos.

Scriptum erat *rogate*, omissis, ut solet, literis *n* et *m*, quæ virgulis appingebantur supra vocales ductis. Ex *rogate*, quod non intelligebant, facile erat recurrere ad *rogari*. — Ferri vulgata possunt. Vultu declarans, se ea, quæ rogabat Amor, non detrectare. Tamen Marklandi emendatio admodum probabilis. LENZ. — Domitius ita: « innuens se non invitam audivisse preces. » Nec male. Utrum vero legeris *rogantem*, an *rogari*, ad temporis rationem idem valet. Nam infinitivus præsentis sæpe habet vim aoristi Græci. HAND.

106. *Grande quidem rarumque viris.* Ita Propempt. Met. Cel. vs. 5: « Grande tuo rarumque damus, Neptune, profundo Depositum. »

107. *Pierius votum juvenis cupit. Votum cupere* nunquam, credo, occurrit. Lege, *votum capit*: i. e. par est huic voto, non inferior. Silv. lib. I, carm. 6, vers. 53:

Stat sexus rudis insciusque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles.

et lib. III, carm. 1, vers. 160:

Nam capit, et tantum non degener ambit honorem;

id est, digna est hoc honore. Ita *capax invidiæ arx*, Seneca Troad. III, 478, cui jure quis et merito invideat. Expressit ἐπίφθονος Euripidis Hecuba, de Troj. *Animæ mortis capaces*, Lucan. I, 456, ubi tamen Heinsius substituit *rapaces*. Noster, Theb. lib. X, vers. 634, de Justitia:

Seu pater omnipotens tribuit, sive ipsa capaces
Elegit penetrare animos;

ita legendum; vulgo *viros*. — Ut Marklandus, ita etiam Burmannus conjecit. Sed illum ipsa verborum explicatio fefellit. Nam quod affert, *capere pugnas*, huc non pertinet, quum significet in se recipere, subire pugnas. In altero vero loco *honorem capere* recte dicitur Polla, quæ se capacem honoris præstiterit. Nemo tamen hac quidem ratione scripsit *votum capere*, quod si usus Latinus ferret, non in laudem Stellæ dictum esset. Nam explicandum erat: magnum quidem votum concipit, ut Sil. Ital. VII, 77. Si quid igitur mutandum, scripserim? « Grande quidem.... Pierius voto juvenis cupit. » Ita Catullus, XV, 3: « quidquam animo tuo cupisti. » Sed ne hoc quidem necessarium videtur. *Votum* proprie usurpatur de amatoribus, qui amatis puellis potiri cupiunt. Ita Ovid. Met. IX, 463: « nullumque sub illo igne votum facit. » Thebaid. IX, 711: « tacito ducunt suspiria voto. » Hinc *votum* pro connubii aut nuptiarum desiderio, ut infra vs. 210: « quanto salierunt pectora voto; » et apud recentiores pro ipso connubio. Quemadmodum igitur Ovidius, Art. Am. I, 737, *voto potiri*, ita Statius dixit *cupere votum*. Hand.

112. *Mihi dulcis imago prosiluit*. Explicari possunt sic: curis et studiis meis suavissima imago ex marmore quasi rudi prodiit, ut ex lapide seu trunco Apollo fingitur. Prosilire videtur imago sub manibus artificis. Sed quia ante formæ ejus egregium decus laudatur, præferas fortasse explicationem hanc: incrementum cepit, crevit; vel mihi prosiluit ex meo sinu, in quo eam fovi et comsi. Sic Græci ἀναδραμεῖν. Lenz. — J. Parrhasius: « *mihi dulcis imago*, inquit, id est Violantillæ facies, in qua mihi placeo, quia de me plurimum salis habet et elegantiæ, *mihi prosiluit*, id est mature adolevit, id est mihi incrementum velox accepit. » *Imago* et *simulacrum* eadem ratione ex artis operibus deducta dicuntur, qua Græcum εἰκὼν, ut significetur persona sive amabilis, sive odiosa. *Prosiluit* dixit poeta, ut Græci ἐκθορεῖν de re subito apparente usurpant, et videtur origini ac natalibus Violantillæ aliquid divinum hoc ipso vocabulo tribuisse. Hand.

114. *Suggestumque comæ*. Quidnam hic *comæ suggestum* appellet poeta, quærunt viri docti. Domitius et Parrhasius aliique globum inter-

prætantur, quasi crines in globum convolutos, quos Varro *tutulos* appellat. Ego contra potius intellexerim crines in gradum fractos, qui ritus diu post Varronem Romæ exortus est. Mos hic ex suggestus Romani forma, quem Ammianus elegantissime describit, clarus erit. Verba ejus sunt lib. XVI, cap. 10: « Elatosque vertice scansili suggestus, consulum et priorum principum imitamenta portantes. » Quemadmodum igitur suggestus gradibus quibusdam paulatim in altum surgebat, quod ille *scansilem verticem* vocat, ita hi crines certis gradibus distincti, in altum attollebantur. HAND.

114. *Latias quid ultra emineat matres.* Pro *quid* forte legendum *quod*, id est, quantum: cujus significationis exempla obvia. Vide Theb. XI, 81. — Immo si vulgo scriptum esset *quod ultra*, iterum restituturus eram *quid*. Nam in verbis *metiri quod emineat* ipsam mensuram certam spectamus, aut id quod eminet; *metiri* vero, *quid emineat* significat, quantum sit quod eminet, aut ut tantum sit. Alia est ratio in Thebaid. loco XI, 81, præcedente *hoc*. HAND.

116. *Quantum egomet Nereidas exsto.* Forcellinus interpretatus est: quantum procerior sum. Est vero idem quod *emineo*. HAND.

120. *Ipsi errauetis, Amores.* Pro *errauetis*, quod verissimum est et elegantissimum, vir doctus conjicit *arderetis*. Notat etiam: *errare* ab ἴρειν, quod et *deperire* est: hinc illud, « Ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error! » Mirifice. Sed et ejusdem est hoc ad Kal. decembr. vs. 44; *Plebs*, eques, senatus: τὸ *plebs* notationem notionis indicem præ se fert, a Græca voce πλήθ, hoc est *vena*, quæ sanguinis alveus et canalis est, ut *plebs* uberior pars atque exundans populi fons. Proinde Menenius stomacho, qui venarum fontem habet, *plebem* comparavit. Hujus modi gemmulis plenæ sunt notæ ejus: quod sane non referrem nisi putarem e re literaria esse, ut hæ nugæ derisui et traductui exponerentur.

122. *Vincit opes animo.* Alludit ad Virgilii: « Regum æquabat opes animo. »

123. *Querimur jam Seras avaros augustum spoliare nemus.* Sensus postulat *spoliasse;* queritur Violantilla sericum *jam defecisse*, nec adhuc superesse quo se ornet in gratiam Stellæ. — Quæ verba omnes interpretes ad summam divitiarum ac splendoris cupiditatem Violantillæ referebant. Aut ego totus fallor, aut sensus hujus loci hic est: Quamvis Violantillæ tantam pulchritudinem totque corporis dotes largita sim, tamen eæ non æquant animi virtutes et præstantiam. Dolendum igitur mihi, non satis suppetere ornamenta, ut digno cultu eam exstruam. Ei, quamquam ne hoc quidem sufficit, aurum undique conquiri jussi. Hæc videtur Veneris sententia satis commoda et eleganter verbis expressa. Quare certissimam putavi eam emendationem, quam in textum recepi, et quam ante me jam Peyraredus et Heinsius proposuerunt: « Querimur jam Seras avaros spoliare nemus. » HAND.

136. *In hanc vero cecidisset Juppiter auro.* Quare *vero auro*, quum *falsus* sit æthræ rector? immo potius *falso auro*, secundum Phinea apud Ovidium Met. V, 11. Conjicio, « in hanc alio cecidisset Juppiter auro: » præeunte mihi Sid. Apollin. notissimo Statii imitatore, Carm. XV, 177: « .... et hic alio stillabat Juppiter auro; » qui versus ex hoc Statii videtur formatus. *Alio auro*, id est, alio aureo imbre, ut Com. Ear. v. 11:

Atque alio clausum tibi ponet in auro,

Id est, alia aurea pyxide. Nisi quis *fulvo* malit ex auctore Octaviæ, 772:

Et tibi, quondam cui miranti
Fulvo, Danae, fluxit in auro.

Sed hoc non placet; est enim otiosum epitheton. Potes etiam *pluvio auro* ex Ovid. Met. IV, 609:

Persea, quem pluvio Danaę conceperat auro.

Sed hoc etiam eodem vitio tenetur quo *fulvo*. Idem de *udo* statuendum est. Mihi adhuc placet *alio*.

144. *Jam Tibridis arces Iliacæ*, etc. Nihil deest, ut bene notat Gevartius: hac enim *ἐμφωνογίᾳ* gaudet Noster. Ita Silv. III, 4, de Venere itidem: « .... jam Latii montes, veterisque penates Evandri; » scil. *in conspectu sunt* vel *apparent*. Ita Ovid. Fast. lib. V, vers. 534:

Jamque decem menses: et puer ortus erat;

scil. transierant decem menses. Noster, Theb. X, 685, de Menœceo:

Jamque iter ad muros cursu festinus anhelo
Obtinet, et miseros gaudet vitasse parentes;
Quum genitor: steterantque ambo et vox hæsit utrique.

Quum genitor, scil. *occurrebat*. Sæpe apud poetas invenies, ubi describendum est aliquid ut *celeriter* factum: scilicet ne mora longior sit in descriptione rei, quam in re ipsa fuit. Quid vero est hoc quod sequitur? *pandit nitidos domus alta penates. Domus* enim et *penates* idem sunt; adeo ut dicat Statius domum pandere domum. Nec dicere potes τὸ *penates* hic sumi pro parte domus eodem modo quo *tectum*, de quo supra ad v. 59; nec te adjuvabit locus Flori III, 21, ubi *Cæsar et Fimbria in penatibus domorum suarum trucidari* dicuntur; ibi enim sine dubio legendum, *in penetralibus domorum*. Quin et si *penates* pro parte domus sumi posset, non tamen ullo sensu diceretur *domus pandere penates*, quum atriensis vel servorum hoc officium esset, vel ipsius si forte Violantillæ, ut honorem haberet advenienti deæ. Præterea, quænam hæc connexio? « domus pandit penates et cycni plauserunt limina. » Lege fidenter,

Pandit nitidos Venus alma penates,
Claraque gaudentes plauserunt limina cycni.

Omnia jam facilia. Ita apud Claudian. de Bel. Get. v. 202, *Victoria* dicitur *pandere ædes* Stiliconi. Hunc locum depravavit repetitio ultimæ syllabæ vocis *nitidos*, *nitidos domus;* ut sæpe factum his Silvis. Deinde

quia non intelligebant quid esset domus *alma*, pro ea substituerunt *alta*. *Alma* perpetuum epitheton Veneris: supra v. 52, et mox. v. 159, et ita apud Lucretium, Virgilium, Ovidium, omnes. Nec docendus esses *penates* pro *domo* fere semper poni, nisi causa loci Virgilii Georg. lib. II, vers. 513:

> Hinc anni labor; hinc patriam parvosque nepotes
> Sustinet.

Ubi mirari subit, quare nepotes potius quam liberos? Et quid si non habeat nepotes agricola? non enim cuicumque datum est agricolæ habere nepotes. Lege, « .... Hinc patriam parvosque penates Sustinet; » hoc omnibus agricolis commune. *Parvos penates* ut apud Sil. Italicum, lib. I, vers. 616:

> Ad parvos curru remeabant sæpe penates.

Vide affatim exemplorum in Not. Heinsii ad Ovid. Metam. VIII, 639. Hæ vero voces *penates* et *nepotes* perpetuo commutantur in MSS. de qua re plene Burmannus ad Val. Flacc. VII, 50, ubi *patriam* et *penates* similiter conjunctos reperies ex Ovidio et Lucano. Insuper moneo pro *Hinc anni labor* in isto Virgilii loco legendum esse *Hic anni labor;* ut Georg. III, 288: « Hic labor: hinc laudem fortes sperate coloni. » Hanc digressionem facile mihi condonabis, Lector; si non mea, saltem Virgilii causa.

145. *Pandit nitidos Venus alma penates.* Marklandi emendatio placuit Lenzio, non item Mitscherlichio in Tentam. in Tibull. p. 8. Ea admissa Venus importune dicitur ipsa, quæ intrat, pandere ædes. Nam quod Claudianus Victoriam narrat intranti Stiliconi domum aperuisse, non alienum erat a numine hujus deæ: non item, si ipsa salutanda fuisset a domino. Nec quidquam mutari debebat in vulgata omnium librorum scriptura. Domus enim pandit nitida sua conclavia, et invitare videtur Venerem ad suos penates. Ita Statius suo more de domo, quæ panditur. Neque etiam displicet verborum compositio. Virgil. Æneid. VIII, 39, conjunxit *domus* et *penates*, Martialis, IX, 62, 5, *ædes* et *penates*. *Pandere* ita occurrit Achill. I, 101, *connubialia pandunt antra sinus*. *Alta* vero domus vocatur solemni ac proprio nomine. Florus, quem affert Marklandus, ea ratione scripsit *in penatibus domorum*, qua Quintilianus, Declam. I, 2: « filium cæcum in semota penatium parte seposuit. » HAND.

146. *Claraque gaudentes plauserunt limina.* Pro *clara* Heins. ad Ovid. Met. II, 867, mavult *cara*. Sed non opus est: immo verius *clara limina*, utpote de domo magnifica et nitidis penatibus, quos hic describit poeta.

147. *Nitidis nec sordet ab astris.* Id est, nec Veneri contemnitur etiam post cælum, etiamsi ejus habitatio sit in cælo. Ita Theb. IV, 84:

> Ab Jove primus honos, bellis modo lætus ovantes
> Accipias.

Id est, post Jovem tu secundus invocaberis, ut bene scholiastes vetus. Ovidius Ponticor. IV, 5, 26: « a magnis hunc colit ille deis: » post magnos deos. Non autem placet *nitidos penates*, et statim *nitidis astris*. Suspicor hoc deberi librario, qui oculos conjiciens in præcedens *nitidos*, hic denuo repetivit. Fortean fuerit, « summis nec sordet ab astris: » ut Com. Earini vers. 49: « summis æquat Germanicus astris; » et Thebaid. lib. XII; vers. 128: « summisque irascitur astris; » lib. X, vers. 782: « .... Et summis apicem sibi poscit in astris. » Sed nihil affirmo.

148. *Dura Laconum saxa.* Otiosum videtur istud *dura:* melius forte *clara*, nisi quod præcessit v. 149, *claraque gaudentes.*

149. *Concolor alto vena mari.* Pro *alto mari* non male forte legi potest *atro*, ut exprimat Homericum istud οἴνοπι πόντῳ, et sane satis fuit dixisse vena concolor *mari*, sine τῷ *alto:* et alibi, Epulo Domit. hoc marmor Carystium vocat *glauca certantia Doride saxa*, hoc est *atro* mari certantia, potius quam *alto.* — Vocabulum *alto* mihi quidem videtur non corruptum esse. Nam neque istius marmoris color talis erat, ut cum *atro* mari comparari posset. Profundi enim maris aqua ex propinquo appareret atra et cærulea, et quum fluctus vehementius moventur, purpurea; sed in alto viridem habet colorem, quem Lucretius, II, 1120, *thalassinum* vocat, et Ovidius in Art. Am. III, 117, describit. Hand.

150. *Quis purpura sæpe Œbalis.* Recte hunc locum interpretatur Gevartius c. 18, Papin. Lect. contra Domitium qui mira commentus erat. *Moderator Tyrii aheni* est tinctor purpuræ Tyriæ: *livet* est invidet. Sed vitium occultissimum his verbis subest, ut mihi videtur. Primum enim vox *sæpe* abundat: omittas enim et nihil sensui deerit. Atqui non solet Statius vocem ullam adhibere otiosam, et versui tantum supplendo. Deinde, non bene componuntur *purpura* Lacedæmonia et tinctor Tyrius, ut vox *livet* utrique applicetur. Porro, etsi sciam affectus iræ, odii, invidiæ, etc., rebus inanimis sæpe attribui a poetis, non tamen hoc capio, *purpura Œbalis sæpe livet:* quicquid enim sæpe tantum livet, interdum et non livet: atqui ridiculum videtur supponere hanc purpuram hodie liventem his rupibus, cras non liventem, quum causa invidiæ eadem maneat. Quod si hæc omnia nihili sint, aures tamen et mos Statii hanc vocem redarguunt. Ille enim non solet versum claudere tam languido et exili et enervi vocabulo. Hæc omnia eo tendunt, ut intelligas Statium, meo judicio, scripsisse

Queis purpura cedit
Œbalis, et Tyrii moderator livet aheni.

Minima est differentia inter *cedit* et *sepe* (hoc enim modo scribitur) quum *s* et *c* propter similitudinem soni, *p* et *d* propter similitudinem ductuum calami sæpisse confundantur. Ita supra v. 139, pro *Sæpe neget*, vetus codex habuit *Sede.* Recte vero *cedit.* Claudianus in Eutrop. II, 272, de Phrygia; Horatius Serm. II, 4; *Decedere* eodem sensu idem Carm. II, 6.

Exempla in qualibet pagina Nostri et aliorum. — Omnium sanissimum est vocabulum *sæpe*, quod non uno loco critici temere mutarunt. *Sæpe* enim, ut Græcum πολλάκις usurpatur non tantum de re non semel facta, sed etiam majorem vim rei indicat, ut sit id quod *valde*, *vehementer*, *magnopere*. HAND.

152. *Pendent innumeris.... columnis*: Probe scio vocem *pendent* defendi posse ex Martial. Epigr. lib. II, 14; et Seneca Epist. 90, et Prudentio Apotheosi, vers. 202:

> Cujus onus nullis fultum sublime columnis
> Fornices curvato tenui super æthere pependit.

Ubi vides « onus fultum columnis pependit, » plane ut hic, « fastigia nixa columnis pendent. » Hæc, inquam, et alia scio hujusmodi: mihi tamen magis placet, *splendent innumeris*, etc., ut respondeat τῷ *lucent* versu sequenti, *Splendent* fastigia, *lucent* robora. Major certe hinc domus commendatio. Ita Theb. I, 145: « Montibus aut alte Graiis effulta nitebant Atria. » Catalecta Vet. Poet. « Aurea quod summo splendent laquearia tecto. » Noster, Baln. Etrusc. v. 42: « Vario fastigia vitro In species animosque nitent. » *Innumeris columnis* ferri potest. Sic Ausonius Mosell. vers. 336. Sed melius respondisset sequens versus, si in hoc scripsisset:

> Splendent Tænariis fastigia nixa columnis.

« Fastigia splendent columnis Tænariis, robora lucent Dalmatico auro. » Propert. lib. III, eleg. 2, vers. 9:

> Quod non Tænariis domus est mihi fulta columnis.

Tibull. lib. III, eleg. 3, vers. 13:

> Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
> Tænare, sive tuis, sive, Caryste, tuis?

154. *Silvis decussa vetustis frigora*. Ex Virgil. Georg. lib. II, vers. 404:

> Frigidus et Silvis Aquilo decussit honorem;

ubi notat Servius Varronis hunc esse versum. Sed parum feliciter, ut mihi videtur, hunc locum imitatus est Statius: *honores* enim, id est, folia et fructus recte *decuti* silvis poetis passim dicuntur: *frigora* vero *decuti* nonne audacter nimis et dure?

155. *Perspicui vivunt in marmore fontes*. Heinsius not. ad Claudian. in Rufin. I, 153, pro *marmore* legit *murmura*. Sed non opus est: immo *marmore* huic loco necessarium. Ab hoc enim pendet laus et lautitia domus, quod fontes in *marmore* vivebant; quippe in pauperum domibus vel ubivis fontes possunt vivere in *murmura*, non vero in *marmore* nisi in ædibus divitum. Retinui igitur vulgatam. *Vivere* de fluminibus et fontibus etiam pueris notum. Infra carm. V, 51; ubi *vivit niveo margine* eodem sensu quo hic *vivunt in marmore*: *niveus* enim margo est ex marmore candido factus.

158. *Exsultat visu tectisque potentis alumnæ.* Forte *tectumque* scil. *subiit*, ex sequente *subiret* repetendum. Sic *muros subire* apud Virg. VII, 161. Ita enim habent multa exemplaria vetusta; vulgo *muro*, et Claud. II, in Ruf. 279: « Murosque subibant, Thessalonica, tuos. » Vide Heins. ad Ovid. Metam. XIII, 611. — Marklandi correctio locum reddit magis contortum, quum difficultas facile expediatur, si verba *visu tectisque* accipiantur pro *visis tectis*. Hand.

160. *Idaliasve domos Erycinave templa subiret.* Pro *Idaliasque* legendum *Idaliasve*, et *Erycinave* non *que*. Eadem depravatio Theb. IV, 831:

. . . . agmina bellum
Decertare putes, justumve in gurgite Martem
Perfurere, aut captam tolli victoribus urbem;

ita legendum; vulgo, *justumque*, et *bello*, et *præfurere*, *captam*.

162. *Quonam hic usque sopor?* Non video quem locum hic habeat *sopor*; non enim dormire dicitur Violantilla quando Venus tectum subiit. Lego:

Quonam hic usque pudor vacuique modestia lecti.

Ita Silv. II, 1, v. 39, *pudor* et *modestia* conjunguntur; Lucan. VIII, 155:

Tanto devinxit amore
Hos pudor, hos probitas, castique modestia cultus:

ita legendum; vulgo, *modestia vultus*. Tacitus, Annal. III, c. 26; Cic. de Fin. II, 22. » — « Male. *Sopor* est desidia, ignavia. Terent. Adelph. IV, 5, 38: « an sedere oportuit domi virginem tam grandem? » et v. 59, *dormire*. Ipse Statius, infra v. 182, *otia*. » Hæc Burmannus. Sed ipse Marklandus rejecit suam conjecturam ad III, 4, 94, ubi vim pronominis *hic*, i. e. talis bene explicuit, et reliqua de viduo sopore. Atque hanc prætulerim explicationi Burmanni. Hand. — *Vacuique modestia lecti.* Parrhasius monet σωφροσύνην, quam Cicero *modestiam* appellaverit, et quidem viduæ castitatem intelligendam esse. Barthius interpretatur: pudicitia; Porcellinus: vita cœlebs, vel viduitas sancte custodita. Hand.

170. *Hic tibi sanguine toto deditus.* N. Heinsius delendum censuit *hic*. Equidem id desiderarem. *Sanguine toto* intellige omnibus viribus intentis. Theb. II, 562, *toto sanguine nisus*. Vid. ad Theb. VI, 680. Hand.

193. *Nec me prohibente.* Forte legendum, *me non prohibente:* et ita citatur hic locus a summo Bentleio not. ad Horat. Carm. III, 3. Sed non opus est: quippe *nec me prohibente*, idem est ac, *etiam me non prohibente;* quod majus est et plus continet quam illud simplex *me non prohibente*.

196. *Vigilesque viri prope limina questus.* Ut Theb. lib. II, vers. 336:

Nil transit amantes;
Sentio: pervigiles acuunt suspiria questus.

197. *Asteris et vatis.* Displicet repetitio syllabæ *is*: sed nec sensus

recte se habet. Quem enim hic vult Statius cantare Asterida? Populum? Atqui quid populo cum dapibus, quæ ad lautiores tantum pertinent? Stellam igitur intelligit Statius; et Violantillam mitescere dicit quum secum reputaret, quantum pro illa perpessus fuerat, et quantum honori ejus adstruxerat, sub nomine Asteridis celebrando illam omnibus in locis (totam per urbem) et omnibus temporibus (ante dapes, nocte, ortu) legendum igitur *vati cantata*, i. e. Stellæ.

202. *Quod durum.... laboris. Prendere portum laboris* ineptum et nihili est. Scio Statium scripsisse *labores*, ut Epist. ad Macell. v. 88:

> Jam Sidonios emensa labores
> Thebais, optato collegit carbasa portu;

ubi *carbasa portu colligere* idem vult quod *prendere portus*. Claudianus Epithal. Pall. et Celer. v. 66; Seneca Medea, v. 610. Hoc igitur ex sensu certum est. Nihil difficultatis in voce *cœpti*, quum obvium sit *cœptosque labores*, ut apud Virg. VIII, 439; Claudian. in Eutr. II, 396; Ovid. Fastor. IV, 15. Si quis malit *sævosque labores*, nequaquam refragabor. Juven. Sat. X, 360; Plin. Paneg. cap. 14, 5; Valer. Flacc. II, 285:

> Visa ratis sævæ defecta laboribus undæ;
> Quam Thetidi longinqua dies Glaucoque repostam
> Solibus, et canis urebat luna pruinis;

defecta laboribus sævæ undæ, i. e. deficiens sævis laboribus undæ. Pro *luna urebat* forte scripsit Flaccus *bruma*. Pæne oblitus eram monere pro *Quod durum*, legendum esse *Qui durum*, ut lib. IV, carm. 8, vers. 14: « .... Macte, o juvenis, qui tanta merenti Lumina das patriæ; » et lib. III, carm. 1, vers. 166:

> Macte animis opibusque, meos imitate labores,
> Qui rigidas rupes, etc.

Non quin *macte quod* probum sit suo loco: sed non macte *toris quod;* quia vox *toris*, sine *quod*, assignat rationem quare mactum Stellam vult. — *Prehendere* de iis dicitur, qui voti compotes fiunt, velut post longam navigationem intrant optatum portum. Lenz. — Recte quidem dicitur *emensus labores* et *cœptos labores auferre*, sed quid *cœptos labores permensus?* Hoc non minus ineptum Marklando videri debebat, quam *cœpti laboris portum prendere*, quod tamen a poeta positum puto pro: *finem imponere cœpto labori*. Sic Longinus de Sublim. s. 9: λιμένα κακῶν dixit. Neque in vocabulo *quod* admisi correctionem. Nam etiamsi elegantius scribatur *qui*, tamen utraque constructio exempla habet et certam rationem, quibus defendatur. Hand.

218. *Quam segnis votis Aurora mariti!* Lege *votis maritis*, id est, maritalibus: si enim legas *mariti*, falsum erit; quippe nondum maritus erat Stella quum hæc dici supponuntur, et tantum annuerat Violantilla vs. 212. Præterea, si jam maritus esset Stella, quare increparet Auroram utpote segnem? immo Auroram optat proximi diei, ut fieret maritus.

Vota igitur ejus non erant vota *mariti*, sed vota *marita*, id est, maritalia. Noster, Theb. lib. XII, vers. 534: « ... patiensque mariti Fœderis; » lib. VII, vs. 298: « .... maritis Ignibus. » Ita *fluctu marito* Avien. Descr. Orb. vers. 340: *faces maritas*, *sacris maritis*, et innumera ejusdem formæ apud Ovidium et alios. Vide notas ad Silium Italicum lib. III, vers. 387: « .... jussis parere magistris. » Id est, magistralibus. Hæc scripseram quum in eadem conjectura deprehendi N. Heinsium ad Ovidii Heroid. XIV, 19. Nec te terreat sibilus tot vocum in *is* exeuntium: ita enim fieri interdum necesse est. Silvar. lib. II, carm. 6, vers. 1:

Sæve nimis quisquis lacrimis discrimina ponis.

Valer. Flacc. lib. VII, vers. 403:

Ecce autem in mediis noctis nemorisque tenebris.

Thebaid. lib. XI, vers. 19: «.....Jam finis votis finisque supremis Planctibus. »

222. *Huic Lycii montes.... et Parnassus honos.* Restitutio hujus loci debetur Heinsio, qui legit, *Et Parnasse sonas.* Vulgatam tamen tuetur Gronovius, Diatrib. cap. 44, his verbis: « vera est vulgaris scriptura, sed difficilior defectu verbi substantivi; qui frequens Papinio, ad obscuritatem usque. Huic Lycii montes, Thymbra, Parnassus *sunt* honos; hic ille præcipue colitur; hæc colit, ut Carthaginem Juno fertur. Et hæc defendit Elench. Antidiatr. cap. 2. » Et verum quidem est quod dicit de defectu verbi substantivi *est* vel *sunt*: æque vere Parnassus dici potest esse *honos* Apollini, licet non exacte interpretatione Gronoviana. His tamen concessis sensus et filum narrationis non recte procedunt. Vide enim totum locum: ut vero Apollo et Bacchus sensere Stellæ thalamos parari, ille statim ciet agmina et comites suos a Delo, hic a Nysa: ille maxime colitur Pataris, et Thymbra, et Parnasso; hic Pangæa, et Ismaro, et Naxo. Tunc intravere caras ædes, etc. Sentis jam ista, *Huic Lycii montes*, etc., si admittatur lectio et interpretatio Gronovii, plane supervacua esse: quid enim ad Stellæ nuptias, si Apollo et Bacchus præcipue coluntur Parnasso et Ismaro? Dicit vero Statius, Parnassum Apollini *sonare*, strepitu scil. Musarum parantium se profectui ad Stellæ ædes, ut his nuptiis honorem haberent: vide initium carminis. Pangæa quoque, et Ismarus, et Naxos illi (Baccho) resultant, resiliunt et resonant, motu et strepitu itidem Mænadum et Bacchi comitum eidem expeditioni se accingentium. Nihil clarius. Legendum itaque *Parnasse sonas*, quemadmodum emendavit Heinsius; quod idem est ac *Parnassus sonat*, apostrophe Statio et omnibus poetis familiarissima. Ita Via Domit. v. 105:

Ceu fessis ubi remigum lacertis
Primæ carbasa ventilatis auræ.

Id est, primæ auræ ventilant carbasa: ubi vide Gronovium, et quæ notavi ad vs. 137, ejusdem carminis. Pari modo pro *Tegeæe sonoræ* Baln.

Etrusc. v. 4, in edit. Paris. legitur *Tegeæus honore:* in Romana *Tegees honore.* Verba hujus loci mutuatus est Sidon. Apollinar. Epist. II, 10: « Hinc agger sonat, hinc Arar resultat. »

227. *Plectra ferunt.* Manifeste vitiosum istud *ferit:* nemo enim ferit plectrum, sed plectro. Senec. Troad. 833. Lege, « Hic thyrsos, hic plectra, ferunt. » Constructio est, « tunc iniere caras fores, et ferunt comiti canoro, hic chelyn, hic nebrida, hic thyrsos, hic plectra. » Ita supra v. 17:

Tibi Phœbus et Evan
Et de Mænalia volucer Tegeaticus umbra
Serta ferunt.

Sil. Italic. lib. III, vers. 619, de Domitiano: « Huic sua Musæ Sacra ferent. » Ex quo loco forte suspicari potes in isto Statii loco pro *serta* legendum esse *sacra.* Constructio vero notissima est. Vid. Tacit. Ann, lib. II, et Hist. lib. II, cap. 30.

229. *Socialia præsto omina.* Pro *omina* non invitus legerem *agmina:* cui favent sequentia, « jam festa fervet domus utraque pompa; » et ita supra v. 47, « hic mecum, dum fervent agmine pontes; » et infra v. 236: « in agmine plures invidere viro. » Ita *socia agmina* Achilleid. I, 301, et Virgil. Æn. II, 371. Scio quid de omnibus nuptialibus dici potest; sed hæc non ad socios sed auspices pertinent, pro votis vero et faustis precationibus sumi potest *ad omina*, et ideo nihil muto. Vetus codex habuit *omnia*, solenni errore.

231. *Et fervent compita flammis.* Nequaquam hoc a Statio, cum versu proxime præcedenti dixerat « jam festa fervet domus utraque pompa. » Mitto insecitam repetitionem conjunctionis, « et fervent compita flammis et pars immensæ. » Lege, « effulgent compita flammis. » Claudian. VI Cons. Honor. vs. 178: « Deus *effulgens;* » et ibid. 546: « altas sedes *effulgere.* » Virgil. VIII, 677; Sil. Italic. III, 695; Virgil. Æn. II, 615; Sidon. Apoll. Paneg. Anthem. v. 2; Tacit. Hist. IV, 29. Error inde ortus, quod librarius oculos conjecerat in versum præcedentem, unde hanc vocem repetivit. Hoc utriusque generis scriptoribus centies accidisse norunt et adnotarunt viri eruditi. Ita Silv. lib. V, carm. 5, vers. 19:

Primaque jacentis
Serpere crudeles vidit lanugine flammas;

pro *vidit* vetus codex habet *prima*, quoniam *prima* modo præcesserat. Ita etiam Theb. lib. V, vers. 490:

Quin etiam occultæ vulgo increbrescere voces:
Solane fida suis? nos autem increbrescere voces?

Ita habet codex Petrensis e manu prima, pro « nos autem in *funera* lætæ; » punctis tamen subjectis, ut spurium dignoscas.

235. *Hic eques, hic juvenum questus: stola mixta laborat.* Ita editiones ante Bernartium, qui legit, diffidenter tamen, « Hic juvenum cultu stola mixta laborat. » Gronovius, Distr. c. 50, vulgatam retinet et inter-

pretatur: « querebantur aut quod nimis laborarent pressu multitudinis, aut quod incommodo loco contemplari satis recte novos sponsos non possent. » Optimum quidem vatem Gronovium fuisse facile concedo: unde tamen mentem horum juvenum hariolari potuit non concipio, quum nihil tale innuat Statius; et quare juvenes potius quam equites querentur? Hæc me movent ut Bernartii conjecturæ assentiar, hac tamen differentia, « Hic juvenum cœtus: stola mixta laborat. » Eo magis quia *questus* et *cœtus* in his Silvis non semel inter se commutantur. Vide quæ adnoto ad Soter. Gallic. v. 115. Per *stola* intelligit matronas Romanas, quarum propria stola. *Cœtus virorum*, Theb. IX, 827; Sidon. Apollin. Carm. XXIII, 312. Vide et Livium, I, 18. Melius tamen, meo judicio, scripsisset Statius, « Hic eques, hic patrum cœtus; » quemadmodum eos conjungit Soter. Gallic. v. 39. Vult enim nobilitatem designare: atqui hoc non exprimit vox *juvenum*. Potes etiam *procerum cœtus*.

238. *Intactum dicere carmen*. Ibi intelligi debet novum carminum genus; sed hoc loco carmen non antea, neque in aliis nuptiis recitatum, ut a Juvenale, lib. VII, vers. 87, dicitur *intacta Agave*. HAND.

240. *Insigni geminat Concordia tæda*. N. Heinsius ad Sil. Italicum, VII, 447, pro *tæda* legit *nodo*. Non sane intelligo, quo sensu vir magnus sumsit vocem *geminat*: sed quocunque sumserit, nihil frigidius est isto epitheto *insigni*, sive *tæda* sive *nodo* legeris; et in hac voce depravationem latere puto. Vide si quid effici potest ex Claudiano de Nupt. Honor. et Mar. v. 203:

Tu, Gratia, flores
Elige; tu geminas, Concordia, necte coronas;

qui locus ex hoc Statii videtur expressus. Ubi tamen quæro, cui usui coronas necteret Concordia? Gratiarum hoc fuit, versu præcedenti: Concordiæ est nectere vincula, ut apud Nostrum, Silv. lib. V, carm. 1, v. 45:

Junxit inabrupta Concordia longa catena.

Legendum puto in loco Claudiani, « Tu geminas, Concordia, necte catenas. » Boxhornius, Epist. ad Gronov. legit, « Et insignes geminat Concordia tædas, » et nihil difficultatis esse putat. Non illi forte; alii autem morosiores erunt. Si enim per tædas voluit faces, primo, nihil Concordiæ cum facibus; et quæro quidnam sit *geminare faces*, præsertim *insignes?* si vero per tædas intelligi voluit nuptias, ut Statius dicat, Concordia *geminat*, seu *jungit insignes tædas*, dico, aliam rem esse *jungere tædas*, aliam *geminare tædas*; illud est matrimonium inire; hoc, bis matrimonium inire. Sed, ut dixi, depravatio videtur latere in voce *insigni*; et pro *geminat* non dubito quin Statii sit *geminas* vel *geminos*, ut concordet cum *tædas*, vel *nodos*, vel quodcunque aliud scripserit poeta: malo enim tacere quam inanibus conjecturis et locum et meipsum fatigare. « Geminas junxit Concordia partes, » Sidon. Apoll. Paneg. Anthem. 523. — Parrhasius castigare existimat: « insignis gemina Concordia tæda; » non ineleganter. GRUTER. — Fortasse: « et insignem geminat Concordia

vittam. » Non enim video, cur Concordia non possit nectere coronas seu vittas. Aut legendum *dextra* pro *tæda*, ex Thebaid. II, 288. *Geminat* i. q. jungit, ut III, 4, 54; aut: « insignem gemmis Concordia vittam, » ut Virgil. Æneid. VII, 75; « coronam insignem gemmis. » Suspicabar etiam: Juno *et incingit geminos concorde* catena. Conf. Kœnig. ad Claudian. X, 203. LENZ. — In edit. princ. legitur *geniat*, quod, ut refert Parrhasius, Epist. 57, p. 119, quibusdam placuit tamquam sacrum verbum de geniali fœdere sanciendo; quod tamen ab usu abhorret. Vulgaris lectio hæc est: « insigni geminat Concordia tæda, » quam qui defenderunt, ut Bernartius, verbo *geminare* novam significationem firmandi tribuerunt, nec tamen, quæ *insignis tæda* sit, docuerunt. Gronovius, quum de Concordiæ tæda geminante loquitur, Diatrib. p. 186 (105), quid sibi voluerit, non patet. Guyetus igitur cum Parrhasio et Barthio conjecit « insignis gemina Concordia tæda. » Sed præterquam quod vocabulum *insignis* frigidum sensum habet, poeta, ut solet, cuique numini proprium negotium adscripsisse videtur, Hymenæo cantum, Junoni conjugalia vincla offerenda, Concordiæ aliud quiddam. Quare Scalig. Lindenbr. in notis ineditis, et N. Heinsius corrigendum censebant « insigni geminat Concordia nodo; » quorum hic in Syllog. tom. V, pag. 533: « nodus, inquit, pro vinculo. Sic nodus amicitiæ et talia complura. *Nodus Acidalius* pro cesto sive cingulo Veneris apud Martialem. » In ineditis comparat locum V, 1, 45. Quam in sententiam deductus, Drakenborchius conjecit *insigni cesto*, et Burmannus ad Claudian. Epith. Honor. 203, ubi Marklandi correctionem optimo jure reprehendit, zonam virginalem gemmato nodo insignitam intelligens: « et insigni gemmat Concordia nodo. » Quod non immerito habebit risores. Hopfius suspicatus est: « insignit gemina C. tæda, » et alius quidam « insignit geminas C. tædas, » nimirum vittis et corollis. At optima et receptu digna videbatur emendatio a Boxhornio in Epist. ad Gronov. p. 63 (84) proposita, quam Marklandus non jùsto judicio æstimavit, sed falsa interpretatione Wernsdorfius pervertit ad Poet. min. tom. IV, pag. 486, quum duas virgulas in coronam nexas *tædæ* nomine appellatas vellet. Ipsum enim conjugium sanciendum veteres alio ritu singulari significabant in conjungendis duabus tædis; quo facto matrimonium pactum videbatur. Ita Stat. III, 4, 53; quæ etiamsi non primario sensu accipias, ritum aliquem, in quo harum dicendi formularum origo semper posita est, legitimum fuisse ostendunt. *Insignes* vero recte vocantur tædæ nuptiales, quæ ornatæ erant corollis aut vittis. HAND.

242. *Sic victa sopore doloso.* Ovid. Metam. lib. XI, v. 238, de Thetide:

> Illic te Peleus, ut somno vincta jacebas,
> Occupat;

ita pro *victa* ex MSS. edidit Heinsius, qui ibidem affatim exemplorum adducit ad stabiliendam istam lectionem. Hoc vero loco *victa sopore* verum est; quippe Ilia non potuit esse *vincta sopore* quum se ad fluvium deposuit: hoc sibi ipsi contradicit. Recte igitur *victa sopore*, ut Tibull.

I, 2; Propert. III, 15, et passim. Editio Parmensis *juncta:* voluit opinor, *vincta*. Nota vero, lector accurate, vocem *sic* hoc loco positam esse pro *talis:* talis fuit Ilia; non talis Lavinia, non talis Claudia, id est, non huic comparandæ Lavinia et Claudia. Ita Silv. II, 1, 179, de Glaucia Atedii:

Talis in Isthmiacos prolatus ab æquore portus
Naufragus imposita jacuit sub matre Palæmon:
Sic et in anguiferæ ludentem gramine Lernæ
Præcisum squammis rabidus bibit anguis Ophelten.

Id est, talem Ophelten. Aliter enim, ut et supra memorato loco, non constat comparatio. Eodem libro, carm. 6, vers. 45, de Ursi puero:

Talem Ledæo gurgite pubem
Educat Eurotas; teneri sic integer ævi
Elin adit, primosque Jovi puer approbat annos.

Id est, talis Elin adit. Plura exempla non opus est exscribere: vide, si velis, Silv. IV, 2, v. 44; Theb. IV, 794 et sqq. Ovid. Amor. I, 7, v. 13; Virgil. Æn. X, 565: « Ægæon qualis, etc. Sic toto Æneas desævit in æquore victor; » i. e. talis Æneas.

243. *Martia fluminea posuit latus Ilia ripa.* Usitatius est dicere *gramineæ* quam *fluminea ripa.* Theb. IX, 492; Virgil. Æn. VII, 105:

Quum Laomedontia pubes
Gramineo ripæ religavit ab aggere classem.

Id est, ab aggere gramineæ ripæ. Ausonius Mosella, v. 26: « Consite gramineas amnis viridissime ripas. » Quippe sub voce *ripa* continetur sæpe fluminis notio; adeo ut supervacuum videatur dicere *fluminea ripa,* quum satis sit *ripa.* Ovidius, Fastor. lib. III, vers. 13, de hac Ilia; Tibull. lib. II, eleg. 5, vers. 53, de eadem. Nihil tamen mutandum esse docet hic locus Ovidii Heroid. V, 25:

Populus est, memini, fluviali consita ripa.

— Sensus est: succumbens sopori deposuit artus. Pervigil. Vener. 81: « explicant tauri latus. » Lucret. I, 258: « fessæ pecudes corpora deponunt. » Cf. Virg. Æneid. VII, 108. *Dolosus sopor*, quia per eum a Marte comprimebatur; ut *fallax somnus,* qui fraudi fuerat Ariadnæ, apud Catullum, carm. LXIV, vers. 56. Lenz.

244. *Niveos strinxit Lavinia vultus.* Gesnerus in Thesauro, pag. 574, explicat: *strinxit,* manu fricuit ad dissimulandum ruborem. Quod ridiculum est. Forcellinus vero, quum reddit: « contraxit præ verecundia, » non apto verbo utitur: nam contracti vultus aut iram, aut morositatem et tristitiam significant. Tertia illa Lenzii « *strinxit*, ni fallor, est idem quod retexit, nudavit, » explicatio neque cum verbi usu, neque cum ipsa poetæ sententia convenit. Neque vero projecti pudoris, sed verecundiæ imaginem requires. Quare *stringere vultus* dictum puto de puella, quæ contracto velamine, vel manu admota vultus tegat, aut oculis demissis et clausis vultum contineat. Alterum hoc voluit Statius. Atque ita decebat novam nuptam. Hand.

250 *et* 251. *Sed præcipue qui gressu extremo fraudatis opus.* Satis intelligitur quid velit per *nobile opus;* poesin nempe heroicam. Sed verba ista per se non istud denotant; *nobile* enim *opus* recte dicitur de opere quopiam quod suo genere excellit; ut « Libyci nobile dentis opus », apud Martial. Epigr. XIV, 3, et alios passim. Diu videram legendum esse *nobile epos,* ex Ovidio, Remed. Amor. v. 396, ubi Heinsium itidem hunc Statii locum ita emendasse serus deprehendo. Dubitat tamen vir magnus de τῷ *epos* Ovidiano, et nihil temere mutandum censet, quando quidem omnes scripti codices retineant *opus.* Nec ego quidquam temere mutatum velim et absque summa necessitate; quemadmodum in hoc loco, ubi oppositio vocum *elegi* et *epos* necessario postulat ut ita legamus; nisi probari possit *nobile opus* absolute sumtum, idem esse quod *epos,* quod non verum esse scio. De loco Nostri Silv. IV, 7, 3, quem ad partes suas trahit Heinsius, dicam quando eo deventum est. *Nobile* hoc *epos* vocat *nobile carmen* Geneth. Lucani, v. 114; *forte epos,* Horatius; *Fortem pedem* Domitius Marsus Epigrammate de Tibulli morte; inde *fortis Erato,* Nostro IV, 7, ob heroos scilic. labores. Martialis quidem Epigramm. V, 5:

> Ad Capitolini cælestia carmina belli,
> Grande cothurnati pone Maronis opus:

Sed nec ibi quidem simpliciter *grande opus,* sed *cothurnati* Maronis *grande opus.* — *Date carmina festis digna toris.* Mallem *faustis toris.* Vide ad Geneth. Lucan. v. 88; Ovidius, Ponticor. lib. I, epist. 2, vers. 133:

> Ille ego, qui duxi vestros Hymenæon ad ignes,
> Et cecini fausto carmina digna toro.

En ipsissima verba, ut de hac emendatione non sit dubitandum. Et sane vix plura ex Virgilio quam ex Ovidio sumsit Statius.

252. *Hunc ipse choro plaudente Philetas.* Pro *choro plaudente* recte Bernartius *Coo:* et ita editt. vetustæ, Parmensis et Romana. Prima autem in *Cous* recte corripitur, ut apud Marcellum Empiricum de Medic. v. 5: « Quodque Cous docuit senior. » Vide Stephanum Byzantinum de Urbibus, in voce Κῶς. — Marcellum, cujus exemplo correptam syllabam defendunt, pessimum esse prosodiæ magistrum, quis nescit? Quod vero Parrhasius et Bernartius existimarunt, nomen insulæ longa syllaba, brevi vero nomen civium efferri, id ab omni ratione atque usu abhorret. *Coo plaudenti* quis sensus affingi possit vel tolerabilis, comminisci nequeo. Plenus est et optimus in voce genuina, *choro plaudente,* choro nimirum Apollinis et Musarum, quibus Elegia se velut decimam immiscuit. In *Coo plaudente* hærentes obliti certe fuerant eorum, quæ legerant initio carminis elaborati: « Cui, Pæan, nova plectra moves? Demigrant Helicone deæ, etc. » vs. 16: « Te concinit iste (pande fores) te, Stella, chorus; tibi Phœbus, etc. » Nunc nemo, credo, dubitabit, quin genuinum sit *choro plaudente;* cui certe *choro* cælesti perplacuissent ora quondam Musarum, Cous Philetas et Callimachus Cyrenæus, Umber

etiam Propertius, si huc illuc ad auspicatissimas Stellæ nuptias et Violantillæ suis modulis redire potuissent celebrandas. Cois quidem plaudentibus in hac pompa nullus omnino locus esse potuit. Etiam Schraderus, ut ante eum Avantius, Crucens, Barthius et Scriverius, restitui voluerunt *choro plaudente*. Hand.

264. *Nec tibi sulfureis*, etc. Ita editiones plurimæ, et præcipue Parmensis. Domitius tamen Calderinus et ex eo Bernartius substituunt *sibi*, hoc sensu: nec Lucrinus lacus, nec Sarnus magis gloriari possunt suis nymphis, quam Sebetus (fons apud Neapolim est) Violantilla sua civi seu alumna. Optime quidem et elegantissime, si verba ferrent. Vide enim constructionem: « Nec Lucrinæ Naides magis sibi placeant antris sulfureis; » hucusque recte et ordine omnia; jam pergas: « nec otia Pompeiani Sarni; » quid tum? nihil, nisi ἀπὸ κοινοῦ intelligas *magis sibi placeant*. Qua re sibi placeant? an *sulfureis antris?* hoc enim solum restat; quod vides quam absurdum sit. Mitto quod versu priore dixisse debuit, nec Lucrinus magis sibi placeat suis nymphis, quam Sebetos sua alumna: non, « nec Lucrinæ Naides magis sibi placeant sulfureis antris. » Omnino verum est, *Nec tibi*. Alloquitur Violantillam Statius, v. 260. *At te nascentem*, etc. et admonet illam se esse Neapolitanam et Sebeti alumnam: Ne igitur, inquit, Lucrinus et Sarnus magis *tibi* placeant quam popularis tuus Sebetus. Quibus clam hortatur eam, ut ad gentile solum Neapolin redeat; vel certe ut memor sit illius, nec illi præferat alia loca, etiamsi amœniora. *Otia Sarni*, quia in ista amœna regione, Campaniam dico, secessus et villas suas habuerunt Romani; ubi maxime *otiabantur*. Similis huic locus Surrent. Poll. vs. 110, Vide præcedentia. — Cod. Urat. Leid. Paris. edit. princ. Rom. Vicent. *nec sibi;* et ita de conjectura, aut ex commentariis Calderini restituit Bernartius, approbantibus Gevartio, Gronovio et Guyeto. Sententia, quam Marklandus efflagitat, prorsus absona videtur, neque ipsa Violantilla cum nymphis Lucrinis comparatur. Nam sensus verborum, quem nemo accurate expediit, ita se habet: Gaudeat sua alumna Sebetus, nec minus hoc suo decore superbiat, quam Lucrinus lacus et Sarnus sua amœnitate. Lucrino enim lacui summa erat gloria ab amœna regione, Pompeiano autem ab otiis, quibus Romani uti solebant. Hand.

267. *Qui leges, qui castra legant*. Ita editiones Romana, Aldina, Colinei, Gryphiana; et hanc lectionem amplectitur Gronovius, Diatr. c. 2, ubi *leges* interpretatur *custodes legum*, *senatum;* et *castra*, *milites*. *Legere* vero *senatum* et *legere milites* recte dicitur. Ipsum etiam vocabulum *legis* a *legendo* dictum: quo pulcherrime, inquit, allusit Statius. Hæc vir magnus, suo more, hoc est, erudite. At quodnam opus translata notione vocis *leges* pro *senatu*, quum usitata et primaria æque commodum vel meliorem sensum reddat? Nimirum hoc vult Statius: procreate liberos quorum posteri summum locum teneant in foro et in castris, pace et bello, toga et armis; hoc enim intelligendum est istis, « Qui leges, qui

castra legant. » Simili sensu conjungit Surrent. Poll. v. 123; et Epiced. in Patr. lib. V, carm. 3, vers. 189:

Hi fora pacificis emendant fascibus, illi
Castra pia statione tenent;

hoc est *leges* et *castra*. Et Soter. Gallici, v. 71. Nihil hic de *senatu;* nec Statius eo significatu unquam usurpavit vocem *leges*. Et forte defendi potest phrasis *legere leges* (licet nusquam alibi, credo, occurrat) loco Virg. Æn. I, 430. Mihi tamen minime dubium est quin Statius scripserit, « Qui leges, qui castra regant; » prout olim conjecerat Bernartius; qui negat *legere leges* et *castra* Latinum esse. *Regere leges* est, principem locum obtinere in jure dicundo; in concionibus, in foro dominari; negotiis civilibus præesse: *regere* castra, exercitibus præesse, et munia imperatoria obire. Noster, Theb. XI, 165; Martial. Epigr. X, 37; Manil. IV, 58, de Julio Cæsare; Sidon. Apollin. Paneg. Aviti, vs. 296, et 312; Rutilius Itinerar. I, 157; *regere prætoria*, idem vs. 273; Claudianus in Rufin. II, 82; leges *tenere* vocat hoc lib. I, in Eutrop. v. 497; *jura regere*, II, 344. *Castra regant*, id est, exercitus, Sil. Italic. IX, 17; idem VI, 307; VII, 46, de Fabiis; Plin. Epist. IV, 23, et 24. Vide et II, 13, ubi eadem locutio. Passim apud Tacitum invenies. *Rector castrorum* alicubi apud eundem, si recte memini. *Rector reipublicæ* apud Cicer. de Orat. I, 48, et *regendæ reipublicæ* scientissimus, cap. 49. — Fortasse sensus hic est: qui de rebus in pace et in bello gestis legant, et his exemplis discant. Lenz. — In omnibus scriptis libris et primis editt. exstat *legant*. Hæc via, qua jam Domitius ingressus erat, ad perversam subtilitatem perducit, quum a militum eligendorum munere nemo designarit duces, neque ipsum nomen castrorum pro militibus usurpaverit. Quare necessaria mihi visa est mutatio, in his verbis sæpe confusis facilius admittenda; et Bernartio auctore ita placuit etiam Gevartio, Barthio, Peyraredo et Hopfio, neque ipse Gronovius e textu removit voc. *regant*. Hand.

CARMEN III.

VILLA TIBURTINA MANLII VOPISCI.*

Cernere facundi Tibur glaciale Vopisci
Si quis, et inserto geminos Aniene penates,
Aut potuit sociæ commercia noscere ripæ,
Certantesque sibi dominum defendere villas;
Illum nec calido latravit Sirius astro,
Nec gravis aspexit Nemees frondentis alumnus:
Talis hiems tectis, frangunt sic improba solem
Frigora, Pisæoque domus non æstuat anno.
Visa manu tenera tectum scripsisse Voluptas;
Tunc Venus Idaliis unxit fastigia succis,
Permulsitque comis, blandumque reliquit honorem

VARIÆ LECTIONES.

* *Villa Tiburtina Manlii Vopisci.* Cod. Urat. *Villa Tiburtina M. mauritii vopisci.* Ed. pr. *Manilii;* Rom. cum reliquis *Tiburtinum Manlii Vopisci.* Gronovius vero edidit, ut videtur, auctoritate librorum id, quod nos quoque servavimus. H.

2. *Inserto.* Cod. Urat. *insertos;* edd. Rom. Venet. *in serto.* Hand.

3. *Noscere.* Edit. pr. *ponere.*

4. *Certantis.* Ita scripsi auctoritate Codd. Urat. Voss. et editt. omnium antt. Aldus edidit *certantes*, quem omnes sequuti. Hand.

8. *Pisæoque... anno.* Vulgo *Pisæum... annum.* Hand. — Ita Cod. Paris. et Edit. pr. et scripsit vir cl. Hand. Vid. not. ad hunc vers. A.

9. *Visa .... tectum*, etc. Codd. Urat. Voss. Vind. exhibent *ipsa*, et ita editt. antt. et Aldina secunda, nam *visa* ab Aldinæ primæ correctore illatum est. Hand. — *Ipsa.... fertur*, sic habet cl. Hand. Cod. Paris. *ipsa.* Vid. notam. A.

10. *Unxit fastigia.* Edit. princ. *junxit fastidia;* Parm. *junxit;* Vic. *unxit fastidia.* Hand.

11. *Permulsitque comis.* Quod in Cod. Paris. legitur *permulsitque co-*

Sedibus, et volucres vetuit discedere natos.
O longum memoranda dies! quæ mente reporto
Gaudia! quam lassos per tot miracula visus!
Ingenium quam mite solo! quæ forma beatis
Arte manus concessa locis! Non largius usquam
Indulsit natura sibi. Nemora alta citatis
Incubuere vadis; fallax responsat imago
Frondibus, et longas eadem fugit unda per umbras.
Ipse Anien (miranda fides) infraque superque

mas, a Domitio receptum, per omnes editiones usque ad Gronovianam propagatum est. Gronovius e codice Florent. restituit *permulsitque comis* quod etiam in Cod. Urat. et edit. pr. exstat. HAND. — *Reliquit.* Cod. Leid. a manu pr. *relinquit.* HAND. — *Reliquit* in Cod. Paris. A.

12. *Discedere.* Edd. pr. et Ven. *descendere;* correxit Avantius.

15, 16. *Quæ forma.... arte manus concessa.* Pro *arte manus concessa locis*, edit. Parm. habet *antiqua locis:* quod quid sibi velit, nescio. Suspicor hanc vocem deberi Domitio. Venet. enim habet, *arte manus artemque locis;* Parm. *arte manus antiqua locis.* Nec quidem tam recte dici potest forma *concedi* alicui loco *per artem manus.* Potius esset, *addita*, *imposita.* Tale aliquid latere videtur. — Cod. Urat. tres Vaticani et edit. princ. *arte manus artemque locis.* Sed Leid. *arte manu concessa locis;* Vatican. 3695, *arte manus concessa locis.* Hoc primus edidit Domitius in ed. Rom. et inde in reliquis. Verba *artēque* et *antiqua* facile confundebantur, sed quid in his lateat, et unde ea confecta sint, *frustra quæsivi*, quum interpolationis suspicio ab altera librorum scriptura aliquantum removeri posset. HAND.

18. *Responsat.* Ed. pr. *respondit.*

19. *L. eadem fugit unda p. umbras.* In omnibus editionibus inde a principe legitur, « longas eadem fugit umbra per undas; » quod sive cum Domitio explicaveris, « eadem umbra protenditur per longum spatium Anienis, » sive cum Lenzio, « eædem arbores in toto decursu, » nec verbum, *fugit*, nec quæ sit *eadem umbra*, expeditum habebis. — Marklandus edidit: « longas eadem fugit unda per umbras, » nulla mutationis, aut auctoris mentione facta. Est vero hæc ingeniosa correctio Bentleii, ad Horat. Carm. IV, 2, 29 exposita, quam ab optimo libro Uratislens. confirmatam, servavi. Conjungitur voc. *idem* eleganter cum verbis magnitudinis vel longitudinis, eorumque vim auget ex oppositione. HAND. — Cod. Par. pro *eadem* exhibet *tandem*, ex emendatione, et *fugit umbra per undas.*

20. *Ipse Anien.* Pro *Anien* Domitius in omnibus suis codicibus invenit *autem.* Et bene quidem emendavit; sed aliud suggerit editio Parmensis, quæ plane habet *Ipse amnis.* Ne dubites quin hoc ipsius Statii sit. *Amnis* hic est idem

Saxeus, hic tumidam rabiem, spumosaque ponit
Murmura, ceu placidi veritus turbare Vopisci
Pieriosque dies, et habentes carmina somnos.
Litus utrumque domi: nec te mitissimus amnis
Dividit; alternas servant prætoria ripas
Non externa sibi, fluviumve obstare queruntur.
Sestiacos nunc fama sinus, pelagusque natatum
Jactet, et audaci junctos delphinas ephebo:

quod *Deus fluvii*. Thebaid. IX, 469; infra hoc carm. v. 45; Ovid. Amor. III, 6, 81 Passim exempla invenies. In contextum itaque recipiatur *Amnis:* et ita sane fecissem, nisi typis excusa fuisset ista scheda antequam in manus meas veniret editio Parmensis, quam aut non viderat Domitius, aut dissimulavit, ut ingeniosæ suæ conjecturæ locum faceret. — Cod. Urat. et edit. pr. *ipsa autem miranda fides*. Nomen fluminis conjectura se restituisse profitetur Domitius; tamen, si silentio fides, in Leidensi invenit Burmannus, et in Parisiensi Hasius. Legitur etiam in Vicentina. HAND. — Cod. Par. *Ipse Anien m. f.*

22. *Murmura*. Ed. pr. *munera*.

23. *Pierios*. Edd. Rom. et Ven. *Piereos*. HAND. — *Habentes c. somnos*. Recte edidi *habentes*, et ita Venetæ, non *aventes*, nec *amantes*. — Codd. Leid. Paris. edd. Rom. Vic. Venet. Aldin. cum recentioribus, *aventes;* sed præstat alia lectio *habentes* quam nunc in Cod. Urat. et in ed. princ. deprehendi. HAND. — Vid. not. crit.

24. *Amnis*. Codd. Urat. et Vind. *annus*. HAND. — Ed. pr. *armis*. A.

25. Ed. pr. *servat*. A.

26. *Non externa sibi, fluviumve*, etc. Quærit Bentartius: Cur non audiam veterem, « Non extrema sibi fluviorum obstare queruntur? » Dicam tibi, vir erudite: quia nullus est in eo sensus. Nonne hoc satis causæ? Edit. Parm. exhibet: « Non externa sibi fluviorum optare queruntur; » Romana, *fluviumne obstare:* quod vero proximum est. — Vetus editio *extrema*, quod verius. GRUTER. — Cod. Urat. « Non externa sibi fluviorum optare queruntur, » et ita edit. pr. nisi quod *extrema* habet. Cod. Leid. et edit. Rom. et Venet. *fluvium ne obstare*. Cum Gevartio, qui *externa* defenderat, reliqui consentiunt. Particulam *ve* restituerunt Domitius et Avantius. In plurimis vero editionibus verba leguntur ita interpuncta: « Alternas servant prætoria ripas, Non externa sibi, fluviumve obstare queruntur. » Grasser. comma post *sibi* omisit, et Jos. R. Vulpius scripsit: « Non externa sibi fluviumque optare queruntur. » Quod Markl. ex Gevartii sententia edidit, unum verum puto. HAND. — In marg. Cod. Paris. *fluviorum*. A.

27. *Sestiacos*. Cod. Urat. *sesciatos*. HAND. — Ed. pr. *sesiacos*. A.

28. *Audaci*. Cod. Urat. *audacis*. HAND. — *Junctos*. Parm. *vinctas* solenni harum vocum commutatione, ut et v. 45, *vinctus fornacibus a*.

Hic æterna quies, nullis hic jura procellis,
Nusquam fervor aquis. Datur hic transmittere visus,
Et voces, et pæne manus. Sic Chalcida fluctus
Expellunt fluvii : sic dissociata profundo
Bruttia Sicanium circumspicit óra Pelorum.
Quid primum, mediumve canam; quo fine quiescam?
Auratasne trabes, an Mauros undique postes,
An picturata lucentia marmora vena
Mirer, an emissas per cuncta cubilia nymphas?
Huc oculis, huc mente trahor. Venerabile dicam
Lucorum senium? te, quæ vada fluminis infra
Cernis? an ad silvas quæ respicis, aula, jacentes?
Qua tibi tota quies, offensaque turbine nullo
Nox silet, et teneros invitant murmura somnos.

pro *junctus*. — Cod. Urat. et edit. pr. *victos*. HAND.

30. *Nusquam f. aquis*. Edd. omnes : *Nusquam f. aquis*, præter ed. princ. quæ cum Cod. Urat. præbet *Numquam ;* hoc restitui, quando quidem poeta ad temporis varietatem spectat. Cod. Urat. *equis*. HAND.

31. *Chalcida*. Codd. Vind. *Calchida;* ed. pr. *colchida*. HAND. — Pro *sic*, Cod. Paris. habet *si*. A. .

32. *Fluvii*. Cl. Hand. recepit *reflui*, invitis omnibus libris qui præbent *fluvii*. A.

33. *Bruttia*. *Brutia* legitur in omnibus libris et edd. ante Gronov. qui edidit *Bruttia*. HAND.

35. *Auratasne*. Cod. Urat. *Auratasve*. H. — Ed. princ. *Auratasque*. Ibid. Ed. pr. *Mavors*. A.

36. *Vena*. Ven. *luna*, quod probavit Gronovius. — Libri scripti præter Mediceum, nihil mutant; sed edit. pr. et Parm. *luna*. HAND.

37. *Emiss. p. c. c. lymphas*. Lectio hæc a Joanne Britanico, annotante Gevartio, quum antea fuit *nymphas*, quod verissimum est et Statianum : et ita inveni in editt. Parm. et Rom. Vide infra ad v. 64. — Jo. Britanicus in annotationibus commentario in Juvenalem præmissis scripsit *lymphas*, quod in Aldina receptum, servarunt Lindenbrogius, Grasserus et Gronov. quamquam hic in Diatr. pag. 179, *nymphas* esse legendum docuerat. Correxit etiam N. Heinsius. HAND.

39. *Te, quæ v*. Edd. pr. Rom. Ven. *teque;* correxit Avantius. H.

40. *Jacentes*. Cl. Hand. recepit *tacentis*, ut habet Cod. noster. Vid. not. crit. Ed. pr. *tacentis*. A.

42. *Nox*. Codd. Urat. et Vind. *mox*. HAND.

42. *Teneros invitant m. somnos*. Codd. Urat. et Vind. *nigros mutantiam. somnos;* Codd. Leid. Par. edd. pr. Rom. Venet. et reliquæ *nigros imitantia m. s*. HAND. — Peyraredi

An quæ graminea suscepta crepidine fumant
Balnea, et impositum ripis algentibus ignem?
Quique vaporiferis junctus fornacibus amnis
Ridet anhelantes vicino flumine nymphas?
Vidi artes, veterumque manus, variisque metalla
Viva modis. Labor est auri memorare figuras,
Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas.
Quicquid et argento primum vel in ære Myronis
Lusit, et enormes manus est experta colossos.
Dum vagor aspectu, visusque per omnia duco,
Calcabam nec opinus opes : nam splendor ab alto
Defluus, et nitidum referentes aera testæ
Monstravere solum; varias ubi picta per artes
Gaudet humus superare novis asarota figuris.
Expavere gradus. Quid nunc ingentia mirer,
Aut quid partitis distantia tecta trichoris?
Quid te, quæ mediis servata penatibus, arbor,
Tecta per et postes liquidas emergis in auras?
Quo non sub domino sævas passura bipennes?

correctionem *pigros* H. recepit. A.

45. *Quique*. *Quaque* habent Cod. Paris. et cl. Hand. Vid. not. crit. Pro *junctus*, ed. pr. *unctis*. A.

50. *Myronis*. Cod. Uratislens. *Minoris*. Hand.

51. *Lusit et enormes m. e. ex. colossos*, lege, « Zeuxidis aut vario manus e. e. colore. » — Vid. not. crit. — *Enormes m. c. e. colossos*. In editione Vic. legitur. et in Parm. « enormi manus est experta colosso. » Hand.

52. *Visusque*. Edit. pr. *vivusque*.

53. *Nec opinus*. Ed. pr. *opimus;* correxit Domitius.

54. *Referentes æra*. Cod. Uratisl. *deferentes aerea*. Hand.

56. *Superare*. *Suberantque*. — Edd. Rom. Vicent. Venet. habent « superantque novas asarota figuras ; » edit. princ. « speratque novis asarata figuris; » sed quod optimum est, « superatque novis asarota figuris, » et quod Codd. Urat. Vind. firmant, primus commendavit Salmasius, et probatum a G. I. Vossio, recepit Gronovius. Hand. — Cod. Paris. *superatque novas asarota figuras*. Vid. not. crit. A.

57. *Quid nunc ingentia mirer*. Ed. pr. *qui nunc ingentia mittet*.

58. *Aud quid partitis*. Lege, *atria? quid paribus*. — *Trichoris*. Ed. pr. *tritoris*. Vid. not. crit. A.

60. *Tecta*. Ed. pr. *testa*. A.

Et nunc ignaræ forsan vel lubrica Naïs,
Vel non abruptos tibi debet Hamadryas annos.
Quid referam alternas gemino super aggere nymphas,
Albentesque lacus, altosque in gurgite fontes?
Teque per obliquum penitus quæ laberis amnem,
Marcia, et audaci transcurris flumina plumbo?
Non solum Ioniis sub fluctibus Elidis amnem
Dulcis ad Ætnæos deducit semita portus.
Illis ipse antris Anienus fonte relicto,

62 *et* 63. *Et nunc ignaræ forsan vel l. Naïs v. n. ab. tibi debet.* Pro *nunc* edd. Parmens. et Rom. habent *non;* Parm. omittit *tibi*, et Rom. *demit* non *demet.* — In antiquis libris non magna deprehenditur varietas. Cod. Leid. *lubrica Dryas;* idem cum edit. Rom. *demit;* ed. pr. *damnet;* eademque cum Cod. Urat. *ubi* pro *tibi.* Bernartius e vetere codice, ut videtur Lips. attulerat *et nunc ignaræ.* Hand. — Cod. Paris. *non ignaro*, et vers. sequenti *demet* pro quo legitur *donat* in margine. Ed. pr. *nunc ignaro.* Vid. not. A.

64. *Nymphas. Mensas*, quod est in Cod. Paris. et Ed. pr. retinuit cl. Hand. Vid. not. crit. A.

65. *In gurgite.* Ven. *immergite.* Voluit, opinor, *in margine*, quod verum puto. — Ed. pr. *immergite.*

67. *Marcia.* Pro *Martia* scribendum *Marcia.* Est enim a *Marcio*, non *Marte; Μάρκιον ὕδωρ*, non *Μάρτιον*; et ita legendum Baln. Etrusc. v. 26: « Marsasque nives et frigora ducens Marcia; » ubi vulgo *Martia.* Vid. Broukhus. ad Propert. III, 1, v. 52. — Vocatur a Strab. V, p. 240, B. τὸ *Μάρκιον ὕδωρ.* Hoc notavit jam Morellus. Tamen omnes editiones ante Markl. perhibent *Martia.* De hac aqua per Anienem plumbeis canalibus ducta vid. ad I, 5, 27. *Obliquus amnis* dicitur non, ut Parrhasius existimavit, de transverso flumine, sed de obliquo aquarum cursu, quem Marcia sequebatur, antequam per ipsum flumen traducebatur. Hand. — Cod. Paris. *Martia.* A.

68. *Non solum*, etc. Desunt vss. 67 et 68 in edit. pr. A. — Vicent. *Helidos* pro *Elidis.* Hand. — *An solum* legitur in Cod. Paris. et in ed. Hand. Vid. not. crit. A.

69. *Ætnæos.* Cod. Uratisl. *ætherios;* ed. pr. *æthreos;* Wakefieldus scripsit *Hennæos.* Hand. — *Deducit.* Cod. Paris. et edit. pr. exhibent *deducat;* quod cl. Hand. recepit. Vid. notam. A.

70. *Anienus fonte relicto.* Pro *Anienus* in nonnullis codicibus invenit *Anien in* Domitius; unde legit *Anieni*, nulla syntaxeos habita ratione. Politian. Epist. VI, 1. *Anien et fonte;* quod sane vix intelligo. Solus verum vidit Bernart., *Anienus, deus* fluvii Anienis, ut *Tiberinus*, Tiberis. Propertius, IV, 7, 86, « Accessit ripæ laus, Aniene, tuæ. » — Ed. pr. *Aniene in fonte relicto*, quod Domitius mutavit in *Anieni fonte relicto*, ut *ipse Tiburnus*, neglecto Aniene, delectari illo lacu

Nocte sub arcana glaucos exutus amictus,
Huc illuc fragili prosternit pectora musco:
Aut ingens in stagna cadit, vitreasque natatu
Plaudit aquas: illa recubat Tiburnus in umbra,
Illic sulfureos capit Albula mergere crines.
Hæc domus, Ægeriæ nemoralem abjungere Phœben,
Et Dryadum viduare choris algentia possit

diceretur. Quo totius sententiæ ratio depravatur; quamquam ita legitur in codice Leidensi et in editt. Rom. et Venetis. Vicentina habet *Anienis* cum Parmensi, sed Aldinæ *Anienus*, quod reliquæ servarunt. Primus correxisse videtur Jacobus a Cruce Bonon. Thes. crit. tom. I, pag. 675. Cod. Uratisl. et Vindob. *Anienem. Anien et fonte*, legitur in codice Senensi. Quare nisi compendia extremarum syllabarum *us* et *em* sæpe in libris scriptis confusa offendissem, hac correctione, quam reliquis præstantiorem ego quoque retinui, an poetæ manus non referatur, valde dubitaturus eram. Nemo tamen verba *et fonte relicto* defendet collatis locis vel aliis vel carm. V, v. 56. *Fons*, h. l. de aqua sive de alveo fluminis simpliciter dicitur, ut Achill. lib. I, vers. 181, et alibi. Hand. — Cod. Paris. *Anienis fonte r.* A.

72. *Prosternit.* Editio princeps, *prosternunt.*

74. *Illa recubat Tiburnus i. u.* Pro *Tiburnus* nonnullæ editiones habent *Tiberinus*, et hoc placet Gevartio et Politiano: Mureto et Calderino *Tiburnus*, Genius scilic. Tiburis: et hoc verum est, vel propter illum Horatii locum Carm. I, 7, ex quo suum hausit Noster, « et præceps Anio et Tiburni lucus; » Ubi nec *Tiburni lucum* idem intelligit quod Statius per ista, « illa recubat Tiburnus in umbra. » Ita *Albulam* et *Anienum* deos fecit, paulo ante. Parmensis *Anienis*, et *Tiburnus;* ut et Romana. — *Tiberinus*, quod prætulit cum Politiano Gevartius, ex ed. pr. in qua legitur *Tiburinus*, reduxerat Avantius in Aldinam, unde Bernart. et Lind. Sed *Tiburnus*, correctum a Calderino et Jacobo a Cruce, legitur in Cod. Uratisl. Leid. Paris. et in ed. Grasser. Gevart. Gronov. idemque probaverunt Muretus ad Horatii l. c. Lindenbrogius in notis, Cluverius in Ital. antiq. et Scriverius in ineditis. Hand.

76. *Ægeriæ.* Sic plurimi libri, sed ed. pr. *Egeriæ*, quod præstat, nam non modo Plutarchi testimonium, sed etiam nominis explicationes quas Varro apud Augustinum, de Civ. D. VII, 35, et Festus faciunt, etsi ipsæ falsæ fuerint, scripturam tamen probant. Hand. — *Abjungere.* Codd. Urat. Vind. Paris. edd. pr. Rom. Ven. *adjungere.* Correxit Avantius, et in prima Aldina exhibuit. Hand.

77. *Viduare choris algentia possit Taygeta.* Pro *algentia*, quod recte restituit Domitius, in Parmensi est *algeona.* — Edit. princ. *thoros* pro *choris*, et *Taigeta.* Eadem habet *algentia;* unde Domitius sumsit. Cod. Paris. *choris* a. pr. m.

Taygeta, et silvis arcessere Pana Lycæis.
Quod ni templa darent alias Tirynthia sortes,
Et Prænestinæ poterant migrare sorores.
Quid bifera Alcinoi laudem pomaria? vosque,
Qui nunquam vacui prodistis in æthera, rami?
Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Jugera, Lucrinæque domus, litusque cruenti
Antiphatæ: cedant vitreæ juga perfida Circes,
Dulichiis ululata lupis, arcesque superbi

choros ex em., et interpungit *Dryadum viduare choros: algent.* A.

78. *Silvis arcessere Pana Lycœis.* Pro *Lycœis*, ed. pr. et Ven. *beatis.* Ortus error ex charactere Longobardico, in quo non multum differentiæ est inter scripturam harum vocum. — Cod. Uratislens. *accessere;* edit. pr. *acersere;* Venet. *accersere;* Ald. Lindenbr. Gevart. *arcescere;* Grasser. cum recentioribus *arcessere.* HAND. — Cod. Paris. *accessere.* A.

79. *Quod ni templa darent*, etc. Vetus lectio in marg. exempli Parmensis notata, *quin templa;* Cod. Urat. *quod in.* De usu verborum *quod ni*, vid. Gasp. Scioppii Verisimil. I, 3, p. 10. Cortius ad Sallustii Catil. 18, 8; Cod. Leid. *altas sortes.* Editiones antiq. *thirintia*, aut *thyrintia*, aut *tyrinthia.* Schraderus, quum crederet, non ab Hercule Tiburtino sortes datas esse, correxit, *quod si templa darent;* itemque Hopfius. HAND.

80. *Poterant.* Ed. pr. *poterunt.*

82. *In æthera.* Cod. Paris. edit. princ. et Vicent. *ad æthera.* Reliqui libri *in æthera*, ut v. 60, *emergis in auras*, et II, 3, 40: « iturus in æthera vertex. » HAND.

83. *Telegoni.* Cod. Paris. et ed. pr. *thelegoni.*

84. *Lucrinæque domus.* Pro *Lucrinæ*, vet. Cod. habet *Laciniæ*, et ita legit et interpretatur Domitius, querente super hac re Politiano Epist. VI, 1. Verum est *Lucrinæ:* alteri chorographia reclamat. *Laciniæ*, Cod. Leid. Paris. margo Parm. edit. pr. Rom. Vic. Venet. *Lucrinæque*, quod habet Cod. Uratisl. præeunte Politiano Epist. VI, 1, p. 203, correxit Avantius, et recepit Aldinæ corrector cum reliquis, quamquam Bernartius illam scripturam iterum defendit. Poeta comparat amœnissima Latii et Campaniæ loca, a Romanis frequentata et ad villas exstruendas maxime quæsita. Hinc igitur non ad Laciniam regionem, in promontorio Bruttiorum sitam et Junonis templo celebrem, aberraturus erat. Nec convenit vocabulum *domus*, nisi nympharum habitationi. Heinsius conjecit *Lavinæque*, et *Lanuviique domus.* HAND.

85. *Antiphatæ.* Cod. Leid. *Antiphate.* H. — Edit. pr. *Antiphate.* A.

86. *Arcesque superbæ Anxuris.* Lege, *superbi Anxuris.* Virgilius, VII, 630: « Atina potens, Tibur-

Anxuris, et sedes Phrygio quas mitis alumno
Debet anus: cedant, quæ te, jam solibus arctis,
Antia nimbosa revocabunt litora bruma.
Scilicet hic illi meditantur pondera mores:
Hic premitur fecunda quies, virtusque serena
Fronte gravis, sanusque decor, luxuque carentes
Deliciæ, quas ipse suis digressus Athenis
Mallet deserto senior Gargettius horto.
Hæc per et Ægeas hiemes, Pliadumque nivosum
Sidus, et Oleniis dignum petiisse sub astris.
Si Maleæ credenda ratis, Siculosque per æstus
Sit via, cur oculis sordet vicina voluptas?
Hic tua Tiburtes Faunos chelys, et juvat ipsum
Alciden, dictumque lyra majore Catillum:

que superbum;» Martialis Epigr. VI, 42: «Non mollis Sinuessa, fervidive Fluctus Passeris, aut superbus Anxur,» *Superbus* nempe ob situm excelsiorem, quippe «Impositum saxis late candentibus Anxur,» ut de eo Horatius, qui Tibur etiam epitheto *supini* donat, i. e. superbi. Vide cl. Bentleium ad Hor. Epod. I, v. 29, ubi forte legendum *superbi* pro *superni*. — Omnes libri consentiunt in verbis vulgatis, neque emendationem patiuntur. Horatii locum bene defendit Fea. Pro *Anxuris* edit. Rom. *aut curis*. H.

88. *Anus*. Cod. Uratisl. *annus*. Hand. — *Quæ te, jam*. Cod. Urat. *jam te quæ*. Markl. posuit comma ante *jam* quod sustuli, ne verba perperam conjungerentur. Hand.

89. *Antia*. Vulgo *avia*. — Codd. omnes, etiam Vatican. et edd. veteres præbent *avia;* necessariam putavi correctionem. Hand. — *Revocabunt*. Codex Leid. habet *revocabant*. Hand.

90. *Scil. h. illi meditantur pondera m*. Vid. not. ad h. v. A.

92. *Sanusque decor*. Pro *sanus* Parmensis habet *satius* — Vaticani Codd. 3285 et 3875, præbent *sotiusque decor*. Reliqui ut vulgo editum, *sanusque decor*. Quare potius sequutus sum Cod. Urat. qui habet *sanusque nitor*, quod Gronovius tacite ex aliis, ut videtur, libris recepit. *Sanus nitor* dicitur vitæ splendor sana ratione adhibitus. H.

94. *Gargettius horto*. Cod. Urat. *gurgeticus orto;* edit. princ. *carthetius;* edd. Rom. Vicentina, Venet. Ald. *Gargetius*. Gronovius correxit *Gargettius*. Hand.

95. *Hæc per*. Edit. pr. *Nec par*. — *Pliadumque*. Ita omnes scripti libri, etiam Vaticani; edit. Parm. *Placidumque*. Hand.

97. *Si Maleæ*. Edit. pr. *simileæ*, et in v. sq. *sorbet* pro *sordet*.

100. *Dictum*. Editio princeps habet *doctum*.

Seu tibi Pindaricis animus contendere plectris,
Sive chelyn tollas heroa ad robora, sive
Liventem satiram nigra rubigine turbes:
Seu tibi non alia splendescat epistola cura.
Digne Midæ, Crœsique bonis, et Perside gaza,
Macte bonis animi! cujus stagnantia rura
Debuit et flavis Hermus transcurrere ripis,
Et limo splendente Tagus. Sic docta frequentes
Otia; sic omni detersus pectora nube
Finem Nestoreæ precor egrediare senectæ!

101. *Seu tibi.* Ed. pr. *si tibi.* A.

102. *Chelyn tollas.* Cod. Urat. Leid. Paris. et edd. usque ad Aldinam omnes *chelym*, vel *chelin tollis*, Lindenbr. annotavit: rectius *tollas;* quod Grut. voluit, et præeunte Gevartio, omnes reliqui receperunt. Idem in exemplo Parm. notatum invenit Heinsius. HAND.

103. *Turbes.* Lege *tingas.* —Vid. notam. — Omnes libri etiam Vat. consentiunt in voce *turbes.* Forcellinus, sub v. *satira*, affert *turbas.* Vir cl. Hand. exhibet *turpes*, ut fiat hic sensus: sive tu lividum colorem satiræ augeas inducta nigra rubigine, eoque modo ipsam mordacissimam reddas, sive nitido splendore epistolam exhibeas. *Turbare*, inquit vir doctus, non ut aliis videbatur, idem est ac *tinguere*, sed *nigro colore turpare* significat; rei maculas nigras inducere, aut eam maculare. Vid. not. A.

104. *Tibi non alta.* Cl. Hand. edidit *tua non alia.* Ed. pr. *seu tu non alia.* Vid. notam. A.

105. *Midæ.* Cod. Leid. *Mida.* H.

107. *Hermus.* Rom. *heremus*; Vicent. *hermius.* HAND. — Edit. pr. *hermis.* A.

109. *Sic omni detectus pectora nube.* Heinsius Not. ad Claudian. Præfat. lib. I, in Rufinum legit *detersus*, et ita olim emendaveram. Satis exemplorum ibi habes; quibus tamen hoc addas licet ex Sidonio Apollinari Carm. VII, 134: « Torpentia tolle Lumina, detersam mentem caligo relinquat; » hoc est, « Sis omni detersus pectora nube. » Eleganter Alcimus Avitus, lib. V, 426. *Tergere* alicubi eodem sensu. — Infra II, 1, vs. 193: « similes tergentem pectore curas. » Eamdem emendationem fecerunt Lindenbrogius et Hopfius, uterque in ineditis, et vir doctus in libro Gotting. qui aut *dejectus* aut *detersus* legendum esse censuit. Omnes libri, etiam Vaticani et edit. princ. *detectus*, quod vix defensorem habebit. Dictionem *nubes pectoris* illustravit Drakenborchius ad Silii Italici, lib. VIII, vers. 613 quem vide. HAND.

NOTÆ

IN CARMEN TERTIUM LIBRI PRIMI

SILVARUM.

Vers. 2. Inserto *Aniene*. Ne quis iterum cum Barthio artificium quærat in his verbis, quasi amnis villis a natura factis accessisse dicatur, id moneo, poetam audacius verbo usum esse, quod proprie de fluminibus terras dividentibus ponebatur. Hand.

3. *Aut potuit... noscere*. Corruptissimum carmen. Hoc igitur agamus, Lector. Recte autem omnia procedunt ad vs. 8, quippe *noscere*, vs. 3, probum est, ut Theb. XI, 373. Ita *cognoscere* eodem sensu Sallustius Bell. Catil. 12; Senec. Herc. Fur. v. 1060. *Cernere* et *cognoscere* pariter conjungit Propertius, I, 6, 13. Hæc adnoto, ne cui adblandiatur *visere*, ex Boethii Consol. lib. IV, Metr. 12, et Valer. Flacc. IV, 210. *Cernere* eodem sensu quo hic, utitur Thebaid. I, 386, « actutum regia cernit vestibula. »

4. *Certantesque sibi dominum defendere villas*. Barthius intellexit, aliam villam hieme, aliam æstate sibi defendere dominum. Et Lenzius hæc : « intellige, ab æstu defendere, ut III, 1, 70, vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 17, 3. » Non ita recte; nam poeta dicit : villæ amœnitate sua certant, ut quæque sibi vindicet dominum, eumque morantem teneat. Hic vero verbi usus haud frequens, quem lexicographi non nisi in Digestis observarunt, ad recentius ævum pertinere videtur. Vopiscus in Vita Probi, cap. 8 : « Sed quum quatuor illi milites inter se contenderent, ac sortem sibi quisque defenderet, jussit iterum agitari urnam. » Similiter Theb. IV, 402 : « communem petis defendere montem, » i. e. vindicare. Hand.

8. *Pisæumque domus non æstuat annum*. Nullus in his verbis sensus. Concipe enim, si potes, quomodo domus potest æstuare (i. e. æstuare facere) annum Pisæum (id est, æstatem). Immo contra æstas domum æstuare facit, non domus æstatem. Corrigendus igitur locus, antequam intelligendus. Lege, « Pisæoque domus non æstuat anno. » Jam omnia facilia. Sensus est : Hæc Manlii villa adeo frigida est, et arboribus et fontibus in cubicula admissis tam bene temperatur, ut etiam media æstas

calore nimio illam non gravet; media æstate, *Pisæo anno*, non æstuat. Verba jam videamus. *Annus* hoc loco pro parte anni ponitur: adeo ut *annus Pisæus* sit ista pars anni, in qua ludi Olympici juxta Pisam celebrentur, hoc est, media æstas. Ita Thebaid. IV, 1, *horrens annus* est ista pars anni, qua cuncta horrent, id est, hiems:

> Tertius horrentem Zephyris laxaverat annum
> Phœbus;

tertius Phœbus Zephyris laxaverat *horrentem annum*, seu hiemem, quæ proprio verbo *horrere* dicitur. Seneca, Medea, act. IV, v. 759, ubi Medea de se loquitur:

> Temporum flexi vices;
> Æstiva tellus horruit cantu meo,
> Messem coacta vidit hibernam Ceres.

Ita legendus iste Senecæ locus; vulgo *floruit cantu meo*, quod ex sensu et oppositione absurdum est; sed hoc obiter. Ut *horrens annus* Statio, ita *hibernus annus*, Hor. Epod. II, 29, pro hiberna parte anni; quando nempe *hiems anni* est, ut loquitur Apuleius. *Frigidum annum* eodem sensu vocat Virgilius, Æneid. VI, 311, loco corrupto, de quo alibi. Sic *pomifer annus*, pro ea parte anni, quæ poma fert, id est, autumnus, apud eumdem Horat. Carm. III, 23, 7:

> Aut dulces alumni
> Pomiferi grave tempus anni.

Ita legendum puto pro *Pomifero anno*. *Tempus pomiferi anni*, ut *tempus teneri anni* seu *veris* apud Martialem, Epigr. IX, 14, de Earino:

> Nomen habes, teneri quod tempora nuncupat anni.

Sic *piger annus* Nostro, Silv. IV, 4, 40, pro ista parte anni, in qua a litibus et rebus judicandis cessabatur, quam nos vacationem dicimus:

> Certe jam Latiæ non miscent jurgia leges,
> Et pacem piger annus habet; messesque reversæ
> Dimisere forum.

Id est, « Julius mensis, quo maxime lites interquiescunt, » ut ait Plin. Epist. VIII, 21. Mira vero locutio est, quæ occurrit Silv. III, 1, v. 135:

> Vix annus anhelat
> Alter, et ingenti dives Tirynthius arce
> Despectat fluctus.

hoc est, vix anhela pars anni rediit, seu ea pars anni, in qua anhelamus, id est, æstas vix rediit altera. *Annus* etiam absolute pro messe, seu proventu anni apud Tacitum de Morib. Germ. cap. 14. Vide quæ dico ad Kal. Decembr. v. 42. *Frangunt solem*, versu præcedenti, est minuunt calorem solis. Ita Seneca, Natur. Qu. V, 10: « Etesiarum flatus æstatem frangit, et a mensium ferventissimorum gravitate defendit; » quibus verbis intelligis quare, v. 7, Nemees alumnus, seu Leo dicitur *gravis*. *Calor se frangere* dicitur Ciceroni, de Oratore I, ad finem libri. Seneca, Herc. Œt. v. 1366, ubi queritur Hercules moriturus,

> Non ipse terris major oceanus meos
> Franget vapores.

Id est, minuet, vel exstinguet; sed satis hæc. Scio quomodo hunc locum explicant Gevartius et Morellus; sed duræ nimis et coactæ mihi videntur eorum interpretationes. Multa horum, quæ de voce *annus* adnotavi, jam video occupata esse a cl. Broukhus. ad Tibull. Eleg. I, 1. Et potui quidem novis exemplis rem agere; sed plagii suspicionem nec metuo, nec curo. — Antiquos libros integros ratus, *annum Pisæum* accipio de temporis spatio, ut sit, per ferventissimum æstatis tempus. Græce enim reddas: οὖκ ἀΐθεται τὴν Πισαίαν ὥραν. Cæsar Bell. Gall. III, 12, 5: « Hæc magnam partem æstatis faciebant; » ubi nonnulli male exhibent, *magna parte*. Tibull. II, 5, 109: « jaceo quum saucius annum. » HAND.

9. *Ipsa manu tenera tectum scripsisse Voluptas.* Ita vetustæ editiones, teste Gronov. Diatr. c. 10, ubi laudat conjecturam Lindenbrog. legentis, *Visa manu tenera;* et hoc omnino verum est, et editionibus Gryphiana, et Aldina, et Colinæi, et MS. Senensi confirmatur; licet Gronovius postea mentem mutasse videatur, quando quidem Observ. II, 14, retinet *Ipsa;* et, mollius, inquit, intellexeris, *videtur,* aut *credi potest.* Prius verum est; *Visa scripsisse,* non *Ipsa scripsisse;* quam constructionem seu ellipsin in simplici narratione vix admittendam puto. Noster, Thebaid. IX, 379, et X, 211; Virgil. Æn. II, 270, et VII, 73. Quibus omnibus in locis verbum substantivum *est* vel *erat* intelligendum est, ut in hoc loco. Hoc non vidit quisquis primus supposuit *Ipsa* pro *Visa.* Domitius, cujus editio præfert *Ipsa,* mutilatum locum credidit: non ita crediturus, si illi in mentem venisset *Visa.*—Marklandus, mutata sententia, correxit: « Ipsa manu fertur tectum scripsisse Voluptas; » in quibus tamen exponendis non accurate perpendit verborum vim. Sed in proximis duæ res afferunt difficultatem, ne dicam de falsa opinione, qua vocem *tenera* otiosam esse existiment. At quis hoc sensu dixerit *tectum scribere?* Potuit autem verbum *scribere* absolute usurpari, ut esset, *descriptionem facere,* sive *formæ* nomen ex antecedenti sententia intelligi. Quare verbum alio nomine necessarium restitui, quum corruptionis vestigia in Cod. Urat. vidissem. In eo enim et in edit. princ. legitur *tecum,* quod facile commutari potuit cum voc. *fertur.* HAND.

18. *Fallax responsat imago frondibus.* Pulchram hanc poetæ imaginem certatim imitati postea sunt Silius Ital. Ausonius aliique, quos laudant Buchnerus aliique commentatores ad Plin. Ep. 8, lib. VIII. TRILLER.

20. *Infraque superque saxeus.* Anien infraque superque *saxeus,* hic, ad villam Manlii, non est *saxeus,* sed *quietus.* Quid, quæso, est *saxeus* fluvius, aut quænam oppositio inter *saxeum* et *taciturnum* amnem? *Lapidosas* quidem *Æsaris undas* habes apud Ovidium, Metam. XV, 22, et *lapidosus rivus,* Fastor. III, 273, hoc est calculis et lapidibus abundantes: ad quam formam Statius dixisse debuit *Anien saxosus,* ut *Euphrates saxosus,* Plin. Hist. Nat. V, 24; *Athesis saxis asper,* incerto Auctori Paneg. dict. Constant., c. 8, p. 159; Ovid. Amor. III, 6, 45, de Aniene:

Nec te prætereo qui per cava saxa volutans

Tiburis Argei pomifera arva rigas,

ut bene emendavit Bentleius pro *pomifer*. Alia vero res est *saxeus*; nempe *e saxis factus* vel *constans*. Ita Thebaid. lib. VII, vers. 408 :

Nunc sanguineus, nunc saxeus imber;

et ita passim apud Nostrum et alios, neque aliter quisquam. Bernartius ad explicandum *saxeum* hunc Anienem, adducit locum Suetonii Claud. c. 20 : « simulque rivum Anienis novo (l. *novi*) lapideo opere in urbem perduxit, divisitque in plurimos et ornatissimos lacus. » Sed nullo modo nodum solvit hic locus : licet enim Claudius Anienem in urbem perduxerit lapideo opere, non tamen ea de causa recte dici potest *saxeus* Anio; quum, ut supra dixi, aliam rem denotet vox *saxeus* : et si recte dici posset *saxeus*, deesset tamen aliquid quod opponeretur τοῖς « hic tumidam rabiem spumosaque ponit Murmura; » dixisse enim debuit, Anien infra supraque *turbidus* vel *tumidus*, vel *præceps* (vel quid ejusmodi, non *saxeus*), hic *quietus* est. Hoc modo scriptum esse oportuit. Sed vocem Statianam aliis indagandam relinquo : mihi enim omnia versanti nihil occurrit quod teruncio emerim. *Turbidus* quidem optime congrueret; hoc enim epitheton fluviis sæpe tribuitur. Sed, præterquam quod sequitur *turbare* versu proximo, immanis est mutatio, et vix animo concipienda, nedum sano critico admittenda. Idem censeo de *præceps* et *audax*, exspectanda igitur alia exemplaria. Domitius interpretatur, « Saxeus : labens alioquin per saxa, et strepens. » Concedo hunc sensum esse debere : sed quis mihi probabit, vel uno exemplo, hanc esse significationem vocis *saxeus*? De cataracta Anienis ad urbem Tibur vide Strabonem, V, pag. 164; sed nihil inde huic loco restituendo colligi posse puto. Alicui forte non displicebit,

Ipse Anien (miranda fides) infraque superque
Vix suus, hic tumidam rabiem, etc.

Id est, furens et vix sui compos : cujus significationis vocis *suus* multa exempla adduci possent; et bene opponeretur sequentibus, *tumidam rabiem*, etc. Sed alia notione sumitur vox *suus*, quando de fluvio sermo est, ut perspicere potes hoc loco Claudiani in Eutrop. II, 266, de Marsya et Mæandro fluviis; Pomp. Mela de Nilo : « quum diu simplex suusque descendit. » Ita optime restituit N. Heinsius pro *sævus*.

23. *Habentes carmina somnos. Aventes carmina somnos;* ita pleræque editiones. Domitius ita explicat : *Somnos aventes carmina*, i. e. *placidam quietem*. Non intelligo. Alius notat, « Est permutatio vicinarum vocum : dicere enim debebat *carmina somnos amantia*. » Ille igitur legebat et *amantes carmina somnos*. Uterque eorum errabat, quod non intellexit significationem vocis *somnos*, quæ hoc loco ponitur pro *noctes*, ut apud Virgilium, Georg. lib. I, v. 208 :

Libra die somnique pares ubi fecerit horas :

ad quæ Servius : « Somni, id est, noctis : nam ab officio temporis ipsum tempus ostendit. » Hunc Virgilii locum imitatur Ausonius, Idyll. XI, 31,

eodem sensu: « Libra die somnique pares determinat horas. » Id est, diei et noctis. Sil. Italicus, III, 200: « Miscuerat lucem somno Deus; » ad quem locum vide interpretes. Noster, Silv. lib. III, carm. 2, v. 82. Hoc intellecto, facili negotio prodit Statii manus,

Pieriosque dies, et habentes carmina somnos.

Id est, noctes, quæ habent carmina, exercentur carminibus scribendis. Thebaid. XI, 608; Martial. Epigr. VIII, 78; Ovid. Metam. I, 558; Noster, Silv. IV, 4, 40: « Et pacem piger annus habet. » Non male quidem *amantes carmina*; sed verius *habentes*, quia hæ voces *habent* et *avent* (quæ antiquo more scribebatur *havent*, vid. cl. Davisium ad Cic. de Nat. Deor. II, 1) perpetuo inter se commutantur. Ita apud Sil. Italicum, XV, 577, pro *habet præcedere*, legendum *havet*, id est, *avet*. — *Somnum* pro nocte positum esse dicunt, quod nusquam ita factum video, ut diei luci opponatur. Omnes enim, quos afferunt, scriptores hoc verbum de noctis tempore, sed somni ratione habita, usurpant, neque huc pertinet Silv. III, 2, 82, ubi proprie dicuntur *somni*. In uno loco Silii III, 200, ubi *lux* opponitur, etiam de dormiente, non de vigilante sermo est. Quo minus igitur in his Vopisci laudibus ambiguam vocabuli significationem vindicemus, alia meliorque explicatio in promptu est. Nam inter omnes constat quod cecinit Lucretius, IV, 963; Claudianus, VI Consul. Honor. Præfat. v. 1, et pergit post alia exempla v. 11. Adde Nonnii Dionys. lib. XLII, 325, pag. 1096. Ergo quo studio Vopiscus vigilans per diem tenebatur, id etiam noctu ejus somni habent. Usus verbi *habere* comparari potest cum Græco ἴχειν, quo significatur proprium habere, aut non expers esse rei. Fortasse tamen aliquis hic positum putet pro exhibere, efficere, aut præbere, de qua re dixit Schæferus ad Gregorium Corinth. in defendenda sua sententia contra Hermannum nimis severus. Hand.

24. *Litus utrumque domi*, etc. Recte hunc locum et hanc scripturam vindicat Gevartius contra Lipsium et eum secutum Bernartium, qui supposuerunt:

Litus utrimque, domus: nec se mitissimus amnis
Dividit.

Sensus est: utraque ripa Anienis *domi est*, domestica, et non externa; nam in utroque litore domus erat quæ fornice jungebatur: « nec te mitissimus amnis dividit; » dum in una ripa versaris, non te impedit amnis intermedius, quo minus in alteram transire possis; nam utræque domus ponte seu fornice conjunguntur, et ita velut una domus sunt. Hæc Gevartius; verissime.

25. *Alternas servant prætoria ripas.* Imitatur hunc locum Ausonius Mosella, vs. 285, « et alternas comunt prætoria ripas. » — Ubi vides Ausonianum *comunt* pro Statiano *servant*: ex quo suspicari forte potes Ausonium legisse et Statium scripsisse *alternas ornant prætoria ripas*,

non *servant*: et ita quidem bene scripsisse potuit, et minima est mutatio, ex *ervant* facere *ornant;* sed non opus est; quicquid enim in aliquo loco positum est, dicitur *servare* istum locum. Nost. Theb. IX, 467, « carpit putres servantia ripas Arbusta. » Virg. Georg. IV, 458, de Eurydice:

> Immanem ante pedes hydrum moritura puella
> Servantem ripas alta non vidit in herba;

et ita passim omnibus. — Præterea notandus videtur usus verbi *alterni* pro *ambo* et *uterque*, maxime apud recentiores scriptores obvius, nec tamen a viris doctis satis perspectus. Hand.

29. *Hic æterna quies*, etc. Hunc etiam locum exscribit Ausonius Mosella v. 292:

> Non hic dira freti rabies, non sæva furentum
> Prælia Caurorum: licet hic commercia linguæ
> Jungere, et alterno sermonem texere pulsu.
> Blanda salutiferas permiscent litora voces,
> Et voces et pæne manus.

Egregie quidem, si sine mendis. Lege *salutigeras voces*, ut Epist. XXV, *Salutigeri libelli;* alia res est *salutiferas*. Deinde, *et visus, et pæne manus*, patet ex sensu et locorum comparatione. Nec male si pro *permiscent litora voces*, legas *permittunt*, ex Statiano *datur*.

31. *Sic Chalcida fluctus expellunt fluvii*. Tenebricosus locus, inquit Bernartius, et addubito num sanus. Pergit deinde, et confundit hanc *Chalcida* Eubœæ urbem, cum *Chalcedone* ad Bosporum Thracium e regione Byzantii: merito ob hoc notatus a Gevartio Lect. Papin. cap. 25, qui tamen de mendo non suspicari videtur, et explicat, *fluctus expellunt Chalcida*, id est, divellunt et disjungunt: et, *fluctus* hic adjective *fluvios* appellat, id est, qui septies de die ac nocte fluunt refluuntque. Sed primum, expellere non est divellere et disjungere, sed projicere et protrudere. Plin. Hist. Nat. IV, 12, de Creta loquens: « ad occidentem Criu metopon (Κριοῦ μέτωπον) Cyrenas versus expellit; » id est, projicit, emittit; non, separat: et ita passim in Geographicis Plinius. *Projicere* vero *Chalcida* non congruenter dici potest sensui hujus loci, ubi de separatione locorum interventu aquarum sermo est. Nec melius Gevartius in altera voce, *fluvii*. Quis enim unquam usurpavit vocem *fluvius* adjective et pro epitheto? et si exempla hujusce usus proferret, aures tamen eruditæ non ferrent istam conjunctionem, *fluvii fluctus*. Sensit hoc præclarissimus N. Heinsius, qui ad Claudian. pag. 43, legit, « Sic Chalcida fluctus Dispescunt reflui; » probum quidem hoc, et nomine Heinsiano dignum; licet ante eum Cruceus conjecerit *reflui*. *Dispescunt* est, separant. Plin. Hist. Nat. V, 9, de Nilo: « Inde Africam ab Æthiopia dispescens, etc. » Festus Avien. Orb. Descr. v. 1295, de Indo flumine. *Reflui fluctus*, ita Theb. VII, 334; Ausonius Epigram. III. Et tamen, ut verum fatear, de utraque parte Heinsianæ emendationis addubito. Primum enim levior mihi videtur medicina, si, minori mutatione, legas, « Sic

Chalcida fluctus Dispellunt. » Omissa prima versus litera *d*, ex *ispellunt* fecerunt *expellunt*. Sensus est idem. Priscianus, Perieg. v. 666, *dispulsi ventis*, id est, separati. Virgil. Æn. I, 511, *turbo dispulerat*, ut *fluctus dispellunt*. Utcunque sit, omnino requiritur vox aliqua quæ incipit a syllaba *dis*, ad denotandam scilicet divisionem; ut versu proxime sequenti *dissociata*. Deinde, *fluctus reflui* vix videtur elegantiæ Statianæ, quum utraque vox ab eodem verbo, quod est *fluo*, derivetur: quam compositionem maxime vitant scriptores eruditi. Lego, « Sic Chalcida fluctus Dispellunt refugi. » Lucan. I, 410; Ovidius, Heroid. XVIII, 181; Alcimus Avitus, IV, 471, de Diluvio; idem tamen mox v. 544; Sidonius quoque Apollinaris, Carm. VII, 393:

Jamque ad populos ac rura feroci
Tenta Getæ protendit iter, qua pulsus ab æstu
Oceanus refluum spargit per culta Garumnam, etc.

ubi tamen non *refluum fluvium*, sed *Garumnam*. Notanda vero et increpanda Sidonii incuria, qui in eadem sententia utitur vocibus *refluum*, *flumen*, *fluenta* et *fluvii*, usque ad nauseam, et pæne barbariem. *Refugæ Tethyos undæ*, Priscian. Perieg. v. 689; *refugo Nilo*, Lucan. VIII, 526, et Plin. Panegyr.; *refugum mare*, Auson. Epist. VII, 42, et Mamertinus, Paneg. Maximian. cap. 12; *refugus amnis*, Prudent. adv. Symmach. II, 441; *refugis vadis*, Auson. Epist. VIII, et similia passim. Heinsius quoque conjecerat *refugi*.

36. *Picturata lucentia marmora vena*. « MS. Medicæus pro *vena* habet *luna*, quod mihi spernere religio; conjungit enim postes e Numidico et Lunensi marmore, de quo Strabo. » Hæc Gronovius, Diatr. c. 10; adducit deinde locum Strabonis, qui est lib. V, p. 153, edit. Casaub. et qui lectionem Cod. Medicæi, ut mihi videtur, plane evertit. Dicit enim Geographus tantum esse proventum marmoris Lunensis, ut pleraque elegantiorum operum Romæ et aliis urbibus ex eo effecta essent. Atqui si *pleraque* opera, absurde fecit Statius; si cum *auratis trabibus* et *Mauris postibus*, rebus rarissimis, conjungeret *marmor Lunense*, rem vulgatissimi usus: et sane non in maximo pretio fuisse hoc marmor evincit locus Nostri *in* Eucharist. ad Domit. v. 29, ubi post enumerata alia marmorum pretiosissimorum genera, addit

Lunaque portandis tantum suffecta columnis.

Id est, marmor Lunense tantum in pedes vel bases columnarum adhibitum esse in Domitiani palatio, quod ibi describit: licet alicujus esset pretii, non tanti tamen ut dignum censeretur aliis usibus inservire. Non igitur bene conveniunt *auratæ trabes* et *Mauri postes* cum *Lunensi marmore*. Latinitas quidem patitur *marmora Luna* pro *a Luna*; et non male diceretur *picturata* Luna propter *μέταλλα λίθου ποικίλου γλαυκίζοντος*, lapidis *varii ad cæruleum vergentis*, ut de iis Strabo: sed nihil mutandum auctoritate unius codicis, præsertim quum potior sit vulgata lectio. Per *venam* intelligit fibras, et lineas, et strias, quæ in marmore reperiuntur. *Regulam* vocat Baln. Etrusc. et *gyrum*, Silv. II, 2:

Ubi marmore picto
Candida purpureo distinguitur area gyro;

ubi marmor Synnadicum describit: et idem hoc loco forte innuit. Hinc *vena* pro ipso marmore: supra Epithal. Stel. v. 149: « Hic concolor alto Vena mari, » et ita passim. Vide Plin. Hist. Nat. XXXVII, 6, ad finem.

40. *Ad silvas quæ respicis, aula, tacentes.* Atqui quomodo *tacentes*, quum statim dicat *murmura* invitare somnos? Ne dubites, quin Statius scripserit *jacentes*, id est, subjacentes. Ita Surrent. Pollii, v. 74:

Transque jacentem
Nerea diversis servit sua terra fenestris.

Id est, subjacentem pontum. Avienus, Orb. Descr. v. 339, de Nilo:

Inque jacentem
Ægyptum fusus fluctu premit arva marito
Fecundatque solum.

Elegantissime. Hæ vero voces perpetuo commutantur in MSS. Ita Theb. X, 428, pro « Rogat, en rogat ipse jacentis Vultus, » legendum *tacentis*, eleganti oxymoro, quo etiam utitur Petronius Satyrico: « cœperatque etiam sine voce sævientes rogare. » — Bernartius, ne tirones ambigui hærerent, scripsit *tacentes*, quod legitur in editt. Grasser. Gevart. Gronov. Antiqui autem libri omnes *tacentis*. Etiam Peyraredum maluisse *jacentes*, miror; nam *jacens* dicitur regio, quæ late patet, aut per longum spatium excurrit; ut *jacens Ægyptus* apud Avienum, Descript. Orb. 339, quæ a Lucano II, 416, dicitur *per plana jacens*. *Jacens mare*, Silv. II, 2, 74, pro immoto positum est. In hac vero sylvarum descriptione nihil aptius verbo *tacens*, ut Virg. Æn. VI, 386: « tacitum vocatum nemus Elysiorum. » Ergo non sine causa vulgatam lectionem defendit Wakefieldus ad Lucret. III, 952. Hand.

41. *Qua tibi tota quies*, etc. Conjicias *muta quies*; et sic Ovid. Met. lib. XI, vs. 602:

Muta quies habitat: saxo tamen exit ab imo
Rivus aquæ Lethes.

Certe hunc locum Statius ante oculos habuisse videtur. Ovidius, iterum VII, 184: *muta silentia noctis*. Fortasse etiam pro *aut* legendum *at*, ut Ovidius: *saxo tamen*, etc. Lenz.

42. *Et nigros imitantia murmura somnos.* Gronovius, in Reliq. ad Silv. Stat. suspicatur Statium scripsisse: « nigros invitant murmura somnos; » optime et verissime: in altero nullus sensus. Ovid. Met. XI, 604:

Invitat somnos crepitantibus unda lapillis.

Horat. Epod. II, vs. 27:

Somnos quod invitet leves.

Virgil. Eclog. I, 54:

Hinc tibi quæ semper vicino ab limite sepes,
Hyblæis apibus florem depasta salicti,

Sæpe levi somnum suadebit inire susurro.

Quem locum excutiant velim Virgilii amatores; ego enim nec sensum nec constructionem primi versus intelligo. Turbat inepta vox *semper*, sub qua latet verbum aliquod substantivum. Servius notat, *sepes subaudi, fiet;* nec adhuc intelligo. Sed pergo. Sine dubio igitur Statius scripsit *invitant*. Pessimum vero et mali ominis epitheton istud *nigros* somnos: *niger* enim *somnus* est mors. Sil. Ital. VII, 632. Nec multo melius, si legas *pigros* cum Heinsio: somni enim *pigri* sunt desidiosorum, et in vitio ponendi. Vere restitui,

Et teneros invitant murmura somnos.

Prima syllaba in voce *teneros* amissa erat in præcedente *et:* unde ex *neros* fecerunt *nigros*. Recte vero *teneros* somnos, ut Thebaid. I, 388. Ita legendum puto, et ita citat Gronovius ad hunc locum, de quo agimus, sive sic legendum putabat, sive errore memoriæ; vulgo enim *tenues*. Oppositio autem videtur postulare *teneros:* invitat *teneros* somnos ad *dura* cubilia. Claudian. de Bello Gildon. v. 328; Ovidius, Heroid. XII, 170; Noster, Theb. X, 116:

Tenerosque hortantia somnos
Languida succiduis exspirant lumina flammis.

Ita et ibi legendum credo; vulgo sine sensu *primosque. Teneros* hos somnos *faciles* vocat Horatius Carm., III, v. 21; *molles*, Virgil. Georg., lib. II, vers. 470, et alii. Sed adhuc restat scrupulus de hoc loco; vide enim:

Qua tibi tota quies, offensaque turbine nullo
Nox silet, et teneros invitant murmura somnos.

Ubi egregie Gronovius tuetur *tota quies* contra Behotium et Piccartum substituentes *tuta*. Jam vero, si quies *tota* et *integra* est, et nox *silet*, nulla ex parte vel minutissimo turbarum strepitu interrupta, prout hanc vocem bene explicat Gronovius, quæro quem locum habere possunt *murmura?* hæc enim contradictoria videntur, noctem ex *toto silere* et simul *murmura* somnos invitare: et vel dicendum est *murmura* (fluminis puta vel silvarum subjacentium) non numerari inter res, quæ quietem turbant, et ideo Statium addere ista, « offensaque turbine nullo nox silet; » vel si hoc non admittendum sit (et revera quomodo admitti potest vix concipio) omnino legendum est, « et teneros invitant carmina somnos; » ut supra v. 23, *et habentes carmina somnos*, seu *noctes*. Si legas *aut* pro *et*, evanescet omnis hujus loci difficultas. Hoc in contextum tuto admittas. — Vid. Var. lect.

43. *An quæ graminea suscepta crepidine fumant balnea.* Hunc quoque locum exscribit Ausonius Mosella, v. 337:

Quid quæ sulphurea substructa crepidine fumant
Balnea?

Ubi, pro *sulphurea*, editio Ugoleti habet *fulminea:* unde *fluminea* recte

legit Tollius. *Suscepta* idem est quod *suspensa, suffulta*, ut ad Senecæ Epist. XC, optime docet Gronovius.

45. *Quaque vaporiferis junctis*, etc. Lege, *Quique vaporiferis*, scilic. *amnis:* hoc postulat sensus. Constructio est, an dicam ignem impositum ripis algentibus, *amnemque*, qui amnis *junctus vaporiferis fornacibus ridet nymphas*, etc. Per *amnem* intelligit Anienem, in cujus margine balnea exstruxerat Vopiscus, ad aquæ commoditatem, quæ balneorum usibus inserviret. Hujusmodi balneorum sæpe in his Silvis mentio. Dicit Statius, Anienem, in cujus ripis fumant balnea, ridere *nymphas* (hoc est aquas balneares) anhelantes, in balneo puta, quum tamen tam vicinum sit ipsis gelidum flumen, ut bene explicat Gronovius. *Quique*, ut Silv. III, 3, v. 190, et V, 3, v. 193. — Ridet frigidus Anio nymphas, quum eas videt in sua vicinia anhelare et æstu laborare. Nam, ut ex proverbio Petronius ait in fragmento p. 683, Burm. *flumine vicino stultus sitit.* Quare N. Heinsius frustra commendat correctionem *vicino frigore;* nam quem in Adversariis, p. 548, codicem antiquum nominat, est cujus lectiones in exemplo Parmensi adscriptæ erant. Nec cum Marklando mutaverim: *quique.... amnis*, quia non aliud flumen, sed idem alio loco cum balneis conjunctum describitur. Hand.

50, 51. *Quidquid et argento primum*, etc. Corruptissimus locus. Totus sic habet:

> Quicquid et argento primum vel in ære Myronis
> Lusit, et enormes manus est experta colossos.

Cujus constructio hæc est: « et quicquid primum manus Myronis lusit argento vel in ære. » Cui bono istud *primum?* aut qua notione sumendum est? Si enim *primum* accipias de temporis ordine, hoc incommodi sequetur, quod prima artificum opera imperfectissima sunt: ut absurde fecerit Statius, si Vopiscum commendarit ex eo quod possederit *prima*, rudia et imperfecta magnorum artificum tentamenta. Si vero pro *præcipuum* sumas τὸ *primum*, non puto recte dici posse *primum* opus Myronis pro *præcipuum:* quum hoc sit *primarium*, non *primum*. Scio quid ex Terentio et Sallustio opponi possit; et ideo huic significationi non ulterius repugnabo, quum potiora argumenta habeam contra istud *primum*. Dicitur enim, *manus Myronis lusit argento*. Atqui Myron non argento, sed ære celebris fuit. Noster, Silv. IV, carm. 6, vers. 25:

> Hic tibi quæ docto multum vigilata Myroni
> Æra....

scil. *monstrabit*. Petronius, Satirico cap. 88: « Myron, qui pæne hominum animas ferarumque ære comprehenderat, non invenit heredem. » Lege *animos*. Ausonius, Epigr. LVIII, in buculam æream Myronis:

> Bucula sum cælo genitoris ficta Myronis
> Ærea.

Ita legit Vinetus pro *facta*. Plin. Hist. Nat. XXXIV, 2, de ære Æginetico et Deliaco: « illoque ære Myron usus est, hoc Polycletus, æquales atque condiscipuli. » Cælavit quidem argentum Myron, ut ex diversis Martia-

lis locis apparet: sed præcipuus illi honor et laus ex alia arte. Plinius, Hist. Nat. XXXIV, 8: « Myronem Eleutheris natum, et ipsum Ageladæ discipulum, bucula nobilitavit: » ærea, scilicet. Vide locum; ibi enim Myronis opera recenset. Ovid. Pont. IV, 1, 33; Petronius, loco citato: « Verum ut ad plastas convertar: Lysippum, statuæ unius lineamentis inhærentem, inopia exstinxit: et Myron, qui pæne hominum animos, etc. » Præterea, quare unius tantum Myronis opera memorat Statius in amici sui Manlii κειμηλίοις conservata? Sine dubio Vopiscus, ut erat elegans et φιλόκαλος, non Myronis solius, sed et aliorum præstantium artificum labores adservabat. Immo et hoc dicit poeta, versibus præcedentibus,

Vidi artes veterumque manus, variisque metalla
Viva modis: labor est auri memorare figuras,
Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas.

Vides *veterum* (numero multitudinis) *manus*, et *laborem esse memorare figuras* propter multitudinem earum in *auro*, *ebore*, *gemmis*; addit deinde, *argento* et *ære*; Myronem in *ære*, utpote omnium præstantissimum; et *in argento*, quem? *primum*. Sub hac voce, quæ nihili est, procul dubio latet magnus aliquis artifex in argento, sive cælator, sive statuarius. Et nonnemo forte sibi placeret, quum invenisset Phradmona inter claros statuarios memoratum Columellæ, lib. X, cap. 30, et Pausaniæ, et Plin. Hist. Nat. XXXIV, 8, ut esset,

Quicquid et argento Phradmon, vel in ære Myronis, etc.

Sed hoc infortunio premitur *Phradmon*, quod non compertum habemus veterum testimoniis illum in argento potissimum præstitisse: hoc vero loco requiritur aliquis, qui in argento enituit pariter ac Myron in ære. Quærendus itaque hic artifex: et quærenti statim occurrit Mentor, qui in argento cælando omnium nobilissimus erat, poculis præsertim. Martialis, Epigr. XIV, 93, cujus lemma *pocula archetypa*; IV, 39, et IX, 60; ubi vides Myronem quoque memorari inter eos qui argento cælando claruerunt: et hoc erat, quod supra dixi, Myronem argentum etiam cælasse, sed non inde tam magnum nomen adeptum esse, quam ex ære fundendo. Sic ipse Mentor interdum æs fudit (vid. Sidon. Apollinarem Carm. XXIII, 503, ubi cum Praxitele, Scopa, Polycleto et Phidia statuariis conjungitur), non tamen ut exinde tantam famam consecutus sit, quantam ex cælatura argenti. Propert. I, 14, 1:

Tu licet abjectus Tiberina molliter unda
Lesbia Mentoreo vina bibas opere;

ubi pro *unda* legendum puto *ulva*. Juvenal. Sat. XIII, 102; sed omnium luculentissime Plin. Hist. Nat. XXXIII, 12. Hoc igitur ratum sit, inquis, Mentorem esse æque clarum in argento ac Myronem in ære: quænam vero similitudo inter τὸ *Mentor* et *primum*? Ne minima quidem: sed curiosis oculis relegamus versum:

Quicquid et argento primum vel in ære Myronis.

Jamne suspicaris aliquid? Nimirum hic est, aut nusquam, quod quærimus: similitudo concurrentium syllabarum extrusit ultimam vocem, et

in sua materia periit artifex. Lege, *Quicquid et argento Mentor.* Festinans librarius scripserat *Quicquid et argento gentor;* quod pro librarii errato accipiens exscriptor proximus, ex toto ablegavit vocem *gentor*, et pro ea de suo substituit *primum;* quod versum supplevit, et speciem aliquam sensus habere videbatur. Vix aliter fieri potuit, et millies hoc accidisse veterum scriptis norunt eruditi, et in his Silvis non unum exemplum habebis. Ita apud Ovidium, Fastor. I, 287, vulgo legitur,

Jane, face æternos, pacem, pacisque ministros.

Heinsius vero probat hoc absurdum esse, et verissime substituit,

Jane, face æternos, pacem, pacisque sequestrum.

Nimirum primæ duæ syllabæ in *sequestrum* amittebantur in præcedente *sque.* Vide notam ejus (longior enim est quam ut huc totam transferre commodum sit) ubi multa et præclara hujusmodi exempla ex aliis auctoribus profert; dignam sane quæ literis aureis scribatur. Manilius, V, 184, de Venatoribus loquens,

Ducuntur et ipsi
Retibus, et claudunt campos formidine mortis, etc.

Miraberis, nec unquam intelliges, quomodo venatores claudant campos formidine *mortis.* Lege, *claudunt campos formidine pinnæ.* Est imitatio Virgil. Georg. III, 372; ubi more suo nugatur Servius, seu quicunque est quem sub Servii nomine legimus. Æneid. XII, 750; Lucan. IV, 437; Apuleius, Apologia. *Pinnæ* hoc modo scriptum erat in MSS. *pine;* unde ob similitudinem coaluit cum præcedente *dine;* versus dein suppletus ab eruditulo aliquo, qui noverat Ovidianum istud Met. XV, 153:

O genus attonitum gelidæ formidine mortis.

Præclara in hoc genere restitutio Bentleiana loci Virgil. Æneid. lib. X, vs. 702, de Mimante:

Una quem nocte Theano
In lucem genitore Amyco dedit, et face prægnans
Cisseis regina Parim creat: urbe paterna
Occubat; ignarum Laurens habet ora Mimanta.

Ubi pro «Cisseis regina Parim creat;» legit, «Cisseis regina Parim: Paris urbe paterna Occubat, etc.» Nihil verius aut elegantius dici potuit. Iterum Manilius IV, 180, de iis qui sub Leone nati sunt:

Hoc habet, hoc studium, postes ornare superbos
Pellibus, et captas domibus præfigere prædas,
Et pacare metu silvas, et vivere rapto;

ubi primum pro *superbos* legendum ex Gemblacensi *superbis*, quod magis poeticum est et Virgilianum. Sed quis mihi explicabit, quid sit *pacare silvas metu,* quum de phrasi video dubitantem summum Bentleium ad Horat. Art. Poet. v. 197? Intellexissem si dixisset pacare silvas *jaculo*, vel *sagitta*, vel *cornu*, ut Statius, Theb. IV, 248 (qui locus a Scaligero citatur), de Atalanta Parthenopæi matre; lege, *et pacare arcu silvas.* Vides *arcu* absorptum a præcedente *are* vel *care.* Pene oblitus eram monere, in primo Manilii versu, pro *Hoc habet, hoc studium*, legendum

videri, *Hic labor, hoc studium;* et versu ultimo, pro *rapto,* Cod. Gemblacensem habere *victor;* unde Scaliger *victo,* scil. *domitis feris.* Ita apud Martialem, Epigr. XII, vs. 91:

> Si Stygias æger non iret missus ad undas,
> Ut caderet magno victima grata Jovi.

Sensus omnino postulat *victima magna;* cujus prima syllaba amittebatur in præcedente *ma:* deinde ex *gna,* versui supplendo fecerunt *grata.* Vide elegantissimum epigramma. Sed nullus esset finis si singulas persequerer, quotquot observavi, hujuscemodi depravationes in veterum scriptis. Ut igitur ad Statium revertar: *Mentor* (si modo hanc lectionem admittas) et *manus Myronis lusit,* recte dicitur, ut apud Horat. Carm. III, 6, licet sensu diverso, et Epod. XVI, 3; Lucan. II, 543. Nondum dimittendus es, lector; vix enim superato uno difficili loco, exsurgit alter difficilior; adeo verum est quod dixit Politianus, referente Gevartio, « Si quis Papinium pergat excutere, nullum fore inquirendi finem; vixque absoluto superiore, statim scrupum alium occurrere. » Hoc verum esse usu experior: nec tamen absterrebor, quo minus singula excutiam. Constructio est: « Quicquid Mentor lusit argento; vel quicquid manus Myronis lusit in ære, et quicquid manus experta est enormes colossos. » Monstrosa hæc, et tam procul a sensu quam Latinitate. Cujus enim manus experta est enormes colossos? an Myronis (ad hunc enim solum hæc referri possunt): atqui non legimus uspiam Myronem solere colossos effingere; quod si concederetur, Latinitas tamen reclamaret: dixisse enim debuit, quicquid manus Myronis experta est *enormibus colossis,* ut lusit *argento* Mentor, lusit *ære* Myron. Et sane editio Parmensis habet *enormi colosso,* quin et si dixisset *enormibus colossis* vel *enormi colosso,* absurde tamen dixisset. Nullus enim locus enormibus colossis intra ædes Vopisci, ubi nunc versatur Statius; liberum hi et apertum æthera postulant, in quo enormitatem suam explicent. Vides quot absurditatibus fœdus est hic locus. Minime dubito, quin de picturis hujus villæ aliquid hoc loco dixerit Statius: et hoc necessarium videtur, quippe inter *artes et manus veterum,* et *aurum,* et *ebur,* et *gemmas,* et *argentum* Mentoris, et *æs* Myronis, non fieri potuit quin locum haberent tabulæ Zeuxidis, vel Apellis, vel Parrhasii, vel alius cujuspiam præclari pictoris. Ita Silv. IV, carm. 6, vs. 25, loco huic simillimo:

> Hic tibi quæ docto multum vigilata Myroni
> Æra; laborifери vivant quæ marmora cælo
> Praxitelis; quod ebur Pisæo pollice rasum, etc.

et paulo ante, vs. 20:

> Mille ibi tunc species ærisque eborisque vetusti,
> Atque locuturas mentito corpore ceras, etc.

Ubi per *ceras* intelligit *colores,* ut recte interpretatur Barthius ad Herc. Surrent. vs. 95:

> Tot saxa imitantia vultus,
> Æraque, tot scripto viventes lumine ceras;

ubi conjungit *marmora, æra,* et *picturam;* et ita Lacrim. Etrusci, v. 200, et Pietat. Abasc. vs. 1:

> Si manus aut similes docilis mihi fingere ceras,
> Aut ebur, impressis aurumve animare figuris;

licet ibi forte per *ceras* innuat plasticen, ut apud Plinium Epist. IV, 7, de Reguli filio. Sed omnium simillimus et plane huic geminus locus in Surrentino Pollii, v. 63, in pari descriptione. Ex his Statii locis (et innumera ex aliis auctoribus addi possunt) vides cum *statuis,* et *auro, argento, ebore, ære* semper conjunctam esse *picturam;* et ita fieri oportuit, præsertim in descriptione domini et villæ elegantis (unde *pictam villam* vocat Martialis, IV, 58) quæ sine optimorum pictorum tabulis nequaquam hoc nomen mereretur, et in potissima elegantiarum parte deficeret. Nullus dubito quin sub voce *colossos* (quam multis nominibus absurdam esse probavi) lateat *colore,* quæ picturam designet, et respondeat præcedentibus *argento* et *ære.* Hoc invento, quærendus jam pictor celebris. Et nunquam mihi placuit istud *lusit* (sentis jam, cl. vir, Francisce *Hare,* quid dicturus sum) pretium enim et dignitatem operis non satis exprimit ista vox: et dixisse potius debuit Statius, « quicquid manus Myronis laboravit, » ut loco supra citato: « multum vigilata Myroni Æra, et laboriferi vivunt quæ marmora cælo Praxitelis; » quæ denotant curas et diligentiam et laborem, quem in his operibus perficiendis insumserant Myron et Praxiteles. *Ludere* vero contrarium significat, scil. leviter et sine cura effingere. Et si ita scripsit Statius, sibi ipsi etiam in hoc versu contradicit. Ait enim, « quicquid manus Myronis lusit et experta est. » Atqui quomodo fieri potest ut eadem manus, et *luderet,* et *experiretur* idem opus? *ludere* opus, ut dixi, est quasi per ludum, et negligenter, et ὡς ἐν παρέργῳ fingere: *experiri*, contra, multum experiendo, et tentando, et diligentiam adhibendo perficere: unde *experientia* docti artificis, Silv. IV, 6. Sunt igitur ἐσόπτρα *experta est* et *lusit;* quæ vox destruit Statii propositum, quod est commendare hanc villam et Vopiscum ob rarissima et pretiosissima, et perfectissima, opera, quæ Mentor et manus Myronis, non *lusit,* sed *experta est.* His ita certissima, ut opinor, ratiocinatione constitutis, et amota inepta voce *lusit*, larvam ponat celeberrimus pictor, et prodeat *Zeuxis.* Lego enim pro *Lusit et, Zeuxid9 aut:* nimirum syllaba *is* apice notabatur; quo amisso, pro *Zeuxid* fecerunt *Lusit;* unde sequebatur, ut metri conservandi gratia reliquum versum depravarent. Jam igitur habemus præclarum triumviratum, Mentorem, Myronem et Zeuxidem, in suo quemque genere excellentissimum, et constructio est; « quicquid Mentor expertus est argento, vel manus Myronis in ære experta est, aut Zeuxidis manus colore, » id est, pictura et coloribus, ut Silv. V, carm. 1, v. 4:

> Namque egregia pietate meretur
> Ut vel Apelleo vultus signata colore,
> Phidiaca vel nata manu, reddare dolenti.

Id est, Apelleis coloribus. Restat vox *enormes,* quam adeo enormiter

depravatam puto, ut de ea nihil probabile habeam dicere, nisi sub ea latere epitheton τοῦ *colore*. Totum locum sic soleo legere:

> Quicquid et argento Mentor, vel in ære Myronis,
> Zeuxidis aut vario manus est experta colore.

De *Zeuxidis aut* minime dubito: *vario* est ex mera conjectura sine literarum adminiculo; sensui tamen aptissimum epitheton. — Nusquam Marklandus longior fuit, quam ad hunc locum, sed speciosis argumentis adhibitis, per falsam ratiocinationem ad sententias decurrit, quæ ne aliis novas suspiciones injiciant, accurate exigi debent; nam verba, quæ vulgo et in antiquis libris leguntur, nullo modo laborare, mihi quidem persuasum habeo. *Primum*, quod Heinsius explicuit per *præcipuum*, hoc sensu superfluum vix ferri potest, quamquam elegantius referatur ad ipsum artificem, ut scribatur, *primi*... *Myronis* ex ejusdem viri conjectura. Sic Propertius I, 7, 3, *primo contendis Homero*, quod alii male de antiquitate intellexerunt. Tunc autem proximo loco requireretur nomen proprium. Quare Heinsius voluit aut *argento primi Myos*, ut alibi *primus in arte*, aut *prisci Myos*, ut infra IV, 6, 29, *vetus Apelles*. Atqui Myro invenerat multas novas formas, exhibueratque athletas et illum celeberrimum discobolum, in quo Quintilian. II, 13, 10: « laudabilem novitatem et difficultatem, » prædicat. Quare ejus opera recte vocari poterant *prima*. Quis vero intelligat « rudia et imperfecta tentamina? » Vopiscus villam suam antiquis artis monumentis decoravit, neque absurda laude, ut Marklando videbatur, Statius eum cumulat. Quod vero Marklando visum est, nullum locum fuisse enormibus colossis intra ædes, sed picturas desiderari, in contrariam sententiam vertere licet, quum picturarum mentio ab hac descriptionis parte prorsus abhorreat. *Enormes colossi* opponuntur operibus minoribus, quæ Myron in ære lusit, sicuti *ingentibus colossis*, IV, 6, 45, parva *gestamina mensæ*. Vid. ad II, 1, 131. Nec tamen tales colossos intelligas, quales erant Rhodius et Tarentinus, sed statuas humanam mensuram excedentes, quas multas fecerat Myro; nam etiam hac re fallebatur Marklandus, qui id negaret. Verbum *ludere* nullum curæ diligentiæve defectum indicat, sed de quacunque artis exercitatione dicitur; *experiri* vero eo sensu, quo *audere* supra carm. I, 85, de artifice proprie usurpatur, quamquam id prætereunt lexicographi. Sic etiam *experiri carmine*, Virgil. Eclog. V, 15, et hinc Statius, IV, 6, 44: « experientia docti artificis. » Quocirca ne hæc quidem emendatio Heinsii: « enormi manus explorata colosso, » quam Grævius probavit, necessaria fuit. Comma posui, ut debebam, post voc. *gemmas*, continuata oratione. HAND.

53. *Nec opinus*. Vocem *nec opinus* Statius sæpius usurpavit pro *temere*, aut *imprudens*, aut *improvidus*; sed hoc loco eam vim in se habet, ut errorem postea intellectum significet. Ne igitur quis mutet *nam* in *jam*. HAND.

56. *Superare novis asarota figuris*. « Suberantque novis asarota figu-

ris. » Ita editiones. Pro quo alii legunt *superantque;* alii, « superantque novas asarota figuras. » Parmensis, « superatque novas figuras; » Romana, « superantque novis figuris. » Vulgata placet Gevartio, qui explicat, *suberant*, i. e. substrata erant pedibus meis asarota novis figuris. Dicit Statius, se, dum per omnia visus ferret, nec opinum divitias calcare: quippe specula, quibus ornabantur parietes, repræsentare sibi seipsum ambulantem super pavimentum dives et tessellatum. Hic est sensus hujus loci. Et licet recte dici possit *gaudet humus*, non tamen tam bene et apte connectuntur « gaudet humus et suberant asarota; » et multo melius foret, « gaudet humus, superatque novis asarota figuris. » Et hoc in editionem suam recepit Veenhusius post Gronovium. Sed aliter scripsit Statius, nempe sic,

Varias ubi picta per artes
Gaudet humus superare novis asarota figuris;

gaudet superare est *superat;* qua phrasi Statius admodum delectabatur. Glaucia Atedii, vers. 132:

Modo puniceo velabat amictu,
Nunc herbas imitante sinu, nunc dulce rubenti
Murice; nunc vivis digitos incendere gemmis
Gaudebat.

Id est, nunc *velabat*, nunc *incendebat*. Propempt. Met. Cel. vers. 19;

Quærentes ubi celsa ratis quam scandere gaudet
Nobilis Ausoniæ Celer armipotentis alumnus.

Id est, quam *scandit* seu *scansurus est:* vulgo *qua*. Silv. lib. II, c. 2, v. 64:

Si quid Apellei gaudent animasse colores;

id est, *animarunt*; vers. 93:

Et Chios, et gaudens fluctu certare Carystos.

Id est, *fluctu certans*. Lacrim. Claudii Etrusci, vers. ult.

Hoc etiam gaudens cinerem donasse sepulcro.

Id est, *donans* hoc honore sepulcrali: aliter enim non constat sensus: quippe absurdum est supponere Etruscum *gaudere* donasse sepulcrum parenti. Thebaid. lib. III, vers. 106:

Et nemorum Dodona parens, Cyrrhæaque virgo
Gaudebit tacito populos suspendere Phœbo.

Id est, *suspendet;* vulgo, *dudebit;* et ita passim per totum opus. Sic et alii. Martial. Epigr. lib. I, 71:

Nec te detineat miri radiata colossi,
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.

Id est, *vincit*. Sil. Italic. XIV, 498; Propert. I, 3, 23; Lucan. VI, 261, de Scæva. Nimirum a Græcis hanc elegantiam mutuati sunt Latini; illi enim dicunt ταῦτα φιλεῖ οὕτως γίνεσθαι, id est, ταῦτα οὕτως γίνεται; unde eruditissimus Plin. Hist. Nat. lib. III, cap. 1, utitur τοῖς *nasci gaudens* pro *nascens*. Simile est Horatii istud,

Aurum per medios ire satellites

Et perrumpere amat saxa.

Id est, *it et perrumpit.* Idem :

Spargit agrestes tibi silva frondes;
Gaudet invisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

De *asarotis* in hoc Statii loco vide Plin. Hist. Nat. XXXVI, 25 : *Asarotici lapilli*, Sidon. Apollinar. Carm. XXIII, 57. Non igitur dicit Statius asarotica pavimenta subesse pedibus suis, sed pavimenta quæ vincerent etiam asarotica, novis et inusitatis figuris : picto scilicet marmore, vel disposito in varias formas. Apuleius Miles. V, « Pavimenta ipsa lapide pretioso cæsim diminuto in varia picturæ genera discriminantur. » Quæ Apuleii verba locum hunc egregie explicant et illustrant. — In hac re vereor ne Marklandus suo sensu potius quam verbis deceptus fuerit. Nam etiamsi absurdum esset, ut ait, si poeta dixisset, Etruscum gaudere donasse sepulcrum parenti, tamen magis absurdum videtur, gaudii nomen ibi poni, ubi aut contrarios animi affectus, aut nihil significet. Sed Statius non sine causa addidit *gaudens*, quando parentem mortuum carminibus celebrari, ipso filio gaudio esse poterat. Plinius vero in allato loco III, 1, 2, amnem dicit *sæpius nasci gaudentem ;* neque in reliquis locis, neque alibi usquam hoc verbum significatione destitutum est, sed usurpatur de re aut læta sive grata, aut qua non gravamur sive quam non detrectamus; quare conjungitur etiam cum verbis *vincendi* et *superandi*. Hand.

58. *Quid nunc ingentia Mirer. Mirer* est idem quod mirando laudem et celebrem, ut bene Domitius. Ita Præf. lib. IV, « Tertio Viam Domitianam miratus sum, quæ gravissimam arenarum moram exemit; » ubi plura adnotabo.

59. *Aut quid partitis distantia tecta trichoris. Trichora*, τὰ τρίχωρα, Casaubonus ad Spartiani Pescenn. Nigrum, interpretatur, « ædes quæ tribus partibus constant; quarum una ingredientibus obvia est, duæ ad latera. » Nos vocamus *alas*. Salmasius, ad eundem locum Spart. p. 677, ait trichora esse fastigia : et erudite probat tecta veterum pluribus fastigiis fieri solere. Vide eum explicantem hunc Statii locum. Omnes latuit mendum occultissimum. Vide enim constructionem : « quid nunc mirer ingentia, aut quid tecta distantia partitis trichoris? » ubi si dicas τὸ *tecta* repetendum esse ex versu sequenti, ut conjungatur τῷ *ingentia*, respondeo, hoc pacto voces *aut quid* abundare. Quodnam enim opus dicere, « quid nunc mirer ingentia tecta, aut quid distantia partitis trichoris, » quum satis sit « ingentia tecta, distantia partitis trichoris? » Præterea discretiva vox *aut*, si sana esset, evidenter monstraret de duobus rebus sermonem esse : nemo enim dicit *quid nunc mirer tecta, aut quid* tecta? atqui hoc modo loquitur Statius, si hæc scripserit. Idem verum est de voce *quid*, quæ sententiam et sensum novum et a præcedente diversum fere inchoat et inducit; ut versu proximo, « quid te,

quæ mediis servata penatibus, arbor; » v. 81 : « quid bifera Alcinoi laudem pomaria? » et ita semper aut plerumque ; vix enim aliter patitur sensus communis. Sine dubio igitur vox *ingentia* ad aliud quidpiam referenda est, et sententia nova ordiri debet ab altero *quid* : hoc modo,

> Quid nunc ingentia mirer,
> Aut? quid partitis distantia tecta trichoris?
> Quid te, quæ, etc.

hoc percepto, facile fuit restituere,

> Quid nunc ingentia mirer
> Atria? quid paribus distantia tecta trichoris?
> Quid te, quæ mediis, etc.

Vox *atria* compendiose scripta migravit in *aut* : unde sequebatur, ut quod deficeret metro in prima versus parte in reliquo suppleret librarius; unde pro *paribus* fecit *partitis*, quod proximum erat. Recte vero *ingentia atria*. Prudentius Peristeph. in Martyr. D. Laurent. vs. 174; Virgil. Æneid. lib. I, vers. 725. Contra, *non ampla* Catonis *atria*, apud Lucan. lib. II, vers. 238; *longa atria*, Martial. lib. XII, 50; *ampla atria*, Seneca, Consol. ad Marciam c. 10; Claudian. in Rufin. lib. II, v. 135 :

> Quid nunc divitiæ, quid fulvi vasta metalli
> Congeries, quid purpureis effulta columnis
> Atria, prolatæve juvant ad sidera moles?

quem locum adduco, ut videas verum esse quod dixi de voce *quid* initio sententiæ posita. Ausonius, qui plurima loca hujus carminis in Mosellam suam transcripsit, hunc quoque videtur ante oculos habuisse vs. 335. *Distantia tecta, paribus trichoris*, id est, ædes licet *distantes* et flumine divisas, tamen *paribus trichoris*, paria et similia habentes *trichora* seu fastigia : quibus verbis τὴν συμμετρίαν hujus villæ designat Statius. Morellus notat v. c. adscripsisse, *fortean leg. trigonis*. Pro *tecta* vet. Cod. habet *testa*.

59. *Quid te, quæ mediis servata*, etc. Ex Virg. Æn. lib. VII, vers. 59 :

> Laurus erat tecti medio, in penetralibus altis,
> Sacra comam, multosque metu servata per annos.

Non igitur opus est ut legamus *mediis enata penatibus*. Deinde, tecta *per et postes*. Ita conjungit Ovid. Trist. III, 1, 34 :

> Conspicuos postes tectaque digna deo.

Sed non nimis placet hoc loco : præcessit enim *tecta trichoris*, et periculum est ne bis idem dicat; quid te, o arbor, quæ servata mediis *tectis*, in auras emergis per postes et *tecta*? An scripsit, « saxa per et postes. » Sueton. Aug. cap. 92 : « Enatam inter juncturas lapidum ante domum suam palmam in compluvium deorum Penatium transtulit. » Vel potius, *tigna per et postes*; ut Lucret. lib. II, vers. 191 :

> Nec quum subsiliunt ignes per tecta domorum,
> Et celeri flamma degustant tigna trabesque.

Si neutrum placeat, et si nihil mutandum censeas, non contendam. Vide tamen Heinsium ad Ovid. Fast. IV, 233, ubi fuse de commutatione *τῶν tecta* et *tigna*. Verum puto « tigna per et postes. » — Erat, ni fallor, arbor penetrans per ipsum triclinium, et inde tecta superans, ut illa arbor, e qua fecit Ulyss. thalamum Odyss. XXIII, 190 s. Tamen v. *postes* non bene convenit huic explicationi. Itaque in impluvio stetisse videtur, circumdata undique tectis et postibus. LENZ. — In margine Parm. scriptum erat *secreta*, quod præferendum videbatur Heinsio Advers. pag. 546, non item mihi; nam antiquam arborem sive ab ipsis ædibus, sive potius a domino servatam dixeris, integra erit sententia. *Tigna* etiam Burmann. conjecit, sed postea scripsit, « tecta super postesque leves emergis in auras. » *Per* positum est pro *inter*, de quo usu Macrobius, in Somn. Scip. II, 8. Male etiam Scriver. correxit « tecta per, ut potes, liq. etc. » HAND.

62, 63. *Et nunc ignaro forsan.... demet Hamad.*, etc. Non opus est ut aliorum conjecturas in hunc locum refutemus: hoc pro seipso faciet Statius, quem debes erudito amico meo Joanni Jortino Coll. Jesu Cant. Socio, qui ita restituit,

> Et nunc ignaræ forsan vel lubrica Nais,
> Vel non abruptos tibi debet Hamadryas annos.

Nihil verius: et nunc (inquit Statius), o arbor, Nais aliqua forte vel Hamadryas conservationi tuæ debet continuationem vitæ suæ, quamquam tu hoc nescias. Veteribus enim persuasum fuit quod,

> Non sine Hamadryadis fato cadit arborea trabs,

ut loquitur Ausonius, Idyll. V, 75. *Non abruptos annos*, id est, continuatos: de quo Statiano loquendi more supra fusius dixi ad Equum Domit. v. 82. — *Debet*, ut infra v. 87; Ovid. Met. VII, 48; Virg. Æn. lib. XI, vers. 51; Sil. Italic. lib. XII, vers. 633; Juvenal. sat. VIII, vers. 68:

> Primum aliquid da,
> Quod possim titulis incidere præter honores,
> Quos illis damus et dabimus quibus omnia debes.

Ita legendum; vulgo absurde *damus et dedimus*. Mire Gronovium torsit hic locus, Observat. I, 5, ubi pro *ignaro* conjicit *intactæ*, et pro *demet annos*, *comet*. Vetus editio, Bernartio teste, habet *ignaræ*. Literæ *m* et *b* tam Latinis quam Græcis scriptoribus perpetuo commutantur. Hunc locum Statii similiter emendat Heins. ad Ovid. Fast. IV, 231, ed. Burm. nisi quod pro *Et nunc* legit *At nunc*. Verius alterum, ut Epicedion in Patrem suum, vers. 185:

> Et nunc ex illo forsan grege gentibus alter
> Jura dat Eois, alter compescit Iberos.

Virgilius, Æneid. lib. XI, vers. 50: « Et nunc ille quidem, etc. » — Meursius in Critic. Arnob. II, 1, pag. 46, cum Lindenbrogio necessariam putarvit correctionem *ignaræ*, qua tamen parum proficitur. Cum

Jortino consentit N. Heinsius, qui ad Ovidii Fast. IV, 231, et in Adversariis, pag. 547 emendat:

> At nunc ignaræ forsan vel lubrica Nais,
> Vel non abruptos tibi debet Hamadryas annos.

In his plurima mirabilia apparent. Quid enim est, cur Nais dicatur *nunc* demum arbori vitam *debere?* Quid illud *forsan?* quod infra V, 3, 185, recte legitur de existimatione, et de re exspectanda in Ovidii Metam. XV, 150. Tum vero quid *ignaræ arbori?* An utpote trunco? Poeta id ignorare poterat, sed non ipsa arbor; neque aliunde notum, quo modo Nais ab arbore sumat vitæ nutrimentum, vel etiam Hamadryas, cui arbor vitam debere credebatur: nam quod Nais, apud Ovidium Fast. IV, 232, dicitur periisse una cum arbore, et quæ narrat schol. ad Apollon. Rhod. II, 475, ea non ita accipi possunt, tamquam ipsa nympha vitam debuerit arbori. Immo Statius Theb. VI, 91, silvam describit, quæ superstes nymphas mutaret. Præterea non patet, quo pacto poeta ad talem sententiam in hac oratione aberrare potuerit. Quare unum Gronovium puto, quid in hoc loco requiratur, perspectum habuisse. Is enim quum in Observat. I, 5, Gevartium sequutus, nihil nisi voc. *et* in *at* mutandum censuisset, in altera hujus libri editione totius loci difficultatem certo judicio ponderans, conjecit:

> At nunc intactæ forsan vel lubrica Nais,
> Vel non abruptos tibi comet Hamadryas annos.

Nimirum poeta prosperam sortem arbori ominans dicere debebat: et nunc ab hoc domino servata vigébis infinitis annis, ut ipsam aquæ proximæ nympham, vel Hamadryada longissimæ vitæ tuæ nutricem credamus. In ipso igitur carmine nihil mutavi, ne defensoribus vulgatæ lectionis, quos non defuturos augurabar, materiam detraherem; sed poetam scripsisse existimo:

> Et nunc cognatæ forsan *vel lubrica Nais,*
> Vel non abruptos tibi comet Hamadryas annos.

Et nunc forsan eo sensu positum est, quo supra demonstravimus. *Non abrupti anni* sunt continui; de qua dicendi forma vid. ad I, 1, 82. *Cognata* vero arbor bene dicitur, sive ipsam cognationem ad Hamadryada, sive ad Naida, numen propinqui fluminis referas, quo sensu Thebaid. V, 579. Lerna vocatur *cognata.* De nomine *lubrica Nais,* vid. Markland. ad II, 2, 105. Verba vero *nuncignaræ,* ut erant in Lipsii codice, facile commutari poterant cum verbis *nunc cognatæ,* et similiter *demet* et *comet.* Hand.

64. *Quid referam alternas sub aggere mensas.* De aquis hujus villæ iterum dicturus est; quem locum partim absolverat supra vs. 43. Sed *udum* Tibur, et *quæ Tibur aquæ fertile præfluunt* (ut de iis Horatius) non leviter et semel tantum memorandæ fuerunt. Mirum vero (ut sane miraculis refertissimum est totum hoc carmen) quod initio occurrit de *mensis* in utraque ripa; « alternas gemino super aggere mensas. » Mensæ enim non locari solent in ripis fluviorum; et, si ita fieri soleret, inepta

tamen ponerentur hoc loco ubi de aquis ex toto agit, prout apparet sequentibus,

Albentesque lacus, altosque in gurgite fontes:
Teque per obliquum penitus quæ laberis amnem,
Marcia, et audaci transcurris flumina plumbo?

Vides nullam esse connexionem, nullam similitudinem inter *mensas* et *albentes lacus* et *fontes*. Lege,

Quid referam alternas gemino super aggere ninfas.

Id est, *nymphas* seu *aquas*; ita enim antique scribebatur, *ninfas* (unde Itali hodie *ninfa*) inter quam et *mensas* minima est differentia. Per *nymphas* vero seu *aquas* intelligit balnea, quæ in aggeribus seu ripis fluviorum exstrui solere ad commoditatem hauriendæ aquæ ex diversis harum Silvarum locis apparet. Supra vers. 45; ita Villa Surrent. vers. 17, ubi *nympha*, pariter atque hic, pro *aqua* : et ad mare hæc vides balnea. Iterum Herc. Surrent. vers. 100:

Curvi tu litoris ora
Clausisti calidas gemina testudine lymphas.

Hæc loca simillima sunt, et egregie confirmant conjecturam meam; quæ tamen ex sensu solo et minima differentia scripturæ in vocibus *mensas* et *ninfas* seipsam sustentare posset. *Nymphas* vero pro *aquas* ut supra v. 37, « an emissas per cuncta cubilia nymphas? » ubi male substituerunt *lymphas*, quum ed. Rom. et Ven. disertim habeant *nymphas*, Gron. teste, Diatr. cap. 18, et ita inveni in Parmensi. Iterum vs. 46: « Ridet anhelantes vicino flumine nymphas; » id est, *aquas*. Vide quæ ibi notavi. Potes etiam legere, *gemino super aggere lymphas* pro *mensas;* sed *nymphas* magis figuratum est, et mori Statiano congruum; et ita legit Gronovius in supra citato loco Herc. Surrentini, ubi vulgo *lymphas;* sed Parmensis et Romana clare habent *nymphas*. Omnino vide quæ de his vocibus annotavit cl. Bentleius ad Hor. Carm. III, 13, vs. 16, et Heins. ad Ovid. Heroid. Ep. V, 31: « Xanthe, retro propera; versæque recurrite nymphæ. » Sed nec adhuc locum ex toto sanum puto; et legendum,

Alterno geminas super aggere nymphas;

nam, alternas gemino. » — « Super alterno aggere » est super utraque ripa, ut v. 25: « alternas servant prætoria ripas; » et Theb. lib. II, 182:

Quas Doricus alligat undis
Isthmos, et alterno quos margine submovet infra.

Id est, utroque margine. *Geminas nymphas*, ut *geminâ testudine*, duobus locis ante citatis. Sed hoc leve est, et quibusdam forte non adeo necessarium videbitur. Dimitto igitur, quum supersint tot graviora : velut hoc quod sequitur, « albentesque lacus, altosque in gurgite fontes. » — Scriptura omnium librorum : « quid referam alternas sub aggere mensas, » servanda erat. Cur enim mensæ, si in ripis exstructæ erant, in hac descriptione non commemorari poterant? Nymphas vero iterum huc revocatas, nemo pro balneis accipiet, quorum mentio ab hac parte carminis alienissima. Atqui ponebantur in ripis mensæ et cubilia, sæpe

ipso flumine circum irrigata, ut Plin. Epist. IV, 30, 2, ait: « fons oritur in monte, per saxa decurrit, excipitur cœnatiuncula manu facta; » et Seneca, Natur. Quæst. III, 17: « in cubili natant pisces, et sub ipsa mensa capitur, qui statim transferatur in mensam. » Quantam voluptatem veteres quæsiverint in cœnatione circa aquas et fontes, multis auctoribus, veluti Plinio, Epist. VI, 6, 37, notum est. *Gemino aggere* dixit Statius, ut Theb. lib. V, vers. 516, *geminæ aggere ripæ*. Hand.

65. *Albentesque lacus, altosque in gurgite fontes.* Quinam hi *alti fontes*, vel quæ inde huic villæ commendatio quod Anio, qui illam alluit, habet *altos* fontes in gurgite suo? *Nymphæ* quidem, id est, balnea, voluptati inserviunt hujus villæ; *albentes lacus* (id est, aquæ *Albulæ* quæ juxta Tibur et Anienem erant) utilitati et variis morbis medendis, ut ex Strabonis loco mox videbimus: at cui bono *alti* fontes, non intelligo: et si dixisset *non altos* fontes, æqua fuisset, hoc est, nulla, commendatio. Nihilo melius est Bernartii *alios*, ob easdem rationes. Unice nobis hoc loco succurrit Strab. lib. V, p. 164, ed. Casaub. ubi postquam descripsit Tibur et planitiem juxta urbem, sic pergit: ἐν δὲ τῷ πεδίῳ τούτῳ, ὃ Ἀνίων διέξεισιν, καὶ τὰ Ἄλβουλα καλούμενα ῥεῖ ὕδατα ψυχρὰ, ἐκ πολλῶν πηγῶν, πρὸς ποικίλας νόσους καὶ πίνουσι καὶ ἐγκαθημένοις ὑγιεινά: « Planitiem eam, per quam delabi Anienem diximus, Albulæ etiam perfluunt aquæ frigidæ, multis e fontibus prolapsæ, ad varios morbos, potæ, aut pro balneo usurpatæ, remedium præbentes. » Hinc colligo has Albulas (de his enim sine dubio agit hoc loco Statius, utpote juxta villam Manlii) frigidas fuisse, et multis e fontibus scaturiisse, et juxta Anienem sitas esse. His notatis, vide quid sequitur,

Albentesque lacus, gelidosque in gurgite fontes.

Gelidos fontes in gurgite, id est, *Aniene;* Anio enim frigidissimus (unde *Aniena frigora*, Silv. IV, 4) hinc sine dubio frigoris causam habuit, scil. ex hujusmodi fontibus, qui in eo erumpebant et oriebantur: nec aliter fieri potuit quum tam vicinæ essent aquæ Albulæ, quæ ex *multis fontibus* (nonnullis certe in Aniene), ut notat Strabo, prolapsæ erant. Optime hoc modo sensus et τὸ πρέπον procedit: jam enim villam laudat Statius ob rem, quæ laude digna est, salubritatem sc. aquarum. Quod si cui displiceat nimia mutatio ex *altos* in *gelidos* (et sane difficiles et morosos lectores vellem), vide quam facili negotio tota difficultas solvatur, hoc modo,

Algentesque lacus, albosque in gurgite fontes.

Algentes lacus (ψυχρὰ ὕδατα Strabonis) ut supra, v. 44, *ripis algentibus*. *Fontes albos* sulphure, ut *sulphurea Nar albus aqua*, apud Virgil. unde mox v. 75: « sulphureos crines donat Albulæ. » *Canam* vocat Martialis Epigr. I, 13; idem VII, 93. Hoc, opinor, placebit. — *Alti fontes* dicuntur quibus aqua stagnorum e profundo profluebat, quique etiam in summa aqua observabantur. Infra I, 5, 17, *emergite altis fontibus;* II, 3, 33, *stagna alta*. Recte igitur ab his pergit poeta ad descriptionem Marciæ,

nec quisquam malit: « altoque in gurgite fontes; » nam servata vulgari lectione, gurges pro stagnante aqua accipiatur, in qua, ut Plin. Epist. VIII, 8, 2, ait, « fons eluctatus facit gurgitem. » Vid. not. Schæferi ad h. l. In edit. princ. scriptum: « altosque immergite fontes, » unde quo sensu Marklandus fecerit *in margine*, nescio. HAND.

68, 69. *An solum Ioniis sub fluctibus.... deducat s. p.* Nimis abrupta hæc interrogatio, et insuavis, et minime poetica. Lege, « Non solum Ioniis, etc. » et *deducit* versu proximo, deleta interrogatione. Narrat enim Statius, non quærit. Horatius, « non sola crines arsit adulteros, » scil. *Helena*. Petronius Satirico, c. 139:

> Non solum me numen et implacabile Fatum
> Persequitur: prius Inachia Tirynthius ira
> Exagitatus onus cæli tulit.

Si malis *Nec solum*, vide Psittac. Ated. v. 10 (ubi tamen vetus Parmensis habet *non*), et Ausonium Mosella v. 386, et alios passim. Sed *Non* magis placet, quia omissa prima litera, utpote versus initio, ex *on* facilior fuit lapsus in *an;* et ita legisse Domitium ex nota ejus suspicor; quam more suo exscribit Bernartius. — Etiam Wakefield. in Silv. cr. t. IV, p. 235, conjecit, « haud solum Ioniis, etc. » sed tom. V, p. 156: « ne solum.... deducat, » deleto interrogationis signo, quemadmodum Heinsius quoque. Marklandus non verba a librariis corrupta emendasse videtur, sed sententiam a poeta negligenter expressam: is enim voluit quærere: num nunc una Sicilia tale miraculum sibi vindicare conabitur? Sed non in hoc uno loco importune admisit interrogationis schema, aut non accurate ad proximas sententias aptavit. HAND.

85. *Vitreæ juga Circes.* Hoc nomen Circes ex antiquorum poetarum usu desumptum est, sed non cum pulchritudinis aut fragilis amoris significatione, ut interpretibus visum est. Circen enim, ut quæ nympha marina esset, *vitream* vocarunt, nomine ab aquis translato; quemadmodum Thetin *cæruleam*. Statius vero quum Ulyssis socios in lupos mutatos dicit, discedit ab Homeri narratione, in qua tamen etiam lupi circa Circes domum fuisse traduntur.

89. *Avia nimbosa revocabunt litora.* Quænam hæc *avia litora*, ad quæ Vopiscus hiberno tempore secessit? non certe in Italia; ibi enim nulla *avia litora;* omnia quippe frequentata et bene cognita; et tamen in Italia et ad mare Tyrrhenum hæc litora esse oportet ex adjunctis. Vide enim: cedant, inquit Statius, huic Tiburtinæ Tusculum et Ardea et villæ ad lacum Lucrinum, et Formiæ; cedant etiam Circeii, et Anxur, et Caieta, deinde hæc *avia litora* cedere jubentur. Cedant sane per me; sed prius noscamus quænam sint; nec longa disquisitio; nulla enim alia esse possunt præter *Antia litora*: hæc igitur in sedem suam fidenter repono. Videtur Statius hausisse hæc ex Ovidio Metam. XV, 716:

> Minturnæque graves, et quam tumulavit alumnus,

Antiphatæque domus, Trachasque obsessa palude,
Et tellus Circæa, et spissi litoris Antium.

Omnia vides fere eadem: *quam tumulavit alumnus* est Caieta, *Æneæ nutrix*: *Trachas* est Tarracina quæ et Anxur. Bene vero *Antium litus*, ut *Istrum latus*, Silv. IV, 4; *Partha manus*, Ovid. Fast. (V, 580, t. VI, nostræ editionis, ubi vide notam. Ed.); *venena Cholca*, Horat. Carm. II, 13, ubi vide Bentleium. Ἀσιφὸς ἀνὴρ apud Æschylum Eumenid. et Suid. *Astur equus*, Martial. XIV, 199. Miror unde interpretibus in mentem venerit aliquid hoc loco de Antio comminisci: nam apud Domit. hæc invenio: « Cedant quæ te (Antium intelligit, quo hieme secedebant Romani. Litora avia). Sine portu: nam Antium portu caruit, ut scribit Strabo. » Quem subsequitur Morellus, et ex Lucretio adducit, « avia loca nullius ante trita solo; avia litora, ἀλίμενα. » Atqui *avia* litora non magis denotant Antiana litora quam Tarentina, quam Asiatica, quam Inda. Qualis hæc est fortuna in veritatem incidere! qualis, nescire ubi incideris! Pro *litora* in Parmensi est *frigora*.

90. *Scilicet hic illi meditantur pondera mores.* Quis interpretum hæc intellexit? non Domitius, qui explicat: « Per talem secessum et amœnitatem componis animum ad gravitatem. » Ceteri tacent. Atqui quomodo *mores meditantur pondera?* num ergo reliqua parte anni levis erat Manlius, gravitatem meditabatur æstate quum in Tiburtinam secederet? hoc enim, si aliquid, innuere videntur voces, *meditari pondera*. Deinde, quare *illi*, et non potius *tibi?* et infra enim et supra Manlium alloquitur: cur non hic? nisi forte vox *illi* cum *mores* conjungenda; quo facto, quæro adhuc, qui mores? nihil enim, ne verbum quidem, de *moribus*. Inexplicabilia hæc sunt, quia corruptissima. Ex pulchra sequentium oppositione, « fecunda quies, virtus gravis fronte serena, sanus nitor, luxu carentes deliciæ, » statim suspicatus sum sub his etiam acumen aliquod latere; quod, puto, erui, hoc modo: « Scilicet hic hilari miscentur pondere mores; » Elegantissima antithesis: *hilari pondere*, qua alibi utitur II, 3, v. 65, et V, 2, 73; 3, 246; intelligit nempe istud quod hoc modo extulit Ausonius Parental. II; Sil. Ital. VIII, 610, de Bruto. *Mores* huic Nostro interdum animi indolem denotant, aliquando gravem et compositum vitæ cursum et tenorem. Facilis fuit lapsus ex *ilari*, i. e. *hilari*, in *illi*; quo semel perpetrato pars reliqua versus periclitabatur. Contra apud Senec. Consol. ad Marciam, cap. 13, pro, « ad Capitolium hilari rediit vultu, » Gronovius ex codice Jureti restituit, « ad Capitolinum illum rediit vultum. » Totus hic locus pulcherrimus est. Plin. Epist. IV, 3: « Nam severitatem istam pari jucunditate condire, summæque gravitati tantum comitatis adjungere, non minus difficile quam magnum est. » — *Miscentur pondere;* ita ad uxorem vers. 93:

Libertatemque Menandri
Quam Romanus honos et Graia licentia miscent.

94. *Mallet deserto senior Gargettius horto. Senior Gargettius* est *Epi-*

curus; vide ad Eq. Max. v. 101; Martial. Epigr. VII, 69, de Theophila:

Hanc sibi jure petat magni senis Atticus hortus:
Nec minus esse suam Stoica turba velit.

Scaliger ad Cirin Virgilii hunc Statii hemistichon ita citat, « Cultoque senex Gargettius horto; » memoriæ errore, cui nimis fidebat vir maximus. — Præclare comparat Epicurum, tum ut ostendat, maximas Tibure esse delicias, quia earum amantissimus Epicurus tamen eas facile Athenis prætulerit, tum quoniam Epicurus sapientem voluptatem sectabatur, ut Vopiscus. Lenz.

95. *Hæc per et Ægeas hiemes Pliadumque*, etc. Heinsius in Advers. (ad finem Tibulli edit. Broukhus.) legit *Hyadumque*. Prima enim in *Pliadum* semper producitur, utpote a Græco Πλειάδες. Ovidius, Metam. XIII, 293; Ausonius, Epist. XVIII, 24; Noster, Kal. Decembr. v. 21. Sic enim scribendum, non *Plias:* vide celeberr. Burmannum ad Ovid. Fast. III, 105. Nihil tamen hoc loco mutandum temere. Primum enim, licet obvium esset Statio scribere *Hyadum*, vix tamen ita scripsisset, sed *Pliadum*, ut vitaret κακοφωνίαν istam et hiatum concurrentium vocum, « hiemes Hyadumque nivosum. » Deinde, solenne illi est defraudare diphthongum una littera. Ita Via Domit. v. 59, *Lechēo* pro *Lechæo*, cum sit a Græco Λέχαιον; ubi fusius de hac re agam. Hic igitur *Pliadum* quasi Græcum esset Πλειάδες, non Πλειάδες. Et ita sentientem invenio Politian. Epistol. I, 20, Baptisto Guarino. — Rem dubiam bene composuit Marklandus, in eo tamen falsus, quod Latinos *Pleias* duabus syllabis dixisse arbitrabatur; nam aut *Plias*, producta vocali, aut *Pleias* tribus syllabis pronuntiabant, sicuti in aliis omnibus nominibus Græcum *ει* in *i* mutabant, quo fieri potuit, ut metri necessitate coacti longam vocalem corriperent. Vid. ad lib. I, carm. 6, vers. 22. Hand.

96. *Oleniis dignum petiisse sub astris.* Pro *Oleniis astris* Heinsius ibidem legit *Olenii astri.* Sed sui certe oblitus erat vir acutissimus, quum hæc scriberet. Vide enim constructionem: « per Ægæas hiemes et sidus Pliadum, et sub Olenii astri *scil.* sidus. » Atqui primo dixisse debuit « sub *sidere* (non *sidus*) Olenii astri; » istud enim usitatius. Deinde quid est *sidus astri?* nonne idem quod *sidus sideris?* certe; *astrum* enim et *sidus* poetis idem sunt. Tolerandum foret, si dixisset sub *sidere Olenii hædi* vel *Capellæ;* sed non *astri*, quum *sidus Olenium* sit *astrum Olenium.* Nihil igitur mutandum. Totus vero locus ita distinguendus esse videtur:

Hæc (per et Ægæas hiemes Pliadumque nivosum
Sidus et Oleniis dignum petiisse sub astris,
Si Malææ credenda ratis, Siculosque per æstus
Sit via) cur oculis sordet vicina voluptas?

Uno spiritu continuanda sunt, quæ in parenthesi posita vides. *Dignum petiisse*, Græcismo eleganti, pro *quum dignum sit petiisse:* ἄξιον ὄν pro ἄξιον ὄντος. Passim apud Platonem habes in Libris de Repub. et alibi; ut

et apud ceteros scriptores Græcos. Si plenam στιγμὴν ponas post *via*, reliqua nimis abrupta erunt et non cohærentia: melius, credo, post *astris*: et ita edi curavi. Pro *Pliadum* in Parmensi invenio *placidum*.

102. *Sive liventem satiram nigra rubigine turbes.* Boxhornius, Epist. ad Gronov. legit, « nigræ rubigine turbæ, » voce *tollas* ἀπὸ κοινοῦ intellecta, ut sit, « sive tollas chelyn ad heroa robora, sive tollas satiram liventem rubigine nigræ turbæ. » Male; licet enim recte et proprie dicas « tollere chelyn ad heroa robora, » poema epicum, grande et sublime opus: non tamen *ad satiram tollere* chelyn eadem proprietate potes dicere. Gevartius affirmat certo certius legendum esse *turpes*: ego certo certius scio non ita esse legendum. *Turpare* enim *satiram* est *dedecorare*, ut in isto loco Thebaid. lib. X, cap. 437, ubi hæ voces pariter confusæ erant,

Summumne hoc cladibus, inquit,
Deerat, ut afflictos turparem ego proditor Argos?

Ita ex MSS. recte emendat Gevartius. Quid vero? an probabile est Statium, dum amicum suum et patronum Manlium laudat ob multifarias in scribendo dotes, eo insolentiæ processurum esse, ut eodem tempore illum satiram *turpare* et *dedecus esse* satiræ diceret? certe politissimi ingenii vir Gevartius nunquam tale quicquam admisisset in patronum suum Auberium. Ne tamen frustra in hoc loco quærat harum vocum commutationem, dabo illi illustre exemplum ex Apul. Met. I, p. 14, ed. Pricæ: « Sic denique eum vitalis color turbaverat, ut mihi præ metu, etc. » Ubi Pricæus: « De voce *turbaverat* quærendum; ego hic me non expedio. » Nec mirum: non enim in sola voce *turbaverat* latuit hujus loci difficultas. Omnia tibi expedita spondeo, modo legas, « Sic denique eum letalis color turpaverat, ut mihi præ metu, etc. » *letalis color* est quem paulo ante dixerat *buxeum pallorem: mortis colorem*, Sil. Italic. lib. VI, v. 409; *Stygium colorem*, XII, 244; *morti similis color*, apud Senecam Hippol. vers. 586; iterum Sil. Ital. lib. VII, vers. 631:

Volvitur exanimis, turpatque decora juventa
Ora novus pallor.

Vide et Lucan. VII, 129. Hujus oppositum est *vivus color*, Claudian. de Bell. Get. « vivusque redit color urbibus ægris. » Sed hoc obiter: majore enim molimine nos vocat Gronovius, qui Diatr. cap. 11 et 50, more suo, hoc est erudite, defendit et explicat istud *turbes*, nempe ex notione vocis *satiræ*, quæ nihil aliud est, inquit, quam scriptum pro arbitrio varia complectens: ita *lex satira* vel *satura*, quæ una rogatione multa et varia comprehendebat, νόμος πολλὰ περιείχων, ut est in glossis. Ita *per saturam fieri* dicitur fere quicquid confusanee, inordinate, multiplici rerum et operum mixtura conficitur. Satira carmen olim rude et histrionium, in quo multa variaque risus excitandi gratia miscebantur: cui primus Lucilius dentem addidit et licentiam veteris comœdiæ. Duo igitur sunt quibus constat satira Luciliana, ordo turbatus et confusaneus, et insecta-

tio vitiorum per sales et jocos acerbos: quæ summa cum eruditione et judicio expressit hoc versu Statius,

Liventem satiram nigra rubigine turbes.

Quum enim satiram *nigra liventem rubigine* facit, posterius; quum *turbari* eam, prius innuit. *Turbare* enim *miscere* est, *miscellum opus facere;* adeo ut recte dicatur *turbare* satiram, quia in satira turbatur, seu turbando, id est, miscendo fit opus confusaneum. Hæc est Gronovii argumentatio, hæc loci hujus explicatio; quæ, sive vera, seu falsa, certe eruditissima est. Et quid aliis factura sit nescio: mihi quidem non placet, nisi probari posset Manlium hunc *more Luciliano* satiram scripsisse: hoc enim pro concesso sibi sumit Gronovius. Lucilius forte recte dici potuit *turbare satiram*, id est, turbando et miscendo varia, scribere satiram (licet hoc quoque subobscurum putem); satiræ vero facies Statii tempore longe diversa fuit ab illa ævi Luciliani, prout omnibus notum; unde sequitur, ut, etiamsi Lucilius turbarit satiram, non tamen quicunque satiram scribit dici possit *satiram turbare*, nisi ad exemplar Lucilianum se componat: quod de hoc Manlio probatum esse oportuit. Mihi multo magis arridet Scriverii *vibres* pro *turbes*, ut *vibrare iambos* apud Catullum. Sed quid moror? Verum puto,

Liventem satiram nigra rubigine tingas;

eo magis quod syllabæ *tur* et *tin* iisdem calami ductibus constant, et literæ *b* et *g* sæpissime commutentur, ut supra *albentes* pro *algentes*, *turbidus* et *turgidus* perpetuo in MSS. Proprie vero *tingere rubigine*, de satira, ut *tollere chelyn* de carmine epico: Martial. Epigr. lib. X, 33:

Ut tu, si viridi tinctos ærugine versus
Forte malus livor dixerit esse meos, etc.

Et lib. VIII, 3:

At tu Romano lepidos sale tinge libellos.

Ovid. Epist. ex Pont. lib. III, epist. 3, vers. 105:

Ergo alii noceant miseris, optentque timeri,
Tinctaque mordaci spicula felle gerant.

Ita *malignitas veneno tincta*, apud Senecam, de Vita Beata, c. 18; sed quod mihi maxime persuadet hunc versum antiquitus ita lectum fuisse, est locus Alcimi Aviti, lib. de Laud. Virginitat. v. 299, ubi Statium videtur exscripsisse, « Livida ne facies pulla rubigine tingat. » Vide quam similis est Aviti versus, et Statii, « Liventem satiram nigra rubigine tingas; » cujus constructio est, *tingas nigra rubigine*, non *liventem nigra rubigine*. *Liventem satiram*, malignam et invidam. Si adhuc adhæreas eruditæ lectioni *turbes*, ablegandus es ad erudite obscuros scriptores Afros, Tertullianum, Arnobium, Apuleium et similes. Hunc vero locum imitatur Ausonius Professor. I, 13:

Sive Panegyricis placeat contendere libris
In Panathenaicis tu numerandus eris;

Seu libeat fictas ludorum evolvere lites, etc.

Vulgo legitur *Panegyricos libros;* sed recte emendavit Tollius, quum manifesta sit hujus loci Statiani imitatio. — *Turbes* positum est propter voc. *nigra*, ut sit, fusco colore inducas. Sic dicitur *corrumpere*. Lenz. — Si quo argumento antiqua scriptura defendatur, demonstrari debet, quod vix poterit, Statium posuisse *turbare* pro *turbidam reddere*, ut impetum et turbidam orationem satiræ designaret. Sed obstant aliæ quoque difficultates, et in verbis conjungendis, « satiram liventem nigra rubigine, » et in totius sententiæ ratione, quæ ad fusci coloris proprietatem spectat; nam verbum *splendescat* verbis antecedentibus opponi, nemo non videt. Scribendum ergo est:

Liventem satiram nigra rubigine turpes;

quo facto sensus existit hic: sive tu lividum colorem satiræ augeas inducta nigra rubigine, eoque modo ipsam mordacissimam reddas, sive nitido splendore epistolam exhibeas. *Turpare* non, ut aliis videbatur, idem est ac *tinguere*, sed *nigro colore turpare* significat, rei maculas nigras inducere, aut eam maculare; nam verba *turpare*, *maculare* et Græcum *μαίνειν* id habent commune, ut, absque fœdæ contaminationis significatione, de colore fusco rebus puris vel candidis, vel liventibus addito usurpentur.

104. *Seu tua non alia splendescat epistola cura.* Recte Gevartius *non alta cura.* Intelligit simplicitatem stili epistolaris. In hanc rem egregie Seneca, Epist. 75: « Qualis sermo meus esset, si una sederemus aut ambularemus, illaboratus et facilis; tales esse epistolas meas volo, quæ nihil habeant accersitum aut fictum. » Pro *tua* legendum *tibi*, ut in Soter. pro Gallic. v. 29:

Seu quum tibi dulcis in artem
Frangitur et nostras curat facundia leges.

Ovidius, Remed. Amor. vers. 403:

Quamlibet invenias, in qua tibi prima voluptas
Desinat.

Ita recte dedit Heinsius pro *tua*. — Gevartio assentiti sunt Scriverius, Christius et vir doctus in exempl. Gotting. nec Gronovius emendationem, *alta cura*, cujus primus auctor est Lindenbrogius, in editione rejecit. At his verbis non simplicitas epistolarum describitur, sed negligentia poetæ, qui mediocrem curam adhibeat. Omnes libri antiqui exhibent *non alia*, quod non cum Barthio explicuerim, « non alia cura, quam quæ epistolarum stilum decet, » sed ita ut sententia in laudem Vopisci dicta sit: si tua epistola, quamvis levius carminum genus, eadem diligentia quam in altiori genere miramur, adhibita splendescat. Sic voc. *alius* hoc sensu ponitur Thebaid. lib. I, vers. 45: « alio Capaneus horrore canendus. » Vocabulo *tua*, ut videtur, proprietas quædam indicatur. Hand.

105. *Digne Midæ Crœsique*, etc. Vix fieri potest, ut bis eadem voce ita utatur Statius, et in diversa significatione : præsertim quum nullum acumen sit, nulla venustas in hac repetitione. Aut fallor aut ita scripsit,

Digne Midæ, Crœsique opibus, et Perside gaza,
Macte bonis animi!

Propertius, lib. III, eleg. 18 :

Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Crœsum aut Pactoli quas parit humor opes.

Ausonius, Epigr. LIV :

Nam quæcunque habui mecum fero : quum nihil ipse
Ex tantis tecum, Crœse, feras opibus.

Eumenius Orat. Pro Rest. Schol. cap. 16 : « Quid (mihi) cum illis opibus aut Midæ regis aut Crœsi? etc. » Martial. Epigr. XI, 6 :

Ardua res hæc est opibus non tradere mores,
Et quum tot Crœsos viceris, esse Numam.

Nec metuas de ultima syllaba in voce *opibus*. Virg. Æn. lib. IV, vers. 64 :

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Auctor Consol. ad Liv. Aug. v. 163 :

Miscebor cinerique cinis atque ossibus ossa.

Innumera hujus generis apud poetas occurrent.

CARMEN IV.

SOTERIA RUTILII GALLICI.*

Estis, io Superi, nec inexorabile Clotho
Volvit opus : videt alma pios Astræa, Jovique
Conciliata redit; dubitataque sidera cernit
Gallicus. Es cælo, dîs es, Germanice, cordi;
Quis neget? erubuit tanto spoliare ministro
Imperium Fortuna tuum. Stat proxima cervix
Ponderis immensi, damnosaque fila senectæ
Exuit, atque alios melior revirescit in annos.
Ergo alacres, quæ signa colunt urbana, cohortes,
Inque sinum quæ sæpe tuum fora turbida questu
Confugiunt, legesque, urbesque ubicunque togatæ

VARIÆ LECTIONES.

* Veteres edd. et Gronoviana, *Soteria pro Rutilio Gallico;* Cod. Paris. et ed. pr. inscribit *Rutilio Gallico.* A.

3. *Conciliata cadit.* Optime Barthius *redit :* nihil verius; notum istud Virgilii, « Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna. » Noster Silv. V, 2, *pietas redit;* Claudianus, de Bello Gildon. v. 4, *Concordia redit;* Calphurnius Siculus, Eclog. I, v. 43, *redit Themis;* Claudianus in Rufinum, I, 51, *en proles antiqua redit.* Sequentia imitatur Ausonius, Idyll. 33, 14. — Cod. Par. Ed. pr. et Ald. *cadit.* A.

4. *Es cælo.* Cod. Paris. *et cælo.* Pro *dis,* Gron. *diis,* ut Cod. Paris. Ed. princ. *dives Germanice.* Aldin. *Germaniæ.* A.

10. *Questu.* Sic Cod. Paris. Ed. pr. *suum.* Vide not. crit. A.

11. *Legesque, urbesque, ubicumque togatæ.* Vetustæ Venet. Parm. et Rom. omittunt prius *que,* ut jam videam verissimum esse quod olim suspicabar, nempe pro *questu* versu præcedente legendum esse *questum :* « fora turbida *questum* confugiunt leges, etc. » *leges quæ in sinum tuum confugiunt questum* (ut querantur) *fora* esse *turbida,* et ideo locum et honorem illis non esse. Tacitus, Annal. lib. I, cap. 2 :

Quæ tua longinquis implorant jura querelis,
Certent lætitia; nosseque ex ordine collis
Confremat, et sileant pejoris murmura famæ:
Quippe manet, longumque ævo redeunte manebit,
Quem penes intrepidæ mitis custodia Romæ.
Nec tantum induerint fatis nova sæcula crimen,
Aut instaurati peccaverit ara Terenti.

Ast ego nec Phœbum (quanquam mihi surda sine illo
Plectra) nec Aonias decima cum Pallade divas,
Aut mitem Tegeæ, Dircesve hortabor alumnum;
Ipse veni, viresque novas animumque ministra,
Qui caneris: dextro nec enim sine numine tantus
Ausoniæ decora ampla togæ, centumque dedisti
Judicium mentemque viris. Licet enthea vatis
Excludat Pimplea sitim, nec conscia detur
Pirene, largos potior mihi gurges in haustus
Qui rapitur de fonte tuo: seu plana solutis
Quum struis orsa modis, seu quum tibi dulcis in artem

« invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur. » — Cod. Paris. et ed. pr. omittunt *que* post *leges*. Vid. not. crit. A.

12. *Implorent*, edit. pr. et mox *certant*.

13. Pro *nosseque*, edit. princ. et Venet. *nos teque*. Aldin. *nosterque*. Locus desperatissimus; in quem vid. not. Cod. Paris. *nosterque*, et sic ediderunt Domitius et Gevartius. A.

17. Ed. pr. *induerit;* et mox *crinem*, pro *crimen*. A.

18. *Terenti*. Sic habet Cod. Par. a manu prima, et *Tarenti* a secunda. Gevartius edidit *Tarenti*, et exhibet *Terenti* in lect. Papin. cap. 31. Ed. pr. *Tarenti*. A.

19. *Sine ullo*, ed. princeps. A.

21. Edit. princ. *mentem... hortabatur*. A.

23. *Dextro n. e. s. numine*. Cod. Paris. edd. pr. et Aldin. *docto n. e. s. carmine*. Vide not. crit. A.

26. *Excludat*. Sic Cod. Paris. a prima manu, et *excidat* ex emendatione. Vid. not. crit. A.

27. *Potior*. Pro *potior*, quod verum est, olim legebatur *potius*; emendavit Nicolaus Faber. Nugantur qui pro *tantus*, quod et in Parm. invenimus, legunt *cantus*. Domitii suspicor hanc esse interpolationem. — Legitur *potius* in Cod. Paris. A.

29. *Cum struis orsa modis seu cum tibi*. Heinsius ad Val. Flaccum, V, 85, ex vetusta Parmensi edit. legit:

Frangitur, et nostras curat facundia leges.
Quare age, si Cereri sua dona, merumque Lyæo
Reddimus, et dives prædæ, tamen accipit omni
Exuvias Diana tholo, captivaque tela
Bellipotens; nec tu, quando tibi, Gallice, majus
Eloquium, fandique opibus sublimis abundas,
Sperne coli tenuiore lyra. Vaga cingitur astris
Luna, et in oceanum rivi cecidere minores.
Quæ tibi sollicitus persolvit præmia morum
Urbis amor? quæ tum patrumque equitumque notavi
Lumina, et ignaræ plebis lugere potentes?
Non labente Numa timuit sic curia felix,
Pompeio nec cæsus eques, nec femina Bruto.
Hoc illud; tristes invitum audire catenas,
Parcere verberibus, nec qua jubet alta potestas
Ire, sed armatas multum sibi demere vires,
Dignarique manus humiles, et verba precantum;
Reddere jura foro, nec proturbare curules,
Et ferrum mulcere toga. Sic itur in alta
Pectora, sic mixto reverentia se dat amori.
Ipsa etiam cunctos gravis inclementia fati
Terruit, et subiti præceps juvenile pericli,
Nil cunctante malo. Non illud culpa senectæ,
(Quippe ea bissenis vix dum orsa excedere lustris)

« Qua struis orsa modis, seu qua tibi, etc. » quam lectionem exemplis abunde confirmat; addas hoc ex Plin. Epist. X, 18 : *certatim ei, qua privatim, qua publice, testimonium retribuerunt.* — *Qui struis*, edit. pr. A.

31. Ed. princeps, *celeri*. A.

32. Ed. pr. *pene* pro *prædæ*. A.

36. *Tingitur*, edit. pr. pro *cingitur*. A.

38. *Crimina*, edit. princeps. A.

39. Ead. *amorque, tamen*, etc. A.

43. *Invictum*, edit. pr. solemni lapsu. A.

45. *Sibi*. Legitur *tibi* in marg. Cod. Paris. A.

47. *Perturbare*, ed. pr. A.

49. Pro *mixto*, ed. Rom. habet *miti*. — Cod. Paris. et Aldin. *fidit* pro *se dat*; edit. princ. *fundit*. Vid. not. A.

Sed labor intendens, animique in membra vigentis
Imperium, vigilesque suo pro Cæsare curæ,
Dulce opus. Hinc fessos penitus subrepsit in artus
Insidiosa quies, et pigra oblivia vitæ.
Tunc Deus, Alpini qui juxta culmina dorsi
Signat Apollineo sanctos cognomine lucos,
Respicit, heu tanti pridem securus alumni
Perpessusque moras : « Huc mecum, Epidauria proles,
Huc, altis gaudens; datur aggredienda facultas
Ingentem recreare virum : teneamus adorti
Tendentes jam fila colos : nec fulminis atri
Sit metus; has ultro laudabit Juppiter artes :
Nam neque plebeiam, aut dextro sine numine cretam
Servo animam; atque adeo, breviter, dum tecta subimus,
Expediam. Genus ipse suis, præmissaque retro

54. *Incendens*, ed. pr. pro *intendens*. A.

57. Pro *pigræ oblivia vitæ*, legendum *pigra oblivia*, ut Theb. X, 89. *Vita* non erat *pigra*, sed *oblivia*: et si *oblivia pigræ vitæ* in artus subrepsissent, *sanus* fuisset : adeo ut hæc lectio sensui contradicat. Sic *jucunda oblivia* vitæ Horatio Epistolis. *Inertia vitæ* pro *somno*, apud Virgil. in Culice, v. 384. — Cod. Paris. et ed. pr. *pigræ oblivio* vitæ. Aldin. *pigræ oblivia*. A.

58. Ed. pr. *Tunc decet... justa cacumina*. A.

59. *Apollineo sanctos*. Cod. Par. edd. princ. et Ald. *apollineos sancto*, et sic edidit Gevartius. Vid. not. crit. A.

61. *Perpessusque*. Aldina et eam secutæ nonnullæ habent *progressus*, et *teneamus* pro *tentemus*; ed. Parm. *progressus moras*; Rom. *morans*, et *hinc* pro *huc*. — Cod. Par. et edit. pr. *progressusque*. — *Huc*. Idem Cod. *hinc*, et in marg. *hūc*; in versu seq. *hinc alti*, et in marg. *hūc altius*. Ed. princeps, *hunc*; Aldina, *hic*.

62. *Aggnedienda*. Cod. Paris. *egredienda*, a prima manu, et *agredienda* ex emendatione. Edd. princ. et Ald. *hinc alti*. Edit. princ. *egredienda*. A.

63. *Teneamus*. Bernart et Gevart. *tentemus*. A.

64. *Tendentes*. Cod. Paris. *dānātis* ex emendatione. Edd. pr. et Ald. *tendatis*; illa præterea *te fluminis* pro *nec fulminis*. A.

65. *Laudabit*. Ed. pr. *laudavit*; Ald. *laudarit*. A.

66. *Dextro sine*. Ed. pr. *dextrorsum*. A.

67. *Animam*. Ed. princeps, *animamque*. A.

Nobilitas; nec origo latet, sed luce sequente
Vincitur, et magno gaudet cessisse nepoti.
Prima togæ virtus: illa quoque clarus, et ingens
Eloquio: mox innumeris exercita castris,
Occiduas, primasque domos, et sole sub omni
Promeruit jurata manus; nec in otia pacis
Permissum laxare animos, ferrumque recingi:
Hunc Galatia vigens ausa est incessere bello:
Hunc quoque perque novem timuit Pamphylia messes,
Pannoniusque ferox, arcuque horrenda fugaci
Armenia, et patiens Latii jam pontis Araxes.
Quid geminos fasces, magnæque iterata revolvam
Jura Asiæ? velit illa quidem ter habere, quaterque
Hunc sibi; sed revocant fasti majorque curulis,
Nec promissa semel. Libyci quid mira tributi
Obsequia, et missum media de pace triumphum
Laudem, et opes quantas nec qui mandaverat ausus
Exspectare fuit? Gaudet Trasimenus et Alpes
Cannensesque animæ: primusque insigne tributum
Ipse palam lacera poscebat Regulus umbra.

69. *Luce.* Ed. princeps, *dulce.*

70. *Gaudet.* Ed. pr. *gaudent.*

71. *Virtus: illa quoque.* In Parmensi est *ille quoque clarus;* latet aliquid. Ven. *quoque illi;* nescio quid velint. — Cod. Paris. et ed. pr. *virtus illi: quoque.* Vid. not. A.

74. *Promeruit.* Cod. Paris. edd. pr. et Ald. *permeruit.* Vid. not. A.

75. Pro *retingi* scribendum esse *recingi* quis non videt? — Ald. et Gevart. ediderunt *retingi*, et sic habet noster Cod. a prima manu, sed *recingi* ex emendatione. A.

76. *Galatia vigens a. e. incessere.* Edd. Parm. et Rom. habent *ingens;* Venet. etiam *īgens.* — legitur in nostro Cod. *Galathia ingens a. e. accessere.* Edit. pr. *nunc galathea ingens.* A.

77. *Timuit.* Edd. Parm. et Rom. *tenuit.* — Sic Cod. Paris. Ed. pr. *me* pro *hunc.* A.

79. *Arcu.* Ed. pr. *arcum.* A.

83. *Promissa.* Edit. princ. *præmissa.* A.

85. *Quantas.* Cod. Paris. ed. pr. et Ald. *tantas.* A.

86. Post hunc versum, sicut in Parm. et Rom. ita in Venet. inseritur iste: « Attollam cantu gaudet Trasimenus et Alpes. » — legitur quoque in Cod. Paris. et in ed. pr. Vid. not. crit. A.

« Non vacat Arctoas acies, Rhenumque rebellem,
Captivæque preces Veledæ, et (quæ maxima nuper
Gloria) depositam Dacis pereuntibus arcem
Pandere; quum tanti lectus rectoris habenas,
Gallice, Fortuna non admirante, subisti.
Hunc igitur (si digna loquor) rapiamus iniquo
Nate, Jovi. Rogat hoc Latiæ pater inclytus urbis:
Et meruit; neque enim frustra mihi nuper honora
Carmina patritio pueri sonuistis in ostro:
Si qua salutifero gemini Chironis in antro
Herba, tholo quodcunque tibi Trojana recondit
Pergamus, aut medicis felix Epidaurus arenis
Educat; Idæa profert quam Creta sub umbra
Dictamni florentis opem, quoque anguis abundat
Spumatu. Jungam ipse manus, atque omne benignum
Virus, odoriferis Arabum quod doctus in arvis,
Aut Amphrysiaco pastor de gramine carpsi. »
Dixerat: inveniunt positos jam segniter artus,
Pugnantemque animam; ritu se cingit uterque
Pæonio, monstrantque simul, parentque volentes;
Donec letiferas vario medicamine pestes,
Et suspecta mali ruperunt nubila somni.
Adjuvat ipse Deus, morboque valentius omni
Occupat auxilium. Citius non arte refectus

90. *Veledæ, et.* Cod. Paris. omittit *et.* Ed. pr. *vel det quæ.* A.

91. *Arcem.* Cod. Paris. *urbem.* Vid. not. crit. A.

94. Pro *rapiamus*, Cod. Paris. Edd. princ. et Ald. *rapiemus.* Pro *hunc*, ed. pr. *nunc.* Vid. not. crit. A.

96. *Honora.* Ed. pr. *honorem.* A.

99. Ed. pr. *verba t. quidcunq.* A.

102. Ald. *Dictami florentis opem*, etc. A.

103. *Benignum.* Cod. Par. edd. pr. et Ald. *benigne.* Vid. not. A.

105. *Carpsi.* Ed. pr. *carpsit.*

111. *Deus, morboque valentius.* Edd. Parm. Rom. et Ven. habent *deos;* recte. — Cod. Paris. et ed. princeps, *deos morboque valentior;* Ald. et Gevart. *deus, morboque valentior.* A.

112. *Aste refertus* pro *arte refectus* in ed. pr. A.

Telephus Æmonia; nec quæ metuentis Atridæ
Sæva Machaonio coïerunt vulnera succo.
Quis mihi, *tot* questus inter populique patrumque,
Sit curæ, votique locus? Tamen ardua testor
Sidera, teque, pater vatum Thymbræe, quis omni
Luce mihi, quis nocte timor; dum postibus hærens
Assiduus, nunc aure vigil, nunc lumine, cuncta
Aucupor; immensæ veluti connexa carinæ
Cymba minor, quum sævit hyems, pro parte, furentes
Parva receptat aquas, et eodem volvitur Austro.
Nectite nunc lætæ candentia fila, sorores,
Nectite: nemo modum transmissi computet ævi,
Hic vitæ natalis erit. Tu, Troïca dignus
Sæcula, et Euboïci transcendere pulveris annos,
Nestoreosque situs. Qua nunc tibi pauper acerra
Digna litem? nec si vacuet Mevania valles,
Aut præstent niveos Clitumna novalia tauros,
Sufficiam, sed sæpe Deis hos inter honores
Cespes, et exiguo placuerunt farra salino.

114. Pro *sæva*. Ed. princ. *sena*.

115. *Questus*. Cod. Paris. edd. princeps et Aldina, *cœtus*, et sic Gevart. A.

118. Pro *timor*, ed. pr. et Ven. *tenor*. A.

120. Pro *aucupor*, legitur *auguror* in Cod. Paris. et in edd. pr. Ald. et Gevart. A.

121. Ed. pr. *tymbra* pro *cymba*; Ald. *furenti* pro *furentes*. A.

123, 124. Pro *nectite*, ed. Rom. *netite* a *neo*, et hoc tuetur Domitius, sed sine exemplis. — Ed. Ald. *netite*. A.

125. Ed. pr. *vitæ vitalis*. A.

131. Pro *farra*, Rom. habet *sacra*; perperam.

NOTÆ

IN CARMEN QUARTUM LIBRI PRIMI SILVARUM.

Soteria. Egregie ludunt interpretes in hoc Papinii loco et Martialis lib. XII, epigr. 45, dum *soteria* munera esse aiunt, quæ dabantur amicis a morbo convalescentibus, quemadmodum die natali etiam varia munera missitabantur; nam nihil aliud sunt *soteria* quam vota et sacrificia, quæ ob principum et amicorum salutem diis instituebant. Quod satis ipse Statius innuit, dum in fine Soteriorum ait, de sacrificiis, pro impetrata Gallici salute solvendis, ... « qua nunc tibi, pauper acerra, Digna litem? etc.; » et ideo etiam statim initio hujus carminis, a deorum laude incipit, dum ait, vs. 1: « Estis, io, Superi, nec inexorabile Clotho, etc. » Gevart.

Vers. 7. *Damnosaque fila senectæ Exuit.* Sibi ipsi contradicere videtur: infra enim, vs. 52, dicit hunc Gallici morbum non *senectæ* deberi, sed *laboribus* et negotiis civilibus et curis pro Cæsare: quomodo ergo hæc concilianda? dicam tibi; *senecta* hoc loco non primaria sua significatione ponitur pro eo quod in hominibus *senectutem* dicimus, Græcis τὸ γῆρας; sed translata, pro membrana illa, seu *vernatione* (ut eam vocat Plinius) quam serpentes quotannis deponunt: ideo dicit *fila* et *exuit;* unde erudite Virgil. Æneid. lib. II, vers. 473: « nunc positis novus *exuviis:* » et Noster, Theb. lib. IV, vers. 95, in eadem comparatione:

.... ceu lubricus alta
Anguis humo verni blanda ad spiramina solis
Erigitur, liber senio, et squallentibus annis
Exutus, lætisque minax interviret herbis;

ubi vides *senium*, idem quod *senectam*. Vide et Georg. III, 437, ubi *juventa* nitidum describit postquam has *exuvias* deposuerit. Plin. XXIX, 5: « Anguium adeps ærugini mistus ruptas oculorum partes sanat; et membrana (inde *fila* Statii), sive senectus vernatione exuta claritatem facit. » Vide et lib. VIII, 31, et IX, 30, et passim; Tibullus, Eleg. I, 4; eadem metaphora Martialis, Epigr. V, 7, de Roma; Apuleius, Apologia. *Damnosa* fila senectæ sunt, fila *damnosæ* senectæ, ut apud Ovid. Trist. III, 7; et Metam. III, 517. Vide autem proprietatem et eruditionem Statii in voce *melior*, quæ denotat idem quod *junior: juventam* enim

ætatem *bonam* dicebant antiqui. Ovidius, Art. Amat. II, 665, et III, 65, huc alludit; Prudentius, Cathemer. in Exeq. defunct. vs. 93. Claudianus, de Bell. Gild. vs. 208; et hoc sensu intelligendum istud Martialis Epigramm. IX, XII, 1, de Earino:

Nomen cum violis rosisque natum,
Quo pars optima nuncupatur anni.

Ver, scilicet Ἔαρ, *ver* enim anni quasi *juventus:* ideo *optima.* Seneca, Herc. Fur. vs. 849; Ovidius, ibid. vs. 441. Huic contrarium *mala ætas* seu senectus, Afranius Vopisco apud Nonium, in voce *senium:*

Mala ætas nulla delinimenta invenit.

Sed satis horum.

10. *Fora turbida questu Confugiunt.* Mallem, « .. .. questum confugiunt. » Confugiunt *questum*, ut *dormitum* dimittitur, Horat. Epist. I, 7. « Ire *dejectum* monumenta regis, » carm. I, 2. Nost. Theb. VI, 657: « dejectum vaditis arces. » Ita « *ultum* insurgunt, » Theb. IX, 9; Hygin. fab. 63. *Fora turbida* ut *loca turbida*, Virg. VI, 534, sine substantivo causæ, ut loquuntur grammatici. Sed Pietat. Abascant. occurrit, ex Heinsii emendatione. « Ægra domus questu, « pro *Nigra:* nihil igitur mutandum.

13. *Nosterque ex ordine collis Confremat.* Ita edidit Domitius quum in suis codicibus invenerat *nosseque.* Male tamen; quum hæc de *uno* colle non posse intelligi, satis indicant illa *ex ordine*, quæ (ut bene notat Salmasius, Epist. 101 ad Gronovium) « in rebus numeri contiguis et « quasi in ordine euntibus tantum poni licet. Sic apud illum (Virgilium) « *septem totos* ex ordine *menses:* item, *quinetiam veterum effigies* ex « ordine *avorum.* Legebatur fortean antiquitus in libro vitiose descripto « *se nosque:* unde sequentes per transpositionem scripsere *nos seque* et « *nosseque.* Omnino a manu poetæ fuisse putem, senusque *ex ordine collis* « *Confremat*, id est, *seni colles* urbis ex ordine confremant. Sed quare « *senus*, inquies, quum sint *septem?* immo *seni* tantum erant intra Ur- « bem: nam *Vaticanus* collis trans Tiberim, nec olim habitatus erat, « nec ad urbem pertinebat, ut inter omnes convenit, et clare id docuit « Onuphrius in urbis Romæ descriptione. *Senus* ergo *collis Confremat*, « qui intra urbem scilicet: *ex ordine*, id est, *contigue* et sine ulla *inter-* « *ruptione.* Alias si admittere et illum voluisset, poeta potuisset dicere, » *septenusque ordine* collis. » Hæc vir summus, ingeniosa quidem, sed nequaquam vera: redarguitur enim a perpetuo more Statii et omnium aliorum scriptorum, qui nunquam (quod sciam, et nulla exempla attulit Salmasius) *sex*, semper *septem* montium, seu collium mentionem faciunt. Sic in Equo Max. ex conjectura mea: « Septem per culmina, etc. » Silv. IV, 1: « Et septemgemino jugo. » Via Domit. vs. 26: « Septem montibus. » Geneth. Lucan. vs. 45: « Septem juga. » Et ita semper et hic et alii poetæ, quorum loca adducere non necesse est. *Septenusque ordine collis* huic incommodo mederetur; sed nimis longe recedit a vulgata scriptura, ut ipse fatetur epistola proxima. Nam quod alibi, ep. 96,

conjecerat *nos seque* ex ordine, mentione dignum non putarem, nisi esset Salmasii. Latet aliquid quod conjectura non possum assequi. Antiquitati autem concedamus, ut ex duobus falsis lectionibus vetustior præferatur : et ideo in contextum ego admisi *nosseque :* quod et habet edit. Parmensis. Supra vs. 11, pro *urbesque ubi*cunque *togatæ*, Gronovius ad Plauti Aulular. II, 2, vs. 21, legit, *ubi quæque :* recte, credo, propter locum Virgilii Æneid. VII, 400, quem imitatur Statius. Vide Gronovium ad locum Plauti ; et ita Theb. XII, 22 :

> Itur in exsanguem populum bellique jacentis
> Relliquias, qua quemque dolor luctusque, cruenti
> Exegere duces.

Ubi MS. Petrensis habet *quacūque :* male. Claudianus, de Nupt. Honor. et Mar. vs. 204 :

> Vos, pennata cohors, quo quemque vocaverit usus,
> Divisa properate manu.

ita recte emendat Heinsius pro *quocunque.* Vide eum ad locum.

23. *Docto nec enim sine carmine tantus.* Nonnullæ edit. *numine* pro *carmine :* recte. Sed quid est *doctum numen?* Non, inquit Statius, Phœbum aut Musas invocabo, sed te, Gallice : tu sis *propitius :* numinis enim instar habes ; et hoc *propitium* experti sunt centumviri. Scripsit Statius : « *dextro* nec enim sine *numine* tantus. » Infra vs. 66 ; Silv. I, 2, vs. 32 : « *Numine dextro* Vota paves. » Thebaid. II, 152 :

> Egregii juvenum, quos non sine *numine* regnis
> Invexit nox *dextra* meis ;

ubi nonnulli Codices pro *dextra* legunt *atra*, et ita editiones pleræque, non bene : nox *dextra invexit non sine numine*, est *nox invexit dextro numine*, more Statiano. Iterum Theb. VI, 49.

26. *Excludat Pimplea sitim. Excludat sitim* est *non admittat* vatis *sitim* vel vatem sitientem. Heins. ad Ovid. Metam. I, 504, scribi vult, *Excludas, Pimplei, sitim ;* et ita Surrent. Poll. vs. 37, pro *Et superet Pimplea sitim, superes Pimplei.* Sed non opus est. *Pimplea* enim Πίμπλεια, *fons* est hoc loco, non *Musa.* Vide satis exemplorum hujus vocis apud clar. Bentleium ad Horat. Carm. I, 26, vs. 9. Veneta autem edit. non *Pimplea*, sed *Piplea* habet : ut et in supra citato loco Surrent. Poll. *Et superet Piplea sitim*, non *Pimplea.* Sic in Epigram. Catulli, 105, 1 :

> Mentula conatur Pimplæum scandere montem.

Eadem edit. habet *pipellum*, pro *Pimplæum.* Vide Varronem et Hesychium, citatos a Bentleio. Et huic forte scripturæ alludit locus ille Apuleii Metam. II : « Sic in modum superbi juvenis Adoni, vel mustelnatis pipletis laceratus atque discerptus, domo proturbor. » Hæc est lectio vitiosa antiquissimorum librorum. Heinsius vero ad Ovid. Met. I, 504, legit, *juvenis Aonii, vel Musæ nati Pimpleidis*, et interpretatur de

Pentheo et Orpheo discerptis a Bacchis. Legendum puto *juvenis Edoni*, id est, Orpheos : et sub voce *pipletis* forte latet nomen *Eupolidis : miselli vatis Eupolidis*, pro *musteluatis pipletis :* vel tale aliquid. Nota mors Eupolidis. Sed vide Elmenhorst. pag. 126, ubi *mustelatis peplis*, etc. sive Edit. Bipont. tom. II, pag. 43, ubi *juvenis Adonei*, *vel Musæi vatis*, *pipulis laceratus*, etc. Ed.

30. *Et* nostras curat *facundia* leges : id est, ut optime Domitius, *servat leges poetarum*. Non igitur audiendus Tollius, cujus (ut ipse ait) « nolente fere animo properans lingua legebat : Nostra currit facundia lege. » Not. ad Auson. Professor. III, licet maxime faveat huic conjecturæ Parmensis edit. quæ habet *nostra currat facundia leges*.

41. *Non labente Numa*. Quomodo *felicem Curiam* vocat moriente Numa ? inquit Gevartius, cui perplacet Heinsii conjectura hæc,

Non labente Numa timuit sic curia, *vel sic*
Pompeio ; nec celsus eques nec femina Bruto.

Non recte, opinor. Quippe procul dubio τὸ *celsus eques* referendum est, non ad Brutum, sed Pompeium, qui *equestris ordinis* erat, et proinde ab iis semper fovebatur. Recte se habet vulgata lectio : *felix* enim proprium et perpetuum epitheton *Curiæ*. Noster, Silv. IV, 4, vs. 76 :

Jam te blanda sinu Tyrio sibi curia *felix*
Educat ;

ita enim legendum esse pro *gloria* felix, ad locum probabo. *Hoc illud*, vers. 43, est ex Virgil. Æneid. lib. IV, vers. 675 : « Hoc illud, germana, fuit ? »

49. *Sic mixto reverentia fidit amori*. Inutilis prorsus et nullius sensus sententia. Hoc voluit : sic amor et reverentia miscentur. Scripsit igitur, « Sic mixto reverentia *se dat* amore. » *Se dat*, ut in Equo Max. vers. 42 ; Silv. lib. II, carm. 2, vers. 37 ; lib. V, carm. 3, vs. 71. Amat hanc phrasin Statius, a quo eam mutuatus est Auson. Mosella, vs. 448. Vid. Plin. epist. VIII, 20 ; Sil. Italic. III, 149 ; Noster, Silv. IV, 8 ; Seneca de Ira, III, 7 ; ex Virgilio sumpsit Noster, Georg. I, 287 ; Ovidius, Fastor. I ; Cicero de Oratore, II, 44. Reverentia *se dat mixto amore*, est *reverentia mixta amori seipsam præbet :* quam etiam verborum constructionem amat Noster, et ceteri omnes poetæ. Vide Bentleium ad Horat. Carm. IV, 1.

50. *Ipsa etiam cunctos gravis inclementia fati Terruit*. Non video quare *ipsa*, tam emphatice. Forte scripsit, Quinetiam *cunctos gravis*, etc. Præceps *juvenile*, hoc est, *magnum* præcipitium ; a Græcis sumptum, qui ponunt τὸ νεανικὸν pro τὸ *μέγα*, ut bene Gevartius. *Præceps immane* Juvenalis, sat. X, 106.

55. *Vigilesque suo pro Cæsare curæ, Dulce opus*. Ita omnes editio-

nes : recte; nec minimum est difficultatis. Quo magis miror quando lego apud Gronovium, Diatr. cap. 12 : Perspicuum est scripsisse poetam, « vigilisque suo pro Cæsare curæ dulce opus. » Ut sit, dulce opus *vigili curæ*. Nihil minus *Vigiles curæ* sunt casus recti, *Dulce opus* ejusdem casus, per epexegesin, seu appositionem. Nihil frequentius. Surrent. Pollii, vs. 30; Theb. XI, 98; Seneca, Consol. ad Polybium, c. 27; Plinius, Nat. Hist. lib. XXXIV, cap. 8; Gratius, Cyneget. vers. 186 :

> At clamore citat, quos nondum conspicit, apros,
> Ætola quæcunque canis de stirpe; malignum
> Officium.

Ita legendum; vulgo *clangore*. Verum est *clamore*, ut ora *clamosa* Molossi, apud Lucan. IV, 440; et Ovid. Halieutico, v. 79 : « Et produnt *clamore* feram, » de canibus. Tibull. Eleg. II, 6, v. 25, de prædatore loquens :

> Cui lapis externus curæ est, urbique tumultus
> Portatur validis mille columna jugis.

Ita legendum : depravavit politissimus Broukhusius legens et edens : « Quid *lapis externus curæ est?* » abrupte et nulla connexione. Scriptum erat *quoi*, antiquo more pro *cui* : unde fecerunt *quid*. Vide locum et mecum senties. Sed nimius sum in re clara. Supra, *imperium animi* in membra, ut apud Sallust. de Bell. Catil. initio : animi imperio, *corporis servitio magis utimur*. Eleganter M. Seneca, Præf. Controv. I, de Porcio Latrone : « *Nesciebat dispensare vires suas, sed* immoderati adversum se imperii *fuit*. »

56. Pro *subrepsit* N. Heinsius ad Ovid. Metam. VII, 155, citat *subrepit* : memoriæ, opinor, errore.

59. *Signat Apollineos sancto*. Hoc omnem ταυτολογίαν superat : si enim *Apollinei* sunt luci, a quo, quæso, nisi ab *Apolline* cognomen istud habere potuerunt? idem est ac si dixisset, Deus qui signat *Apollineos* lucos cognomine *Apollinis* : quod certus sum Statium nunquam dicturum fuisse. Lege,

> Tunc deus Alpini qui juxta culmina dorsi
> Signat Apollineo sanctos cognomine lucos.

Jam vero vides necessitatem vocis *Apollineo* : si enim solum dixisset *deus qui signat lucos suo cognomine*, non omnes intellexissent quemnam deorum designare voluit : hæc vero vox significationem determinat. Apollo Vercellis (ex quo oppido, opinor, ortus Gallicus) colebatur : inde *Apollineæ* Vercellæ Martial. Epigramm. X, 12.

61—65. *Prægressusque moras*, etc. In toto Statio vix unus et alter hoc inquinatior locus. Totum apponam, sicut in vulgatis legitur :

> Respicit, heu tanti pridem securus alumni,
> Prægressusque moras : huc mecum Epidauria proles
> Hinc alti gaudens datur adgredienda facultas.

Ingentem recreare virum tentemus adorti.
Tendatis jam fila colos, nec fulminis atri
Sit metus: has ultro laudarit Juppiter artes.

Editiones multæ ita legunt et distinguunt hunc locum, nisi quod Aldina et eam secutæ nonnullæ habent *Progressus*, et *teneamus* pro *tentemus*. Parmensis, *Progressus moras:* Romana, *morans:* et, *hinc* mecum. Multum sudabit quisquis hæc interpretari conabitur. Alii legunt *Progressusque morans*, alii *Prægressusque moras;* quod explicant, *statim, sine mora.* Et hoc retinet Gevartius; non male ad sensum, sed phraseos desunt exempla, et deerunt si recte anguror. Quid multa? scripsit Statius,

Respicit, heu pridem tanti securus alumni
Perpessusque moras: Huc mecum, etc.

Pati et *perpeti moras* pro *morari* probum est. Noster, Achill. I, 126: « Nec perpessa moras. » Tacitus, Annal. II: « Moram perpessus. » Plin. Panegyr. « Perpessus es longum illud comitiorum carmen, nec jam irridendam moram. » Hunc Statii locum imitatur Claudianus, Epithalam. Pallad. et Celer. vs. 55. Deinde legit Gevartius,

Huc mecum, Epidauria proles,
Huc altis gaudens; (datur aggredienda facultas.)

Probum *Huc* pro *Hinc*. Silius Italicus, lib. X, vers. 87, et lib. XV, vers. 359; Claudian. in Rufin. lib. II, 498; Nemesianus, Cyneget. vs. 99:

Huc igitur mecum, quisquis percussus amore
Venandi, damnas lites;

ubi pariter omnes Codd. habent *Hinc* igitur. Probum etiam *altis* gaudens, id est, *magnis* et *arduis*, ut Virgil. Georg. III, 42; Seneca, de Provident. cap. 5; Tacitus, Annal. IV; Livius, I, 34. Ita, *gaudet* patientia *duris* apud Lucan. IX, 403; fidere *lætis*, Theb. XI, 551. *Aspera* amans Scævola, Sil. Ital. lib. IX, 371: ægra lætis Invidia, Theb. I, 126; et ubique exempla in utriusque generis scriptoribus. Nec exempla adduxisse opus fuisset, nisi Gronovius, Diatr. capp. 2 et 38, defendisset *alti* gaudens: quod quidem Latinum est (sive Græcum mavis) minime tamen huic loco congruum. Deinde distinguendum, « Datur adgredienda facultas Ingentem recreare virum: » Per se patet: et si non pateret, hoc tamen postularet vox *facultas*, quæ verbum infinitivum post se fere trahit. Ita Silv. II, 1; Theb. IV, 513; XII, 36; passim invenies. Hucusque progressis, facile fuit ista restituere: « Tentemus adorti. Tendatis jam fila colos: » præsertim quum pro *tentemus* (quod Bernartii est) antiquiores Parm. et Rom. habeant *teneamus*. Lege, « Teneamus adorti Tendentes jam fila colos. » *Teneamus* colos, ut Silv. III, 1, vs. 171: « Parcarum fila tenebo, extendamque colos: » id est, *inhibebo*. Lucan. III, 392: « Quantum est quod fata tenentur! » Idem, II, 299:

. . . . juvat ignibus atris
Inseruisse moras, constructoque aggere busti
Funereas tenuisse faces.

Ita legendum puto; vulgo sine sensu: Inseruisse *manus*, et *Ipsum atras*

tenuisse faces. Vide elegantissimum locum. Huic contrarium *præcipitare colos*, Theb. V, 150, et Rutil. Itin. II, 56. *Tendentes* jam fila, id est, dum adhuc *vivit*, dum *superest Lachesi quod* torqueat, ut eleganter Juvenalis Sat. III. Si hoc sensisset Gronovius, nunquam defendisset vulgatam, quemadmodum facit Diatr. cap. 35, ubi ait : « Statius alloquitur ipsa fila, ut alibi carinas. Fila autem dicuntur tendere colos, quamdiu tenduntur, vel tensa sunt a colis, non abrupta. » Si hoc admittimus, quidvis defendi potest : et exspectabo ut pro *Parcæ nent fila* aliquis dicat *fila nent Parcas* : æque probum utrumvis. Sequitur, « has ultro laudarit Juppiter artes : Domitius in suis Codicibus invenit *laudavit*, unde fecit *laudarit*. Verius erat *laudabit*, quum propter perpetuas vices literarum *v* et *b*, tum quia Apollo, qui deorum mentes prænoscit, melius inducitur exerte *affirmans* Jovem laudaturum esse has artes. Totum igitur locum sic lege et distingue :

Tunc Deus, Alpini qui juxta culmina dorsi
Signat Apollineo sanctos cognomine lucos,
Respicit, heu pridem tanti securus alumni
Perpessusque moras : Huc mecum, Epidauria proles,
Huc, altis gaudens : datur adgredienda facultas
Ingentem recreare virum : teneamus adorti
Tendentes jam fila colos : nec fulminis atri
Sit metus ; has ultro laudabit Juppiter artes.

Nihil jam quod Momus ipse queat reprehendere. Nec metuas ab exordio abrupto orationis Apollineæ, *Huc mecum, Epidauria proles*, sine *ait*, vel *inquit* : hoc enim omnibus usitatum. Ita Equo Max. vs. 73 :

. . . . lætus mox præside viso,
Salve, magnorum proles genitorque Deorum, etc.

Scilicet, *dixit Salve*, etc. Vide Achill. II, 54 ; Theb. X, vs. 21, 662, 762, 336 ; Tacit. Ann. I : « Quousque filium imperatoris obsidebimus? etc. » Virgil. lib. X, vers. 278 ; Theb. lib. VI, vers. 656. Cruceus hoc loco mire turbat, et pro *aggredienda* legit *aggrediendo*, et pro *Huc* altis, *Hæc* altis : et quid non?

71. *Illa quoque clarus et ingens Eloquio*. Displicet frigidum istud *illa*. An scripsit Statius, *lingua* quoque? Atqui, inquis, sequitur, ingens *eloquio*. Quis vero nescit poetas rem eamdem bis vel sæpius, mutatis tantum verbis, efferre? Ita supra, vs. 10 :

Inque sinum quæ sæpe tuum fora turbida questu
Confugiunt, legesque.

Immo de hac ipsa re, vs. 34 :

. . . . nec tu, quando tibi, Gallice, majus
Eloquium, fandique opibus sublimis abundas
Sperne coli tenuiore lyra.

Et ita Manilius, IV, 194 ; Prudentius, adv. Symmach. lib. I, ad finem ; Sidonius Apollinaris, carm. II, 188, de Demosthene : « Eloquiis plus

lingua fuit. » Silius Italicus, lib. VIII, versu 410, de Cicerone :

> . . . . furialia bella
> Fulmine compescet linguæ, nec deinde relinquet
> Par decus eloquio cuiquam sperare nepotum.

Vide et 262 ejusdem libri; Paulin. Epist. I, 94; Ausonio, ubi *linguæ* et *togæ* conjungit. In Parmensi est *illi quoque clarus.* Latet aliquid.

74. *Permeruit jurata manus.* Domitii Codd. habebant *Permetuit.* Legendum *Promeruit*, ut Silv. III, 3, vs. 79 :

> Quis Superos metuens, pariter tot templa, tot aras
> Promeruisse datur?

Idem quod *inservire, administrare.* Apuleius Miles, V. Pro *jurata* substituunt quidam *durata;* non inepte, inquit Cruceus : immo ineptissime, nisi Statium ineptientem facere velis. Ejusdem farinæ est Morelli *rigens* Galatia, pro *vigens,* quod bene defendit Barthius, et explicat *potens, bellicosa.*

84. *Missum media de pace triumphum.* Intelligisne quid sit triumphus *missus* de media pace? *missum quo?* et quomodo *mittitur* triumphus? Conjicio Statium scripsisse, « Justum media de pace triumphum; » non solum *triumphum* de *pace,* quod quidem mirum est; sed etiam *justum* triumphum; quod miraculum et laudes Gallici auget, *triumphum* de media *pace;* elegans oppositio, qua etiam utitur Juvenalis, Sat. VIII, vers. 106 :

> . . . . referebant navibus altis
> Occulta spolia, et plures de pace triumphos :

non vero *justos* qualis hic Gallici fuit. *Justum triumphum,* ut apud Hor. Carm. I, 12 : « Justo domitos triumpho. » Eutrop. lib. VII, de Ventidio : « de Parthis justissimum triumphum Romæ egit. » Suet. Calig. cap. 48 : « Querens inter cetera fraudatum se justo triumpho. » Claudian. de Bell. Gild. : « Justo magnoque triumpho Civiles abolete notas : » licet duobus his locis *justus* triumphus forte opponatur *ovationi,* ut *justum* flumen, *torrenti,* apud Senec. Nat. Quæst. V, 2 : « Justa libertas, inter amicos datæ. » De Beat. Vit. cap. 24 : « Justa clementia, fortuitæ facilitati, » apud Eumenium, Grat. Act. cap. 2, ubi vulgo legitur *felicitati.* Potes etiam *jussum* triumphum de media pace : ut *jubere tributa* apud Florum, II, 6. Sed hoc nimis insolens esset in Gallico, quum *jubere* triumphos sit solius imperatoris. Mihi placet *justum,* sive opponatur *ovationi,* sive *injusto;* sed huic potius. Potes etiam, *meritum* triumphum, ut apud Claudian. III Cons. Honor. vs. 146 : « Quem merui, te non sudante, triumphum? »

85. *Et opes tantas?* etc. Abrupta sententia et in medio tenore conscissa. Lege, « et opes, quantas nec qui mandaverat ausus Exspectare fuit. » Per se patet emendatio. Non intellexit, quisquis hunc locum

primus depravavit, vocem *tantus* eleganter omitti: inde prava lectio et distinctio. Noster, Silv. lib. II, carm. 6, vers. 35, seqq.:

. . . . illius unus
Ante decor, quantum præcedit clara minores
Lana faces, quantumque alios premit Hesperus ignes.

id est, *tantum* ante *quantum*, etc. Avienus, Orb. Descr. vers. 469:

. . . . hic et Iaspis
Fulva micat stellis quantum convexa per æthræ
Ignea perpetuis ardescunt sidera flammis.

Iaspis micat *quantum* sidera, est, *tantum* micat *quantum* sidera. Senec. Controv. III, Præfat. de Albucio: « Splendor orationis quantus nescio an in ullo alio fuerit. » Horat. Epod. X:

Insurgat Aquilo quantus altis montibus
Frangit trementes ilices.

Juvenal. Sat. III, v. 223:

Si potes avelli Circensibus, optima Soræ
Aut Fabrateriæ domus, aut Frusinone paratur,
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum.

ita distinguendum: paratur *tanti quanti* nunc conducis locum aliquem tenebricosum. Claudianus, de Laud. Stilic. lib. II, vers. 305:

Publicus ille furor quantum tua cura peregit
Secretum meruit.

Id est, « tantum secretum quantum tua cura peregit; » vulgo inepte distinguitur, « furor (quantum tua cura peregit!) Secretum. » Ita *quot* ap. Virg. Æneid. II, vs. 330:

Portis alii bipatentibus adsunt,
Millia *quot* magnis unquam venere Mycenis.

Id est, *tot* millia *quot* venere. Inscriptio vetus apud Reinesium, p. 681:

EDVOATVS LITERIS GRAECIS QVAM ET LATINIS;

Id est, « tam Græcis quam et Latinis. »

88. *Ipse palam lacera poscebat Regulus umbra.* Quomodo Regulus qui apud inferos erat *poscebat* tributum? hoc enim *vivorum* est, non *mortuorum;* lege, ex emendatione amici mei Joannis Jortini:

Ipse palam lacera plaudebat Regulus umbra.

Claudian. de Bello Get.; Silv. V, 3; Claud. Fescennin. de Nupt. Hon. et Mar. v. 77. Sed mire concipitur totus hic locus in ed. Parm. et Rom. ad hanc nempe formam:

. . . . gaudet Trasimenus et Alpes,
Attollam cantu: gaudet Trasimenus et Alpes
Cannensesque animæ: primusque insigne tributum
Ipse palam læta poscebat Regulus umbra.

Romana includit parenthesi verba *Attollam cantu;* melius, si ex toto exclusisset: non enim Statii est versus, sed librarii, qui præcedens hemistichion iteravit. Et voluit, opinor, *Attollam cantus;* sed anne hoc est

attollere cantus, iterare versum præcedentem? Mitto quod Apollo hic *narrat* tantum, non *canit*: quod bonus interpolator non animadvertit. Istud autem *læta* Statianum puto. *Lacera* quidem *umbra* recte diceretur, ut Deiphobum apud inferos *lacerum crudeliter ora* agnovit Æneas: et hæ voces pro se invicem substituuntur, ut Silv. V, 1, pro *lætas frondes* hæ duæ editt. habent *laceras*. Sed æque probum *læta*; ut dicat Apollo Regulum plausisse tributum umbra *palam læta*, non furtim et dissimulanter et tacito sinu condens gaudia, sed *palam exsultans*.

89. *Captivæque preces Veledæ*; quæ virgo fuit in summa auctoritate apud Germanos, et instar numinis habita. Vid. Tacit. edit. nost. tom. IV, pag. 20, et ibi not. Vid. etiam notas Doctiss. viri C. L. F. Panckoucke, in opere eximio quod nuper edidit de Taciti Germania, pag. 41. Ed.

91. *Depositam Dacis pereuntibus urbem*. Castellum hoc Dacorum *urbis* nomine nusquam alibi insignitur; sed *montis* vel *verticis*, utpote in editiore loco situm. Supra in Equo Max. v. 80: « Tu tardum in fœdera montem Longo Marte domas. » Ibidem v. 7:

Rhenus et attoniti vidit domus ardua Daci.

Silv. lib. III, carm. 3, vers. 169:

Quæque suum Dacis donat clementia montem.

Thebaid. lib. I, vers. 17:

. . . . quando Itala nondum
Signa, nec Arctoos ausim sperare triumphos,
Bisque jugo Rhenum, bis adactum legibus Istrum,
Et conjurato dejectos vertice Dacos;

ubi pro *sperare* triumphos legendum *spirare*. Flor. IV, 12: « Daci montibus inhærent. » Ex his locis patet Statium scripsisse:

Depositam, Dacis pereuntibus, arcem,

non *urbem*. Par vitium infecerat Horatium, Carm. I, 7:

Sunt quibus unum opus est intactæ Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare;

ubi pro *urbem* legendum esse *arcem*, erudite probat R. Bentleius; vide et Heins. ad Ovid. Met. V, 644.

93. *Fortuna non admirante subisti*. Scio quomodo hunc locum explicat Thomas Stephanus in editione sua harum Silvar. Cantabr. an. 1651, *non admirante*. « Siquidem pro meritis tuis electus es. » Sed mihi nequaquam satisfacit hæc interpretatio, et majus aliquid postulare videtur sensus; quale est *consentiente* et *approbante* Fortuna, *non opponente* se huic electioni, non *aspernante*, non *indignante*, ut Thebaid. II, 741; V, 434, et IX, 469; Claudian. de Laud. Stilic. I et III. Noster, Silv. V, 1, vers. 234:

Accipiunt vultus haud indignata decoros
Numina.

Hoc modo exsurgit sensus Statio dignus: nihil enim *Fortunæ* cum *ad-*

miratione; nec dicitur hæc dea *admirari* hoc vel illud evenisse; sed vel *comprobare*, vel *se opponere* et *indignari*. Et vide quanta sit vis veritatis et sensus communis: hæc enim lectio Gronovio aliud agenti se obtrusit: ita quippe citari video Diatr. c. 12, ubi alia causa hunc locum adfert; nec vel ibi, vel alibi uspiam, quod scio, mentionem facit se hunc locum ita legere solere: nec aliam causam, opinor, habuit ita legendi (quum editiones et MSS. in hac voce *admirante* consentiant), nisi quod sensus sua sponte illum eo ducebat: quod et de me ipso affirmare possum; omnia enim loca quæ citavi adnotaveram, antequam in hoc fortuitum Gronovii inciderem. Licet vero ad hunc sensum scripsisse Statium minime dubitem, hac tamen voce usum fuisse non credo, quum proximior sit, et æque proba, « Fortuna non adversante, subisti. » Notum vero est literas *v* et *m*, *i* et *e* perpetuo inter se invicem commutari, *non adversante*, ut Tacitus, Annal. XIII, *amicis adversantibus;* idem Hist. III, 42: *adversante vento;* Cicer. Offic. III, 19: *adversante et repugnante* natura. Similiter de Senect. cap. 19. Hoc igitur maxime placet. Eadem diversitas apud Ovid. Fast. I, 5 : *aversatus honorem*, ubi quatuor Codd. habent *dedignatus*, unus *aspernatus*, notante Burmanno. Nihil tamen in contextu mutare audeo propter locum Propertii, Eleg. lib. II, 13, vs. 67:

Quem modo felicem, invidia admirante, ferebant,
Nunc decimo admittor vix ego quoque die;

quem tamen locum depravatum esse non dubito: certe enim dixisse debuit, invidia *ringente*, vel *fremente*, vel tale quidpiam. Versu proxime præcedente, pro *lectus*, Lipsius et Bernartius legunt *lectu;* male: non enim construenda sunt verba, *lectu* tanti rectoris, sed, *habenas* tanti rectoris.

94—96. *Rapiemus iniquo Nate Jovi.* Nimis audax hoc, *rapiemus;* lege, *rapiamus*, ut supra *teneamus* colos, non *tenebimus; iniquus Juppiter*, hoc loco est *Pluto*, non cælestis Juppiter: supra enim dixit, v. 65, Jovem hoc factum eorum approbaturum esse, « has ultro laudabit Juppiter artes; » summus scilic. et deum rex. *Nigrum* Jovem vocat Theb. II, 49; *infernum Tonantem*, XI, 209. Mox, vs. 96, constructio est, *et meruit* herbam, *si qua herba* sit *in antro*, etc. intermediis in parenthesi inclusis. Lipsii *Herba et holus*, id est, *olus*, dudum et merito explosum fuit.

193. *Atque omne benigne Virus.* Lege, *benignum Virus;* vox enim *virus* est τῶν μίσων, et tam in bonam quam malam partem sumitur. Inde *malum virus*, Virg. Georg. I, 129; cujus oppositum est hoc *beniqnum virus*. Senec. de Benef. I, 13, de Alexandro: « Qui summum bonum duceret terrori esse cunctis mortalibus; oblitus, non ferocissima tantum, sed ignavissima quoque animalia timeri ob virus malum. » Quæ tamen ultima verba, si quidquam sapio, glossa sunt: ineptissimam enim et minime necessariam explicationem continent, et sententiam ultra perfectum trahunt. Idem Nat. Quæst. V, 15, aurum vocat *malum virus*. *Sanctum virus*, Epidaur. angui attribuit Sidon. Apollin. Carm. XXII, 80.

107. *Ritu se cingit uterque Pæonio.* Inter ceteras conditiones quas Hippocrates requirit in chirurgo, inprimis hæc erat, ut veste esset astricta et succincta, non laxa vel duplicata, in humeris et cubitis. Hujusmodi habitum etiam descripsit poeta, VII Æn. quum loquitur de Iapide chirurgo « ....ille retorto Pæonium in morem senior succinctus amictu, Multa manu medica, Phœbique potentibus herbis. » Et ad hos versus Statium respexisse crediderim. Gevartius.

111. *Morboque valentior omni Occupat auxilium.* Lege, *valentius*, sc. *auxilium;* non enim dicere voluit Apollinem omni morbo *valentiorem* fuisse; nihil quippe mirum, quoniam *deus;* sed hoc vult, *auxilium* seu *remedium* quod Apollo intulit omni morbo *valentius* fuisse. De *metuente* Atrida, vide Homer. Iliad. Δ, 150. Pro *Deus*, versu præcedenti, Parm. et Rom. habent *Deos:* ut τὸ *ipse* non ad Apollinem, sed Gallicum referatur. Et sane hoc verum est: de Apolline enim *adjuvante* modo dixerat: jam narrat Gallicum pro sua parte Apollinem et Æsculapium *adjuvasse*, paratum et habilem se præstando, et medicamenta eorum libenter sumendo et *occupando.* In contextum itaque recipiatur « Adjuvat ipse deos, morboque valentius omni Occupat auxilium. » Versu proximo, pro *arte* Æmonia, Bernartius sperat placituram esse conjecturam suam, *ære* Æmonio; non mihi: potius enim dixisse debuit *ærugine* quam *ære.* Plin. XXV, 5, de Achille loquens: « Alii primum æruginem invenisse utilissimam emplastris: ideoque pingitur ex cuspide decutiens eam gladio in vulnus Telephi. »

115. *Quis mihi tot cœtus inter,* etc. Male: dixisse enim debuit *tantos cœtus* vel *tantum cœtum* populique patrumque, non *tot cœtus;* quippe absurdum est supponere *multos* fuisse *cœtus* populi, *et multos* patrum, querentium de Rutilii valetudine. Lege, « Quis mihi tot questus inter; » quis locus sit sollicitudini et votis meis inter tot *questus* populi et patrum? quis locus meis *questibus* inter tot *questus* aliorum? non *cœtus*, cujus absurditatem vides; *questus*, ut Theb. III, 704; VII, 460; X, 66; Tacitus Annal. I. Hi *questus* populi et patrum sunt intelligendi querentium *Diis* vel *de Diis*, ob adversam Gallici valetudinem. Ita apud Val. Flaccum, II, 167. Hæ vero voces *cœtus* et *questus* sæpe commutantur; ita Epithal. Stell. vs. 235, pro *cœtu* vel *cœtus* ante Bernartium erat in editionibus *questus;* sic etiam Protrept. ad Crispin. v. 160, pro *questus* solitos, recte Gronovius *cœtus.* Causa eruditis nota; nempe quia *c* et *qu* ejusdem potestatis et sonus veteribus fuerunt, ut in vocibus *quod* et *cod*, *quoque* et *coce;* de quo notus Ciceronis jocus apud Quintilianum, VI, 3, § 48. Vide notas, p. 496 tom. II nostri Quintiliani. Ita *condam* pro *quondam* inscriptione vet. apud Reines. p. 543.

119. *Nunc lumine cuncta Auguror.* Burmann. ad Val. Flacc. II, 44, legit *Aucupor;* recte. Ovid. Heroid. IX, 41:

Aucupor infelix incertæ murmura famæ.

et Heroid. XIII, 107:

Aucupor in lecto mendaces cælibe somnos;
Dum careo veris, gaudia falsa juvant.

Seneca, Thebaid. v. 361:

Hic aucupabor verba rumoris vagi.

quod active protulit Herc. Œt. v. 482:

Circumspice, agedum, nequis arcana aucupet.

Et sane, si non ita legerit Domitius, optime tamen interpretatus est, « subausculto et colligo omnia. » Scio quomodo hunc Statii locum explicet Neapolis ad Ovid. Fast. I, 180; sed omnino verum est *Aucupor*.

123. « Nectite nunc lætæ, etc. » hunc versum imitatur Prudentius Apotheos. contra Homuncionistas, v. 206.

128. *Nec si vacuet Mevania valles, Aut præstent niveos Clitumna novalia tauros.* Vel legendum *Non* si vacuet, vel si retineas *Nec*, scribendum, *Et* præstent: et hoc verum. *Nec* resolvendum est in *et non*, hoc modo: *Non* sufficiam si *et* Mevania vacuet valles, *et* Clitumna novalia præstent niveos tauros: non *aut*. *Nivei* tauri Clitumni fontis omnibus noti; adeo ut nihil forte in hac voce mutandum: non tamen excusandus Statius; scripsisse enim debuit *cunctos* vel *omnes* tauros, si accurate argumentari voluisset: Non sufficiam si Mevania *vacuet* valles, nec si Clitumnus præstet *omnes* tauros; non *niveos* tauros.

CARMEN V.

BALNEUM CLAUDII ETRUSCI.

Non Helicona gravi pulsat chelys enthea plectro,
Nec lassata voco toties mihi numina Musas.
Et te, Phœbe, choris, et te dimittimus Evan :
Tuque inimica feræ, volucer Tegeæe, sonoræ
Terga premas : alios poscunt mea carmina cœtus.
Naïdas undarum dominas, regemque corusci
Ignis, adhuc fessum, Siculaque incude rubentem
Elicuisse satis. Paulum arma nocentia, Thebæ,
Ponite; dilecto volo lascivire sodali.
Junge puer cyathos, sed ne numerare labora,

VARIÆ LECTIONES.

4. *Tuque inimica feræ.* Politianus emendaverat *Tu quoque muta feræ;* nescivi tunc temporis unde hanc lectionem habuerit, et ideo ex contextu ejeci; sed quum jam videam Venetam quoque hanc servare, rogo ut in textum recipias: *Tu quoque muta feræ.* — Sic habet Gevart. Cod. Paris. edit. Ald. *Tuque inimica feræ*, et *sonore* pro *sonoræ*. Ed. pr. « Tu quoque muta feræ... tegees honore. » Vid. not. crit. A.

10. *Junge puer cyathos, et enumerare labora.* Ita editiones veteres (et ita inveni in Parm. et Rom.) teste P. Scriverio ad Martial. IV, 40, unde legit « Junge, puer, cyathos, *set ne* numerare labora: » id est, *sed*; hoc enim modo fere scribitur in MSS. et hanc lectionem approbat Gevartius, Papin. Lect. c. 36. « Vult enim, inquit, Poeta largius sese invitare et numerum cyathorum confundere, ideoque non vult ullum arbitrum esse quam multos exhauriat. » Aliter Gronovius Observ. II, 3. « Continua, inquit, cyathos, puer, aliosque super alios porrige, et ipse laborem sume enumerandi: mihi non vacat, qui inter bibendum Etrusci cano balnea. » Ille igitur vulgatam retinet, *atque enumerare* labora.

Cunctantemque intende chelyn : discede, laborque,
Guraque, dum nitidis canimus gemmantia saxis
Balnea; dumque procax, myrtis hederisque soluta
Fronte, verecundo Clio mea ludit Etrusco.
Ite, deæ virides, liquidosque advertite vultus,
Et vitreum teneris crinem redimite corymbis,
Veste nihil tectæ : quales emergitis altis
Fontibus, et visu Satyros torquetis amantes.
Non vos quæ culpa decus infamastis aquarum
Sollicitare juvat : procul hinc, et fonte doloso
Salmacis, et viduæ Cebrenidos arida luctu
Flumina, et Herculei prædatrix cedat alumni.
Vos mihi quæ Latium, septenaque culmina Nymphæ
Incolitis, Tybrimque novis attollitis undis,
Quas præceps Anien, atque exceptura natatus
Virgo juvat, Marsasque nives et frigora ducens
Marcia, præcelsis quarum vaga molibus unda
Crescit, et innumero pendens transmittitur arcu,

Mihi verior et elegantior videtur Gevartiana interpretatio : altera frigidior; cui enim bono *numeraret cyathos* puer? — Cod. Paris. *et ne enumerare*; ed. pr. *et enumerare*; Ald. *atque enumerare*. A.

15. Pro *advertite* quod probum est et Politiano debetur, MSS. Domitii habent *a vertice*. Male Cruceus *avertite* tuetur. Si sensum spectes, non aliud quam *advertite* scribere potuit Statius, et ita inveni in Parmensi; quæ etiam habet *nitidos* pro *liquidos*, et *Fronde* pro *Fronte*. — Cod. Paris. *advertite* ex emendatione; ed. pr. *liquidos a vertice*; Ald. *avertite*. A.

21. *Cebrenidos*. Edd. pr. et Ald. *Crebrenidos*; mox, pro *luctu*, Cod. Paris. *vultu*. A.

27. Vulgo *Martia*; supra monui scribendum esse *Marcia* ad Tiburt. Manlii, 64. — Cod. Paris., edd. pr. et Ald. *Martia*, et sic edidit Gevart. Præterea edit. princ. *juga mobilis unda*. A.

28. *Crescit*. Diu suspectam habueram ultimam vocem; gratias ago optimæ Venet. quæ hunc mihi scrupulum exemit, suppeditando « ..... quarum vaga molibus unda Cessit; » unda antea vaga nunc *cessit* molibus, in ordinem et modum redacta : elegantissime. Sic Via Domit. v. 81, ubi Vulturnus *amnis* loquitur, « Sed grates ago strictus, atque tanti est, Quod sub te ducé, te jubente, cessi; » Sic etiam Surrent. Poll. v. 52. « His favit Natura locis; his victa, colenti Ces-

Vestrum opus aggredimur; vestra est quam carmine molli
Pando domus. Non unquam aliis habitastis in antris
Ditius : ipsa manus tenuit Cytherea mariti,
Monstravitque artes : neu vilis flamma caminos
Ureret, ipsa faces volucrum suocendit Amorum.
Non huc admissæ Thasos, aut undosa Carystos;
Mœret onyx longe, queriturque exclusus ophites :
Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura, sola cavo Phrygiæ quam Synnados antro
Ipse cruentavit maculis liventibus Attys :
Quasque Tyrus niveas secat, et Sidonia rupes.
Vix locus Eurotæ, viridis quum regula longo
Synnada distinctu variat. Non limina cessant,
Effulgent cameræ, vario fastigia vitro
In species animosque nitent. Stupet ipse beatas

sit; » ita ex antiquissimis editt. legendum, pro *hic victa*. — Cod. Paris. *Crescit;* quod recepit Gevartius. Ed. pr. *cessit*. A.

29. Pro *molli*, ed. pr. *nulli*. A.

30. Ed. princ. *nonnunquam*. A.

32. Pro *artes*, ed. pr. *arces*. A.

36. Pro *Nomadum metallis*. Venet. *nomasis;* quod, opinor, vult *Nomasin :* et hoc forte nonnullis non displicebit.

38. *Liventibus*. Cod. Paris. et ed. Gevart. *lucentibus*. Cod. Paris. scribit *Atys*. Ed. pr. *lucentibus actis;* Ald. *lucentibus Atys*. A.

39. *Quasque Tyrus*. Cod. Paris. *quæque tyri;* ed. pr. *quoque tyri*. A.

40. *Vix locus Eurotæ, viridis quum regula longo Synnada distinctu variat*. Ita recte hunc locum distinxit Gevartius, quum antea legeretur, *Vix locus Eurotæ viridis : quum*, etc. vel *viridi*. Sensus est : marmor Lacedæmonium viride non adhibetur his Balneis; nec quidem opus est, quandoquidem *regula viridis*, i. e. *crustæ marmoris viridis* inseruntur Synnadico. Sed non adhuc pro sanitate hujus loci respondebo. Vetus Codex habet *longa* et *distinctum* : et paulo ante *Synnados* mentionem fecerat, v. 37. Utcunque sit, mire dissentit Statius a Plinio de valore marmoris Lacedæmonii; Noster enim ait vix locum illi esse in his Balneis, propter villitatem, opinor : Plinius vero, Nat. Hist. XXXVI, 7, pretiosissimum facit Lacedæmonium. — Legitur et interpungitur in Cod. Par. « Vix locus Eurothæ viridis cum regula longa : Synada distinctum variat. » Gevartius præbet quoque *Synada*. A.

41. *Limina*. Sic Cod. Paris. Vid. not. crit. Ald. *lumina;* edit. princ. « Simnada discinctum v. modo lumina cessant. » A.

43. *In species animosque nitent*. Venet. *animoque :* forte, « ... vario

Circumplexus opes, et parcius imperat ignis.
Multus ubique dies, radiis ubi culmina totis
Perforat, atque alio sol improbus uritur æstu.
Nil ibi plebeium : nusquam Temesæa notabis
Æra; sed argento felix propellitur unda,
Argentoque cadit, labrisque nitentibus instat
Delicias mirata suas, et abire recusat.
Extra autem niveo qui margine cærulus amnis
Vivit, et in summum fundo patet omnis ab imo,
Cui non ire lacu, pigrosque exsolvere amictus
Suadeat? hoc mallet nasci Cytherea profundo;
Hic te perspicuum melius, Narcisse, videres;
Hic velox Hecate velit et deprensa lavari.
Quid nunc strata solo referam tabulata, crepantes
Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat
Ædibus, et tenuem volvunt hypocausta vaporem?
Nec si Baianis veniat novus hospes ab oris,
Talia despiciat; fas sit componere magnis
Parva, Neronea nec qui modo lotus in unda,
Hic iterum sudare neget. Macte, oro, nitenti
Ingenio, curaque, puer : tecum ista senescant,
Et tua jam melior discat fortuna renasci.

fastigia vitro In species animata nitent;» Noster, Theb. VI, 268. « Exin magnanimum series antiqua parentum Invehitur, miris in vultum animata figuris. » Vid. not. ad Arb. Ated. v. 53. — Ed. pr. *animoque*. A.

47. *Nusquam Temesea notabis æra*. Ita constanter editiones. Usus tamen postulat *Temesæa*. Ovidius, Met. VII, 207, *Temesæa æra;* Fastor. V, 441, *Temesæaque concrepat æra;* Stephanus Byzantinus : Τεμέσση πόλις Ἰταλίας. ὁ πολίτης, Τεμεσαῖος. Romana edit. habet *Temesia*. — Cod. Paris. *themesea*. Ed. princ. *tibi* pro *ibi*, et *themesea;* Ald. *Temesea*. A.

52. *In summum fundo*. Cod. Paris. Edd. pr. et Ald. *in fundum summo*. A.

56. Ed. pr. *deprehensa;* Ald. *deprœhensa*. A.

61. *Despiciat*. Cod. Paris. et ed. pr. *despiciet*. A.

63. Pro *hic*, ed. pr. *hac*. A.

65. *Melior*. Cod. Paris. Edd. pr. et Ald. *melius*. Ed. pr. pro *discat* habet *distat*. Vid. not. crit. A.

NOTÆ

IN CARMEN QUINTUM LIBRI PRIMI SILVARUM.

BALNEUM *Claudii Etrusci.* Istud nomen *Claudii*, quod in editionibus desiderabatur, ex MSS. recte addidit Gronovius: et hoc confirmat Præfatio libri: « Nam Claudii Etrusci testimonium exstat, qui Balneolum, etc.; » et mos Romanorum: « nam quia Claudius *eum* primus provexit, nomen ab illo patrono accepit. » Verba sunt Gronovii, qui tamen in eo errat quod confundat hunc Etruscum *filium* cum *patre*: non *eum* enim, sed *patrem ejus* provexit Claudius. Edit. quoque Parm. clare habet, *Claudii Etrusci Balneum.* Non multum vero molestiæ nobis exhibebit hoc Balneum: et bene sane; non enim inter Statii optima. Sed non venia tantum, verum etiam laude dignus censendus est, qui ingenio tam parato fuit, ut *intra cœnæ tempus* hoc poema, qualecunque est, excudere potuerit; in quo quamquam non *Omnia clara nitent*, tamen gemma unica inest, splendore et elegantia Statii dignissima; ea est v. 31, de fabrica horum Balneorum:

> .... Ipsa manus tenuit Cytherea mariti
> Monstravitque artes: neu vilis flamma caminos
> Ureret, ipsa faces volucrum succendit Amorum.

Non temnendum et istud v. 48:

> .... argento felix propellitur unda
> Argentoque cadit, labrisque nitentibus instat
> Delicias mirata suas, et abire recusat.

De reliquo, in hoc peccat poeta quod dimidium poematis absumitur in *Apparatu.* Præfatur enim usque ad v. 30. Quo pacto, atrium æquat ipsam domum.

4. *Tuque inimica feræ, volucer Tegeææ, sonoræ Terga premas.* Ita Domitii codices. Politianus tamen Epist. VI, 1, legit, *Tu* quoque muta *feræ;* et de hac emendatione non est dubitandum, inquit Gevartius. Mihi tamen multo magis arridet Morelli, *Tu* quoque amica *feræ;* minor enim est mutatio in verbis, sensus æque probus: et multo facilius procedere potuit hæc quam altera depravatio; quippe vox *quoque* ita scribitur *qq*, virgulis per mediam literam transductis: unde, omissa altera *q*, facile et obvium erat librario pro *Tuq amicâ* supponere *Tuq inimica*,

ut versum nempe suppleret; facilius hoc, inquam, quam ex *Tu quoque muta* facere *Tuque inimica.* Oppositio est inter *amica* et *feræ;* licet *feræ* terga, tamen *amica;* et quod non minimum est, videtur sumsisse hoc epitheton ex Horatio:

> Nec loquax olim neque grata: nunc et
> Divitum mensis et amica templis;

de *testudine; premere* idem est quod *reprimere, inhibere,* ut sæpe. In contextum itaque admisi veterem, licet depravatam lectionem, *Tuque inimica;* ut aliorum conjecturis pateat locus. Politiani quidem lectio non mala est: melior tamen, ut mihi videtur, Morelli: et tertius aliquis forte adhuc meliorem invehiet: cur igitur excluderem? Scaliger in suo exemplari approbarat conjecturam Politiani: sed illius auctoritas in re poetica tanti mihi non est ut ea sola fretus aliquid in contextu mutare sustineam: præsertim quum non *auctoritatibus* magnis, sed rei *ratione* gerenda sit hæc πραγματία. Si quis tamen vocem *muta* omnino retinendam censeat, vide quanto melius legetur,

> Tuque o, muta feræ, volucer Tegeæe, sonoræ
> Terga premas.

Hoc enim poeticum magis, et in invocationibus solenne. Virgil. Georg. lib. I, vers. 12:

> .... Tuque o, cui prima frementem
> Fudit equum magno tellus percussa tridenti,
> Neptune.

Noster, Theb. I, 22, Domitiano; Claudian. III, Cons. Honor. v. 7; Val. Flacc. I, 7; Sidonius Apollinar. Carm. II, 8:

> Tuque o, cui laurea, Jane,
> Annua debetur, religa torpore solutas
> Quavis fronde comas.

ita legendum; vulgo, torpore *soluto;* constructio est, religa quavis fronde comas *solutas* torpore. Optime igitur scripsisse potuit *Tuque o muta feræ,* si vox *muta* necessaria sit huic loco. Sed quid est quod invenio in edit. Parmensi?

> Tu quoque terga feræ, volucer Tegeæe, sonoræ
> Terga premas.

An voluit *Tu quoque tarda feræ,* ut hac naturali nota innuatur *testudo* seu χελώνη? Quicquid sit, probabile est neque *muta,* neque *inimica* Statii esse, sed aliud quid latere.

34. *Undosa Carystos.* Quærit Morellus quare *undosa Carystos* præcipue, quum omnes insulæ *undosæ* sint, utpote *salo* circumdatæ: an, inquit, ob *aquas* calentes, quibus mire salubribus eam abundare testis est Solinus? Non: sed quia *Carystos* hoc loco ponitur pro *marmore Carystio,* ut *Thasos* pro marmore *Thasio, Synnas* pro *Synnadico, Eurotas* pro *Lacedæmonio* marmore. Notum vero est *marmor Carystium aquis* marinis esse concolor. Martian. Capella, lib. VI:

> Carystos marmore fluctibus concoloro.

unde Epithal. Stell. v. 149, vocatur « concolor alto Vena mari; » et II, 2, « gaudens fluctus æquare Carystos, » id est, *æquans fluctus*, colore scilicet. Recte igitur *undosum* marmor Carystium, seu *undosa* Carystos. De marmorum speciebus quæ hoc loco memorantur, vid. Sidon. Apollinarem, Carm. XXII, 136.

38. Pro *lucentibus* Cruceus hunc locum citans habet *liventibus*: nescio an errore memoriæ; non male tamen: immo forte rectius; ita enim Sidonius loco ante memorato, v. 138; ubi hunc Statii locum manifeste imitatur; et sane verum est *liventibus*: guttæ enim *sanguinis* non tam bene dici possunt *lucere* quam *livere*, seu *purpurei* coloris esse, quales erant hæ maculæ in lapide Synnadico: unde in Surrent. Pollii, vs. 88, de hoc marmore,

.... ubi marmore picto
Candida purpureo distinguitur area gyro.

hoc est, *liventi* non *lucenti* gyro. *Liventes racemi*, Prop. IV, 2, quod explicat Horat. Carm. II, 5.

41. *Non* limina *cessant;* ita editiones pleræque, et hanc lectionem sequuntur Domitius et Gevartius. Politianus et Cruceus malunt *lumina*, et ita habet Colinæi editio, et tuetur Gronovius, et interpretatur *fenestras*. Et verum est hoc sensu inveniri apud Ciceronem de Orat. I, 39, et alios. Nihilominus tamen minime poetica vox videtur, nec apud eos hoc sensu facile reperias. Nam quod Gronovius Elench. Antidatr. c. 2, ait, « *Lumina* pro *fenestris* adeo vulgare esse, ut etiam translatione elegantî Val. Flaccus *rimas* navis ita signaverit, *et tenues subiere latentia ceræ Lumina;* » respondeo, ob hanc ipsam rationem rejiciendum esse hoc exemplum; nempe quia non denotat *fenestras*, cujus significationis exemplum ex aliquo poeta adhuc requiro. Quod si afferretur, retinerem tamen *limina*, si ita haberent plures editiones; quum sensus æque bonus sit in hoc quam in illo. Et ita quidem habent vetustissimæ editt. Parm. et Romana. Emphatice hic sumendum est τὸ *limina*, quasi dixisset, *etiam vilissimis* partibus horum Balneorum suus splendor inest. Sidon. Apollinar. Carm. XI, 25; Plin. XXXVI, 6, a Gevartio citatus. Ex quo Plinii loco Isidor. XVI, 5, dicit marmor Numidicum *liminum* usui aptum. Prudentius Psychomach. v. 835, pulchre describit quod innuit Statius.

44. *Et parcius imperat ignis.* Id est, vires suas temperat et minorem calorem emittit; ex Virg. Georg. I, 99. Quem locum imitatur Seneca de Tranquil. Animi c. 15: « ut fertilibus agris non est imperandum, etc. » Hinc intelligendum istud Senecæ Œdip. 895; de Icaro: « nimis imperat pennis, » id est, nimis exercet et utitur.

63. *Macte, oro, nitenti Ingenio, curaque, puer.* Ad hunc locum et tres præcedentes versus alludit Ausonius Mosella v. 345. Sed verbis Statii mendum subesse opinor: quippe vox *cura* non satis exprimit elegantiam illam et splendorem quem in Etrusco laudat Noster. Lege, ex

Ausonii adumbratione, « nitenti Ingenio cultuque, puer. » Scilicet hic Ausonii mos est, interdum plura Statii verba contexere, interdum unum aliquod vel duo sublegere; ita tamen ut Statium facillime deprehendas; hoc per totum istud pulcherrimum poema observavi. Bene vero *cultu*, ut Silv. II, 2; *cultus* enim non de *vestibus* solum, sed de omni cujuscunque generis elegantiore *apparatu*. Eutropius, lib. VIII: « Instrumentum regii cultus distraxit; » Ovid. Heroid. XVIII, 221:

At fruar Iliacis opibus cultuque beato;

et ita passim. Iterum Auson. hæc verba respicere videtur, Mosell. v. 18.

65. *Et tua jam melius discat fortuna renasci.* Editiones habent *melius*; unde non nemini forte placeret,

Et tua jam in melius discat fortuna renasci,

ut apud Virgil. Æn. I, 285, et X, 426; Seneca, Hippol. v. 408. Ubique exempla, et facile excidere potuit *in* inter duo *m*. Mihi tamen non arridet hoc, quia pronuntiationem versus difficiliorem reddit quam patitur lævitas Statiana. Verum est;

Et tua jam melior discat fortuna renasci.

Et ita citat Gronov. Diatr. cap. 12, et Gevartius, Papin. Lect. cap. 39, quum tamen eorum editiones præferant *mellius*, et uterque alleat de ulla mutatione: *melior* fortuna, ut Senec. Thebaid. v. 25; idem Herc. Œt. v. 602; Ovid. Heroid. XI, 105; Inscriptio antiqua apud Gruter. p. 111:

Jovi. o. m.
Fortvnaeqve
Melioni. Avg.

De significatione vocis *discat* vide Bentl. ad Horat. Carm. III, 3, v. 34. *Jam melior*, ut Epithal. Stell. *mota* jam virgo *carina*.

CARMEN VI.

*KALENDÆ DECEMBRES (SATURNALES).

Et Phœbus pater, et severa Pallas,
Et Musæ procul ite feriatæ :
Jani vos revocabimus Kalendis.
Saturnus mihi compede exsoluta,
Et multo gravidus mero December,
Et ridens Jocus, et Sales protervi
Adsint, dum refero diem beatam

VARIÆ LECTIONES.

*Kal. Decembres Saturnales. Nescio quidem unde ultima vox huic loco irrepserit : abundare certe videtur. Nec in Præfatione seu Epist. ad Stellam, ubi titulos singulorum carminum recenset, invenitur vox *Saturnales;* et Bernartius testatur librum (Lipsii, opinor) non agnoscere. Mitto quod *Saturnalia* non incipiebant Kal. Decembribus, sed XVI ante Kal. Januarias. Error videtur ortus a male intellecto versu 82 ; « Tollunt innumeras ad astra voces Saturnalia principis sonantes ; » ubi non dicit populum clamasse *Saturnalia* seu *io Saturnalia* (quod istis diebus fieri solebat) sed *principis Saturnalia ;* quasi dixissent, « Domitianus nobis fecit *altera* Saturnalia ; hæc sunt Saturnalia *Principis :* O nos felices quibus *duo* Saturnalia contingent ; hæc Kalendis Decembribus, *principis ;* illa, vetere instituto, medio mensis. » Hoc male accipiens aliquis, et putans de veris Saturnalibus hic agi, addidisse videtur hanc vocem titulo carminis. Certe eam non agnoscit optima editio Parmensis, quæ habet *Decembris Calendæ*. Primus eam forte invexit Domitius : in Romana enim primum, opinor, comparet. — Cod. Paris. et ed. pr. habent quoque *Decembris Calendæ*, absque voc. *Saturnales*. A.

2. *Feriatæ*. Sunt qui legendum censent : *ite feriatum* ; sed nihil mutandum in re clara ; nam *feriatus* idem hic quod *otiosus*. Gev. lect. Pap. cap. 40.

Læti Cæsaris, ebriamque noctem.
Vix Aurora novos movebat ortus,
Jam bellaria adorea pluebant.
*Hunc rorem veniens profudit Eos.
Quicquid nobile Ponticis nucetis,
Fecundis cadit aut jugis Idumes,
Quod ramis pia germinat Damascus,
Et quod percoquit Ebosia caunis,
Largis gratuitum cadit rapinis.
Molles caseoli, lucunculique,
Et massis Amerina non perustis,

8. *Noctem*, vulgo *partem*. Ed. Parm. *parcam*. — Cod. Med. *Parthen;* edd. Rom. et Venetæ *pando;* Cod. Sen. *pacem;* Cod. Thomsoni, *mœram*. Gronov. — Cod. Paris. *pando;* ed. pr. *parthen;* Ald. *partem*. Vid. not. crit. A.

10. *Bellaria*. In ed. Parm. pro *bellaria*, invenio *velaria*. — Ed. pr. *velaria borea*. Vid. not. crit. A.

11. *Eos*. Cod. Paris. Edd. pr. et Ald. *eurus*. A.

12. Pro *nucetis*, ed. pr. *Micetis*, et v. seq. *idumnes* pro *Idumes*. A.

14. Pro *Damascus*, Cod. Paris. et ed. pr. *damascos*. A.

15. *Quod percoquit E. caunis*. Ven. quoque habet *quod*, quemadmodum conjeceram. Sed jam dubito de *caunis*, postquam legi ea quæ contra hanc Salmasii conjecturam disputat Palmerius, Exercitat. in Græc. Auctor. p. 491, et in contextum reponas volo *cannis*. — Cod. Paris. et Aldin. *quas præcoquit ebosia cannas*, nisi quod ille præbet *quod* in margine. Gevartius, *quas præcoquit ebusia* cannas, et ex vet. Cod. scribendum censet: *Et quas præcoquit Ebosita cannas*. Ed. pr. *quod præcoquit æbosia cannas*. Vid. not. crit. A.

16. Pro *cadit*, ed. pr. *cadet*. A.

17. *Molles caïoli lagunculique*. Probo *caseoli* pro *caioli*, quoniam *caseus* inter dona Saturnalitia refertur a Nostro, Silv. IV, 9, et ita habuit vetus Codex. Edit. Parm. *gaioli*; Rom. *Caieoli*. Deinde pro *lagunculi* admisi *lucunculi*, bellariorum speciem ab Apuleio memoratam, p. 219, Met. lib. X. vide et Turneb. Adv. XVIII, 20, et ita in scripto Cod. inveniri testatur Bernartius. — Cod. Paris. *gallioli lugunculique*. Ed. pr. *gaioli lugunculique;* Ald. *Caioli Langunculique*. A.

18. *Massis Amerina non perustis;* pro *massis non perustis* Heinsius legit *passis cum perustis; uvam* enim *passam* veteres *adustam* vocant, inquit Gevart. Sed vulgatam bene tuetur Gronov. Diatr. c. 14, et interpretatur non *perustis*, non in sole *siccatis;* solebant enim veteres scindere in massas cujusvis generis pira, et ad solem siccare. Vide Varronem de R. R. I, 59; Plinium, XXIII, 7, et Palladium in

Et mustaceus, et latente palma
Prægrandes caryotides cadebant.
Non tantis Hyas inserena nimbis
Terras obruit, aut soluta Pleias,
Quali per cuneos hiems Latinos
Plebem grandine concutit sedentem.
Ducat nubila Juppiter per orbem,
Et lætis pluvias minetur agris,
Dum nostri Jovis hi ferantur imbres.
Ecce autem caveas subit per omnes,
Insignis specie, decora cultu
Plebes altera, non minor sedente.
Hi panaria, candidasque mappas
Subvectant, epulasque lautiores;
Illi marcida vina largiuntur:

Februario. — Ed. pr. *Ameria*. A.

20. *Prægrandes*. Pro *prægnantes* MS. Flor. edit. Rom. et Ven. habent *prægrandes*, quod forte melius, quoniam simplicius, inquit Gronov. Cui assentior, non ob hanc solam rationem, sed quia in altero nullum sensum invenire possum. Si enim *palma* hoc loco significat spathalion seu *ramum* arboris, caryotides (quæ sunt fructus) non dici possunt esse prægnantes *palma*, quum palma potius debuit esse prægnans *caryotidibus*; fructus non est prægnans *arbore*, sed *arbor* fructu; nisi ad hypallagen recurras, omnium absurditatum communem locum; sed non opus est, quum *Prægrandes* optimum sit. Vult dactylos ita grandes esse, ut termites seu rami quibus hærebant *laterent* sub iis et tegerentur. — Gevart. in Pap. lect. allatis Martial. VIII, 33, et XII, 26, morem exponit, quo veteres termites caryotidibus onustos aureo succo obducebant, eosque ita conditos mutuo sibi dono mittebant; neque alio modo Statii verba explicari possunt. H. — Cod. Paris. habet *prægrandes*; Ald. et Gevart. ediderunt *prægnantes*. Ed. pr. *prægrandes careotides*. A.

22. Edd. pr. et Ald. *Plias*. A.

23. *Quali*. Cod. Paris. Edd. pr. Ald. Gev. *qualis*. A.

24. *Sedentem*. Cod. Paris. Edd. pr. Ald. Gev. *serenam*. Ed. Parm. exhibet *severam*. Vid. not. crit. A.

26. *Lætis*. Cod. Paris. edd. pr. Ald. Gev. *latis*. Ed. pr. *merentur* pro *minetur*. A.

29. Pro *specie*, edit. princeps habet *species*. A.

32. Pro *subvectant*, ed. pr. *subnectant*. A.

33. *Marcida*. Ed. Gev. *Massica*. Vid. not. crit. A.

Idæos totidem putes ministros.
Orbem, qua melior severiorque est,
Et gentes alis insimul togatas;
Et quum tot populos beata pascas,
Hunc, Annona, diem superba nescis.
I nunc sæcula compara, Vetustas,
Antiqui Jovis, aureumque tempus:
Non sic libera vina tunc fluebant,
Nec tardum seges occupabat annum.
Una vescitur omnis ordo mensa,
Parvi, femina, plebs, eques, senatus.
Libertas reverentiam remisit;
Et tu quin etiam (quis hoc rogare
Quis promittere posset hoc Deorum?)
Nobiscum socias dapes inisti.
Jam se (quisquis is est) inops, beatus
Convivam ducis esse gloriatur.
Hos inter fremitus, novosque luxus,
Spectandi levis effugit voluptas.
Stat sexus rudis, insciusque ferri,

35. Ed. pr. omittit *est*. A.

36. Ed. pr. *aliis semel togatis*. A.

37. *Pascas*. Sic cod. Paris. a prima manu, *pascat* ex emendatione.

38. *Nescis*. Cod. Paris. *nescit* ex emendatione. *Sit* ed. pr. A.

43. *Vescitur*. Ed. Ven. *nascimur*, unde conficitur certissima emendatio, *vescimur; omnis ordo vescimur*, ut Herc. Surrent. v. 85: *huc omnis turba coimus:* exempla ubique. — Cod. Par. habet *vescimur*. Ed. pr. *nescimur*. A.

45. Edit. princ. *Libertus*. A.

46. *Quis huc vocare*. Scaliger ex MS. Senensi legit *quis hoc rogare:* recte; et Editt. Parm. et Rom. retinent *hoc*. Mox pro *possit* legendum *posset*, ex sensu et Virgilio IX, 6; ex quo hoc adumbratum est: « Turne, quod optanti Divum promittere nemo Auderet; » *auderet* promittere; ergo, *posset* promittere. Voces *rogare* et *vocare*, pari quo hic modo, commutantur apud Ovidium, Heroid. XX, 193. — Edd. Ven. Parm. Rom. *hoc*. Cod. Medic. *hoc vocare*. Gron. — Cod. Paris. *hoc vocare;* Ald. Gev. *huc vocare*. Ed. pr. « Et tu quando etiam quis hoc vocare. » Et versu seq. *possit* in codice Parisiensi et edd. pr. et Ald. A.

Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanaim, ferumque Phasin,
Thermodontiacas calere turmas.
Hic audax subit ordo pumilonum,
Quos Natura brevi statu peractos
Nodosum semel in globum ligavit.
Edunt vulnera, conseruntque dextras,
Et mortem sibi (qua manu!) minantur.
Ridet Mars pater, et cruenta Virtus:
Casuræque vagis grues rapinis,
Mirantur pumilos ferociores.
Jam noctis propioribus sub umbris
Dives sparsio quos agit tumultus!
Huc intrant faciles emi puellæ:
Hic agnoscitur omne quod theatris
Aut forma placet, aut probatur arte.
Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes,
Illo cymbala, tinnulæque Gades:
Illic agmina confremunt Syrorum,

54. Ed. princ. habet *ut pugnas cupit*. A.

57. *Hic*. Ed. Rom. *hinc*. Gron.

58. *Brevi statu peractas*. Codd. Sen. Med. edd. Rom. et Venet. *statim*, et ita legisse Domitium apparet ex commentariis; *statim* enim interpretatur, *simul ac nati sunt*: sed accipiendum paulo laxius: mox, haud ita multo post quam esse cœperunt, quam natura eos elaborare orsa est. Gron. — Cod. Paris. edd. pr. Parm. et Rom. *brevis statim peracta*; Ald. Gev. *brevi statu peracto*. Vid. not. A.

59. *Semel*. Lege *simul*. Gevart.

60. *Conserunt*. Venet. *conferunt*; utrumvis probum, *conserere* manus, vel *conferre*. Ed. princ. *conferunt*. A.

61. Pro *qua*, ed. pr. *quam m. m.* Ald. *minentur*. A.

66. *Sparsio*. Pro *sparsio* Parm. habet *Spassio*; Rom. *spasio*; de quo, si ridere velis, lege Domitii annotationem.

67. *Huc*. Pro *huc intrant*, mallem *hic*, ut v. 57, « *hic* audax *subit* ordo pumilonum, » ubi male Bernartius *his*.

70. Pro *tumentes*, ed. princ. *timentes*. A.

71. *Illo*. Cod. Parisin. et Aldin. *illic*. Vid. not. critic. Editio princeps præbet *illic*..... *tinniculæque*. A.

Hic plebs scenica, quæque comminutis
Permutat vitreis gregale sulfur.
Inter quæ, subito cadunt volatu
Immensæ volucrum per astra nubes,
Quas Nilus sacer, horridusque Phasis,
Quas udo Numidæ legunt sub Austro.
Desunt qui rapiant; sinusque pleni
Gaudent, dum nova lucra comparantur.
Tollunt innumeras ad astra voces,
SATURNALIA PRINCIPIS sonantes;
Et dulci DOMINUM favore clamant:
Hoc solum vetuit licere Cæsar.
Vixdum cærula nox subibat orbem,
Descendit media nitens arena
Densas flammeus orbis inter umbras,
Vincens Gnosiacæ facem coronæ.
Collucet polus ignibus, nihilque
Obscuræ patitur licere nocti.
Fugit pigra Quies; inersque Somnus
Hæc cernens, alias adivit urbes.
Quis spectacula, quis jocos licentes,
Quis convivia, quis dapes inemptas,
Largi flumina quis canat Lyæi?
Jamjam deficio, tuoque Baccho

73. *Quæque.* Cod. Paris. Ald. *quique.* Ed. pr. *quinque.* A.

74. *Permutat.* Edd. pr. Parm. et Ven. *permutant;* recte. — Cod. Paris. *permutat.* A.

78. *Austro.* Sic Cod. Paris. a prima manu, et *astro* in margine. Ed. pr. *astro.* A.

80. Pro *comparantur,* edd. pr. Ven. *temperantur.* — Cod. Paris. *comperantur.* A.

84. *Licere.* Editio Parmensis habet *nocere.*

92. *Adivit.* Ven. et Parm. *abit in urbes,* quod verissimum est; mutatum ab aliquo qui metro timebat. — Cod. Par. *adivit,* a prima manu, *abit* in margine. Ed. pr. *abit in urbes.* A.

96. *Deficio.* Heins. ad Ov. Her. V, 150, ex Parmensi vult *deficior.* Recte quidem dicimus, *deficior vi-*

In serum trahor ebrius soporem.
Quos ibit procul hic dies per annos!
Quam nullo sacer exolescet ævo!
Dum montes Latii, paterque Tybris,
Dum stabit tua Roma, dumque terris
Quod reddis Capitolium manebit.

ribus, vel *animo*, vel *pecunia*; sed adhuc quæro exemplum ubi τὸ *deficior* sine ablativo ponitur pro *deficio*. Quæ enim ibi attulit Heinsius non probant hoc. Noster, Epic. Puer. v. 42 : « Deficio, medicasque manus fomentaque quæro. » Nihil igitur muto.

NOTÆ

IN CARMEN SEXTUM LIBRI PRIMI SILVARUM.

Vers. 4. Saturnus *compede exsoluta*, etc. Scribit Apollodorus, Saturnum vinciri per annum laneo vinculo, et solvi ad diem sibi factum, hoc est, in *Saturnalibus*. Domitius.

7. *Dum refero diem beatam Læti Cæsaris; ebriamque partem.* Mirum est quantum in hoc loco explicando æstuarunt viri doctissimi, et quam varias (ne pejus dicam) lectiones et interpretationes commenti sunt; et tamen longe meliora eos primum docuerat vir doctus Richardus Thomsonus nostras, qui in Literis ad Petrum Scriverium legit *ebriamque noctem*: quod adeo verum est, ut non potuerit aliter scribere Statius; et si aliter scripserit (audacter affirmo), male scripsit. Quippe non *dies* tantum, sed etiam *nox* in hoc convivio absumebatur; adeo ut nulla *diei* mentione facta, *noctis* tantum meminerit in Prologo hujus libri: « In fine, inquit, sunt Kal. Decembr. quibus utique credetur: *noctem* enim *illam* felicissimam habent, et voluptatibus publicis inexpertam. » Præterea, duas partes continet hoc Carmen; descriptionem scilicet *diei* a v. 9: « Vix dum Aurora novos movebat ortus; » deinde *noctis* a v. 85:

Vix dum cærula Nox subibat orbem.

Porro, ipse Statius in hoc ludo *pernoctavit;* dicit enim, vs. 96:

Jamjam deficio, tuoque Baccho
In serum trahor ebrius soporem.

Vere igitur *ebriam noctem* expertus est Statius. In quodam Codice invenit *ebriamque mœram* idem vir doctus; quod a vero non multum abludit. In contextum igitur recipiatur *noctem;* et si qua in his rebus exiguis laus sit, ea tota Thomsono referatur; *ebriam* vero noctem ut apud Martial. Epigr. X, 47, et 87 ejusdem libri; *noctem* in contextu editionis Thomæ Stephani reperio. Lege tamen eruditi Gronovii Diatr. cap. 13, quod de hac re totum est. Illi placet ebriamque *partem;* et ita legit Reliq. ad Stat. Silvas. Non me movet; et adhuc edico verum esse, ebriamque *noctem*. Parmens. habet *parcam*, Rom. *pando;* quod, opinor, est Domitii, qui has Silvas suis lectionibus passim interpolavit.

10. *Jam bellaria adorea pluebant.* In MS. Florent. erat *velaria Borea*, in Senensi *velaria linea;* quam scripturam saniorem putat Salmasius Epist. 88, et interpretatur *funem* e quo forte vela seu velaria pendebant, quæ tegerent et a populi aspectu arcerent eos qui in populum missilia spargebant; ut et res ipsas quæ spargebantur: hinc *divitem* hanc *lineam* appellasse Martialem, Epigram. VIII, 78. Hunc igitur locum sic constituit:

Vix Aurora novos movebat ortus
Jam velaria lineæ; et pluebat
(Hunc rorem veniens profudit Eurus)
Quicquid nobile Ponticis nucetis, etc.

« Vix, inquit ille, Aurora illucescebat, et jam velaria lineæ, vel linea cum velaribus prætenta; et pluebat statim quicquid nobile, etc. » Hæc vir maximus, festinanter et minus accurate. Primo enim, scio Statium non admissurum fuisse tam rudem et duram elisionem in versu, *lineæ; et pluebat.* Deinde, quid volunt ista, *Hunc rorem veniens profudit* Eurus? Hæc significant, inquit Salmasius, pleraque eorum quæ tunc sparsa erant ex *Oriente* venisse: quid audio? an *Pontus* in Oriente? an *Ebusus*, insula in mari Balearico, juxta Hispaniam; istam Hispaniam, quæ (ut alibi Statius) stridorem *rotæ cadentis* audit? Sed et hoc concedamus, ut porro quæramus quid sit *veniens* Eurus. *Veniens* quidem *sol* et *veniens dies*, pro *oriens sol* et *dies*, passim occurrunt apud poetas: sed *locus* ipse *a quo* veniunt, seu oriuntur, non nisi absurde dici potest *venire*, seu *oriri*: *Eurus* enim *veniens* esset *oriens Oriens*. Tantum contra Salmasium. Gronovius enim prudenter hunc locum transmisit, sive quod nihil de eo dicere habuit, seu forte veritus offendere amicum Salmasium, cujus conjecturas sine dubio approbare non potuit. Et sane, ut dicam quod sentio, frustra est omnis labor in perditissimo, et, ut mihi videtur, mutilo loco. Unum hoc tamen possum dicere, Statium, scil. scripsisse,

Hunc rorem veniens profudit Eos;

ut apud Ovid. Fast. III, 877: « Tres ubi Luciferos veniens præmiserit Eos. » Metam. V, 440: « veniens aurora. » Virgil. X, 241: « aurora veniente. » Ita *veniens* sol, Horatius, Epist. I, 16. *Veniens* dies, Virgilius, Georg. de Orpheo,

Te, veniente die, te, decedente, canebat.

unde erudite Lucanus, I, 15:

Unde venit Titan, et nox ubi sidera condit.

id est, *Oriente* et *Occidente*. *Eos*, prima producta, utpote a Græco Ἠώς: et ita Lucanus, IX, 549; Ovid. Heroid. III, 57, et alii. Post versum, *Jam bellaria adorea pluebant* (quocunque modo iste scribendus sit, quod sane juxta cum ignarissimis scio), excidisse puto tres vel quatuor, quibus enumerabantur missilia et bellaria quæ prima prolusione spargebantur in populum: post quos addit, *Hunc rorem veniens profudit Eos*, hæc sparsio erat prima et matutina. Atqui absurdum esset dicere *hunc rorem*, nisi ante narrasset *quis* vel *qualis* esset hic *ros* seu nimbus; nec

unquam peritissimus et decori observantissimus poeta tam prope collocasset *Vix Aurora novos movebat ortus*, et *Hunc rorem veniens profudit Eos*, sensu tam simili, sine intermediis quinque vel quatuor saltem versibus. Procul dubio aliquid excidit ante versum *Hunc rorem*, etc., quod et aliis harum Silvarum locis accidit, ut præfat. lib. I, initio : præfat. lib. V; Epiced. in Patr. vs. 130; Epiced. in Puerum, ad finem; et alibi forte ubi nunc frustra nosmet torquemus: quod ne in posterum fiat, astericis hos locos notavi.

15. *Et quas præcoquit Ebusia cannas.* Totam sententiam videamus:

Quicquid nobile Ponticis nucetis,
Fecundis cadit aut jugis Idumes,
Quod ramis pia germinat Damascus,
Et quas præcoquit Ebusia cannas,
Largis gratuitum cadit rapinis.

ubi omnia facilia sunt ad versum quartum; in quo, pro *præcoquit*, Salmasius ad Solinum recte legit *percoquit*, et illustrat Gronovius, Diatrib. cap. 14, et pro *Ebusia* legit *Ebosea*, quasi esset Ἠβόσεια νῆσος. Recte etiam hoc: et ita editiones aliquot. *Ebusam* vocat Servius ad Virg. VII, 662. Deinde pro *cannas* erudite probat legendum esse *caunas*, id est, *ficos siccatas*: nam sicut *Caricis*, id est, ficis e *Caria* accidit ut nomen fierent generale et commune omnium ficorum siccatarum, hoc est, ἰσχάδων; ita et *Cauneis* ex ejusdem Cariæ oppido *Cauno* allatis postea usuvenit. Unde *caunas Chias* dixit Columella pro *caricis Chiis*; et *caunas* Ebusi Noster, pro *caricis*, vel *siccis ficis* Ebusi, quas commendat Plinius. Unde totum versum sic legit,

Et quas percoquit Ebosia caunas;

cui succinit Gronovius: « his certiora frustra ab ipso Phœbi operto petas. » His igitur tam certo fundamento constitutis, jam videamus loci constructionem, quæ hæc est: « Quicquid nobile cadit nucetis Ponticis aut fecundis jugis Idumes; quod, id est, quicquid pia Damascus germinat ramis, et *caunæ* quas caunas Ebosia percoquit, *cadit gratuitum* largis rapinis. » Quid stupes, lector? quid miraris? exspectabas, opinor, Statium scripsisse *gratuitæ cadunt caunæ*, non *gratuitum cadit caunæ*: et ita sane mallem: sed summis viris aliter visum. Vix oculis animoque fides: et omnes strophas verto, si possim invenire quo eorum ἀβλεψίαν excusem, et stuporem meum excutiam: sed nihil occurrit. Vide, lector, si quid tu potes. Interea, Salmasii ope, Statium tibi facile restituo,

Quod ramis pia germinat Damascus,
Et quod percoquit Ebosia caunis,
Largis gratuitum cadit rapinis;

quod Ebosia percoquit, ut, *quod Damascus germinat*; *caunis* percoquit, ut, *ramis* germinat: omnia similia. Intelligit totum proventum caunarum hujus insulæ: *quod* enim est *quicquid*, vel *quantum*: et ita plane habet editio Parmensis. Gevartius per *cannas* intelligit istud quod nos vocamus *saccharum*; et veteribus non incognitum esse ex hoc loco adstruit.

Periculosa argumentatio, quum adeo probabile sit Statium scripsisse *caunis*, non *eannis*. De sequenti versu, *Largis gratuitum cadit rapinis*, multa suspicionem mihi movent non Statii esse, sed ludibundi alicujus qui sententiam nimis longam (a vs. 12 ad vs. 20) putabat, et ideo hac mora et respiratione interstinguebat. Primo enim vox *cadit* paulo ante occurrit, et statim sequitur *cadebant*. Deinde, caunæ, pruna, palmæ et similia non dici possunt cadere largis *rapinis*, sed *ruinis;* ut *ruina* poli, passim apud poetas. Dices forte *rapinis* cadere significare *in rapinas*, ut v. 63 : *Casuræque vagis grues rapinis*, id est, *casuræ in rapinas*. Recte, inquam, *vagis rapinis;* sed quo sensu *largis? vagæ rapinæ* sunt quæ a *vagis* rapiuntur : an ideo *largæ rapinæ* quæ a *largis* rapiuntur? ineptum hoc. Saltem scripsisse debuit, *Lætis gratuitum cadit rapinis :* id est, quæ a *lætis* rapiantur : vel, *Largis gratuitum cadit ruinis*. Sed remove paulisper versum hunc, et vide quanto melius procedat oratio :

Quicquid nobile Ponticis nucetis
Fecundis cadit aut jugis Idumes;
Quod ramis pia germinat Damascus,
Et quod percoquit Ebosia caunis;
Molles caseoli, lucunculique,
Et massis Amerina non perustis,
Et mustaceus, et latente palma
Prægnantes caryotides, cadebant.

Sentis jam nullum opus esse versiculo isto aut inepto aut depravato : et cursus narrationis hoc pacto non frangitur vel impeditur, sed ponuntur omnia simul, et coacervatim, et quemadmodum cadebant. Sed hæc suspicio tantum est : certius istud, vel ineptum esse versum vel depravatum : quod et ultra probat Parmensis, quæ habet

Largis gratuitum calet rapinis.

24. *Plebem grandine concutit serenam*. Nic. Heinsius ad Claudian. pag. 742, pro *serenam* legit *serena*, scilicet grandine. Apponamus totum locum :

Non tantis Hyas inserena nimbis
Terras obruit, aut soluta Plias,
Qualis per cuneos hiems Latinos
Plebem grandine concutit serenam.

Ubi primum pro *Plias* scribendum esse *Pleias* supra monui ad Tiburt. Manl. vs. 95. Deinde oculis incurrit pauperies sermonis Hyas *inserena*, grandine *serenam*, seu, ut mavult Heinsius, *serena :* quod quidem ferri posset, nisi aliud obstaret. Vide enim. Infra vs. 28, dicit poeta,

Ecce autem caveas subit per omnes
Insignis specie, decora cultu
Plebes altera, non minor sedente.

Atqui nulla in præcedentibus mentio plebis *sedentis*, quod tamen fieri oportet ut hæc cohæreant et respondeant superioribus. Lege,

Plebem grandine concutit sedentem.

Jam *sedentem* habes hanc plebem, et alteram ministrantem plebem, non minorem *sedente*. Et sane testatur Dio, lib. LXXVII, Domitianum solere largiri multa spectanti populo, et convivia nonnunquam facere eodem loco *sedentibus*. Originem erroris tetigi in Præfat. nempe ex coalitione τοῦ *te* in *a*: unde pro *sedenam* fecerunt *serenam*. Sensu restituto, laboranti Latinitati succurramus. *Hyas non obruit terras tantis nimbis, qualis hiems plebem concutit grandine*. Nulla in his constructio; deest enim aliquid quod respondeat τῷ *tantis*. Lege,

Quali per cuneos hieme Latinos
Plebem grandine concutit sedentem;

non *tantis* nimbis, *quali* grandine. Citius intellexisses si dixisset *quanta* grandine: sed poetis solenne nomina *quantitatis* et *qualitatis* confundere, et pro se invicem usurpare. Virgilius Ciri, vs. 21:

Sed magno intexens (si fas est dicere) peplo,
Qualis Erectheis olim portatur Athenis,
Debita quum castæ solvuntur vota Minervæ.

Dicit igitur Virgilius, se, si permitterent vires, Messallæ historiam et præclara facta velle intexere *tam magno* peplo, *quantus* (pro quo dicit *qualis*) portatur Athenis in pompa Panathenaïca.

26. *Et latis pluvias minetur agris*. Legendum *lætis agris*: nisi enim sic legas, deficit argumentatio. Quippe nullum forte incommodum sequetur, si Juppiter minetur pluvias *latis* agris, quoniam *lati* agri possunt esse *vasti* et *inculti*: aliter vero se res habebit, si pluvias minetur agris *lætis*, id est, *fecundis, feracibus*. Nonius Marcellus: *lætum, ferax*. Virgilius, Georg. I, *Lætus ager*. Silius Italicus, IV, 39:

Sed Libyæ ductor tuto fovet agmina vallo
Fessa gradum, multoque gelu torpentia nervos:
Solandique genus, *lætos* ostentat ad urbem
Per *campos* superesse viam.

Ita lego: vulgo, *lætis* ostentat; male: milites enim Hannibalis eo tempore non *læti* erant, sed *fessi* et *gelu torpentes*. Recte igitur *lætos* campos; ut apud Festum Avienum, Descr. Orb. vs. 998: « *Lætis* adsurgunt gramina campis. » Ovidius, Fast. lib. I, vs. 546: « . . . . vagantur Incustoditæ *læta* per *arva* boves; » ubi pari errore scriptum erat *lata*. Vide Heinsium. Morellus etiam hoc loco legit *lætis agris*.

33. *Illi marcida vina subministrant*. Ita constanter editiones: mallem tamen *Massica*: nisi confugias ad Gevartii *hypallagen*, ut *marcida* vina sint quæ homines *marcentes* reddunt. *Marcidus* quidem dicitur *Bacchus*, Theb. IV. Sed ibi *Bacchus* est πρωτόγονον, non *vinum*. Nam in altero exemplo quod ex Silvis, IV, 6: « Tenet hæc marcentia fratris Pocula, » adducit Gevartius, *marcentia* pocula fratris sunt pocula *marcentis* fratris, seu *Bacchi*, qui *marcidus* dicitur. *Marsica* vina Columellæ, XII, 10, minus nota sunt. Mihi adhuc arridet *Massica*. Atqui, dices, unde tanta

vini *Massici* copia, ut tanto cœtui sufficeret? respondeo verbis Plinii Nat. Histor. XIV, 17: « Quid? non et Cæsar dictator triumphi sui cœna vini Falerni amphoras, Chii cados in convivia distribuit? » Vide reliqua.

42. *Nec tardum seges occupabat annum.* Nullus in his sensus : vina non adeo libere tunc fluebant, nec seges occupabat *tardum* annum : immo *tantum*, id est, *tam magnum*. *Magnus* et *bonus annus* a veteribus dicebatur, quando largus erat frugum proventus : Noster, Theb. lib. IX, vers. 404 : « Tyrios melior venit annus in agros. » Suaviter idem, lib. IV, vers. 705 :

. . . . donec Phariis alimenta rogatus
Donet agris, magnumque inducat messibus annum.

Lucanus, lib. III, vs. 70 :

Effusis magnum Libye tulit imbribus annum.

Vide supra ad carm. 3, vs. 8. Sic *major autumnus*, Martial. Epigramm. XII, 57. *Felicior* annus provenit, Ovid. Fast. IV, vs. 671. Sensus est : O Vetustas, compara secula antiqua et aureum tempus cum hoc nostro; non majorem vini copiam aut largiores frugum proventus invenies.

51. *Hos inter fremitus*, etc. Lipsius, Saturnal Serm. II, 4, hunc locum citans, omittit versum proxime sequentem, « Spectandi levis effugit voluptas : » utrum ex sui codicis auctoritate, an quia non intellexit, nescio. Posterius verum crederem, si de meipso judicium facere liceret. Mihi enim ineptissimum videtur hoc loco, utpote narrationem interrumpens; quod facile perspicies si eum omittas. Credo eum vel non esse Statianum, vel certe non hujus loci. Non opus est ut cum eodem Lipsio legamus *lusus* pro *luxus*, quum de convivio Domitiani hæc vox bene intelligi possit.

58. *Quos natura brevi statim peracto*, etc. Gronovius legit, *Quos natura brevis statim peractos. Natura brevis*, inquit ille, est *haud longius indulgens, non larga*. Et quidem editt. Parm. et Roman. habent *natura brevis statim*, et *peracta*, non *peracto*. Sed, si *statim peractos*, quare *semel ligavit?* horum enim utrumvis supervacuum est; prout patebit si alterum omittas. Scripsit Statius :

Quos natura brevi statu peractos
Nodosum semel in globum ligavit.

peractos brevi statu, id est, *absolutos statura brevi;* in altiorem staturam nunquam evasuros, quoniam *peracti* sunt *brevi statu* a natura; ut recte Barthius. Propertius, lib. IV, 8, 41 :

Nanus et ipse suos breviter concretus in artus
Jactabat truncas ad cava buxa manus.

Ovidius, Trist. lib. II, vs. 531, de seipso :

Invida me spatio natura coercuit arcto.

Claudianus, de Bell. Get. vs. 584 :

> Cui natura breves animis ingentibus artus
> Finxerat.

Nondum tamen mihi ad plenum satisfacio de hoc loco, et suspicor sub voce *peractos* latere *per artus*, ut alibi in his Silvis depravatæ fuerunt hæ voces : « Quos natura *breves statim* per artus Nodoso similes globo ligavit ; » vel quid tale.

61. *Et mortem sibi* (*qua manu!*) *minantur.* Id est, *quali manu;* per parenthesin. Thebaid. lib. IX, vs. 309 :

> . . . . trajectus pectora ferro
> Volvitur in fluctus : heu cujus naufragus undæ !

Ausonius, Gratiar. Act. pro consulatu : « Ipsa autem sedes honoris sella curulis, gloriosa pompis imperialis officii, in cujus me fastigio (ex *qua mediocritate!*) posuisti, etc. »

62. *Cruenta virtus.* Bellica scilicet, quæ sanguine gaudet et *cruore.* A.

70. *Lydiæ tumentes.* Feminas Lydias indicat, quas *tumentes* et obesas fuisse e Juvenale accipimus, sat. II, v. 141 :

> *Turgida* non prodest condita pyxide *Lyde.*

71. *Illic cymbala.* Lego, *Illo,* ut respondeat præcedenti *hoc.* Lydiæ plaudunt *hoc* grege ; *illo* cymbalistriæ et mulieres Gaditanæ. Litera prima in voce *cymbala* adhæsit τῷ *illo; illoc :* unde *illic* fecerunt. Per *tinnulas* Gades intellige mulieres Gaditanas, quæ cum crotalis et cymbalis saltabant. Juvenal. XI, 162 : « Forsitan exspectes ut Gaditana canoro Incipiat prurire choro. » Ubi pro *prurire*, lego *præire* ex sensu et Arnobio, lib. II, pag. 73 : « Cantionibus ut præirent obscenis, etc. » Vide locum, ex hoc Juvenalis desumptum.

74. *Gregale sulphur.* Quod vulgo et a mercatorum *grege* vendebatur *gregariæ* plebi. Judæos exsules intelligit Bernartius, et Romæ mendicantes. A.

79. *Desunt qui rapiant.* Ea fuit missilium copia ! Quis jejunas genialium apud nos dierum sparsiones, et siccas compotationes, cum tanto sumptu, et fastu vere regio, non sine pudore aliquo contulerit ? Quis vero non pluris emi crediderit, largiente Domitiano ! — Sæpissime occursat apud Martialem publicarum largitionum mentio. Sic ille epigr. LXXVIII, lib. VIII, « Omnis habet sua dona dies, etc. » Vide edition. nost. vol. II, pag. 367.

83, 84. *Dulci dominum f. clamant ; h. solum vetuit licere Cæsar.* Sensus est, plebem Romanam Domitianum Saturnalia celebrantem elata et

clara voce *dominum* appellasse, ipsum vero vetuisse ne *dominus* tunc vocaretur; Sueton. in Domitiano, cap. 13: « Acclamari etiam in amphitheatro epulari die libenter audivit, *domino et dominæ feliciter*. » Existimo Domitianum quum sese *dominum* appellari vetuit, temporis rationem habuisse, Saturnalium, inquam. Moris enim erat ut in Saturnalibus servi sederent ad imperatoriam mensam; immo et ipsi domini servis sedentibus ministrarent. GEVART.

86, 87. *Descendit..... flammeus orbis.* Lychnuchus ingens, multas faces, aut funalia plurima *in orbem* distributa ferens. Tales plures fuisse oportet, aut tantæ amplitudinis hunc, ut amphitheatrum universum illustrare valuerit, quæ sane res artificiosissima et sumtuosissima. BARTH.

88. *Vincens Gnosiæ facem coronæ.* Hoc est, suo splendore, vel ipsum Ariadnæ coronæ splendorem *vincit*, superat. Sic apud Virg. Æneid. I, 727, *Lychni incensi noctem flammis vincunt.* A.

FINIS LIBRI PRIMI.

SILVARUM

LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA P. P. STATII

AD MELIOREM ATEDIUM.

Et familiaritas nostra, qua gaudeo, Melior vir optime, nec minus in judicio literarum, quam in omni vitæ colore tersissime, et ipsa opusculorum quæ tibi trado conditio sic posita est, ut totus hic alter liber meus etiam sine epistola exspectetur. Primum enim habet Glauciam nostrum, cujus gratissimam infantiam, et qualem plerumque infelices sortiuntur, apud te complexus amabam. Jam vero tibi hujus amissi recens vulnus (ut scis) epicedio prosecutus sum, adeo festinanter, ut excusandam habuerim affectibus tuis celeritatem. Nec nunc eam apud te jacto, qui nosti, sed et ceteris indico; ne quis asperiore lima carmen examinet, et a confuso scriptum, et dolenti da-

VARIÆ LECTIONES.

7. *Amabam*. Ed. pr. habet *amabare*. Vid. not. crit. A.

2. Ed. pr. *quam ocii vitæ colore tersissimæ*. A.

6. Ed. princ. *cui gratissima infantia, et quarum plerumque*. A.

8. Pro *tibi*, ed. pr. *non*. A.

9. Pro *adeo*, ed. pr. *ad te*. A.

11. *Judico* in ed. princ. pro *indico*. A.

tum, quum pene supervacua sint tarda solatia. Pollii mei Villa Surrentina quæ sequitur, debuit a me vel in honorem eloquentiæ ejus diligentius dici : sed amicus ignovit. In arborem certe tuam, Melior, et psittacum, scis a me leves libellos quasi epigrammatis loco scriptos. Eandem exigebat stili facilitatem Leo mansuetus, quem in amphitheatro prostratum, frigidum erat sacratissimo imperatori ni statim traderem. Ad Ursum quoque nostrum, juvenem candidissimum, et sine jactura desidiæ doctissimum, scriptam de puero amisso consolationem, super ea, quæ ipsi debeo, huic libro libenter inserui, quia honorem ejus tibi laturus acceptum. Excludit volumen Genethliacon Lucani, quod Polla Argentaria carissima uxorum, quum hunc diem forte consecraremus, imputari sibi voluit. Ego non potui majorem tanti auctoris habere reverentiam, quam quod laudes ejus dicturus hexametros meos timui. Hæc qualiacunque sunt, Melior carissime, si tibi non displicuerint, a te publicum accipiant; sin minus, ad me revertantur.

13. Ed. pr. *sint corda : Sollatia Pollii*, etc. A.

15, 16. Ed. pr. *sed amicus ignoravit icerte tuam*, etc. A.

18. Pro *facilitatem*, ed. pr. *facultatem;* mox, 20, pro *ad Ursum*, eadem, *adversum*. A.

21. Ed. princ. *scriptum*. A.

23. *Ipsi debeo, huic libro libenter inserui*. Parm. *ipsi de hoc libro, huic inserui*, etc. Omisso *tō libenter*, quod et facit Romana. — Cod. Paris. ed. princ.. *ipse de hoc huic lib. inserui*. A. — Vocem *libenter* nesciunt veteres editiones; ideo excludatur.

24. Ed. princ. *tibi laturus accepto excludit volumen : Genothiacon Lucani*. A.

25. *Carissima uxorum*. Edd. Rom. et Parm. *clarissima*. Ed. pr. *carissima uxor*. — Cod. Par. *clarissima uxorum*, et in margine, *carissima uxor*. Vid. not. A.

26. *Consecraremus*. Edit. Parm. *consideremus*, Rom. *consideraremus*. — Cod. Par. *consideraremus*, ed. pr, *consideremus*. A.

27. Ed. pr. omittit *majorem*. A.

29 seq. Ed. pr. *qualicunque... displicuerit ad te p. a. Summi ad me revert*. A.

NOTÆ

IN EPISTOLAM P. P. STATII

AD MELIOREM ATEDIUM.*

---

* Quis fuerit Atedius ille Melior, vix satis constat : id unum patet e Nostro, virum fuisse ditissimum, comi præsertim animo ac benevolo. Statio succinit Martialis, qui non semel de Atedio Meliore loquitur. Illius nomine inscripsit epigramma XXVIII libri VII, ubi laudat pietatem ejus erga Blæsum scribam, cujus defuncti quotannis natalem revocabat, et festum Blæsianum appellabat. (Vide Martialem editionis hujus, vol. II, pag. 325.) Immo, cum Atedio fusius gemit ipse Martialis de interempto Glaucia, epigr. XXVIII, et XXIX lib. VI (tom. II, pag. 131 sqq.) quemadmodum ibi Statius, sicut antea videre est in epistola, et infra in carmine. A.

Linea 7. *Apud te complexus amabam.* Prosam non sapit hoc, nec sensui satisfacit. Lege, *apud te complexus admirabar;* scriptum erat *ammirabar;* quod non intelligentes fecerunt *amabam;* intelligit istud quod Plinius vocat *cum admiratione diligere;* Epist. III, 11, *ex admiratione diligere,* IV, 17.

9. *Excusandam habuerim affectibus tuis celeritatem.* Tacitus, Histor. I, in orat. Galbæ ad Pison. : « Ea ætas tua quæ cupiditates adolescentiæ jam effugerit; ea vita, in qua nihil præteritum excusandum habeas. » Sic *probandum habeo,* Præfat. lib. III Silvar.; iterum Tacitus, Histor. IV, 77 : « Nulla hic proditio; neque aliud excusandum habeo quam quod vos, etc. »

19. *Frigidum;* carmen intellige, de Leone, quod *friguisset* sane apud *sacratissimum* imperatorem, nisi in ipso extemporalitatis calore *traditum* fuisset. Vel id unum habet pretii, quod extemporaneum. A.

23. *Quia honorem ejus tibi laturus acceptum.* Excidit verbum substantivum : repone, *tibi laturus* est *acceptum.* Scriptum erat, *tibi laturus* ē *acceptum,* unde facile excidere potuit *est.* Sequitur, *Polla Argentaria*

carissima *uxorum*. Plinius Epist. VI, 34. *Inde etiam* uxorem carissimam *tibi et probatissimam habuisti*. Sed verius est quod in edit. Rom. invenit Lindenbr., *clarissima* uxorum: et hoc probat Barthius, et retinet edit. Parmensis. Vult *exemplo* clarissima: aliter posses *rarissima* uxorum, ut Pietat. Abascant. « Nos tibi, laudati juvenis rarissima conjux; » et IV, 8: « Sed queror haud faciles, juvenum rarissime, questus. » Suspicor tamen Sidonium Apollinarem legisse hoc loco *carissima*, et hinc errorem hausisse, quasi Statius loqueretur de *sua*, non de *Lucani* uxore: Carm. XXIII, 165:

> Quid, quos duplicibus jugata tædis
> Argentaria Polla dat poetas?

Et ita fere sensisse Gronovium jam intelligo, Diatr. cap. 35. Confundit forte Sidonius *Pollam* hanc cum *Claudia* Statii uxore; cujus priorem maritum *canorum* vocat Noster ad uxorem, v. 52 et v. 64, loquens de filia ejus quam ex priore marito tulerat, dicit, « Sive chelyn complexa petit, seu voce paterna Discendum Musis sonat; » Hinc forte colligebat Sidonius illum *poetam* fuisse, quum revera esset tibicen. Nisi potius Sidon. Pollam hanc eandem intelligat, quæ Polla uxor Pollii, qui et ipse fuit *poeta;* vide II, 2, v. 112; quod si verum sit, scil. Lucanum et Pollium eandem uxorem habuisse, omnis erroris liberatur Sidonius.

28. *Tanti auctoris habere reverentiam.* Phrasis usitatissima istius ævi scriptoribus. Plinius Epist. IV, 17: « Adolescentulus eram: et jam mihi ab illo honor, atque etiam (audebo dicere) reverentia, ut æquali, habebatur; » vide et II, 7; Seneca, Consol. ad Helv. c. 13: « Ignominia illa præturæ et consulatus fuit, quibus ex Catone honor habebatur; » ita passim Suetonio; vide Calig. cap. 23, et Neron. cap. 9: habere dignitatem *sapientiæ doctoribus*, Plin. Panegyr. *perhibere honorem*, eodem sensu, Plinius avunculus, Hist. Nat. XXXV, 17, *præstare honorem* alicui, Juvenalis V, « O nummi, vobis hunc præstat honorem, Vos estis Frater; » ita legendum; vulgo, *fratres*. Vide et Tacitum, Annal. IV, 44, *Publicum* accipiant, id est, *prodeant*. Seneca, de Ira, II, 10: « Democritum contra aiunt, nunquam sine risu in publico fuisse. »

30. *Publicum accipiant.* Hoc est, *publici* fiant juris. A.

CARMEN I.

GLAUCIAS ATEDII MELIORIS DELICATUS.*

Quod tibi prærepti, Melior, solamen alumni,
Improbus ante rogos, et adhuc vivente favilla
Ordiar? Abruptis etiamnum flebile venis
Vulnus hiat, magnæque patet via lubrica plagæ.
Quum jam egomet cantus et verba medentia sævis
Confero, tu planctus, lamentaque fortia mavis,
Odistique chelyn, surdaque averteris aure.
Intempesta cano : citius me tigris abactis
Fetibus, orbatique velint audire leones.
Nec si tergeminum Sicula de virgine carmen
Affluat, aut silvis chelys intellecta, ferisque,
Mulceat insanos gemitus. Stat pectore demens

VARIÆ LECTIONES.

* Epigraphen hujus carminis edidi quemadmodum Gronov. in duobus Codicibus reperiebat : licet Parmensis habeat *Epicedium Glauciæ Melioris;* quod Statianum esse fere persuadeor. Vide quæ notavi ad carm. VI hujus libri. — Cod. Paris. ed. pr. *Epicedium Glauciæ Melioris;* Ald. *Epicœdion in Glauciam Melioris.* A.

5. *Sævus consero.* Edideram ex conjectura *sævis confero*, et ita totidem literis Veneta. — Cod. Par. Ald. edit. Gevart. *sævus consero.* Ed. pr. *madentia sævis confero.* Vid. not. A.

7. Pro surdaque *averteris* aure, mallem *surdas aures* vel *surdam aurem.* Ovid. Fast. I, 179 : « Ad primam vocem timidas advertimur aures. » ita emendat Heins., quem vide et ad Met. VI, 180; et Amor. II, 6, v. 9. Boethius tamen lib. I, Metr. I, v. 15 : « Eheu quam surda miseros avertitur aure : » nihil igitur muto.

10. Ed. pr. *nec sic*, et v. 8. *et s.* pro *aut s.* A.

Luctus, et admoto latrant præcordia tactu.
Nemo vetat, satiare malis; ægrumque dolorem
Libertate doma. Jam flendi expleta voluptas?
Jamne preces fessus non indignaris amicas?
Jamne canam? Lacrimis en et mea carmina in ipso
Ore natant, tristesque cadunt in verba lituræ.
Ipse etenim tecum nigræ solennia pompæ,
Spectatumque urbi scelus, et puerile feretrum
Produxi; et sævos damnati thuris acervos,
Plorantemque animam supra sua funera vidi:
Teque patrum gemitus superantem, et brachia matrum,
Complexumque rogos, ignemque haurire parantem
Vix tenui similis comes, offendique tenendo.
Et nunc (heu) vittis, et frontis honore soluto,
Infaustus vates, vexo mea pectora tecum:
Plango lyra. En! duri comitem sociumque doloris
(Si merui, luctusque tui consortia sensi)
Jam lenis patiare precor. Me fulmine in ipso
Audivere patres: ego juxta busta profusis

13. Pro *latrant*. Ed. Venet. *lucrant;* an voluit, *lacerat*, scil. *luctus?* Heinsius ad Ovid. Trist. II, 459, mavult *latrans;* sed non opus est. Theb. II, 337: « quoties hæc ora natare Fletibus, et magnas latrantia pectora curas Admota deprendo manu? » ubi *pectora latrant* seu *elatrant*, ut hic, *præcordia latrant*. — Ed. pr. *lucrant pr. tractu*. A.

16. Ed. pr. *jamque* pro *jamne* quod habet v. s. — *Amicas*. Cod. Paris. *amicā*, et in margine *amicū*. A.

19. *Solennia*. Edd. Parm. et Rom. *solatia;* male. — Cod. Paris. habet quoque *solatia*. A.

21. *Produxi: et sævos*. Cod. Paris. omittit conj. *et*. Ed. princ. *produxi senos*. A.

22. *Plorantem*. Recte tuetur Gevartius *plorantem* animam contra Scaligeri et Tiliobrogæ *ploratam;* præter loca ab illo adducta, vid. Theb. IX, 299; XII, 56; et ita inveni in edd. Parm. et Rom. — Cod. Paris. *plorantem*. A.

23. *Et br*. Ed. pr. omittit *et*. A.

27. *Vexo*. Edd. Parm. et Rom. *verso*. — Cod. Paris. ed. pr. *verso*. Vid. not. ad v. 26. A.

28. *En duri*. Vulgo *et diri*. — Cod. Paris. edd. pr. Ald. *et diri*. Vid. not. ad v. 26. A.

30. Ed. pr. *tam* pro *jam*, et *jam* pro *me*, et v. s. *preces* pro *patres*. A.

Matribus, atque piis cecini solatia natis,
Et mihi; quum proprios gemerem defectus ad ignes
(Quem, Natura!) patrem. Nec te lugere severus
Arceo, sed confer gemitus, pariterque fleamus.
Jamdudum dignos aditus, laudumque tuarum,
O merito dilecte puer, primordia quærens
Distrahor. Hinc anni stantes in limine vitæ,
Hinc me forma rapit, rapit inde modestia præcox,
Et pudor, et tenero probitas maturior ævo.
O ubi purpureo suffusus sanguine candor,
Sidereique orbes, radiataque lumina cælo,
Et castigatæ collecta modestia frontis,
Ingenuique super crines, mollisque decoræ
Margo comæ? blandis ubinam ora arguta querelis,
Osculaque impliciti vernos redolentia flores,
Et mixtæ risu lacrimæ, penitusque loquentis
Hyblæis vox tincta favis? cui sibila serpens
Poneret, et sævæ vellent servire novercæ.
Nil veris affingo bonis. Ubi lactea colla,

38. *Anni.* Sic Cod. Par. in margine cujus legitur, al. *animi.* Ed. pr. *lumine vitæ.* A.

42. Ed. pr. *Sydereosque*, etc. A.

44. Pro *ingenuique*, ed. pr. *ingeniumque.* A.

48. *Hyblæis*, etc. Hyblæis vox *mixta* favis? lege, « Hyblæis vox tincta favis; » Lucr. IV, 9 : « Museo contingens cuncta lepore; » infra v. 22 : « Et quasi museo dulci contingere melle; » Vide et VI, 971; Manil. IV, 527 : « Nec triste ingenium; sed dulci tincta lepore Corda creat. » Ubi vides *corda tincta dulci lepore*, ut *vox tincta Hyblæis favis;* ita *sales tincti lepore Attico*, Martial. Epigr. III, 20; Ovid. Trist. II, 566 : « Nulla venenato litera mista joco; » ubi pro *mista* Codices habent *vincta* vel *juncta;* ex quibus optime Heinsius *tineta joco; oblita Tulliano melle festivitas*, ap. Symmach. epist. I, 25 : *Sermonis mella politi* Claudian. de Mall. Theod. v. 251. Pleni hac metaphora antiqui, ex quo Homerus de Nestore dixerat, Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. « Melleus voculæ modulator Antigenidas tibicen, » apud Apuleium Floridis. Heinsius in Adversar. ad fin. Tibulli, edit. Brockhus. legit *pasta* favis pro *mista.* Voces *mista* et *tincta* confunduntur etiam apud Ovid. Metam. IV, 503. — Cod. Paris. edd. princ. Ald. *mixta.* A.

50. *Heu lactea colla.* Legendum

Brachiaque, et nunquam domini sine pondere cervix?
O ubi venturæ spes non longinqua juventæ,
Atque genis optatus honos, jurataque multum
Barba tibi? cuncta in cineres gravis intulit hora,
Hostilisque dies: nobis meminisse relictum.
Quis tua colloquiis hilaris mulcebit amatis
Pectora? quis curas, mentisque arcana remittet?
Accensum quis bile fera, famulisque tumentem
Leniet, ardentique in se deflectet ab ira?
Inceptas quis ab ore dapes, libataque vina
Auferet, et dulci turbabit cuncta rapina?
Quis matutinos abrumpet murmure somnos
Impositus stratis, abitusque morabitur arctis
Nexibus, aque ipso revocabit ad oscula poste?

affirmo, *ubi lactea colla;* clarum hoc ex iis quæ præcedunt et sequuntur: « ubi candor suffusus purpureo sanguine? ubinam ora querelis arguta? ubi lactea colla? ubi spes juventæ? » — Cod. Paris. edd. pr. Ald. Gevart. *heu.* A.

51. Ed. pr. omittit *et* ante *nunquam.* A.

52. Pro *spes non longinqua*, ed. pr. *species longinqua.* A.

56. Pro *amatis* ed. Parm. habet amati: *tua pectora amati, ut nostros* vidisti flentis ocellos.

58. *Accensum quis bile feret? famulisque tumentem leniet?* Pessima sive nulla potius connexio: Quis *feret?* famuli *ferent;* sive justis de causis, sive inique iratum dominum, *ferent* tamen. Dixisse debuit, quis *mitigabit*, vel quid tale; sed hoc comprehenditur in sequenti voce *leniet.* Lege igitur, « Accensum quis bile fera, famulisque tumentem Leniet? » natus error ex similitudine τοῦ *a* et *et*, quæ eodem fere modo scribuntur; bile *fera*, ut rabie *fera* Catullo, carmine de Aty, v. 57. Sed, quod summum est, mutuatus est hoc epitheton ex Homer. Iliad. Δ, 23: ΧΟΛΟΣ δὲ μιν ΑΓΡΙΟΣ ἥρει, i. e *rabies* seu *bilis fera eam occupavit.* Hanc emendationem confirmat Parmensis, quæ habet *ferat.* — Cod. Paris. editt. Ald. Gevart. *feret.* Ed. pr. *Accessum q. b. ferat f. timentem;* et v. s. *deflectat.* A.

64. Pro *aque* ipso, plurimas editiones insedit *atque* ipso: parum Latine; emendavit Bernart. *aque* ut apud Ovid. Heroid. XXI, 180: « Aque tua est nostra spreta parente parens? » et Ponticor. I, 9: « Aque tuis toto dividor orbe rogis; » Manil. V, 414: « Par ex diverso studium; et sociatur utrumque In genus, aque uno digestus semine surgit. » Ita legendum puto; vulgo *studet;* et *atque uno digestum.* — Ald. *atque ipso;* edit.

Obvius intranti rursus quis in ora, manusque
Prosiliet, brevibusque humeros circumdabit ulnis?
Muta domus pariter desolatique penates,
Et situs in thalamis, et mœsta silentia mensis.
Quid mirum, tanto si te pius altor honorat
Funere? Tu domino requies, portusque senectæ;
Tu modo deliciæ, dulces modo pectore curæ.
Non te barbaricæ versabat turbo catastæ,
Nec mixtus Phariis venalis mercibus infans,
Compositosque sales, meditataque verba locutus
Quæsisti lascivus herum, tardeque parasti;
Hinc domus, hinc ortus; dominique penatibus olim
Carus uterque parens, atque in tua gaudia liber,
Ne quereretre genus, raptum te protinus alvo
Sustulit exsultans, ac prima lucida voce
Astra salutantem dominus sibi mente dicavit,
Amplexusque sinu tulit, et genuisse putavit.
Fas mihi sanctorum venia dixisse parentum,

princ. *atque impos.... postes.* A.

65. Pro *intranti*, ed. pr. *intrantis.* A.

67. *Muta domus, fatear, desolatique penates.* Inepta et nullius sensus vox ista *fateor*; si enim *domus muta est et desolati penates*, quæro a te, Stati, quid ad rem est sive tu hoc *fatearis* sive *non fatearis*? lege, « Muta domus pariter desolatique penates, » ut infra Arbore Atedii, v. 31 : « Illa deam pariter surgens hostemque protervum Vidit. » Exempla in singulis fere paginis : infra v. 171 : « Nunc torvus pariter vestes et pectora rumpis. » — Cod. Paris. editt. pr. Ald. Gevart. *fateor*, A.

73. *Verna catastæ.* Pro *verna*, quod Politiani erat, Gronovius ex edd. Vett. et MS. Senensi elegantissime restituit *turbo* catastæ : quippe mancipia venalia in catasta vel foro, dum prædonium fiebat, cogebantur *in orbem ire, currere*, nonnunquam *saltare*, ut adstantes aut emptores accuratius hoc modo specularentur corpora, illique sanitatem suam probarent. Eam circumactionem servorum pulchre *turbinem* catastæ vocat. Vide eum eruditissime de hac re disserentem Diatr. cap. 16. Et sane edd. Parm. et Rom. habent *turba*. — Cod. Paris. Ed. princ. *turba*. Ed. Gevart. *verna*. A.

78. *Te*, Cod. Paris. Ed. pr. *sed*. Ed. Gron. *quærere*.

81. Cod. Paris. *genuisse* ex emendatione; ed. pr. *gemuisse*. A.

Tuque, oro, Natura, sinas, cui prima per orbem
Jura animis sociare datum : non omnia sanguis
Proximus, aut serie generis demissa propago
Alligat: interius nova sæpe, adscitaque serpunt
Pignora connexis. Natos genuisse necesse est,
At legisse juvat. Tenero sic blandus Achilli
Semifer Æmonium vincebat Pelea Chiron.
Nec genitor Peleus natum comitatus in arma
Troica, sed caro Phœnix hærebat alumno.
Optabat longe reditus Pallantis ovantes
Evander, fibus pugnas spectabat Acœtes.
Quumque procul nitidis genitor cessaret ab astris,
Fluctivagus volucrem comebat Persea Dictys.
Quid referam altricum victos pietate parentes?
Quid te post cineres, deceptaque fulmina matris,
Tutius Inoo reptantem pectore, Bacche?
Jam secura parens Thuscis regnabat in undis

88. *Legisse.* Sic Cod. Paris. at in margine legitur *favisse.* A.

90. *Genitor.* Cod. Paris. Edd. princ. Gron. *senior*, quod recepit Gev. Vid. not. cr. A.

91. *Caro.* Cod. Paris. Ed. princ. *claro.* A.

92. *Ovantes.* Cod. Paris. Ed. pr. *ovantis.* A.

95. Ed. princ. *Dyctes*, ut Cod. Paris. a pr. manu; sed hic habet *Dictys* ex emendatione. A.

96. *Victos pietate parentes.* De matribus loquitur, unde, opinor, ed. Venet. habet *victas;* sed non opus est. Sosipater Charisius, Inst. Gramm. lib. I, p. 79: « hæres, *parens*, homo, etsi in communi sexu intelligantur, tamen masculino genere semper dicuntur; » citat deinde Virg. Æneid. lib. III, v. 341, ubi Andromache de Creusa loquitur: « Ecqua tamen puero est *amissi* cura *parentis?* » ubi tamen vide Pierium. — Cod. Paris. edit. princ. *victas.* A.

97. *Fulmina.* Cod. Paris. edd. princ. Gron. Gevart. *funera.* A.

99. *Parens.* Vetus editio Parm. pro *parens* habet *patris;* et ita legi vult Heinsius ad Ovid. Met. VII, 335. Sed aliud agens, et phrasi tantum delinitus; quare enim *secura patris*, seu *non metuens patrem* dicitur Ilia? a *patre* nihil metuere habebat, sed a *patruo* Amulio, qui eam indignis modis tractabat, et vinctam in carcerem dabat: vide Livium I, 4. Si igitur quicquam mutandum esset, dici oporteret *secura patrui* non *patris.* Verum est *parens*, id est, *mater;* et hoc postu-

Ilia, portantem lassabat Romulus Accam.
Vidi ego transertos aliena in robora ramos,
Altius ire suis. Et te jam fecerat illi
Mens, animusque patrem; necdum moresve, decorve:
Tu tamen et motas etiam tum in murmura voces,
Vagitumque rudem, fletusque infantis amabas.
Ille, velut primos exspiraturus ad Austros
Mollibus in pratis alte flos improbus exstat;
Sic tener ante diem, vultu, gressuque superbo,
Vicerat æquales; multumque reliquerat annos.
Sive catenatis nudatus membra palæstris
Staret, Amyclæa conceptum matre putares.
Œbaliden illo præceps mutaret Apollo,
Alcides pensaret Hylan: seu Graius amictu
Attica facundi decurreret orsa Menandri,
Laudaret gavisa sonum, crinemque decorum
Pressisset rosea lasciva Thalia corona:

lat sensus et argumentatio: loquitur enim de *matribus* quæ a nutricibus victæ fuerunt pietate erga natos ipsarum: « Quid referam altricum victas pietate parentes? Quid te, post cineres deceptaque fulmina matris Tutius Inoo reptantem pectore, Bacche? Jam secura parens Thuscis regnabat in undis Ilia: portantem lassabat Romulus Accam. »

101. *Aliena in robora.* Cod. Paris. edd. pr. Gron. *alieno in robore.* Vid. not. A.

103. *Nec dum.* Cod. Paris. ed. pr. omittunt *dum.*

104. *Tu tamen et mutas etiam tum murmure voces.* Nullus in his sensus: si enim *mutas*, quomodo *murmure?* Lege, « Tu tamen et motas etiam tum in murmura voces, Vagitumque rudem, fletumque infantis amabas; » ita ed. Parm. non *fletus.* Lucan. VIII, 682, de Pompeio: « vultus, atque os in murmura pulsant Singultus animæ. » Noster, Carm. ad uxorem, vs. 33: « motasque in murmura voces Aure rapis vigili; » ita optime emendat Heinsius ad Claudian. in Rufin. I, 152. Plura ad istum locum dicemus. — Cod. Paris. ed. pr. Gron. *mutas etiam tum murmure.* A.

105. *Fletus.* Cod. Paris. ed. pr. *fletum.* A.

110. *Nudatus.* Cod. Paris. edd. pr. Gron. *curvatus.* Vid. notam. A.

113. *Graius.* Cod. Paris. ed. pr. *gratus;* sed ille præbet *Graius* in marg. A.

116. *Pressisset.* Cod. Paris. *fregisset*, et in margine *frenasset;* edd.

Mæonium sive ille senem, Trojæque labores
Diceret, aut casus tarde remeantis Ulixi;
Ipse pater sensus, ipsi stupuere magistri.
Scilicet infausta Lachesis cunabula dextra
Attigit, et gremio puerum complexa fovebat
Invidia: illa genas, et adultum comere crinem,
Et monstrare artes, et verba refringere, quæ nunc
Plangimus. Herculeos annis æquare labores
Cœperat assurgens, et adhuc infantia juxta:
Jam tamen et validi gressus, mensuraque major
Cultibus, et visæ puero decrescere vestes:
Quum tibi, quas vestes, quæ non gestamina mitis
Festinabat herus? brevibus constringere lænis
Pectora, et angusta telas arctare lacerna.
Enormi non ille sinens, sed semper ad annos
Texta legens, modo Puniceo velabat amictu,
Nunc herbas imitante sinu, nunc dulce rubenti
Murice, nunc vivis digitos incendere gemmis

pr. Gron. *fregiset*. Vid. notam. A.

118. *Ulixi*. Cod. Paris. ed. pr. *Ulyssis*. A.

123. *Refringere*. Edd. Ven. et Parm. *infigere*. Forte *infringere*. — Cod. Par. habet quoque *infigere*. A.

125. *Sed adhuc infantia mixta*. Primo legendum *et adhuc*, propter sequens *jam tamen et validi gressus*; deinde, quid est *mixta infantia*? lege *et adhuc infantia juxta*, scil. erat. Theb. l. VI, v. 382, « Tibi nulla supersunt Gaudia; jam Thebæ *juxta*, et tenebrosa vorago. » — Cod. Paris. edd. pr. Gron. *sed adhuc... mixta*.

130. *Angusta telas artare lacerna*. Merito locum hunc pro corruptissimo notavi. Veneta habet *telas jactare*, pro *artare*, unde mihi confirmatur quod dudum suspicatus eram, nempe vocem *artare* huic loco irrepsisse formatam ex alia simili voce, nempe ex voce artus; « brevibus constringere lænis Pectora, et angustos artus jactare lacerna. Enormi non ille sinens, etc. » Vide notas, ubi parum emendavi et explicavi. Jactare angustos artus enormi lacerna, est, imponendo laxas et enormes vestes angustis artubus, facere ut artus majores appareant, quam revera sunt; et hoc opponitur præcedenti, « brevibus constringere lænis pectora. » Neutrum horum, inquit Statius, fecit Melior; sed semper ad annos texta legebat.

131. *Enormi... sinens*. Cod. Paris. edd. princ. Gron. *Enormes... sinus*. Vid. not. ad v. 128 seq. A.

Gaudebat: non turba comes, non munera census,
Sola verecundo deerat prætexta decori.
Hæc fortuna domus: subitas inimica levavit
Parca manus: quo diva feros gravis exseris ungues!
Non te forma movet? non te lacrimabilis ætas?
Hunc nec sæva viro potuisset carpere Procne,
Nec fera crudeles Colchis durasset in iras,
Editus Æolia nec si foret iste Creusa;
Torvus ab hoc Athamas insanos flecteret arcus.
Hunc, quamquam Hectoreos cineres Trojamque perosus,
Turribus e Phrygiis flesset missurus Ulixes.
Septima lux: et jam frigentia lumina torpent,
Jam complexa manu crinem tenet infera Juno.
Ille tamen, Parcis fragiles urgentibus annos,
Te vultu moriente videt, linguaque cadente
Murmurat: in te omnes vacui jam pectoris efflat
Reliquias: solum meminit, solumque vocantem
Exaudit, tibique ora movet, tibi verba relinquit,
Et prohibet gemitus, consolaturque dolentem.
Gratum est, fata, tamen, quod non mors lenta jacentis
Exedit puerile decus, manesque subivit

135 *Census.* Cod. Paris. edd. pr. Gron. *cessant.* Vid. not. A.

138. *Quo diva, feros gravis exeris angues.* Ita Parm. et Rom. Sed verum est *ungues.* Thebaid. VIII, 380, de Morte: « præcipuos annis animisque cruento Ungue notat; » ita legendum vulgo et ibi quoque *angue.* Tibullus, lib. I, el. 3: « Abstineas avidas, Mors, precor, atra, manus. » Seneca, Hippol. v. 465: « Quam tam rapaces cernerat Fati manus; » ita legendum, non *minas.* — Cod. Paris. ed. princ. *dira... an-*

143. *Torvus ad hunc Athamas insanos flecteret arcus.* Lege, *ab hoc*, ex sensu, et ut vitetur ambiguum. Editt. Parm. et Rom. *adhuc.* — Cod. Paris. ed. Gron. *ad hunc.* Ed. Grom. *adhuc.*

150. *Omnes.* Pro *omnis* lege *omnes; relliquias* scilicet; hujus non monendus esses nisi editiones plurimæ quæ ubique alias retinent *omnes* in quarto casu plurali, hic habeant *omnis;* quasi esset *omnis* in te, pro *totus.* — Cod. Paris. edd. princ. Gron. *omnis.*

155. *Exedit.* Cod. Paris. ed. pr. *Exedis.*

Integer, et nullo temeratus corpora damno :
Qualis erat ! Quid ego exsequias, et prodiga flammis
Dona loquar, mæstoque ardentia funera luxu?
Quod tibi purpureo tristis rogus aggere crevit :
Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi,
Quodque Arabes, Phariique, Palæstinique liquores
Arsuram lavere comam. Cupit omnia ferre
Prodigus, et totos Melior succendere census,
Desertas exosus opes; sed non capit ignis
Invidus, atque arctæ desunt in munera flammæ.
Horror habet sensus : qualem te funere summo,
Atque rogum juxta, Melior placidissime quondam,
Extimui! tune ille hilaris, comisque videri?

158. *Loquar.* Cod. Paris. ed. pr. *loquor.* A.

159. *Tristis rogus.* MS. Senensis et Rom. et Venet. editt. (et Parmensis) habent *tristis torus*, notante Gronovio Diatr. c. 17, et firmante hanc lectionem loco Theb. VI, 54; et v. 69; quibus addas licet hoc ex Pietat. Abasc. v. 214, de Priscillæ funere, « Ipsa toris Serum Tyrioque umbrata recumbit Tegmine. » Ovid. Metam. IX, 502 : « Toroque, Mortua componar; » *lectum* vocat Persius : « alto Compositus lecto. » Martial. VIII, 44 : « dum tibi torus crescit. » *Torus* hic comburebatur cum corpore: unde *damnatum flammæ torum* vocat loco supra citato. — Cod. Paris. *rogus.* A.

160. *Indi.* Cod. Paris. ed. princ. *udi.* A.

161. *Phariique* (*palam est vidique*) *liquores.* Egregia restitutio est summi viri Joan. Seldeni nostratis; qui Prolegom. ad Syntagma de Dis Syris pag. 7, legit, *Phariique Palæstinique liquores.* Nihil verius : et ita Pietat. Abasc. v. 212 : « præreptaque templis Tura, Palæstini simul Hebræique liquores Arsuram lavere comam. » Vide totum locum, huic simillimum. — Cod. Par. edit. princ. (*palam est vidique*) uncis inclusum. A.

162. *Lavere.* Cod. Par. *levare.* A.

164. *Exosus.* Edd. Ven. et Rom. *exutus;* forte rectius; ita carm. 6 hujus libri, v. 60, in re simili : « O quam divitiis censuque exutus opimo Fortior, Urse, fores! »

168. *Tune ille hilaris comisque videris.* Recte Gronov. ex MS. Sen. et editt. Rom. et Venet. restituit *comisque* videri; ut, *parvusque* videri, Sentirique *ingens*, Herc. Epitrapez. v. 37, et Thebaid. VI, 731. *Constitit* immanis cerni, immanisque tueri *Argolicus Capaneus;* ita enim legend. ex MS. Petrensi, et ita ex alio Codice et vet. edit. legit Gronovius, Diatr. c. 16. Res per se clara est : ideo exemplis, quæ obvia sunt, non abutar. Ita etiam Parmensis. — Cod. Paris. *tu ne hilaris.* A.

Unde animi, sævæque manus, et barbarus horror?
Tu modo fusus humi, lucem aversaris iniquam;
Nunc torvus, pariter vestes et pectora rumpis,
Dilectosque premis visus, et frigida libas
Oscula : erant illic genitor, materque jacentis
Mæsta; sed attoniti te spectavere parentes.
Quid mirum? plebs cuncta nefas, et prævia flerunt
Agmina, Flaminio quæ limite Milvius agger
Transvehit, immeritus flammis dum tristibus infans
Traditur, et gemitum formaque ævoque meretur.
Talis in Isthmiacos prolatus ab æquore portus
Naufragus imposita jacuit sub matre Palæmon:
Sic et in anguiferæ ludentem gramine Lernæ

171. *Nunc.* Cod. Paris. ed. pr. *tunc.* A.

172. *Lambis Oscula.* Verissima emendatio magni Bentl., pro *lambis* legentis *libas.* Noster Theb. X, 63, *oscula libat.* Vide eum Not. ad Horat. Serm. II, 6, ubi plura exempla. Posses etiam *frigida* carpis *Oscula*, ut apud Ovidium Heroid. XI, 117, de re simili: « non oscula frigida carpsi. » Thebaid. III, 711: « carpens pater oscula vultu. » Propert. Eleg. I, 20, de Zethe et Calai: « Oscula carpere pennis; » ita legendum; vulgo *plumis*, inepte. Sed verior est emendatio Bentleiana; et hanc in Contextum recepi. — Cod. Paris. edd. princ. Gron. *lambis.* A.

176. *Milvius.* Cod. Par. *Molvius.* Ed. princ. *qua* pro *quæ.* A.

178. *Ævoque.* Debetur hoc Jano Gulielmio Quæst. Plautin. Ante fuit *formaque* ac voce *meretur.* Supra notavi literas *c* et *qu* sæpe confundi, ut in *cætus* pro *questus:* ita hic *voce* pro *voque;* immo simplex *q* pro *c;* ita *pequnia* pro *pecunia,* Inscript. vet. apud Reinesium : quam tamen scriptionem improbat Sosipater Charisius, p. 83 his verbis: « Pecunia per *c* non per *qu* scribenda est, quoniam a pecore dicta : et quoniam *q* literam nusquam volunt poni alias nisi ut duæ vocales sequantur, quarum prior sit u. » Marius Victorinus p. 2459: « Sed nec *g* quidem nec *q* Latinus sermo introduxit : ex quibus *q* et fuisse apud Græcos; et quare desiderat fungi vice literæ *c*, cognoscere potestis si Pontificum libros legeretis; » ita scribendum; vulgo, *literæ cognoscere,* omissa *c.* — Cod. Paris. ed. pr. *ac voce.* A.

179. *Prolatus.* Ed. Rom. *ploratus;* Parm. *delatus,* bene. Horat. Epist. II, 2, ad finem, Deferar in vicum, etc. — Cod. Paris. ed. princ. *ploratus.* A.

181. *Anguiferæ.* In Parm. legitur *anguriferæ,* et vs. sq. *rescisum* pro *præcisum.* — Ed. pr. omittit *in.* A.

Ut sileam morbos: hos ora rigentia Brumæ,
Illos implacido letalis Sirius igni,
Hos manet imbrifero pallens Autumnus hiatu.
Quicquid habent ortus, finem timet. Ibimus omnes,
Ibimus: immensis urnam quatit Æacus ulnis.
Asthicquem gemimus, felix, hominesque, deosque,
Et dubios casus et cæcæ lubrica vitæ
Effugit, immunis fati: non ille rogavit,
Non timuit, meruitve mori. Nos anxia plebes,
Nos miseri, quibus unde dies suprema, quis ævi
Exitus, incertum; quibus instet fulmen ab astris,
Quæ nubes fatale sonent. Nil flecteris istis?
Sed flectere libens. Ades huc emissus ab atro
Limine; cui soli cuncta impetrare facultas,
Glaucia; nam insontes animas, nec portitor arcet,
Nec diræ comes ille feræ: tu pectora mulce,
Tu prohibe manare genas; noctesque beatas
Dulcibus alloquiis, et vivis vultibus imple;

217. Pro *hos*, ed. pr. *nos*. A.

218. Pro *finem timet*, ed. Ven. *finem dabit*. — In codice pererruditi Turnebi adscriptum erat: « Ortus quicquid habet, finem timet. » Hanc lectionem malim, quia si *quicquid* adducit pluralem numerum *habent*, necessario scribendum sit *timent*: sed tunc versus tollitur: itaque Turnebo libenter adsentiar. A.

219. *Ulnis*. Vulgo *umbris*. Cod. MS. quem contulit N. Heinsius habuit *ulnis*, teste Burmanno ad Val. Flaccum I, 658: « Et Tethys, et magnis Nereus socer erigit ulnis; » scil. *navem*. Recte: et ita Parmensis. *Immensis ulnis*, id est, *magnis brachiis* seu *manibus*. Passim in his Silv. *immensus* ponitur pro *magnus*; ita *immensæ* carinæ, Soter. Gallic. vs. 120; *immensus* Auster, Pietat. Abasc. v. 246; *ulnis* pro *manibus* apud Ovid. Met. IX, 651: « Sæpe etiam Nymphæ teneris Lelegeïdes ulnis Tollere conantur. » *Quatit* idem quod *movet* Horatio, « omne capax movet urna nomen; » et Virgilio Æneid. lib. VI, vers. 432, « Quæsitor Minos urnam movet. » — Cod. Paris. edit. princ. Gron. *umbris*. A.

220. *Ast*. Edd. Rom. et Parm. *est*. — Cod. Paris. ed. pr. *est*. A.

230. *Diræ*. Cod. Paris. ed. pr. *duræ*. Vid. not. A.

Et periisse nega, desolatamque sororem,
Qui potes, et miseros perge insinuare parentes.

234. *Qui.* Pro *qua potes*, Parm. et Venet. habent *qui potes.* Recte. Valer. Flacc., VIII, 279: « primus celebro dotalia sacra, Qui potui. » Idem est quod supra dixit, *Cui soli cuncta impetrare* facultas, *Glaucia;* ubi vetus Parmensis habet *Glaucias insontes animas;* quam scripturam Heinsius ad dictum Silii locum probare videtur, male: quippe vox *ades* vocandi casum omnino postulat, *Glaucia*, non *Glaucias.* — Cod. Paris. ed. princ. *qua potes, et miseros*, etc. A.

NOTÆ

IN CARMEN PRIMUM LIBRI SECUNDI SILVARUM.

Vers. 5. Et *verba medentia sævus Consero.* Quomodo *sævus*, qui humanitatis officio fungitur in consolandis amicis, qui verba *medentia* administrat? lege, *verba medentia sævis*, τοῖς δεινοῖς, ita Thebaid. IV, 744: « Regales tamen ore notæ, nec mersus acerbis Exstat honos; » II, 406, *Pone modum* lætis. Sil. Italicus, I, 169:

> At Pœni succensi ira, turbataque luctu
> Et sævis gens læta, ruunt, tormentaque portant.

Vide quæ supra notavi ad Soter. Gallici, v. 61. Deinde pro *Consero* plane legendum *Confero*. Lacrim. Etrusc. v. 42: « Et ipse tuli quos nunc tibi confero questus; » verbum funebre *confero;* vide ad III, 3, vers. 134; ubi fusius ago. Hos cantus et verba medentia sævis, *medicabile carmen* eleganter vocat Val. Flacc. IV, 87.

9. *Orbatique velint audire leones.* Non *leones*, sed *leænæ* a poetis in hanc comparationem adhiberi fere solitæ. Val. Flacc. III, 737: « Non aliter gemitum quondam lea prolis ademtæ Ægra dedit; » ita legit Heinsius; vulgo *gemitu*, et *Terga* dedit. Noster, Theb. X, 414:

> Ut lea, quam sævo fetam pressere cubili
> Venantes Numidæ, natos erecta superstat
> Mente sub incerta.

Ovidius, Fastor. lib. V, vers. 177:

> Dumque petit latebras fetæ catulosque leænæ
> Ipse fuit Libycæ præda cruenta feræ.

Silius Italicus, lib. X, vers. 125:

> Haud secus ac Libyca fetam tellure leænam
> Venator premit obsesso quum Maurus in antro, etc.

Ex his locis legendum videtur, « orbatæque velint audire leænæ, » nempe *catulis* orbatæ, absolute, ut ap. Val. Flacc. VIII, 457: « orbatæ traherent suspiria vaccæ; » appositissime Ovidius, Metam. XIII, 547: « Utque furit catulo lactente orbata leæna. » Non tamen in contextum audeo admittere hanc lectionem, propter ea quæ annotavit cl. Burmannus ad Valer. Flacc. VI, 347.

17. *Lacrimis en et mea carmina in ipso Ore natant.* Non opus est ut legamus *madent* pro *natant*: tametsi hac phrasi sæpe utatur Statius; ut Theb. XI, 17: « Cuncta madent lacrimis et ab omni plangitur arce; » Silv. lib. V, carm. III, v. 58: « Ipse madens lacrimis umbrarum animæque sacerdos; » ita legendum esse pro madens *oculis*, pluribus ad locum exemplis adstruam. Recte se habet *natant;* Theb. II, 337:

.... quoties hæc ora natare
Fletibus, et magnas latrantia pectora curas
Admota deprendo manu?

Thebaid. lib. X, vers. 298: « stagnant nigrantia tabo Gramina, sanguineisque natant tentoria rivis; » ita legendum; vulgo, sanguineis *nutant*. Thebaid. V, 255: « Crateras pronos epulasque in cæde natantes Cernere erat; » Sidonius Apollinaris, Carm. VII, 277: « natat obruta tellus Sanguine; » Claudian. de IV Cons. Honorii: « Plaustra cruore natant; » plura ad manum sunt; sed non opus est. Vers. 22. Recte tuetur Gevartius *plorantem* animam, contra Scaligeri et Tiliobrogæ *ploratam*, præter loca ab illo adducta, vide Thebaid. IX, 299; XII, 56.

26. *Et nunc heu! vittis.* Totum hunc locum ita legendum et distinguendum puto:

Et nunc heu! vittis et frontis honore soluto
Infaustus vates, vexans mea pectora tecum
Plango lyra. En! diri, etc.

sed vitium majus subesse secundo versui opinor; nec mihimet satisfacio. *En* vero pro *et* verissimum est. *Similis* comes, quoad luctum *similis;* ut eleganter apud Petronium:

Grandine qui segetes et totum perdidit annum
In simili deflet tristia fata sinu.

Pro *diri* præstat *duri*, ut Virgil. Æn. V, 4: « duri magno sed amore dolores, etc. » Hæc scripseram; postea nactus odit. Parm. et Romanam, alia rerum facies sese aperuit. Illæ enim habent, « Infaustus vates verso mea pectora tecum; » non *vexo*. Statim vidi legendum esse: « Infaustus vates verso mea pectora febo Plango lyra; » Ita enim scribere solebant quod nos vulgo concipimus *Phœbo*. *Verso* Phœbo, i. e. *averso;* ut Epicod. in Patrem v. 12, in re simili:

Quis sterili mea corda situ, quis Apolline verso
Frigida damnatæ præduxit nubila menti?

uti recte emendavit Heinsius, pro *merso*. Vide eum ad Ovid. Heroid. VII, 4, ubi fusius agit de hac phrasi *averso Deo:* et Broukhusium ad Tibulli III, 3, v. 28: « Audiat aversa non meus aure Deus. » Propert. IV, 1:

Aversis Charisin cantas; aversus Apollo
Poscitur invita verba pigenda lyra;

ex optima emendatione ejusdem Heinsii; qui, sat scio, conjecturam meam approbasset, si in vivis esset.

41. *O ubi purpureo.* Multo melius si scribas *Heu! ubi;* ut Thebaid. V, 613: « Heu! ubi siderei vultus, ubi verba ligatis Imperfecta sonis? » Et ita forte infra, v. 52: « Heu! ubi venturæ spes, etc. » Ovidius, Fast. III, 485: « Heu! ubi pacta fides? ubi, quæ jurare solebas? » iterum Noster, Thebaid. V, 350: « Heu! ubi nunc furiæ? » VIII, 174: « Heu! ubi laurigeri currus solenniaque arma? » Silv. III, 5: « Heu! ubi nota fides? » Ita apud Valer. Flacc. IV, 469, pro « O ubi nunc regni generisque ubi gloria, » mavult Heinsius *Heu* ubi.

42. *Sidereique orbes radiataque lumina cælo.* Agnosco *radiata lumina* ex Ovidii Metam. IV, 193: « Forma, calorque tibi, radiataque lumina prosunt; » sed quo modo lumina radiantur *cælo,* non intelligo. An voluit *radiataque lumina* luce, vel *sole?* hæ enim voces in MSS. cum *cælo* commutantur. Sed mihi minime placet exilitas ista in fine versus; nec enim Statium sapit. An denique, *radiataque lumina* Phœbo: quo sensu Seneca, Hippol. v. 377:

Et qui tenebant signa Phœbeæ facis
Oculi, nihil gentile nec patrium micant.

Et, « facies igne sidereo nitens, » v. 1265; sed nec hoc perplacet. Quicquid sit, *orbes* et *lumina* conjunguntur ut apud Lucanum II, 184, et V, 212, et Sil. Italic. IX, 401.

43. *Castigatæ collecta modestia frontis.* Frontem *castigatam* dicit in qua nullæ rugæ, nullus tumor, nihil denique apparet, quod reprehendi posset. Sic Ovid. Am. I, El. V, v. 21; *castigatum pectus.* Gev.

47. *Et mixtæ risu lacrimæ penitusque loquentis Hyblæis vox mixta favis.* Bene *lacrimæ mixtæ* risu. Thebaid. VI, 164 eleganter,

Illa tuos questus lacrimososque impia risus
Audiit; et vocis decerpsit murmura primæ;

et IX, 820: « Audiit, et mixto risit Latonia fletu. » *Udum gaudium* vocat Martialis Epigr. X, 78; Petronius in Trojæ Halosi: « Fletibus manant genæ Mentisque pavidæ gaudium lacrimas habet. » Claudianus de Bell. Getico: « Singultus varios lacrimosaque gaudia miscent; » et alibi, « Permisto tremuerunt gaudia fletu. »

48. *Cui sibila serpens poneret,* etc. Ait hoc loco Domitius Papinium ad historiam Herculis alludere, cui infanti duo angues a Junone noverca immissi dicuntur: qua interpretatione nihil alienius dici potest; nam poeta sine dubio ad incantationem respexit, cui illam vim tribuunt magi, ut etiam serpentes occidere possit. Gevart.

56. *Quis tua colloquiis hilaris mulcebit amatis pectora?* Displicet syllaba finalis *is* toties repetita: nec placet vox *hilaris,* inutilis prorsum et superflua; conjicio, « Quis tua colloquiis, Melior, mulcebit amatis Pectora? » ut versu primo, « Quod tibi prærepti, Melior, solamen alumni. » Sed vide porro: tua pectora: cujus? Glauciæ? atqui hoc absurdum

est de *mortuo* dicere; ergo *Melioris?* atqui vox *tibi* quæ modo præcessit ad Glauciam pertinet, ut bene probat Gronovius. Pessime igitur et more minime suo fecit Statius, si voces *tibi* et *tua* diversis personis assignaverit, absque ulla transitionis nota: et hinc maxime confirmatur suspicio mea vocem *Melior* latere sub ista *hilaris;* nec abludunt literæ.

90. *Nec senior Peleus.* Non aliud verbum comminisci potes, quod argumentationi et sententiæ magis obstet quam istud *senior.* Probaturus est Statius *parentes* in amore erga natos sæpe ab *alienis* et sanguine non junctis superari: ita Peleus a Chirone et Phœnice; quippe, inquit, Peleus *senior* filium Achillem non comitabatur ad bellum Trojanum, sed Phœnix. Et quid mirum si Peleus *senior* non comitabatur? immo ob hanc ipsam rationem non comitabatur quoniam erat *senior;* hoc est excusare dum accusat. Achilleid. I, 438, ubi tota Græcia profectionem ad Trojam parat, ait Statius,

> Hos inter motus pigram gemit ora quietem
> Thessalis, et geminis incusat fata querelis,
> Quod senior Peleus, nec adhuc maturus Achilles.

Vides ipsam hanc esse rationem, quod ad bellum proficisci non potuit Peleus, quia erat *senior;* apposite et quasi dedita opera locus iste Achilleidos lectionem hanc refellit. Lege vero, « Nec genitor Peleus natum comitatus, etc. » Jam servatur argumentum. Peleus, *quanquam pater* Achillis, illum non comitabatur, sed Phœnix *alienus* et *externus.* Hæ vero voces *genitor* et *senior* interdum commutantur, ut Silv. III, 3, 208, pro *genitor mitissime patrum,* Codex Florent. recte habet *senior;* vide Gron. ad Senec. Herc. Fur. v. 32. Ita Lacrim. Etrusc. v. 77, pro *senior,* Parm. edit. habet *genitor.*

95. *Fluctivagus volucrem comebat Persea Dictys.* Nota historia Perseos, quem cum matre Danae Acrisius in mare projici imperabat. Dictys vero piscator Seriphius retibus cepit arcam in qua clausi erant, domumque retulit, et educavit Persea. Hinc vides quam parum sensui satisfacit vox *comebat,* quæ nihil significat præter *ornabat.* Atqui parum est *ornare* aliquem puerum, nisi *institutioni* vel *educationi* curam simul impendas; et hoc sensus loci postulat et comparatio; dixisse debuit, « volucrem curabat Persea Dictys; » hoc enim totum exprimit et comprehendit. Claudianus, de Cons. Mall. v. 142: « Humanum curare genus quis terminus unquam Præscripsit? » Idem, Laud. Stil. II, 53, apposite magis,

> . . . . nec pignora curas
> Plus tua, quam natos dederat quos ille monendos
> Tutandosque tibi.

Sed mihi magis adhuc placet altera vox: ea est, « Fluctivagus volucrem tollebat Persea Dictys; » sive de *sublatione* Perseos ex arca intelligas, seu de *educatione;* utrique enim accommodari potest; sed illi potius. Apollodor. II, 4, in hac historia: προσενεχθείσης δὲ τῆς λάρνακος Σερίφῳ, Δίκτυς ΤΑΡΑΣ, ἀνέθρεψε τοῦτον: « arca vero in Seriphum delata, Dictys

tollens puerum educavit. » Facilis vero lapsus ex *tollebat in comebat*: *c* enim et *t* tam similes sunt, ut vix dignosci queant: duplex vero *l* sæpe mutatur in *m* in MSS.

97. *Quid te post cineres, deceptaque funera matris.* De Baccho loquitur, cujus mater Semele, suasu et dolo Junonis, petiit a Jove ut veniret ad se eodem modo quo ad Junonem venire solitus erat: qua re conflagravit, ut narrat Hyginus, Fabul. 179, et mythologi passim. Funera igitur *decepta* matris, sunt funera *deceptæ* matris, translato epitheto, ut omnibus poetis fieri solet, et plenius notavi ad IV, 1, vs. 45. Sed aliud suadet perpetua tum Nostri, tum aliorum consuetudo in descriptione interitus Semeles: nempe signantius aliquid, et quod proprius et propius exprimat *causam* mortis illius; scilicet, « deceptaque fulmina matris, » ut Theb. IX, 425, de hac re, « deceptaque fulmina vidi; » (ubi *decepta* fulmina sunt *decipientia*, ut apud Ovid. Her. IV, 57, *decepto* tauro, *decipienti* vel *simulato*, de Pasiphae: et Art. Am. I, 690, « *dissimulatus* virum, » pro *dissimulans*: arma *expressa* casus, pro *exprimentia*, Valer. Flacc. I, 398; et, pocula *expressa* casus bellorum, similiter, II, 155; et *defectus* annis pro *deficiens*, passim). Ita et Theb. II, 71; X, 886, ubi Bacchus loquitur; Sidon. Apollin. carm. XXII, 26, de Baccho: « indigenam jaculantur fulminis ignem. » Senec. Herc. Fur. v. 456: « E matris utero fulmine ejectus puer? » Ausonius, Cupid. Cruc. v. 16: « Fulmineos Semele decepta puerpera partus Deflet. » Manilius, lib. III, vers. 6: « Fulminis et flammas, partusque in matre sepultos; » licet hoc de *gigantibus* potius intelligendum, non de Baccho, qui non *sepultus* fuit in *matre*, sed *patre* potius; nec in hoc tamen *sepultus*. Scaliger de Semele interpretatur; quamvis et gigantum mentionem faciat. Arnob. lib. I, p. 20: « Æsculapius et Liber pater, Coronide ille natus, et ex genitalibus matris alter fulmine præcipitatus. » Propertius, III, 15: « Dicam ego, maternos Ætnæo fulmine partus. » Ex his locis, et multo plura adferre possem, vides perpetuam *fulminis* mentionem in hac historia; *funera* quidem probum est, sed non satis est; potes etiam legere *fulgura* matris, eodem sensu quo *fulmina* (vide Bentl. ad Horat. Carm. II, 10) et propius ad vocem *funera*. Sed præstat *fulmina* propter frequentiorem ejus in hac fabula usum: et unice ob supra citatum Thebaidos locum, « deceptaque fulmina vidi. »

101. *Transertos alieno in robore ramos.* Sensus et Latinitas postulant *aliena* in *robora*; per se patet.

103. *Necdum moresve decorve*, scil. *apparuerunt*: non adhuc conjicere potuisti qualibus futurus erat *moribus*, quali *decore*: βραχυλογία Stat., ut infra vs. 146: « Septima lux, et jam frigentia lumina torpent; » scil. *aderat* septima lux. Vide quæ notavi ad Epithal. Stell. v. 144.

110. *Sive catenatis curvatus membra palæstris.* Attende senem: sive curvatus membra staret, seu Graius amictu Menandri orsa decurreret.

Quænam hic oppositio inter *curvatus* membra et *Graius amictu?* et tamen requiritur. Lege, « Sive catenatis nudatus membra. » Jam vides, sive *nudus*, seu *Graio more amictus.* Virgil. Georg. II, 531: « Corporaque agresti nudant prædura palæstra; » Æneid. III, 281: « Exercent patrias oleo labente palæstras Nudati socii; » Ovid. Heroid. XVI, 149:

> More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra
> Ludis, et es nudis femina mixta viris.

Inde *nudas* palæstras Noster, Silv. III, 1: *orsa Menandri*, ut apud Ausonium, Protrep. v. 46.

116. *Fregisset rosea lasciva Thalia corona.* Scio quomodo hæc explicat Gronovius, Observat. IV, 21, cujus verba hæc sunt: « Frangi vult crinem exstructum, quum superimposita corona deprimitur, et sic quasi destruitur. Virgilius, tonsa coma pressa corona: ut frangere toros pro deprimere. » Hæc vir summus. Sed alio sensu dicitur *frangere toros*, alio *frangere crinem;* ex Virgilii loco citato veram ante oculos habuit lectionem, quam hanc esse autumo: « crinemque decorum Pressisset rosea lasciva Thalia corona; » Noster, Silv. I, 2: « Minoa crinem premit ille corona. » Vides eadem verba; infra, Silvar. V, 3: « Heu quod me mixta quercus non pressit oliva! » Virgilius (præter locum a Gronovio adductum) Æneid. IV, 147: « Ipse jugis Cynthi graditur, mollique fluentem Fronde premit crinem fingens: » ad quæ Servius: *Premit crinem*, id est, comprehenso *crine efficit ne fluat;* lege, compresso *crine efficit*, etc. Ovid. Fast. IV, 655: « Bis sua faginea tempora fronde premit; » ita ex MSS. edidit Heinsius pro *fronde tegit.* Lucanus, V, 60: « pressos diademate crines; » Senec. Hippol. v. 649: « presserant vittæ comam; » plura exempla in promtu habeo: sed hæc sufficiunt. Mox, *casus* tarde remeantis Ulixi: alludit forte ad ista Horat. Carm. I, 6: « Nec cursus duplicis per mare Ulixei; » adeo ut hic etiam forte scribendum sit *cursus.*

128 seq. *Quum tibi quas vestes, quæ non gestamina mitis Festinabat herus?* Præcedentia verba sunt, « et visæ puero decrescere vestes. » Hæc pauperies sermonis non Statiana est, sed alius cujuspiam, qui in margine libri sui hanc vocem scripserat ad explicandam aliam quæ in contextu erat, et quæ difficilior illi videbatur; inde in ipsum corpus poematis adscita erat hæc vox notha, ejecta genuina et Statiana; quæ, ut mihi videtur, vix alia esse potuit quam *cinctus:* « Quum tibi quos cinctus, quæ non, etc. » *cultibus* enim et *vestes* modo præcesserunt. Admodum verosimile est ita hic factum fuisse, quod et innumeris veterum auctorum locis accidisse norunt eruditi; et ita hæc quatuor *cinctus, vestes, cultus,* et *gestamina* conjunguntur, Theb. VI, 76, et seqq. « Quas non *in nomen credula* vestes urgebat *studio?* » ex quo loco, huic simillimo, forte retinendum est *quas vestes*, et legendum versu præcedenti, *et* visi *puero decrescere* cinctus: « Quum tibi quas vestes, quæ non, etc. » Verisimum hoc puto. Sed quid de *verbo* laboramus, quum *sensus* tam male affectus sit? totum locum apponamus:

Quum tibi, quas vestes, quæ non gestamina mitis
Festinabat herus? brevibus constringere lænis
Pectora, et angusta telas arctare lacerna.
Enormes non ille sinus, sed semper ad annos
Texta legens, modo puniceo velabat amictu,
Nunc herbas imitante sinu, nunc dulce rubenti
Murice.

Ita legunt omnes quotquot vidi editiones: et, quasi omnia facilia essent, prætereunt interpretes. Primum igitur quæro, quodnam verbum præcedit infinitivum istud *constringere?* dicent, opinor, *festinabat;* nullum enim aliud est; herus igitur *festinabat constringere* pectora pueri brevibus lænis; nihil minus: nunquam enim hoc faceret si ullam salutis pueri curam haberet; hæc enim *constrictio* in morbos pectorales puerum conjiceret et auctum impediret; et hoc in *Nanis* faciebant Veteres γλωσσοκόμοις suis, ut testatur Longinus, libro περὶ ὑψ. cap. 44. Dixisse igitur debuit, *non constringebat* pectora brevibus lænis; et ita sane dixit, ut mox videbimus. Sed quid est quod sequitur, festinabat *arctare telas angusta lacerna?* quid est *arctare telas,* aut qua notione sumendum? revera non intelligo; et si intelligerem quid esset *arctare telas,* scirem tamen ineptissimum esse *arctare* telas *angusta* lacerna. Si enim telæ *arctantur,* mirum ni *lacerna* (seu quodcunque texitur) *angusta* sit: adeo ut plane abundet et superfluum sit istud *angusta,* quum prius dixeris *arctare.* Sequitur porro, *Enormes* non ille *sinus* legens: atqui hoc ante dixerat, quum nobis narravit herum festinasse constringere pectus pueri *brevibus lænis:* quodnam opus hoc iterum ingerere? mitto *enormes sinus,* et *nunc herbas imitante sinu.* Vides quot difficultatibus et absurditatibus laborat locus: cujus ex parte restitutionem tibi spondeo, si amoveas distinctionem post *lacerna,* et pro *sinus* legas *sinens:*

. . . . brevibus constringere lænis
Pectora, et angusta telas arctare lacerna
Enormes non ille sinens, sed semper ad annos
Texta legens, modo, etc.

Hoc modo nova rerum facies nasci incipit. Et jam video legendum esse *lacerna enormi,* ut opponatur *brevibus lænis:* nec *brevibus lænis,* nec *lacerna enormi.* Hoc, quasi filo, ad sensum loci deducit, qui hic est: Nec permittens *lænis* nimium *brevibus* et arctis pectus constringere, nec contra *lacerna enormi* membra puerilia gravare; sed prout incrementum pueri et ætas postulabat, ita semper adaptans et *legens* vestimenta, interdum puniceo amictu, interdum viridi *sinu* vel thorace vestiebat. Hæc videtur esse mens hujus loci, elegans et concinna. Viam tibi aperui: si oculatus sis, per te videbis quid faciendum sit istis *angusta telas arctare;* si non, dicentem aut irridebis, aut fidem non habebis. Tantum moneo, ne legas *aptare,* quod primo intuitu forte adblandietur.

135. *Non turba comes, non munera cessant.* Quænam hæc *munera* nemo explicavit, et mirum quidem est, si vox cujus significatio tam late

patet, absolute et per se ponatur, quum ex circumstantiis non colligi possit, quo sensu intelligi oporteat. Sed et quare *cessant* in præsenti tempore, quum et præcedentia et subsequentia in præterito efferantur, *velabat, gaudebat, deerat?* Lege, « non turba comes, non munera census, Sola verecundo deerat prætexta decori. » Nihil certius; ante oculos habuit Horatium, Serm. I, 6. Ita et hic Glaucias describitur omnes *Ingenui* notas habens, *vestes, gemmas, servos sequentes,* et cetera *census* et patrimonii signa et *munera*, præter *prætextam: munera census*, ut *munera pulveris*, Horat. Carm. I, 48; *munera tumuli*, Sabin. Epist. I, 26; *munere clavi*, Propemp. Met. Cet. vers. 124, inf. lib. III, silv. 2; *munera scientiæ*, Arnobius, lib. II, p. 55; *munera lucis*, Sedulus, V, 55, qui multus est in hoc vocis usu. Symposius Ænig. 95 de umbra:

Nam Deus attribuit nobis hæc munera formæ,
Quod me nemo movet nisi qui prius ipse movetur:

ita legendum: in editione qua utor mendose est *quod prius. Munera dextræ* Dædaleæ, Columella, X, 29, et similia ubique.

148. *Fragiles urgentibus annos.* Anni *fragiles* qui sint dicet Ovidius Trist. IV, 8, v. 3: « subeunt anni fragiles et inertior ætas, » de se *senescente.* Sil. Italic. XIV, 85, de Hierone: « fragili senecta. » Ita muri *fragiles ævo*, Theb. II, 70. Nisi multum fallor, scripsit Statius, « Parcis faciles urgentibus annos; » hoc exquisitam illius elegantiam decet. Thebaid. XII, 736: « nec facilem dignatur dextra cruorem; » ita *faciles* turmas, Thebaid. VIII, 571, quæ *faciliter* et nullo labore vincuntur; eadem elegantia. Valer. Flacc. I, 151: « animæ faciles; » Senec. de Benef. IV, 18: *imbecillissimus ac* facillimus sanguis. Sic *faciles* herbas, Theb. IV, 787; *facilis* unda Propertio; quæ faciliter cedit et *non resistit.* Quintil. Declam. I, *injuriæ facilem.* Hæ vero voces perpetuo commutantur; ita Theb. II, 664, pro *fragiles* thyrsos, MS. Petrensis habet *faciles.*

181. *In anguiferæ ludentem gramine Lernæ.* Quid narras, Papini? Ophelten occisum esse in gramine *Lernæ?* adeone oblitus historiæ veteris, et libri quinti tuæ Thebaidos, et quarti etiam et sexti, ut confunderes *Nemeam* et *Lernam?* quum etiam pueris notum sit Ophelten periisse in *silva Nemea* (et inde *Ludos Nemeæos* in ejus honorem institutos fuisse) non in *palude Lerna.* Quid dicemus? festinanter et celeritate non excusanda hæc scripsisti: et jam verum esse video quod dicis, Epist. ad Meliorem, hanc *Consolationem a confuso scriptam.* Inspiciamus tamen quid affert; et primum condono illi *gramina Lernæ:* quum enim *paludem* pro *silva* semel posuisset, consequens erat ut quod pertinet ad *silvam* attribueret paludi: et sic *gramina Lernæ paludis* habemus pro *gramina Nemeæ silvæ:* hoc quidem est « Delphinum silvis appingere, fluctibus aprum; » licet forte defendi possit si dicas *gramina Lernæ* esse quæ nascuntur in *ripis* Lernæ paludis; ut *pascua Lernæ*, Ovid. Metam. I, 597, quæ circa Lernam sunt. Quomodo vero amolieris istam sordem, *anguis* in gramine *anguiferæ* Lernæ? si enim dicas *anguem* esse in loco aliquo,

cum fatuis rem habeas oportet, vel ipse sis fatuus, si statim opus sit subdere istum locum esse *anguiferum*. Lege, « Sic et in umbriferæ ludentem gramine Lernæ. » Memineris tamen, quod de *Lerna* prædicat ad *Nemeam* pertinere : ea vero *umbrosa*, teste ipso, Theb. IV, 825 : « Silvarum, Nemea, longe regina virentum. » Et Theb. V, 43, ubi Adrastus Hypsipylen alloquitur : « Nec facilis Nemea latas evolvere vires Quippe obtenta comis et ineluctabilis umbra ; » Martialis de Spectac. XXVII : « Nemee frondosa. » Ophelten vero in *gramine* (*apium* dicit Hyginus Fab. 74) *Nemeæ* deposuit Hypsipyle dum Argivis aquam monstrabat, teste iterum ipso contra seipsum, Theb. IV, 786 :

At puer in gremio vernæ telluris et alto
Gramine, nunc faciles sternit procursibus herbas
In vultum nitens, etc.

ubi habes Ophelten *ludentem in gramine Nemeæ* (ibi enim hæc facta sunt), atque iterum graviter errantem et sui oblitum Statium ; modo enim dixerat ingentem esse *siccitatem*, adeo ut magna flumina *Lyrcius* et *ingens Inachus*, et *Erasinus*, et *æquus fluctibus* marinis *Asterion* exhaurirentur et *arerent* : et paulo ante vs. 702 : « Ægra solo macies, tenerique in origine culmi Inclinata seges. » Atqui quomodo fieri potest ut in tanta *siccitate* et *calore altum gramen* esset ; et *verna tellus*, quando *ægra solo macies?* sed hoc obiter. Recte igitur *umbriferæ*, id est, *umbrosæ*, ut *nemus umbriferum*, Virg. Æn. VI, 473, ubi notat Servius, *umbriferum*, *umbrosum*, *frondosum*. *Academia umbrifera*, Cic. de Divinat. I, 13, quam *silvas Academi* vocat Horatius. Idem Cicero, eodem opere, II, 30 : « Sub platano umbrifera fons unde emanat aquai ; » *umbriferos lucos*, Prudentius, Hamartig. v. 240.

182. *Rabidus tulit anguis Ophelten*. Alii, *Avidus bibit ; Avidus* autem anguis est, *jejunus*, *impastus ;* ut apud Ovid. Ib. v. 290. Sic *avidus* leo, Martial. Ep. I, 15. Atqui anguis qui Ophelten interemit, non *fame* percitus hoc facinus patravit, sed *calore* illo nimio efferatus et *furens ;* etiam *ignarus* quid fecerat : ita enim Noster, Theb. lib. V, vers. 538 : « Occidis extremæ destrictus verbere caudæ, Ignaro serpente, puer. » Et ob hanc rationem non stare potest vox *bibit*, quæ, opinor, idem denotare vult quod *comedit*, *hausit*. Falsum hoc : Apollodorus, III, 6 : Δεικνούσης δὲ τὴν κρήνην, ὁ παῖς ἀπολειφθεὶς ὑπὸ δράκοντος διαφθείρεται· τὸν μὲν οὖν δράκοντα ἐπιφανέντες οἱ μετὰ Ἀδράστου κτείνουσι, ΤΟΝ ΔΕ ΠΑΙΔΑ ΘΑΠΤΟΥΣΙ : « interea dum Hypsipyle monstrat fontem, relictus puer a dracone occiditur : draconem vero Adrasti apparitores interimunt, ac puerum sepeliunt. » Nihil hic de *esu* pueri : nec quidem fieri potuit, quum defuncti *corpus* sepulturæ mandarent Argivi, et *exequias* fuse describat Statius, Thebaid. VI, 54, et seqq. Hyginus quidem tradit serpentem *exedisse* puerum, Fab. 74 : verba sunt : « Illa (Hypsipyle) timens puerum in terram deponere, apium altissimum erat ad fontem, in quo puerum deposuit : quæ dum aquam eis tradit, draco fontis custos puerum exedit. » Vides ingenium et Latinitatem scriptoris barbari, addo etiam et corrupti ; nam sine dubio le-

gendum est, « draco fontis custos puerum occidit. » Vide Servium ad Virgil. Eclog. VI, 68, et totum locum hunc Statii ita lege:

> Sic et in umbriferæ ludentem gramine Lernæ
> Præcisum squammis rabidas tulit anguis Ophelten:

rabidus anguis, optime: describitur enim ut *rabiosus* et caloris impatiens et *furens* a Nostro, Theb. V, 505, et seqq. et v. 521: « siccique nocens furit igne veneni. » Voces vero *avidus* et *rabidus* in scriptis codicibus perpetuo commutantur, cujus rei multa exempla proferre possem, si vacaret. Vide Lucan. VI, 487. Recte etiam *tulit* pro *bibit;* quarum vocum ductus in MSS. pæne iidem sunt, ut in Præfat. dixi. Virgil. Eclog. V, 34: « postquam te fata tulerunt; » et Æneid. II, 599: « flammæ tulerint, » et ita alibi. Noster, Silv. III, 3: « ferat ignis opes hæredis: » Theb. V, 685, « Templa Jovis ferat impius ignis; » Avien. Arat. v. 372: « Castora Cecropii tulit inclementia belli; » id est, *abstulit*. Et jam omnia sana puto præter inexsuperabilem istum nodum de *Lerna* pro *Nemea;* cujus vide an aliqua solutio duci potest ex hac observatione. Notat Strab. Geogr. lib. VIII, pag. 260, ed. Casaub. veteres poetas Tragicos, et nominatim Euripidem in Iphigenia et Oreste, confudisse urbes *Argos* et *Mycenas*, propter earum *vicinitatem*. Et hinc obiter explicari possunt aliquot loca in Thyeste Senecæ, qui eos imitatus est in hac eadem re; et locus iste Lucan. VII, v. 451, ubi patruum Senecam imitatur: « astra Thyestæ Abstulit, et subitis damnavit noctibus Argos; » quum tamen *Mycenis* non *Argis* hoc factum esse perpetuo poetarum testimonio constet: unde *caligantes abrupto sole Mycenas* vocat Noster, Theb. I, 325. An igitur hac libertate usus Statius (et plura ejusmodi exempla forte inveniri possent) confundit *gramina Lernæ* cum *graminibus Nemeæ*, quum *Lerna* et *Nemea* non longe dissitæ essent? Dispice an ferri potest: hoc enim ultimum mihi suffugium: nec tamen tale ut Statium sub hoc protegi posse existimem. Verum est quod suspicabar, nempe τὸ *Lernam* positum esse pro *Nemea* propter vicinitatem locorum; sic Epiced. Patr., lib. V, silv. 3, v. 142, *germine Lernæ* pro Nemeæ, seu corona quæ ludis Nemeæis conferebatur victori; et ita alibi factum.

198. *Neque enim magis ille trahentem Spernit.* Vox *enim* huic loco minime accommoda, utpote rationem reddens sine causa; lege, *neque* jam *magis*. Deinde, *ille* trahentem *spernit:* trahentem *quid?* utrum *Blæsum* vel *amictus* ejus? at utrumvis rusticitatis esset intolerandæ. Lege, « Inde magis sequitur; neque jam magis ille sequentem Spernit; » repetitione eleganti et poetis usitatissima. Virg. Georg. III, 392:

> Pan Deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit
> In nemora alta vocans; neque tu aspernata vocantem.

Ovid. Metam. XV, 143; Fastor. IV; 269; Virg. XI, 695; Manil. I, 303; Ovid. Metam. VI, 234; idem, Amor. III, 9; et Art. Amat. II, 509; sed nimius sum. Probabile est primam syllabam *se* amissam esse in præcedente *le:* unde pro *quentem*, supplendo versui fecerunt *trahentem*.

205. *Et obtuso pallentes germine flores. Obtuso* est *hebete*, minus *excitato:* ut Thebaid. X, 135: « excedit gravior nigrantibus antris Iris, et obtusum multo jubar excitat imbri; » *obtusum* jubar, *languens* et *marcens; contusa* eodem sensu Claudianus, de Bell. Gild. Et *retuso* sole, de Cons. Prob. et Olybr. v. 21, ubi videndus Heinsius. Bene igitur et proprie hæc vox hoc sensu usurpatur quando de *coloribus*, aut *luce*, aut rebus *lucidis* sermo fit, ut in hoc loco. Longe diversa res est, si ad alia transferas; non enim potes dicere *ferrum obtusum* vel *falx obtusa* eodem sensu, quo *sol obtusus* et *jubar obtusum*, seu *parum splendens*. Hæc adnoto, ut videas non recte conjungi *obtuso germine*, quum de *colore* hoc loco agi appareat ex voce *pallentes*. Lege, « et obtuso pallentes lumine flores; » Ausonius, Cupid. Crucif. v. 8:

> Quorum per ripas nebuloso lumine marcent
> Fleti olim regum et puerorum nomina flores:

ubi flores marcent *nebuloso lumine*, ut hic flores pallent *obtuso lumine*. Plin. Epist. V, 6: « Lectus hic, et undique fenestræ, et tamen lumen obscurum umbra premente. » Versu præcedenti, *steriles ramos:* audi glossatorem ad Theb. II, 12, « Tum steriles luci, possessaque Manibus arva: » Apud inferos credibile est nihil gigni, quia illic sunt habitationes vita fnnctorum. Et si quid gigneretur, necesse esset imaginari alios inferos, quo post mortem istud recideret.

214. *Sæva cupido.* Lege, *cæca cupido.* Lucret. III, 59: « honorum cæca cupido; » Ovid. Metam. III, 620: « Prædæ tam cæca cupido est; » Manil. IV, 1: « cæcaque cupidine rerum? » Mamertinus, Grat. Act. pro Consul. cap. 13: « propter cæcam imperandi cupidinem in ferrum ruerunt; » Juvenal. X, 351: « cæcaque cupidine ducti; » idem tamen, XIV, 175: « sæva cupido Immodici census; » ubi tamen præstare puto *cæca*.

215. *Hos ora rigentia Brumæ.* Id est, ora *rigentis* Brumæ, translato epitheto, ut passim; *ora Brumæ rigentis*, pro *Bruma rigens*, ut *Cæsaris ora* tetigit jactura leonis, Silv. II, 5, pro *Cæsarem* tetigit; unde redarguitur Domitius, qui dicit *Cæsarem flesse:* quod ex hoc loco colligi non potest. Lucanus, X, vers. 144:

> .... cæsosque Atlantide silva
> Imposuere orbes, quales ad Cæsaris ora
> Nec capto venere Juba.

Ita legendum; vulgo, *sectosque*. Sil. Italic. IX, v. 130: « Ad vos et caras properabam conjugis ora; » Senec. OEd. act. II, ad fin. « Candida formosi venerabimur ora Lyæi; » id est, *Lyæum*. Audacter idem *ora bigæ* pro *bigam*, Herc. OEt. v. 518. Etiam ipse Virgil. Æn. XII, v. 335, dicit *ora Formidinis* pro *Formido;* ita enim scribendum et intelligendum, ex Lucretio lib. VI: « Impendent atræ formidinis ora superne. » *Formidinis ora*, id est, *Formido*, *Iræ*, et *Insidiæque* pro *Personis* sumendæ sunt; quod non intellexit Servius, ut ex obscura ejus adnotatione patet. Val.

Flacc. V, 388 : « Duc, precor, ad vestri, quicunque est, ora tyranni; » id est, ad vestrum *tyrannum*, seu *regem*.

217. *Hos manet imbrifero pallens Autumnus hiatu.* Nemo explicat quare *Autumnus* hic dicitur pallens imbrifero *hiatu* : *Autumnus* enim non magis *hiat* quam *Ver*, quam *Æstas* vel *Hiems*. Et sciendum est, imaginem hanc desumtam esse ex tabula aliqua, in qua pingebatur Autumnus ore *hiante* et patulis rictibus, efflans morbos, quibus maxime obnoxia est ea anni tempestas : unde *gravis Autumnus Libitinæ quæstus acerbæ*, Horatio, Satir. II, VI, 19, et poetis passim. Hinc intelligendus locus Thebaid. VIII, vers. 377 :

Mors fruitur cælo, bellatoremque volando
Campum operit, nigroque viros invitat hiatu ;

ore scil. *patulo*, ut innuatur capacitas excipiendi totum genus humanum : et hoc sine dubio ex Pictura aliqua. Sil. Italic. II, v. 548 : « Mors graditur vasto pandens cava guttura rictu, Casuroque inhians populo. » Hinc etiam intelliguntur phrases istæ *hiatus* et *fauces* Boreæ vel Aquilonis. Noster, Theb. VII, 35, de Mercurio descendente in terram a cælo :

Atque illum Arctoæ labentem cardine portæ
Tempestas æterna plagæ, prætentaque cælo
Agmina nimborum, primique Aquilonis *hiatus*
In diversa ferunt :

ubi vetus scholiastes Lactantius : « Hiatus, principium flatus, quia Venti pinguntur hiantes; » Arnobius, lib. VI, pag. 196 : « Intelligimus omnes ventos aeris esse fluorem pulsi, et mundanis rationibus concitati; per hos *hominum formæ* sunt, *buccinarum animantes tortus* intestinis et domesticis *flatibus*. » Iterum Stat. Theb. I, 346 : « venturaque rauco Ore minatur hiems; » Sidon. Apollinar. carm. II, 48 : « Aquilonis Hiatus; » Martial. epigr. VII, 37 : « Quum flaret madida fauce December atrox. » Hinc etiam patet, cur *ora frementum* dixit Val. Flacc. I, 595, de Ventis;

. . . . regemque dedit, quem jussa vereri
Sæva cohors : immensa chalybs iterataque muris
Saxa domant Euros; quum jam prohibere furentum
Ora nequit, rex tunc aditus et claustra refringit
Ipse volens, placatque data fera murmura porta.

Ita legendum; vulgo inconcinne, « Sæva cohors : in monte chalybs, etc. » Claudian. de Rapt. Proserp. I, vers. 237, exscribit hunc Flacci locum : « stant ardua ferro Mœnia; ferrati postes; immensaque nectit Claustra chalybs; » unde adstruitur nostra emendatio. Sed hoc obiter. Hujusmodi allusioni referendus est iste Tibulli versus, eleg. I, 1, vers. 84 : « Jam veniet tenebris Mors adoperta caput; » quem quum scripsit, sine dubio obversabatur, aut oculis, aut animo, Tabula aliqua, in qua *Mortem* ad hunc modum repræsentatam viderat. Quod etiam affirmare licet de Auctore elegiæ in Mort. Drusi, v. 373, ubi de Fortuna ita loquitur :

Quaque ruit, furibunda ruit, totumque per orbem
Fulminat, et cæcis cæca triumphat equis.

Elegantissime, hoc aspectu; si aliter sumas, pæne absurde, et non intelligibile: quid enim *Fortunæ* cum *cæcis equis?* Sed alludit notæ alicui Picturæ cujus propositum sive titulus erat *Fortunæ Triumphus:* in quo, opinor, *Dea cæca* vehebatur curru juncto *cæcis equis.* Sed satis harum amœnitatum.

223. *Meruitve mori.* Non optime scripsit Statius, si ita scripsit; quippe pro historico statim judex factus est. Narrat quam prudenter in ultima illa valetudine se gesserit Glaucias; non, inquit, mori *rogavit* nec *timuit;* recte hucusque, et ut narratorem decuit; avertit subito orationem, et in se recipit judicium ferre audax, ne dicam impium; non *meruit,* inquit, mori. Impudens vates! Tune igitur providentiam divinam incusare audes? tu quod diis placitum est improbare? Sed absolvo te impietatis; scripsisti enim, « Non timuit renuitve mori. » Tria hic notat Statius per quæ ostendat Glauciæ prudentiam et pudentiam: non *rogavit,* non *metuit,* non *recusavit.* Non *rogavit,* utpote diis permittens statuere prout iis visum est. Non *metuit;* hoc enim esset animi degeneris et parum virilis. Non *renuit* seu *recusavit;* hoc enim esset frustra contumacis, et divinis legibus et decretis sine fructu recalcitrantis. Videtur Statius hoc loco exscripsisse Senec. Nat. Quæst. VI, 32, de eadem re, scil. morte: « Nec rogaveris, nec timueris, nec te velut in aliquod malum exiturum tuleris retro; » vides sensum eumdem et pæne verba: parum distat inter *retro ferre* et *renuere. Renuit mori* ut *renuitis confiteri,* apud Arnobium, lib. III init. de simulacris Gentilium. Vide Heinsium ad Ovid. Met. IX, 506, ubi pro *timuere* scribi vult *renuere:* recte tamen Burmann., qui ibi legit *tenuere.*

230. *Nec diræ comes ille feræ.* Mirus est hoc in loco Barthius, qui legit, Nec *trinæ canis* ille feræ. Si dixisset, canis trino *capite* vel *ore,* intellexissem; sed canis trinæ *feræ* tam monstrosum est, quam ipse Cerberus; recte se habet vulgata lectio, doctissime explicata a Nic. Heinsio ad Sil. Italic. XIII, 845. Operæ pretium est locum adire. — (Vid. Edition. nostram, tom. II, p. 138. Ed.) — Supra v. 227, *ades huc emissus ab atro Limine.* Gronovius, ad Senec. Controv. IV, 24, citans hunc locum habet *ab atro* Carcere: memoriæ, opinor, errore.

234. *Miseros perge insinuare parentes.* Jubet Glauciam, dum in somnis domino patronoque apparet, commendare ei parentes suos et sororem, qui quum unius Glauciæ gratia niterentur, defuncto illo metus erat, ne patrono Meliori minus nunc curæ essent. Gron.

CARMEN II.

VILLA SURRENTINA POLLII FELICIS.*

Est inter notos Sirenum nomine muros,
Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ,
Celsa Dicarchei speculatrix villa profundi,
Qua Bromio dilectus ager, collesque per altos
Uritur, et prælis non invidet uva Falernis.
Huc me post patrii lætum quinquennia lustri,
Quum stadio jam pigra quies, canusque sederet
Pulvis, ad Ambracias conversa gymnade frondes,
Trans gentile fretum placidi facundia Polli
Detulit, et nitidæ juvenilis gratia Pollæ,
Flectere jam cupidum gressus, qua limite noto
Appia longarum teritur regina viarum.
Sed juvere moræ. Placido lunata recessu
Hinc atque hinc curvas perrumpunt æquora rupes:
Dat Natura locum; montique intervenit udum
Litus, et in terras, scopulis pendentibus, exit.

VARIÆ LECTIONES.

* *Villa Surrentina Pollii Felicis.* Cod. Par. *Pollii villa surrentina.* A.

7. *Pigra quies.* Lege *parta quies.* Vid. not. Markland. A.

12. *Longarum.* In Gevart. legitur *tersarum.* A.

14. *Perrumpunt.* Cod. Par. *prærumpunt*, quod et habet ed. pr. A.

15. *Udum.* Cod. Senensis *imum.* Cod. Paris. et edit. princ. *unum* Vid. not. A.

16. *In terras.* Lege *ulterius.* Ed Parm. *in terris.* Vid. not. — *Exit.* Sic Cod. Par. qui inter lineas exhibet *intrat.* A.

Gratia prima loci, gemina testudine fumant
Balnea, et e terris occurrit dulcis amaro
Nympha mari : levis hic Phorci chorus, udaque crines
Cymodoce, viridisque cupit Galatea lavari.
Ante domum tumidæ moderator cærulus undæ
Excubat, innocui custos laris : hujus amico
Spumant templa salo : felicia rura tuetur
Alcides : gaudet gemino sub numine portus.
Hic servat terras, hic sævis fluctibus obstat.
Mira quies pelagi : ponunt hic lassa furorem
Æquora, et insani spirant clementius Austri.
Hic præceps minus audet hyems, nulloque tumultu
Stagna modesta jacent, dominique imitantia mores.
Inde per obliquas erepit porticus arces,
Urbis opus; longoque domat saxa aspera dorso.
Qua prius obscuro permixti pulvere soles,
Et feritas inamœna viæ, nunc ire voluptas :
Qualis, si subeas Ephyres Baccheïados altum
Culmen, ab Inoo fert semita tecta Lechæo.
Non, mihi si cunctos Helicon indulgeat amnes,
Et superet Pimplea sitim, largeque volantis
Ungula se det equi, reseretque arcana pudicos
Phœmonoë fontes, vel quos meus, auspice Phœbo,
Altius immersa turbavit Pollius urna;
Innumeras valeam species, cultusque locorum
Pieriis æquare modis. Vix ordine longo
Suffecere oculi, vix, dum per singula ducor,
Suffecere gradus. Quæ rerum turba! locine
Ingenium, an domini mirer prius? hæc domus ortus
Prospicit, et Phœbi tenerum jubar; illa cadentem

37. *Pimplea.* Ed. pr. *piplea.* A. Cod. Par. edit. princ. *referet arcana.* A.
38. *Se det.* Cod. Paris. et edit. princ *sedet.* — *Reseretque arcana.*
46 *Prospicit.* Vulgo *aspicit* —

Detinet, exactamque negat dimittere lucem,
Quum jam fessa dies, et in æquora montis opaci
Umbra cadit, vitreoque natant prætoria ponto.
Hæc pelagi clamore fremunt; hæc tecta sonoros
Ignorant fluctus, terræque silentia malunt.
His favit Natura locis: hic victa, colenti
Cessit, et ignotos docilis mansuevit in usus.
Mons erat hic, ubi plana vides: hæc lustra fuerunt,
Quæ nunc tecta subis: ubi nunc nemora ardua cernis,
Hic nec terra fuit: domuit possessor, et illum
Formantem rupes, expugnantemque secuta
Gaudet humus. Nunc cerne jugum discentia saxa,
Intrantesque domos, jussumque recedere montem.
Jam Methymnæi vatis manus, et chelys una
Thebaïs, et Getici cedat tibi gloria plectri.
Et tu saxa moves, et te nemora alta sequuntur.
Quid referam veteres ceræque ærisque figuras?
Si quid Apellei gaudent animasse colores;
Si quid adhuc vacua tamen admirabile Pisa
Phidiacæ rasere manus: quod ab arte Myronis,
Aut Polycletæo jussum est quod vivere cælo,

Cod. Paris. ed. princ. *aspicit.* Vid. not. A.

52. Pro *hic victa.* edd. Parm. et Rom. *his*, forte recte. — *His* legitur in Cod. Paris. et ed. pr. A.

53. *Mansuevit.* Cod. Par. edit. princ. *mansuescit.* A.

54. *Hæc lustra.* Edd. Parm. et Rom. *et lustra;* opinor, « at lustra fuerunt Quæ nunc tecta subis. » — Cod. Paris. ed. pr. *et lustra.* A.

60. Pro *Methymnæi*, edd. Ven. *Mytilenei;* de qua scriptura vide Vossium ad Melam, II, 7, p. 201.

65. *Adhuc vacua Pisa*, etc. Id est, « nondum posito simulacro Jovis Olympii ad Pisam, » ut bene Domitius. Sed tamen corruptus est locus, et valde suspicor, sub vocibus *adhuc vacua*, latere *olūpiaca*, id est, Olympiaca, « Si quid Olympiaca famæ admirabile Pisa Phidiacæ rasere manus, » pro *adhuc vacua tamen;* Pisa *Olympiaca*, propter certamen Olympium. Vid. Apuleium, initio Flor. II. *Famæ admirabile*, ut *famæ obscura*, Epiced. Patr. v. 109, ubi vide quæ notavi.

66. *Phidiacæ.* Cod. Paris. edit. princ. *Phidaicæ.* A.

Æraque ab Isthmiacis auro potiora favillis;
Ora ducum, et vatum, sapientumque ora priorum,
Quos tibi cura sequi, quos toto pectore sentis
Expers turbarum, atque animum virtute quieta
Compositus, semperque tuus. Quid mille revolvam
Culmina, visendique vices? sua cuique voluptas,
Atque omni proprium thalamo mare: transque jacentem
Nerea diversis servit sua terra fenestris.
Hæc videt Inarimen, illi Prochyta aspera paret:
Armiger hinc magni patet Hectoris: inde malignum
Aera respirat pelago circumflua Nesis:
Inde vagis omen felix Euplœa carinis,
Quæque ferit curvos exerta Megalia fluctus.
Angitur et domino contra recubante procul qui
Surrentina tuus spectat prætoria Limon.
Ante tamen cunctas procul eminet una diætas
Quæ tibi Parthenopen directo limite ponti
Ingerit. Hic Graiis penitus desecta metallis
Saxa: quod Eoæ respergit vena Syenes:

68. *Æraque ab Isthmiacis.* Vox *ab* deest in Cod. Paris. et ed. pr. A.

71. *Turbarum.* Cod. Paris. ed. pr. *curarum.* Cf. not. ad vs. 70. A.

76. *Illi.* Cod. Paris. ed. princ. *illinc.* A.

77. *Hinc.* Vulgo *hac.* Lege *hinc* ut respondeat τῷ *inde; hinc patet Misenum, inde Nesis.* — Cod. Par. *hac*, scil. *fenestra.* Ed. pr. *ac.* A.

78. *Nesis.* Cod. Paris. *Nessis.* A.

79. Pro *Euplœa*, edit. Parm. *Euboïa.*

80. *Quæque ferit e. exerta Megalia fl.* Corruptus locus; dixisse debuit Megaliam *feriri* a fluctibus, non *ipsam ferire* fluctus. Ven. habet: « Quæque serit curvos exerta Megalia fluctus; » forte: « Quæque premit curvos exserta M. fl. » Rutilius, Itin. I, 315: « Tenditur in medias mons Argentarius undas Ancipitique jugo *cærula rura premit.* » Ed. Parm. *navalia* pro *Megalia.*

81. *Procul qui.* Cod. Paris. *procul que.* Vid. not. A.

82. *Tuus... Limon.* Edit. Parm. *tuum... limen.*

83. *Ante.... cunctas.... diætas.* Cod. Paris. ed. princ. *Una... cunctis... diætis.* Vid. not. A.

85. *desecta.* Edd. Parm. et Rom. *delecta.* — Cod. Paris. *delecta.* A.

86. Pro *quot Eoæ* et *quot præsta*, edit. Rom. habet *quod;* recte. Ita

Synnade quod mœsta Phrygiæ fodere secures
Per Cybeles lugentis agros, ubi marmore picto
Candida purpureo distinguitur area gyro.
Hic et Amyclæi cæsum de monte Lycurgi
Quod viret, et molles imitatur rupibus herbas.
Hic Nomadum lucent flaventia saxa, Thasosque,
Et Chios, et gaudens fluctu certare Carystos.
Omnia Chalcidicas turres obversa salutant.
Macte animo, quod Graia probas, quod Graia frequentas
Arva; nec invideant quæ te genuere Dicarchi
Mœnia: nos docto melius potiemur alumno.
Quid nunc ruris opes, pontoque novalia dicam
Injecta, et madidas Bacchæo nectare rupes?
Sæpe per autumnum, jam pubescente Lyæo,
Conscendit scopulos, noctisque occulta sub umbra
Palmite maturo rorantia lumina tersit
Nereïs, et dulces rapuit de collibus uvas.
Sæpe et vicino sparsa est vindemia fluctu;
Et Satyri cecidere vadis, nudamque per undas
Dorida montani cupierunt prendere Panes.
Sis felix, tellus, dominis ambobus in annos
Mygdonii, Pyliique senis; nec nobile mutes

mox, vers. 91, *quod viret*, id est, *quicquid, quantum*; Kal. Decemb. « Quod ramis pia germina Damascus. » — Cod. Paris. habet *quot*, et ita in vs. sq. *quot mœsta*. Prætarea, v. 87, *sorores* legitur in eod. Cod. et *secures* in margine.

89. *Purpureo*. Cod. Par. inter lin. *sanguineo*.

93. *Fluctu certare*. Cod. Paris. ed. pr. *fluctus spectare*, Vid. not. A.

95. *Graia... Graia*. Ita recte restituit Gevartius pro *grata*. Neapolim *Græcæ* esse originis omnibus notum: vide Strab. lib. V, p. 170, ubi narrat etiam ad sua tempora durasse plurima Græcorum institutorum vestigia: unde *Graiam Parthenopen* vocat Sil. Ital. VIII, 534. Pari modo depravatum puto Virgil. Culic. vs. 65: « nec pocula gratum Alconis referent, Boetique toreuma; » ubi legendum puto *Graium toreuma*, et *referunt*, ut paulo ante *tangit* et *manet*. — Cod. Paris. *grata... grata*. A.

Servitium; nec te cultu Tirynthia vincat
Aula, Dicarcheique sinus: nec sæpius istis
Blanda Therapnæi placeant vineta Galesi.
Hic seu siderias exercet Pollius artes,
Seu volvit monitus, quos dat Gargettius auctor,
Seu nostram quatit ille chelyn, seu dissona nectit
Carmina, sive minax ultorem stringit iambon;
Hinc levis e scopulis meliora ad carmina Siren
Advolat; hinc motis audit Tritonia cristis.
Tunc rabidi ponunt flatus, maria ipsa vetantur

110. Pro *istis*. Ed. Parm. *isti*. — Cod. Paris. *isti*. A.

111. *Blanda Therapnæi placeant vineta Galesi*. *Therapnæi* Galesi, id est, *Lacedæmonii*; quo epitheto hunc fluvium donat Martial. Epigr. II, 43: « Te Lacedæmonio velat toga lota Galeso; » et Noster, Silv. III, vs. 93. Recte igitur *Therapnæi Galesi;* et ita habent omnes quotquot vidi editiones, præter unicam Parmensem, quæ exhibet *vineta Tarenti*. Sensus idem est in utroque. Et fieri potest ut vox *Tarenti* glossa sit seu explicatio marginalis τοῦ *Galesi*, in contextum postea admissa: multum tamen vetustissimæ editioni deferendum est, nisi aliud suadeant Codd. MSS. De *Therapnæo* vero (ita enim scribendum, non *Theramnæo*, monuit Berkelius ad Stephanum) seu *Lacedæmonio* Tarento, vide Justinum, lib. III, edit. nost. pag. 138; Strabon. VI, pag. 192; Servium ad Virg. Georg. IV, 126, edit. nost. vol. I, p. 519; Horat. carm. III, 5, et alios.

112. *Seu*. Cod. Paris. *ubi*, et in marg. *tibi*. A.

113. *Gargettius*. Cod. Par. *Gargeticus*. A.

116. *Hinc l. e sc... siren*. Cod. Paris. *huc l. et sc... syren*. A.

117. *Hinc:* Cod. Paris. *et* in contextu, *huc* in margine. A.

118. *Rabidi*. Pro *rabidi flatus*, Parm. et Rom. *rapidi*. Utrumvis probum suo loco: sed hoc loco melius *rabidi;* ita *rabiosa murmura* Anieni attribuit Tiburtin. Manl. vers. 21; Lucan. X, 211, *rabidos qua Sirius* ignes *Exerit;* ubi etiam nonnullæ editiones *rapidos*. Hæ voces semper commutantur in MSS. Vide Heinsium ad Claudian. Fescen. in Nupt. Honor. et Mar. v. 83, « Rabidi tacete Cori; » ita enim legit ex Codd. pro *Rapidi*. Sil. Italic. XIV, 131: « Sternuntur passim; pedibusque evadere letum Eripuit rabidas Mavors; » ita legendum puto; vulgo minus concinne, *Eripuit rapidus*. Avienus Arat. Phænom. vs. 675: « Exitiumque sali rabidique pericula ponti Anteveni. » — Cod. Paris. *rapidi*. A. — *Vetantur*. Non male legas, *verentur obstrepere*, quod majorem reverentiam monstrat cum timore junctam; sic Thebaid. VIII, 291: « Sumere tunc arcus, ipsumque onerare *veretur* Patris equum. »

Obstrepere: emergunt pelago, doctamque trahuntur
Ad chelyn, et blandi scopulis delphines aderrant.
Vive, Midæ gazis et Lydo ditior auro,
Troïca et Euphratæa superq diademata felix:
Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus,
Non leges, non castra tenent: qui pectore magno
Spemque metumque domas, vitio sublimior omni,
Exemptus fatis, indignantemque refellens

119. *Emergunt.* Cod. Par. *mergunt.* A.

120. Pro *blandi delphines*, Heinsius, referente Burmanno ad Ovid. Heroid. XVIII, 131, in ora codicis sui notarat hoc loco legendum esse *pandi delphines.* Verius *blandi*, et multo elegantius. Claudian. de IV Cons. Honorii: *irent* blandi *sub vincula tigres.* Dicit Statius delphinas *blandos* aderrare scopulis, delectatos et quasi Pollio *adulantes.* Ovid. Met. XIV, 254, de lupis et ursis qui erant in domo Circes: « Quinetiam blandas movere per aera caudas, Nostraque adulantes comitant vestigia. »

121. *Ditior.* Forte legendum *dignior,* ut Tiburt. Manl. vers. 105, « *digne* Midæ Crœsique opibus, et Perside gaza, » ubi eadem omnia vides.

122. *Euphrate supra.* Ita plurimæ editiones; unde Gronovius, Diatr. cap. 20, minima mutatione legit *Euphratæa supra diademata.* Bene quidem; sed contra morem Statii. Ille enim primam in *supra* semel tantum, opinor, corripit, Theb. IX, 114: « circumque supraque Vertitur. » Et hoc ex imitatione Virg. Æneid. VII, 32, magis quam judicio suo; unde in Tiburt. Manl. v. 20: « Ipse Amnis (miranda fides) infraque superque, » quum obvium esset et pæne necessarium ut diceret *infraque supraque,* vitavit, et pro eo substituit *superque.* Legendum, « Troïca et Euphratæa super diademata felix; » quo pacto vitatur etiam imbecillitas tot vocum in *a* exeuntium; *Euphratæa supra diademata.* Sensus idem est. *Super* pro *ultra*, vel *magis quam*, ut Silv. III, 2, 81, « Teque super reliquos, te nostri pignus amoris. » Editio Parmensis habet *Euphratis supra:* non male; sed verius est quod dixi, et magis Statianum, utpote concitatius et dactylis currens. Sæpe commutantur hæ voces. Theb. X, 787: « Concinitur vulgo Cadmum atque Amphiona supra Conditor. » Codex Petrensis male habet *super.* — Cod. Paris. *Euphratis supra.* A.

126. *Indignantemque refellis Fortunam.* Requiritur participium quod respondeat τῷ *Exemptus.* Lege, « Exemptus fatis, indignantemque refellens Fortunam. » Per se patet. Nonnullæ editt. habent *repellis.* Venet. *refelles*, amisso apice qui super *e* appingebatur. Sed probum alterum: quod et antiquissimis editionibus confirmatur. Virg. Æn. IV, 380: « neque te teneo, neque dicta refello. » Heinsius, ad Claudian. Epith. Pall. et Celer. v. 79, mavult

Fortunam : dubium quem non in turbine rerum
Deprendet suprema dies ; sed abire paratum,
Ac plenum vita. Nos, vilis turba, caducis
Deservire bonis, semperque optare parati,
Spargimur in casus : celsa tu mentis ab arce
Despicis errantes, humanaque gaudia rides.
Tempus erat, quum te geminæ suffragia terræ
Diriperent, celsusque duas veherere per urbes :
Inde Dicarcheis multum venerande colonis,
Hinc ascite meis ; pariterque his largus, et illis,
Ac juvenile calens, plectrique errore superbus.
At nunc discussa rerum caligine, verum

repellis; et favet Stat. Silv. V, 4 : « ultro te, somne, repellit. » Utcunque sit, requiritur participium. — Cod. Paris. habet *refellis* in contextu, et *repellis* in margine. A.

127. *Dubio quem non in turbine rerum Deprendet suprema dies, sed abire paratum.* Locus mendosus ; attende enim sensui et constructioni : « quem in dubio rerum turbine suprema dies non deprendet, sed abire paratum ; » deprendet *qualem?* manifesto deest aliquid quod respondeat voci *paratum*. Lege, « Dubium quem non in turbine rerum Deprendet suprema dies, sed abire paratum. » Non inveniet *dubium*, sed *paratum*. Per se patet ; scio vocem *deprendere* absolute aliquando sumi pro eo quod est *imparatum invenire, inopinanti supervenire ;* sed oppositio hic postulat ut legamus ita ut edidi. — Cod. Paris. et edit. princ. *dubio q. n. i. t. r. Deprendet*, etc. A.

134. *Duas.* Sic Cod. Paris. qui exhibet *tuas* in marg.

136. *Ascite.* Edit. princ. male, *ascitæ*. A.

138. *Discussa rerum caligine, verum Aspicis.* Ad quem locum ita Gronov. Diatr. c. 20 : « Levis correctio est, sed quam me vix spero magistris probaturum, quibus paronomasia blandietur : *discussa verum caligine verum Aspicis.* » Mihi certe, vir doctissime, nunquam probabis : non quod blandiatur paronomasia, sed quod scio hanc vocem *rerum* frequentissime abundare, pariter ac in hoc loco. Propertius, III, 8 : « Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta. » Noster, Theb. II : « cunctos tamen omina rerum Dira movent ; » carm. VI, vers. 8, hujus libri : « quoniam rerum omnia cæca Sic miscet Fortuna manu. » Prudentius Cathem. Hymn. Octav. Kal. Jan. v. 57 ; Tertullian. de Judic. Dom. vs. 49. Quibus locis, et multo plura possem addere, si omittas τὸ *rerum*, sensus perfectus erit. Nulla igitur mutatione opus.

Aspicis : illo alii rursus jactentur in alto;
At tua securos portus, blandamque quietem
Intravit non quassa ratis. Sic perge; nec unquam
Emeritam in nostras puppem dimitte procellas.
Vivite securi, quorum de pectore mixtæ
In longum coïere faces, sanctusque pudicæ
Servat amicitiæ leges amor. Ite per annos
Sæculaque, et priscæ titulos præcedite famæ.
Tuque, nurus inter longe pulcherrima, cujus

139. *Alii rursus jactantur in alto.* Quivis videt legendum esse *jactentur;* et ita Barthius. Senec. Nat. Quæst. IV, *init.* « Turbam rerum hominumque desiderent, qui se pati nesciunt : tibi tecum optime convenit. » Noster, Geneth. Lucan. vs. 48 : « Nocturnas alii Phrygum ruinas, Trita vatibus orbita, sequantur : Tu carus Latio, etc. » Juvenal. III, 45 : « ferre ad nuptam quæ mittit adulter, Quæ mandat, norint alii : me nemo ministro Fur erit : atque ideo nulli comes exeo, tanquam Mancus, et exstincta corpus non utile dextra. » Ita legendum; vulgo, *exstinctæ dextræ*. Martial. lib. III, ep. v, v. 11 : « alios commendat epistola; » ubi vulgo legitur *commendat.* — Cod. Paris. *jactantur;* et seq. vers. *Et* pro *At.* A.

142. *Emeritam in nostras puppem demitte procellas. Demittere* aliquid est ex *superiore* in *inferiorem* locum *mittere;* ut *demittere* oculos in *terras* ex cælo, Plin. Panegyr. Atqui hoc de nave dici non potest : non enim *demittitur,* sed *dimittitur* in procellas : *puppem* dimitte *procellas;* et ita vetus Parm. Silv. V, 1, vs. 86 : « magnum late dimittere in orbem Romulei mandata ducis. » Fusius agam ad III, 3, vs. 77, ubi eadem depravatio. Pro *nostras procellas* sensus videtur postulare *notas;* procellas quas *expertus es.* Ita apud Valer. Flacc. I, 257, pro *notas voces* Codex Burm. habuit *ñras*, id est, *nostras.* Claudian. de Mall. Theod. Cons. v. 310 : « Nec molles egeant nota dulcedine ludi; » ita recte edidit Heins. pro *nostra. Emeritam puppem*, ut Martial. Epigr. X, LXXXV, 5; et Lucan. III, 515 : « emeritas repetunt navalibus alnos. » — Cod. Paris. *demitte.* A.

143. *Vivite.* Cod. Paris. *discite* in contextu, *vivite* in margin. Cf. not. A.

147. Pro *pulcherrima* edit. Parm. habet *præcordia;* unde patet hanc vocem non esse figmentum Domitii et nusquam alibi lectam, quod voluit Gronovius. Totum vero versum sic concipit Parmens., « Tuque nurus inter longe præcordia curæ Non fontem visere minæ; » Romana, *præcordia cujus.* Heinsius ad Ovid. Heroid. XXI, 165, pro *vertere* ex vetusto Codice legit *traxere :* bene. Ita Ovid. loco illic adducto, Amor. II, 11, 33 : « Quum bene vir traxit

Non frontem vertere minæ, sed candida semper
Gaudia, et in vultu curarum ignara voluptas:
Non tibi sepositas infelix strangulat arca
Divitias, avidique animum dispendia torquent
Fœnoris: expositi census, et docta fruendi
Temperies. Non ulla Deo meliore cohærent
Pectora, non alias decuit Concordia mentes.

vultum, rugasque coegit; » idem quod *contraxit;* cujus oppositum *solvere* frontem. Deinde, versu proxime sequenti pro *curarum* voluit *rugarum*. Sed nimis ambigua videtur vox *rugarum;* et paulo ante dixerat *non frontem vertere minæ;* quæ quum idem exprimant, in ταυτολογίαν poetam conjicient. — Cod. Paris. *inter cujus præcordia* (in marg. *placidissima*) *curæ*. A.

149. Pro *Gaudia* optime potes legere *Gratia:* et fere persuadeor Statium ita scripsisse. Passim hanc vocem de re eadem usurpat: v. 10: « nitidæ juvenilis gratia Pollæ. » Vid. Lacr. Etrusc. v. 114. — Cod. Paris. ed. pr. *Gaudia* tuentur. A.

154. *Decuit.* Cod. Paris. *docuit*, et in margine *decuit*. A.

NOTÆ

IN CARMEN SECUNDUM LIBRI SECUNDI

SILVARUM.

Vers. 6. Huc *me post patrii lætum quinquennia lustri*. Laudanda Statii modestia; innuit enim se victorem esse in agone Neapolitano; sed noluit plenius efferre ne jactantior videretur. *Lætum*, scilic. victoria: ut apud Valer. Flacc. II, vers. 108:

> Dux Lemni, puppes tenui contexere canna
> Ausus, et inducto cratem defendere tergo,
> Læta mari tunc signa refert;

læta, ob victoriam quam de Thracibus obtinuerat. Sed mendum huic loco subesse puto: non enim satis est dicere *cratem defendere tergo*, nisi addas aliquid quo intelligatur *cujus animalis* tergo defenditur. Hoc vero ab antiquis fiebat *taurina pelle;* legendum igitur, « Et inducto cratem defendere tauro, » id est, *pelle taurina*. Sil. Italic. de Didone, I, 25: « Cingere qua secto permissum litora tauro, » hoc est, *pelle taurina*: nota historia Ipse Flacc. IV, 250, de cæstibus: « Adspice et hæc crudis durata volumina tauris; » *juvencis* eodem sensu Statius, Achilleid. I, 417: « Lerna graves clipeos cæsis vestire juvencis; » et Lucanus, IV, 131, de harum puppium fabrica:

> Primum cana salix madefacto vimine parvam
> Texitur in puppim, cæsoque inducta juvenco
> Vectoris patiens tumidum superenatat amnem.

Ex quo loco sua hausit Valer. Flacc. ut notatum ab aliis: et hinc stabilitur nostra emendatio. Plene Ovidius, Fast. IV, 342: « Et feriunt molles taurea terga manus. »

7. *Quum stadio jam pigra quies.* Pessime hic inseritur vox *pigra*: quare enim *pigra* potissimum, quum *placida* vel *læta* vel quodvis aliud epitheton melius conveniret? *pigra quies* in malam fere partem sumitur: infra, Arbore Atedii: « Cui nec pigra quies, nec iniqua potentia, nec spes Improba; » supra, Kal. Decembr. vers. 91: « Fugit pigra Quies, etc. » Achilleid. I, v. 438: « pigram gemit ora quietem Thessalis; » Apuleius,

Miles. XI: « Confestimque discussa pigra quiete, alacer exsurgo. » Quare igitur *pigra* de stadio? vel denique quodnam opus ullo epitheto, quum satis fuisset dixisse, *quum stadio jam quies* esset? lege, « Quum stadio jam parta quies; » Virgil. Æneid. lib. III, vers. 495 : « Vobis parta quies; nullum maris æquor arandum; » et lib. VII, vers. 598; « tam diro fœderis ictu Parta quies; » et vers. 505 : « Parta quies miseris; » Quintilianus, Instit. lib. I, cap. 1 : « Post impetratam studiis meis quietem; » Claudian. de Cons. Mall. Theod. vers. 61 :

> Postquam parta quies, et summum nacta cacumen
> Jam secura petit privatum gloria portum.

Germanicus, Aratei: « Si non parta quies, te præside, puppibus æquor Cultorique daret terras; » Virgil. VII, 598 : « Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus. Funere felici spolior; » ubi obiter moneo ineptissimum istud et sine sensu hemistichon, « omnisque in limine portus, » mihi corruptissimum videri. Servius tamen, suo more, interpretatur, quasi intellexisset : « Securitas omnis, *inquit*, in portu est. » Secundum hunc igitur *portus* est *securitas*, et *limen* est *portus;* quid facias huic interpreti, aut quo nodo teneas? Alibi de hoc loco dicam.

15. *Unum Litus.* Ita plurimæ editiones. Gronov. Diatr. cap. 15, frigiditate epitheti *unum* offensus, primo legebat *uncum* Litus, pro *unum :* quam sententiam postea mutavit; et affirmat Statium scripsisse *inum* Litus: præsertim quum ita habeat etiam MS. Senensis. Sed mihi nequaquam persuadet : licet hoc quoque ingerat Elench. Antidiatr. cap. 3. Adhuc enim dico epitheton *inum* frigidum esse et otiosum; quippe si aliquod est *inum* litus, quæro quid sit *summum* litus? ad hoc ille respondet, « summum litus sunt scopuli pendentes. » Hoc igitur si verum sit, jam sensus secundum Gronovium hic est : *inferior pars* litoris intervenit monti; *superior pars* litoris (i. e. *scopuli*) impendent *litori*. Hinc necessario sequitur, ut aut *duo* litora fingenda sint, aut ut idem litus impendeat *sibi ipsi;* quorum utrumvis primo intuitu absurdum est. Iterum dico istud *inum* otiosum esse: non enim verendum erat ne quis putaret *summum* litus interventurum esse *monti:* hoc enim esset *montem* intervenire seu intrare et subire *sibi ipsi*, seu *monti*. Voluit Statius dicere *litus* simpliciter (sine distinctione minime necessaria *summi* et *imi*) *subire montem*. Noluit vero hanc vocem *litus* epitheto nudam relinquere : scripsit, « montique interveniudum Litus; » et hoc non inelegans est et pæne necessarium : affectat enim antitheton, opponendo *montem* et *litus udum;* et recte addit *udum*, ut ostendat spatium istud quod fluctus maris interdum occupant, quum vox *litus* aliquando significet solum quod *vicinum mari* est, non tantum quod a fluctibus alluitur : vide Virg. Æneid. IV, 212, et Servium, et Horat. carm. III, 4 : « arentes arenas Litoris Assyrii; » quum tamen Assyria non sit regio *maritima;* vide Bentleium ad locum, et Virg. Æn. III, 135. Bene igitur, litus *udum* : et hoc perpetuum est litóris *marini* epitheton. Noster, Silv. III, 1, 68 ·

« litore ducimus udo; » Ovid. Met. VIII, 175: « comitemque suam crudelis in udo Litore deseruit; » ita ex Codice Leidensi restituit Heinsius pro *illo Litore*. Horat. carm. I, 32; Nemesian. Eclog. II, 21; Prudent. Præfat. lib. I, contra Symmachum, v. 13. Passim exempla invenies. Hæ vero voces *unus* et *udus* sæpe invicem commutantur; ita via Domit. v. 27, pro *axe vectus uno*, Heinsius restituit *udo;* et *udo frigore* pro *uno*, Ovid. Ponticor. II, 9. Vide eum ad Valer. Flacc. VII, v. 229. Sic *Pleias uda* Ovidio restitutum vult Bentleius, ad Horat. carm. I, 10; ubi vulgo legitur *una*.

16. *Et in terras scopulis pendentibus exit.* Gronovius, loco citato, ait hanc esse verissimam Statii scripturam. Et ferri forte potest: suspicionem tamen mendi incutit versus abhinc secundus, « et e terris occurrit dulcis amaro Nympha mari. » Et sensus aliud quid postulare videtur; vix enim dici potuit, litus exire *in terras*, quum inter terras et litus *scopuli* intermedii essent; distinguit enim Statius *litus* a *terris;* per istud *udum* solum, per has, *siccum* intelligens. Voluit poeta dicere « litus intervenire monti, et longius exire, scopulis impendentibus. » Scripsit, credo, « et ulterius, scopulis pendentibus, exit; » *longius excurrere* diceret Cicero, ut de Orat. III, 49; Senec. Nat. Quæst. III, 28: « Deinde ubi litus bis terque prolatum est, et pelagus in alieno constitit. » Optime explicat Festus Avienus, Descr. Orb. v. 685. Ita *litora in portum recedentia*, Senec. Consol. ad Marciam, cap. 18; quando nempe æstus et aquæ marinæ longius evehuntur, et recedunt terræ. Parum vero differentiæ inter scripturam *τον ulterius* et *in terras. Exit litus*, ut Thebaid. VI, 256. *Scopulis pendentibus* est ex Virgilio, Æneid. I, 170.

20. *Cymodoce.* Hæc est præclara illa concionatrix Virgiliana, *fandi doctissima*, ut ille ait, Æneid. X, 225; ubi loquitur de Nymphis quæ e navibus factæ fuerant:

> Quarum, quæ fandi doctissima Cymodocea
> Pone sequens dextra puppim tenet, ipsaque dorso
> Eminet, ac læva tacitis subremigat undis.

Sed pace tua, magna Dea Cymodoce, et nisi molestus sim, libenter a te quærerem (ita tamen ut ne marinam tuam eloquentiam in me acuam) quid tibi cum *fando?* an ut in *Concionibus Squammeis* domineris, et piscibus silentium indicas, phocarum cymbalum? Sed serio: scripsit Virgilius, « Quarum, quæ nandi doctissima Cymodocea. » Jam vides quare « dextra puppim tenet et dorso eminet, et læva undis subremigat; » scilic. « peritia natantis ostenditur, » ut ait Servius; unde patet, illum quoque ita legisse. Suaviter in hanc rem Sil. Italic. III, 410:

> Non aliter, quoties perlabitur æquora curru
> Extremamque petit, Phœbea cubilia, Tethyn
> Frenatis Neptunus equis, fluit omnis ab antris
> Nereidum chorus; et, spreto certamine nandi,
> Candida perspicuo connectunt brachia ponto.

Ita legendum puto; vulgo, *sueto:* quod absurdum est: si enim *certant nando*, quomodo dici possunt *connectere* brachia? talis enim *connexio* omne certamen nandi tollit; *spreto* igitur certamine, *omisso*, *posthabito*.

26. *Mira quies pelagi. Quies pelagi*, et quæ sequuntur, « ponunt hic lassa furorem Æquora, » idem sunt. Magis poeticum facies, si mecum legas, « Mira fides pelagi; » ita Silv. III, 1, 81: « læsique fides reditura sereni; » Virg. Æneid. III, 69: « Inde ubi prima fides pelago; » Claudian. de Bel. Gildon. vers. 499: « Certa fides cæli; » Petronius Arbiter, Satyrico: « maris fidem inspicere. » Non quin probum sit *quies* pelagi, suo loco: Lucan. V, 442, « Sæva quies pelagi. » Præstaret tamen hoc Statii loco *fides*, si codex aliquis addiceret. Ita commutantur hæ voces, Theb. V, 320: « ut falsi criminis astu Parta fides; » ubi MS. Petrensis habet *quies*.

30. *Arces* sunt scopuli, juga; ut apud Valer. Flaccum, III, vers. 565: « Jam pater umbrosis Tirynthius arcibus ornos Depulerat; » ubi vide interpretes.

45. *Hæc domus ortus Aspicit, et Phœbi tenerum jubar.* Legendum, « ortus Prospicit, et Phœbi etc. » hæc pars domus *prospectum* habet versus Orientem; illa, versus Occidentem. Alia res est *adspicere;* nempe, aliquid *juxta videre*. Ovid. Metam. II, 188, de Phaethonte: « Prospicit occasus; » Sidon. Apollinar. Epist. II, v. 10: « ortum prospicit; » Plin. Epist. II, 17, in descriptione Laurentini sui: « quasi tria maria prospectat; » paulo infra: « villas prospicit; » Claudian. in pr. Cons. Stilic. lib. II, vers. 255: « Prospicerem dubiis venturum Saxona ventis; » ita bene edidit Heinsius pro *Aspicerem*. Vide eum. Non male etiam legas « ortus Accipit et Phœbi, etc. » ex loco ejusdem epist. Plin.: « Hujus a læva retractius paulo cubiculum est amplum: deinde aliud minus, quod altera fenestra admittit Orientem, Occidentem altera retinet. » Qui locus huic Statiano simillimus est. Sed mihi magis placet *Prospicit;* quæ vox in MSS. ita scribitur, *pspicit:* unde, omissa prima litera, utpote initio versus, ex *spicit* fecerunt *Aspicit*. Pariter commutantur hæ voces apud Ovid. Fast. IV, vs. 290. Vide cl. Burmann. ad Ovid. Heroid. V, vs. 63, ubi probat τὸ *prospicere* esse *ex alto videre*. Hinc emendare potes Tibullum, Eleg. III, 4, vers. 21:

> Tandem quum summo Phœbus prospexit ab ortu,
> Pressit languentis lumina sera sopor.

Intelligit ortum solis. Sed quid est *summus ortus?* si enim dicas idem esse quod *primus* ortus, falsum continet: sol enim non *prospicit* primo ortu, nec antequam in altitudinem aliquam evectus sit. Lege, « Tandem quum summo Phœbus prospexit ab OEta. » Hospes es in antiquorum lectione, si nescis veteres credidisse aut finxisse solem a monte *OEta* oriri. *Summo* OEta, ut *auratus OEta*, Virg. Culice; *gelidus OEta*, idem Ciri. Vide Heins. ad Ovid. Metam. IX, 165, et Burmann. ad Met. V, 352; Senec. Herc.

Fur. v. 133: « Titan summo prospicit Œta; » ita enim Codex optimus Moguntinus, teste Heinsio ad Ovidium et Claudianum; non *summam Œtam*: hæc est ipsa res quam probare volui. Lucanus, X, 434: « Lucifer a Casia prospexit rupe. » Mons enim *Casius* pariter ac *Œta*, ob hoc notabilis. Sequentia, « exactamque negat dimittere lucem, etc. » mutuatur Claudianus, Laud. Serenæ, vers. 52, de Hispania loquens: « Tu fessos, exacta luce, jugales Proluis. »

59. *Intrantes domos.* Interpretes aiunt *intrantes domos* hic esse *reconditas sub saxis.* Quin potius poetice dixit Papinius domos recenter exstructas, jam quasi intrare et migrare ad hunc locum, qui ante omnino incultus erat: opponit enim illa duo, *montem recedere*, et *domos intrare.* GEVART.

60. *Et chelys una Thebais.* Otiosa videtur vox *una;* mallem, *et chelys illa Thebais. Chelys illa*, emphatice et δεικτικῶς. Paulin. Natali IX, « inter opes inopes, quasi Tantalus ille, Inter aquas sitiunt, nec habent quod habere videntur. » Ita passim apud omnes. Contra, Lucano, IV, 4, ubi vulgo legitur, « Jure pari rector castris Afranius illis Ac Petreius erat, » scribendum est *unis;* approbante summo Bentleio: et pro *erat* malim *erant:* vide quæ notavi ad Epithal. Stell. v. 227.

70. *Quos tibi cura sequi, quos toto pectore sentis Expers curarum.* Hospes est in poetarum lectione, qui non sentit quam insuavis sit hæc repetitio *cura* et *curarum* in eadem sententia, et diversa significatione. Absque dubio scripsit Statius, *Expers turbarum.* Infra, Arbore Atedii, vs. 68: « Incorrupte fidem nullosque experte tumultus. » *Turbarum* est τῶν ταραχῶν: ut Silv. III, 5: « Aut intrat sensus clamosi turba theatri; » *turbellas* dare, Plautus, Pseud. I, 1: Sil. Italic. XII, 501: « Turbarum expertem. » Auson. Villula, vers. 29:

Hæc mihi nec procul urbe sita est, nec prorsus ad urbem;
Ne patiar turbas, utque bonis potiar:

et Epist. XXIII, 90, Horatium imitatus, « Me juga Burdigalæ, trino me flumina cœtu Secernunt turbis popularibus. » Tacit. Annal. I, « nullis novis causis, nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum et ex civili bello spem præmiorum ostendebat. » Similiter commutantur hæ voces apud Ovidium, Art. Amat. III, 417.

75. *Servit sua terra fenestris.* Plin. Epist. V, 6: « piscinam quæ fenestris servit ac subjacet. » Quem locum Gevartius, sed depravatissime, adducit, Papin. Lect. II, 9. Senec. Herc. Œt. 776: « Phryxeum mare scandit Caphareus: servit hoc Austro latus. »

81. *Angitur et domino contra recubante proculque.* Iterum lege *hinc: inde* Euplœa, *hinc* Limon. Sed quid hoc, « Limon angitur spectatque Surrentina prætoria? » quænam hæc connexio? Saltem debuit scripsisse,

« Limon spectans Surrentina prætoria angitur; » hoc sensus postulat. Lege,

Angitur hinc domino contra recubante procul qui
Surrentina tuus speciat prætoria Limon :

per se patet emendatio. *Qui spectat*, ut mox, *quæ ingerit*. Exempla hujusmodi terminationis versus petas ex Bentleio ad Horat. Serm. I, 4, v. 110, ubi pro *utque* legit *ut qui*.

83. *Una tamen cunctis procul eminet una diætis*. Eleganter quidem repetitur vox quando cum indignatione vel graviori aliquo animi motu quidquam profertur; ut apud Valer. Flacc. VIII, 44; et Nostrum, Theb. II, 620. Sed hoc in loco nullo majore animi affectu opus est utpote in simplici narratione. Præterea, Latinitas postulat *eminet ante cunctas*, non *cunctis eminet*, quod nemo unquam dixit. Theb. VII, 690: « Eminet ante alios; » lege igitur, « Ante tamen cunctas procul eminet una diætas Quæ tibi, etc.; » nihil verius, *procul eminet*, ut Theb. IV, 221: « procul ipse gravi metuendus in hasta Eminet; » Virgil. Æn. III, 321: « O felix una ante alias Priameia virgo! » Iterat hoc hemistichion, Theb. VI, 431: « Ante tamen cunctos sequitur,; » Silv. III, 2, 39, « Tu tamen ante omnes diva cum matre Palæmon, Annue. »

93. *Et gaudens fluctus spectare Carystos*. *Carystos* hoc loco ponitur pro *marmore Carystio;* vide quæ notavi ad Baln. Etrusc. vers. 34. Sed quomodo Carystium marmor gaudet *spectare* fluctus? quis in his sensus? Diu est quod conjeci legendum esse, *et gaudens fluctus* æquare *Carystos; subnigrum* enim marmor Carystium. Vide supra citatum locum Baln. Etrusc. Et ita hunc locum legit Salmasius, ad Capitol. p. 129. *Gaudens æquare* est *æquans*, ut fusius notavi ad Tiburtin. Vopisc. v. 56; æquans fluctus sc. *marinos*, ut *æquus fluctibus Asterion*, Theb. IV, 714; Virg. X, 248: « Ocior et jaculo et ventos æquante sagitta; » ventos æquante, scil. *celeritate*. Potes tamen melius legere, *fluctu certare;* et ita ibidem legit idem Salmasius; ut Silv. IV, 2: « et glauca certantia Doridi saxa, » de hoc marmore. Utrumvis probum est, et utriusque exempla obvia. Mihi tamen magis placet *fluctu certare* quam *fluctus æquare*, quia minor est mutatio in illa quam in hac scriptura. Theb. II, 216: « vivis certantia vultibus æra; » Silv. IV, 6: « Vinaque centenis ævo certantia fastis; » ita legendum esse, non *perpetuis*, ad locum probabo. Sil. Ital. XVII, v. 323: « vidi, certantia cælo Quum juga calcastis, summas volitare per Alpes. » Exempla ubique.

96. *Nec invideant quæ te genuere Dicarchi Mœnia*. Puteolos intelligit, qui olim dicti erant *Dicæarchia*, Græcis Δικαιάρχεια et Δικαιαρχία. Festus: « Dicæarchia vocabatur quæ nunc Puteoli; quod ea civitas quondam justissime regebatur. » Statius, more poetarum in propriis nominibus locorum, elidit diphthongum *æ*, quasi esset *Dicarchia*. Unde vero *Dicarchi?* hoc enim omni analogiæ repugnat : nisi probari posset a *Dicarcho*

aliquo hanc urbem nomen sumsisse: vel nisi hæc urbs vocaretur *Dicarchium;* quo pacto *Dicarchi* poni posset pro *Dicarchii*, ut Virgil. dixit *urbem Patavi* pro *Patavii*. Minime dubito quin Statius scripserit *Dicarchæ mœnia*, elisis duabus diphthongis, quasi esset *Dicarcha*, Δίκαρχα vel Δεχάρχη, non Διχαίαρχια. Petronius vocat *Dicarchida*, eadem elisione: « Parthenopen inter magnæque Dicarchidos arva, » non *Dicæarchidos;* notum est quantum in his rebus sibi permittant poetæ; et plenius de hoc agam ad Viam Domitianam. Lucilius apud Festum, voce *Minor Delos*: « Inde Dicæarchum populos, Delumque minorem; » ubi plane vides *Dicæarchum* pro *Dicæarchorum*, a voce primaria *Dicæarcha*, hoc est, more Statiano, *Dicarcha*.

100. *Sæpe per autumnum*, etc. Imitatur seu exscribit potius hunc locum Ausonius, Mosell. v. 175.

105. *Nudamque per undas Dorida montani cupierunt prendere Panes.* Si proprius spectes suborietur mendi suspicio: vox enim *nudam* superflua videtur, quum nemo in animum inducere possit ut credat *vestibus indutam* Dorida *per undas* ludibundam. Videamus quomodo hunc locum expressit Auson. Mosell. v. 182:

> Tunc insultantes sua per freta ludere Nymphas
> Et Satyros mersare vadis, rudibusque natandi
> Per medias exire manus, dum lubrica falsi
> Membra petunt, liquidosque fovent pro corpore fluctus.

Nihil hic de *nuditate* Nympharum; nec enim opus fuit, utpote quæ ex ipsa re intelligi potuit; sine dubio Auson. legit et Stat. scripsit: « Udamque per undas Dorida montani cupierunt prendere Panes; » *udam*, id est, *lubricam;* unde Ausonii ista, *per medias exire manus*, et, *lubrica membra. Lubrica Nais*, Silv. I, 3, v. 62; Claudian. de Nupt. Honor. et Mar. vs. 136:

> Pelagi sub fluctibus ibat
> Carpathii Triton, oblactantemque petebat
> Cymothoen: timet illa ferum, seseque sequenti
> Surripit, et duris elabitur uda lacertis.

Huic Statii loco nihil magis accommodum esse potuit. Ovidius, Heroid. XV, vers. 162, *Naias uda;* Claudian. de Rapt. Proserp. lib. III, vers. 16, *udæ Naïades;* Calpurn. Eccl. II, 14: « Adfuerunt sicco Dryades pede, Naïdes udo. »

107. *Dominis ambobus.* Culpat Gevartius Domitium, qui per ista *dominis ambobus* intelligit *Pollium* et *Julium* quemdam *Menecraten:* ipse culpandus, qui *Herculem* et *Neptunum* inducit. Nonne enim absurdus est Statius si precetur ut *domini ambo*, *Hercules* et *Neptunus*, *Dii immortales*, vivant in *annos Tithoni* et *Nestoris?* sic enim intelligendus locus: unde etiam patet per *ambos dominos* designari *Pollium* et *Pollam;* absterruit, opinor, Gevartium vox *domini*, de *mare* et *femina*, sive *uxore* et *viro*. Ne metuat; adeat modo Claudianum, de Rapt. Pros. II, 314:

« Dominis intrantibus ingens Assurgit Phlegethon; » id est, Plutone et Proserpina. Noster, Theb. IV, 528 : « In speculis Mors atra sedet, dominisque silentes Adnumerat populos; » id est, *Plutoni* et *Proserpinæ*. Serv. ad Virg. Eclog. III, 34 : *alter et hædos;* « male quidam privignum accipiunt : *alter* enim de duobus dicimus, non de tribus : unde *alter* de noverca intelligamus. Nec nos moveat, quod *alter* dixit de femina; nam et in subauditione ponuntur ea quæ non possumus dicere, et scimus (l. sentimus) : quia, quoties hæc duo genera junguntur, masculinum præponderat feminino. » Ovid. Metam. VIII, vs. 700 : « Illa vetus dominis etiam casa parva duobus Vertitur in templum; » id est, Baucidi et Philemoni. Senec. Herc. Fur. vs. 804 : « extimuit sedens Uterque solio dominus, et duci jubet; » de Plutone et Proserpina.

124. *Non leges, non castra tenent.* Nisi intelligas significationem vocis *tenent*, miraberis quomodo hoc inter laudes Pollii ponitur, quod illum *leges* non *tenent*. *Tenent* hic idem est quod « detinent, totum sibi habent, cum admiratione vel stupore defixum et hiantem. » Val. Flacc. lib. I, vers. 260 :

> Illum nec valido spumantia pocula Baccho
> Sollicitant; veteri nec conspicienda metallo
> Signa tenent : stupet in ducibus, magnumque sonantes
> Haurit, et Herculeo fert cominus ora leoni.

Cicer. de Orat. lib. I, cap. 61 : « In eloquentia autem multa sunt, quæ teneant. » Plinius, Hist. Nat. lib. XXXV, cap. 9, de Apollodoro pictore : « neque ante eum tabula ullius ostenditur, quæ teneat oculos. » Passim exempla.

132. *Humanaque gaudia rides.* Humana *gaudia*, i. e. res quibus homines delectantur et *gaudent* : ut *timores*, III, 2, res pro quibus *timemus* : *amores*, III, 5, res quas *amamus*. Et hoc quidem pacto exsurgit sensus optimus; sed majus aliquid a Papinio exspecto, scil. *humanaque grandia rides* : omne istud quod nos *magnum* vocamus. Egregie Senec. Præf. Nat. Quæst. « Tunc juvat inter sidera ipsa vagantem, divitum pavimenta ridere, et totam cum auro suo terram, etc. » Vide locum, et Consol. ad Marciam cap. 23. Pleni his sunt moralium scriptores. Imitatur Lucretium, init. lib. II.

137. *Plectrique errore superbus.* Plectrum eleganter dici potest *errare*, quum lyræ chordas percurrit. Eodem sensu digitus *errans* apud Claudian. Consulat. Mall. Theod. v. 327; et Nostrum, Silv. V, 5. Si igitur sic scripserit Statius, dicit Pollium olim superbum fuisse *errore* plectri. Atqui primum, licet non negem recte dici posse plectrum *errare* quando chordas percurrit, non tamen possum concedere hanc *percursionem* recte dici posse *errorem* plectri, nisi exempla hujusce usus proferantur. Quippe analogia non satis est sine testimoniis et auctoritatibus usum phraseos confirmantibus. Vide quæ dixi supra, ad Epithal. Stell. vs. 45, et quæ

dico ad Epiced. in Patr. vs. 92. Sed et si concedamus phrasin, sensui tamen non satisfactum erit. Stultum enim et ridiculum faceret Pollium, si describeret eum superbum *errore plectri* simpliciter: *error* enim *plectri* cuivis contigit, etiam ἀμούσῳ, et illi qui lyram in manus primum sumit, et chordas tentat et percurrit. Atqui ineptus esses, si diceres talem superbum esse hoc *plectri errore;* et ob hanc rationem non satisfacit Gronovius, qui Elench. Antidiatr. c. 2, dicit *errorem* plectri esse *motum* plectri. Non enim satis est *motus plectri;* sed *decenti* et *artificioso* et *perito motu* plectri superbus esse debuit et se jactare Pollius. Miram et enormem hujusce loci interpretationem commentus est Gevartius, Papin. Lect. II, 11, his verbis: « Existimo poetam hic *errorem plectri* dixisse ob lyricorum gestum et canendi modum. Nam quemadmodum errantium vertigo est ab Occasu in Ortum, ita lyrici, dum a læva in dextram obvertebantur, *antistropha* uti dicebantur; *stropha* vero, ubi a dextris in lævam fiebat conversio. Itaque lyram pulsantes ab uno latere in alterum se vertebant et quasi *errabant:* unde suavissime poeta *plectri errorem* dixit. » Vide quantum fallitur vir eruditus, dum vagas et avias explicationes consectatur. Hæc enim *conversio*, seu strophe et antistrophe, seu *plectri error* (ut vult Gevartius) locum tantum habuit in hymnis sacris et choris tragœdorum et odis ἐπινικίοις; non in quotidiano cantu et vulgari usu lyræ, de quo solo hic agere potest Statius. Marius Victorinus, Art. Grammat. lib. I, pag. 2501: « Antiqui Deorum laudes carminibus comprehensas circum aras eorum euntes canebant; cujus primum ambitum quem ingrediebantur ex parte dextra, στροφὴν vocabant: reversionem autem sinistrorsum factam, completo priore orbe, *antistrophon* appellabant; dein in conspectu Deorum soliti consistere, cantici reliqua consequebantur, appellantes id epodon. » Jam hæc applica ad Gevartii interpretationem, et videbis quam male cohæreant: licet enim hæ strophæ et antistropha observarentur in rebus sacris, non tamen sequitur ut quicunque lyram in manus sumserit animi vel exercitationis gratia, illi continuo assignetur *plectri error;* et si *plectri error* denotet lyricum carmen ex eo quod in hoc genere carminis lyram pulsantes se vertebant et *quasi errabant*, eadem argumentatione dico, *pedum errorem* significare posse *lyricum carmen: pedes* enim in antistrophis vertebantur et *revera errabant*. Sed nullus hic *error plectri*, sed Gevartii: aliud enim sine dubio dixit Statius, ut ex sensu patet. Lege, « Ac juvenile calens, plectrique decore superbus. » Jam aliquid habet ob quod merito superbus esse potuit Pollius. Utitur eadem locutione, Epiced. in Patr. v. 213: « Tu decus hoc quodcunque lyræ. » Potes etiam *plectrique canore superbus*, ex Ovid. Heroid. XVI, 180. Tale aliquid desiderat sensus. Mihi placet prior conjectura: nisi forte depravatio lateat in voce *plectri* non in *errore:* quo casu non male legas, « Ac juvenile calens, ævique errore superbus; » ut apud Ausonium, Profess. VIII. Sed mihi adhuc placet *plectrique decore*, propter sensum, et minimam mutationem, et similem alibi locum.

143. *Discite securi.* Sine ulla hæsitatione lege, « Vivite securi; » Virg. Æneid. III, 493 : « Vivite felices; » supra, vs. 121, hujus carm. « Vive Midæ gazis et Lydo ditior auro; » infra, Arb. Ated. vers. 43 : « Vive diu nostri pignus memorabile voti; » Claudianus, Epithal. Pallad. et Celer. v. 129 : « Vivite concordes; » Tibull. III, 5 : « Vivite felices, memores et vivite nostri; » Ovid. Heroid. VI, 164 : « Vivite devoto nuptaque virque toro. » Solennis hæc formula in votis : vide Gevartium, Elect. III, 8. Nullus in his Silvis locus magis exercuit Gronovium quam hic, ut ipse fatetur, Diatr. c. 19, ubi transpositionem versuum fingit, et pro *Discite* legit *Dicite* : quod explicat et defendit, Elench. Antidiatr. cap. 3, prolatis aliquot Ovidii locis ; qui tamen, ut mihi videtur, minime huic loco quadrant, nec eodem modo *et* more dicuntur. Nostra simplicissima est medicina, et mutatio minima. Optime vero cohærent hæc. Nam initio carminis, Pollii et Pollæ conjunctim mentionem fecerat, vers. 9 : et 107, « Sis felix tellus dominis ambobus. » Jam iterum conjungit, *Vivite securi*, etc. Et mox Pollam separatim laudat, « Tuque nurus inter longe pulcherrima, etc. » quoniam nunquam ante fecerat.

CARMEN III.

ARBOR ATEDII MELIORIS.

Stat, quæ perspicuas nitidi Melioris opacat
Arbor aquas, complexa lacus: ea robore ab imo
Curvata, enodis redit inde, cacumine recto
Ardua; ceu mediis iterum nascatur ab undis,
Atque habitet vitreum tacitis radicibus amnem.
Quid Phœbum tam parva rogem? vos dicite causas
Naïdes, et faciles (satis est) date carmina Fauni.
Nympharum teneræ fugiebant Pana catervæ:
Ille quidem it, cunctas tanquam velit; it tamen unam

VARIÆ LECTIONES.

1. *Stat, quæ perspicuas nitidi Melioris opacat Arbor aquas, complexa lacus; quæ robore ab imo Curvata*, etc. Attende constructioni hujus loci: « Arbor quæ opacat perspicuas aquas nitidi Melioris stat complexa lacus; quæ curvata robore ab imo, etc. Quis ferre potest hanc incuriam compositionis? Lege et distingue, Stat, quæ perspicuas nitidi Melioris opacat Arbor aquas, complexa lacus: ea robore ab imo Curvata, etc. » Jam evanescit obscuritas orta ex duplici *quæ*. Ita infra v. 10: « silvis ea, fluminibusque sequentis Nunc hirtos gressus, nunc improba cornua vitat; » ita enim legendum ex edit. Parmensi, pro *silvis hæc*. — Cod. Paris. *opacet* a prima manu, *opacat* ex emendatione. Cruc. et Gev. *opacet*. A.

2. *Lacus: ea*. Cod. Par. *lacus: quæ*, et ita Cruceus. A.

3. *Enodis redit inde c.* Edidi ex conjectura, *curvata, enodis redit inde*, etc.; firmat Veneta quæ habet *in nodis*. Cod. Paris. habet *in modos r. in c.* a prima manu; at exhibet in margine *in nodis.... inde*. Cruc. et Gron. *in nodos*. Vid. notam. A.

6. *Causas*. Edit. Parm. habet *carmen;* perperam. — Cod. Paris. in contextu præbet *carmen*, et in margine *causas*. A.

9. *Ille quidem it, cunctas tan-*

In Pholoen : silvis hæc fluminibusque sequentis
Nunc hirtos gressus, nunc improba cornua vitat.
Jamque et belligerum Jani nemus, atraque Caci
Rura, Quirinalesque fuga suspensa per agros
Cœlica tecta subit : tum demum victa labore,
Fessa metu, qua nunc placidi Melioris aperti
Stant sine fraude lares, fluidos collegit amictus
Arctius, et niveæ posuit se margine ripæ.
Insequitur velox pecorum Deus, et sua credens
Connubia, ardenti jamjam suspiria librat
Pectore, jam prædæ levis imminet. Ecce citatos
Advertit Diana gradus, dum per juga septem
Errat, Aventinæque legit vestigia cervæ.
Pœnituit vidisse Deam; conversaque fidas

quam velit; it tamen unam In Pholoen. Olim conjeceram, « Ille quidem, cunctas quamquam velit, it tamen unam In Pholoen. » Atque huic conjecturæ maxime favet edit. Parm. quæ omittit vocem *it* : « Ille quidem cunctas tanquam velit. » — Pro *it tamen unam*, Cod. Paris. *et t. u.* A.

10. *Silvis hæc.* Cod. Paris. *hæc sylvis.*

12. *Belligerum.* Sic Cod. Paris. in contextu : legitur *belligeri* in margine.

14. *Ibi demum victa labore.* Ita Theb. II, 473 : « Jam Telamona solo, jam stratum Ixiona linquens, Te, Meleagre, subit : ibi demum cuspide lata Hæsit. » Sed aliud suadent ed. Parm. et Rom. quæ exhibent, jam *demum victa labore.* Lege, tum *demum.* Virgil. XII, 6 : Tum demum *movet arma leo ;* passim exempla. — Cod. Par. *jam d.* Cruceus *jam demum ;* Gronov. *ibi d.*

16. *Fluidos.* Cod. Paris. *flavos*, quod retinuit Cruceus. Vid. not. A.

18. Pro *credit* ratio constructionis postulat *credens :* « Insequitur velox pecorum Deus; et sua credens Connubia, ardenti jamjam suspiria librat Pectore, jam prædæ levis imminet. » Pro *levis imminet* Domitius notat inemendatos Codices habere *suus invenit. Ardenti pectore*, scil. *amore* ardenti. Apuleius, Miles. V, p. 117 Bip. : « At illa, Opportune, inquit, ardenti prorsus isti meo pectori volentiam scilicet perpetrare venitis ; » ita legendum ; vulgo inepte *violentiam.* Pricæus conjecit, *volentia* pectori meo : proxime veritatem. *Volentiam perpetrare* est *facere rem gratam.* Utitur hac voce Solinus. Vide Nonium Marcellum. — Cod. Paris. *credit*, et sic Cruceus et Gron. A.

22. *Cervæ.* Cod. Paris. *ternæ ;* ita Cruceus et Gron. Vid. not. A.

23. *Fidas.* Ed. pr. *fidos.* A.

Ad comites : « Nunquamne avidis arcebo rapinis
Hoc petulans, fœdumque pecus? semperne pudici
Decrescet mihi turba chori? » Sic deinde locuta
Depromit pharetra telum breve, quod neque flexis
Cornibus, aut solito torquet stridore; sed una
Emisit contenta manu, lævumque soporem
Naïdos aversa fertur tetigisse sagitta.
Illa Deam pariter surgens hostemque protervum
Vidit, et in fontem, niveos ne panderet artus,
Sicut erat cum veste, ruit; stagnisque sub altis,
Pana sequi credens, ima latus implicat alga.
Quid faceret subito deceptus prædo? nec altis
Credere corpus aquis hirtæ sibi conscius audet
Pellis, et a tenero nandi rudis; omnia questus,
Immitem Brimo, stagna invida, et invida tela;
Primævam visu platanum, cui longa propago
Innumeræque manus, et iturus in æthera vertex,
Deposuit juxta, vivamque aggessit arenam,
Optatisque aspergit aquis, et talia mandat:
« Vive diu, nostri pignus memorabile voti,
Arbor; et hæc duræ latebrosa cubilia nymphæ
Tu saltem declinis ama, et preme frondibus undam.

25. *Semperne.* Edd. Parm. et Rom. *semperque*, et istud melius. — Cod. Paris. *semperque*, quod retinuit Cruceus. A.

26. *Decrescet.* Cod. Paris. *decrescit.* A.

30. *Naïdos.* Cod. Paris. *Naiados.* A.

33. *Sicut erat.* Vulgo *sic tota.* — Cod. Paris. edd. Cruc. et Gronov. *sic tota.* Vid. not. A.

38. *Brimo.* Cod. Par. *Bromium* quod legitur in edit. Cruc. Vid. not. A.

42. *Aspergit.* Cod. Paris. habet *aspexit* in contextu, et *inspersit* in margine. A.

45. *Tu saltem declivis ama, preme frondibus undam.* Primo legendum *declinis*, id est, *obliquo pendula trunco*, ut mox dicit; et ita conjecerat Tiliobroga; alia res est *declivis.* Hæ vero voces perpetuo commutantur. Deinde, interpone conjunctionem, quæ excidit : « Tu saltem declinis ama, et preme frondibus undam. » Notum hoc iis qui poetas vel minimum intelligunt.

Illa quidem meruit; sed ne, precor, igne superno
Æstuet, aut dura feriatur grandine; tantum
Spargere tu laticem, et foliis turbare memento.
Tunc ego teque diu recolam, dominamque benignæ
Sedis, et illæsa tutabor utramque senecta.
Et Jovis, et Phœbi frondes, et discolor umbra
Populus, et nostræ stupeant tua germina pinus. »
Sic ait. Illa Dei veteres imitata calores,
Uberibus stagnis obliquo pendula trunco
Incubat, atque umbris scrutatur amantibus undas.

Ita Theb. IV, 521: « telluris operta Dissilit umbo capax, silvæque et nigra patescunt Flumina, liventesque Acheron ejectat arenas; » ita legendum: vulgo omittitur *que* ante *Acheron;* et *umbra* male pro *umbo.* — Cod. Paris. edd. Cruc. et Gron. *declivis ama: preme.* Vid. not. A.

53. *Imitata.* Vulgo *animata.* — Cod. Paris. edd. Cruc. et Gronov. *animata.* Vid. not. A.

55. *Atque umbris scrutatur amantibus undas.* Ita invenit in scripto Codice Bernartius, a quo in editiones hæc lectio propagata est: antiquiores enim Parmensis et Romana, habent *sinuatur,* ut et Aldina an. 1502, et aliæ quas inspexi. Domitius notat inemendatos Codices habere *servatur.* Omnia æque mendosa; *sinuatur* et *servatur* nullum habent sensum; *scrutatur* malum; quippe *scrutari* est *penitus* et *sollicite* excutere et *inquirere,* et in *secreta* rei alicujus penetrare. Item Censorin. de Die Natali, C. X: « Nunc vero, ut liquido appareat quemadmodum voces nec sub oculos nec sub tactum cadentes habere possint mensuras, admirabile Pythagoræ referam commentum; qui, secreta Naturæ scrutando, reperit, phthongos musicorum convenire ad rationem numerorum. » Ita legendum: vulgo, *aliquid* appareat. Hinc fere hæc vox usurpatur, quando de rebus *latentibus* sermo fit. Curtius, III, 4, 13: « Thracas leviter armatos præcedere jusserat, scrutarique calles, ne occultus hostis in subeuntes erumperet. » Horatius, epist. I, 18, 37; « Arcanum neque tu scrutaberis; » Curt. VIII, 3, « scrutantibus, quid occuleret, ostendit. » Manilius, IV, 246: « Scrutari cæca metalla Depositas et opes, terramque exurere venis, Materiamque manus certam duplicare per artem; » ita legendum puto; vulgo, *manu certa duplicarier arte;* quod Scaligerum adeo offendit, ut proclamet versum esse ab homine alchymista infractum: *duplicare materiam per artem manus* eleganter dicitur. Salmasius ad Hist. August. pag. 919, legit ut in vulgatis est, et Manilio dignissimum judicat. Nollem factum; sed pergo. Hæc vero τοῦ *scrutari* significatio *umbræ* non convenit, sed piscatoribus potius, qui *scrutari* stagna et *scrutatores* maris passim dicuntur. Vide

Sperat et amplexus; sed aquarum spiritus arcet,
Nec patitur tactus. Tandem eluctata sub auras
Libratur fundo, rursusque enode cacumen
Ingeniosa levat, veluti descendat in imos
Stirpe lacus alia. Jam nec Phœbeïa Naïs
Odit, et exclusos invitat gurgite ramos. . . . . .
Hæc tibi, parva quidem, genitali luce paramus
Dona, sed ingenti forsan victura sub ævo:
Tu, cujus placido posuere in pectore sedem
Blandus Honos, hilarisque (tamen cum pondere) Virtus
Cui nec pigra quies, nec iniqua potentia, nec spes
Improba; sed medius per honesta, et dulcia limes:
Incorrupte fidem, nullosque experte tumultus,
Et secrete palam: qui digeris ordine vitam;
Idem auri facilis contemptor, et optimus idem

autem majorem absurditatem; sequitur enim, « Sperat et amplexus; sed aquarum spiritus arcet, Nec patitur tactus; » quomodo fieri potest ut *scrutetur* undas arbor, et simul *non tangat?* ridiculum hoc. Lege, « atque umbris tutatur amantibus undas; » *defendit* nempe ab *igne superno* et *dura grandine*, quemadmodum mandaverat Pan, supra vs. 46 : ideo recte dicuntur umbræ *amantes; umbræ* sunt folia et comæ, ut Thebaid. II, vs. 401 : « amissæ redierunt montibus umbræ; » quod non recte capiens Bernartius, ex Lipsii codice male substituit, *redierunt* vallibus *umbræ:* qui enim, inquit, *umbræ* in *montibus?* Dicam tibi ex Virgil. Georg. I, 342 : « Tunc somni dulces densæque in montibus umbræ; » ad quæ notat Servius : « Quia tunc incipiunt arbores frondescere. » Vide et corruptissimum istum locum Æneid. I, 607, *dum montibus umbræ Lustrabunt convexa* etc. qui similiter intelligendus est, quocunque modo legendus sit : nec audiendi Servius et Donatus nugantes de solis et lunæ umbra. Senec. in OEdipo, vs. 155 : « Non silva sua decorata coma Fundit opacis montibus umbras. » Pluribus possem, si opus esset. Recte igitur : *tutatur* undas : et hoc in contextum admitti meretur. — *Scrutatur* legitur in margine Cod. Paris. qui habet *sinuatur* in contextu. Cruc. edidit *sinuatur:* Gronov. *scrutatur.* A.

62. Pro *genitali* edd. Cruc. et Gronov. *geniali.* Cod. Paris. edd. Parm. et Ven. *genitali*, quod et habet ed. pr. Vid. not. A.

69. *Secrete.* Sic Cod. Paris. a prima manu, *satiate* in margine ex emend. et pro *qui* exhibet *quod* a prima manu, *quo* ex emendatione. Vid. not. A.

Comere divitias, opibusque immittere lucem.
Hac longum florens animi morumque juventa,
Iliacos æquare senes, et vincere persta
Quos pater Elysio, genitrix quos detulit annos.
Hoc illi duras exoravere sorores:
Hoc, quæ te sub teste, situm fugitura tacentem
Ardua magnanimi revirescit gloria Blæsi.

71. Pro *Condere divitias* MS. Senensis, editt. Parm. Rom. et Ven. habent *Comere*, quod Gronovio notatum, et illustratum, Diatr. c. 27, multis exemplis; et inter cetera hoc ex Claudiano, de VI Cons. Honor. vs. 523: « Ac velut officiis trepidantibus ora puellæ Spe propiore tori mater sollertior ornat Adveniente proco, vestesque et cingula comit Sæpe manu, viridique angustat iaspide pectus, etc. » Ubi quæro, quare mater dicitur « Sæpe comere vestes et cingula, » quum *unus* tantum proci adventus hic describatur? Lege, *Ipsa manu*: non permittit ancillis et ornatricibus, sed *ipsa* ornat et comit vestes et cingula; quibus cura et sollicitudo matris optime exprimuntur.—Cod. Paris. *comere;* et seq. vers. *hac*, a sec. manu factum ex *ac*. A.

NOTÆ

IN CARMEN TERTIUM LIBRI SECUNDI

SILVARUM.

VERS. 2. ROBORE *ab imo Curvata in nodos*, etc. *Robur* hoc loco idem est quod *truncus:* ut Glaucia Atedii vs. 101, et Theb. IX, 585. *Nodi* qui sint in arboribus quivis intelligat vel ex hoc loco Plin. XVI, 38: « unde deprehenditur, an torta sit materies, nodisque concisa. » Arbor *curvata in nodos* est quæ *curvatura nodos efficit*, ut digiti *curvantur in ungues* apud Ovid. Met. X, 699; luna *curvata in cornua*, Plin. Hist. Nat. II, 3, et XXXVII, 10; Virg. Æneid. III, 533: « curvatus in arcum. » Hoc vero pacto abundat aliquid; quippe satis erat dixisse « quæ ab imo trunco curvata, exinde surgit recta. » Lege et distingue, « Ea robore ab imo Curvata, enodis redit inde, cacumine recto Ardua. » Jam duo vides ob quæ hanc arborem laudat, quod *recta* et quod *enodis*. Clare confirmatur hæc restitutio vers. 57:

> . . . . tandem eluctata sub auras
> Libratur fundo, rursusque enode cacumen
> Ingeniosa levat, veluti descendat in imos
> Stirpe lacus alia.

Quo loco idem dicit quod hic, mutatis tantum verbis. *Rectam* hanc et *sine nodis* elevationem, *enodem tenorem* eleganter vocat Plin. Hist. Nat. V, 1, de monte Atlante: « proceritatem spectabilem esse enodi tenore; » ita omnino legendum puto pro *enodi nitore*, quod vulgo obtinet. Claudian. Rapt. Pros. III, 359:

> . . . . succidere pinus,
> Et magis enodes properat prosternere cedros,
> Exploratque obiens truncos, rectique tenorem
> Stipitis.

14. *Cælica tecta subit: ibi demum victa labore.* Pro *Cælica* tecta N. Heinsius ad Ovid. Fast. IV, 375, mavult *Cælia* tecta, ut vitetur ambiguitas. Sed ne metuat: primum enim *Cælicus* pro *Cælestis* non est ævi Statiani, sed multo inferioris. Deinde Mons *Cælius* per *o* fere scribitur; *cælum* vero per *a* quemadmodum in Virgilio suo semper Heinsius: unde sequitur has voces *cælicus* et *cælicus* confundi non potuisse. Major mihi

videtur difficultas in voce *tecta;* quomodo enim dici potuit Pholoe *subiisse tecta*, quum statim sequatur illam deposuisse se *margine ripæ*, et eo loco ubi *nunc* sunt ædes Melioris? quin et Diana eam cubantem vidit, dum errat per septem juga. Non igitur intra *tecta* tunc fuit Pholoe, sed *sub dio*, nudoque sub ætheris axe. Lege, « Cœlica tesca subit. » *Tesca* seu *tesqua* sunt *loca aspera* et *inculta*, qualia fere sunt *montes*. Horat. Epist. I, 14, 19: « nam quæ deserta et inhospita tesqua Credis, amœna vocat mecum qui sentit; » unde *nemorosa tesqua*, Lucan. VI, 40. Glossæ: *Tesca*, καπάκρημνοι, καὶ ῥάχεις, καὶ ἴρυμνοι τόποι. Festus: « Tesca, *loca auguriο designata. Cicero* aspera *ait esse et* difficilia. » Ubi vide Scaligerum et interpretes.

16. *Flavos collegit amictus Arctius.* Pro *flavos* editio prima Veneta habuit *fluvidos:* unde Gronovius optime, *fluidos collegit amictus.* Sen. Œdip. vs. 422:

> Unde tam molles placuere cultus,
> Et sinus laxi, fluidamque syrma?

Ovid. Art. Am. III, 301: « tunicisque fluentibus auras Excipit. » Apuleius, in Floridis, de Indis loquens: « primi sideribus, ultimi terris, super Ægyptios eruditos, et Judæos superstitiosos, et Nabathæos mercatores, et fluxos vestium Arsacidas; » ita legendum; vulgo *primis* et *ultimis*. Arnob. l. III, p. 108: « fluidarum vestium superjectione perfusos; » Tacit. de Mor. Germ. 17: « Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante sicut Sarmatæ ac Parthi, sed stricta et singulos artus exprimente; » Val. Fl. III, 157:

> Hinc Halyn, hinc rigido transcurrens demetit ense
> Prothin, et insignem cithara cinctuque fluenti
> Dorcea:

ita omnino legendum puto pro *cantuque* fluenti. Et scio quidem recte dici posse cantus *fluens* (vide Cl. Drakenborch. ad Sil. Italic. XI, 416); sed si hoc loco retineas *cantu*, bis idem dicentem poetam facies. *Cinctus fluens* est *palla*, perpetuum citharœdorum gestamen. Tibullus, III, 4, de Apolline citharœdo: « Ima videbatur talis adludere palla; » ubi vide Broukh. Si de hoc Flacci loco aliter sentiant Cl. viri Burmann. et Drakenb. non contendam. — Nos *cantu*. Vid. nostr. Val. Flacc. tom. I, p. 191. Ed.

17. *Niveæ posuit se margine ripæ.* Quid sit *nivea* ripa non intelligo; magis forte placebit *niveo* margine: ut Balu. Etrusc. v. 51; sed ibi *niveus* margo est ex marmore *candido* factus: quæ interpretatio huic loco non quadrat. Suspicari potes vocem *viridis* vel *viridi* latere sub ista *niveæ;* hæ enim voces sæpe inter se commutantur in MSS. *viridis ripæ*, ut Ausonius, Mosella, v. 141; Cicer. de Legg. I, 5: « in viridi opacaque ripa inambulantes; » Noster Theb. IX, 321:

> Crenæus, cui prima dies in gurgite fido,
> Et natale vadum, et virides cunabula ripæ.

Val. Flacc. V, 217: « viridesque premunt longo ordine ripas. » Vel *viridi* margine. Plin. Epist. VIII, 8, 4, de Clitumno: « Ripæ fraxino multa,

multa populo vestiuntur : quas perspicuus amnis, velut mersas, viridi margini adnumerat ; » ita legendum alicubi monui ; (Nos, viridi *imagine*. Ed.) — *Margine ripæ* probum est, ut apud Ovid. Her. V, 27 : « consita margine ripæ ; » et ita Met. I, 729, et V, 598, et Apul. Mil. I, p. 14, et alibi. Aliter non male legere posses, « vitrei posuit se margine rivi ; » voces enim *vitreus* et *niveus*, *ripa* et *rivus* pariter in codicibus confunduntur. Silius Italic. IV, 534 :

> Monte procelloso Murranum miserat Anxur,
> Tritonis niveo te sacra, Phalante, profundo :

ubi pro *niveo* Heinsius mavult *Libyco* : ego non dubito, quin Silius scripserit *vitreo*. Plin. Epist. VIII, 8, de eodem Clitumno : « fons... qui lato gremio patescit purus et vitreus, ut numerare jactas stipes et relucentes calculos possis. » Noster, Propempt. Met. Celer. v. 16 : « Surgite de vitreis spumosæ Doridos antris. » Vide Heinsium ad Claudiani Fescennina in Nupt. Honorii et Mariæ. De commutatione τοῦ *ripa* et *rivus* vide Bentleium ad Horat. Carm. III, 25, v. 13 ; et IV, 2, v. 31. Malo tamen *viridis ripæ*. Τὸ *ripa* absolute, sine *fluvii* vel *aquarum* mentione, ut Tibull. II, Eleg. 5, vs. 53, de Hia :

> Concubitusque tuos furtim, vittasque jacentes,
> Et cupidi ad ripas arma relicta Dei :

ubi nulla vel in præcedentibus vel subsequentibus aquarum mentio. Ita Manilius, lib. IV, vocat Illyricum *vicinum ripis* : quod Scaliger interpretatur Ἰλλυρίδα παράλιον : *ripæ* enim et de *mari* dicuntur, eodem libro : « Magna jacet tellus, magnis circumdata ripis Parthis ; » et ita lib. V,

> Quisquis erit tali capiens sub tempore vitam,
> Litoribus ripisque suos circumferet annos.

19. *Ardenti jamjam suspiria librat Pectore.* Barthius interpretatur, « anhelitum ex cursu vehementem compescere nititur. » Sed hoc non videtur esse *librare suspiria*, et potius videretur *suspiria vibrat*, id est, *emittit*, ut apud Gratium, Cyneget. vs. 388, de cane rabido : « Æstivis vibrans accensos febribus ignes ; » ita legendum : vulgo *æstivos*, et *accensis*. Prudent. Apotheos. v. 49 :

> Hoc verbum est quod vibratum patris ore benigno
> Sumsit virgineo fragilem de corpore formam.

Sed vide quid sequatur, « jam prædæ levis imminet. » Oppositio videtur postulare, « ardenti jamjam vestigia librat Pectore ; jam prædæ levis imminet ; » sua credens connubia, hoc est, *certus amorum*, negligentius interdum agit, et *vestigia librat, sistit se*, cursum sustinet : statim tamen *prædæ levis imminet*, cursum repetit. Sic *librare cursus*, Ovid. Amor. II, 6, 11 ; *librare pennas*, Quintil. Declam. XIII, de apibus ; *librare volatum*, Silius, XV, 426 ; *librare brachia*, Apulei. Miles. III. Recte vero *librat vestigia* Pan, cursum sustenturus : nisi enim ita fecisset, aut procidisset, aut in tergum lapsus fuisset ; quum superiora corporis adeo graviora essent inferioribus ; *librat* igitur, in *æquilibrio tenet*.

22. *Aventinæque legit vestigia terræ.* Non miror interpretes hunc locum præterire; quomodo enim explicarent quod non intellexerunt, nec unquam intellectum erit; nempe, quid sit *legere vestigia terræ?* an igitur *terra aufugere* solet, et Diana vestigia ejus *legere* seu *sequi?* agnosco quidem magnam venatricem Dianam *ferarum vestigia legentem;* unde *beluarum agitatrix* dicitur Arnobio, lib. IV, pag. 241 (ubi vulgo male legitur *silvarum agitatrix*) et, sævis *inimica* virgo *beluis*, Horat. carm. I, 12, 22. Sed *terræ vestigia* quænam sint, ignoro. Agnosco etiam *Aventinum montem* et *collem* et *silvam Aventinam;* sed de *terra Aventina* nunquam ante inaudivi. Quid multa? lege, minima mutatione, « Aventinæque legit vestigia cervæ; » Seneca, Hippolyto, de Diana v. 160: « tua Gætulos Dextra leones, tua Cretæas Sequitur cervas; » *Vestigia cervæ*, ut Tibull. IV, 3, 13; Ovid. Trist. V, 9, 27; Catull. de Nupt. Thetid. et Pelei, v. 338; Gratius, Cyneget. v. 201: « sequi leporis vestigia parvi; » id est, *legere* vestigia leporis. *Aventina cerva* ut *Ossæa ursa*, Ovid. Metam. XII, 319. *Legere vestigia* phrasis bene nota; vide Theb. IX, 171; XII, 272; Ovid. Metam. III, 17; Lucan. VIII, 210. Recte vero et ex decoro facit Dianam errantem per septem *juga;* illa enim, utpote venatrix, *montibus* maxime gaudebat (unde *montivaga* Dea appellatur, Achill. I, 450), præsertim *Aventino*, ubi templum illi et præcipuus cultus: unde Ovid. Fast. III, 884: « Aventino Luna colenda jugo. » Festus: « Servorum dies festus vulgo existimatur Idibus Augusti, quod eo die Servius Tullius natus serva ædem Dianæ dedicaverit in Aventino: cujus tutelæ sunt cervi; a quorum celeritate fugitivos vocant cervos; » ita legendum pro *vocent servos:* quod et partim monuit Dacierius. Hic autem vides *cervos* sub Dianæ *tutela:* longe aliter Horatius, carm. IV, 6, 33:

> Deliæ tutela Deæ, fugaces
> Lyncas et cervos cohibentis arcu.

24. *Numquamne avidis arcebo rapinis*, etc. Ne dubites de epitheto *avidis* facit locus Prop. I, 20, 11: « Nympharum semper cupidas defende rapinas; » et Nostri, Theb. IV, 695: « nocturnaque furta licentum Cornipedum et cupidas Faunorum arcebo rapinas. »

33. *Sic tota cum veste ruit. Sic ruit:* quomodo *ruit?* nulla enim hic comparatio. Deinde, *tota cum veste:* inepte: quis enim supponere potest eam cum *parte vestis* in fontem ruituram esse? Lege, certissima emendatione, « Sicut erat cum veste, ruit; » Thebaid. III, 680; IV, 802; VII, 819, de Amphiarao ad inferos descendente; Ovid. Metam. XIII, 584; Sidon. Apollinar. carm. II, 405; Noster, Theb. IX, 36:

> . . . . juvat exhaustos iterare labores
> Sicut erant: pulvis sudorque cruorque per artus
> Mixtus adhuc: vertere gradum vix, etc.

ita legendus et distinguendus iste locus, vulgo pessime habens. Contrarium passa est Arethusa apud Ovid. Met. V, 601, « Sicut eram, fugio sine

vestibus: » Nostra, *cum veste*. Sueton. Claudio, c. 34: « Induxit et unum ex nomenculatoribus suis, sicut erat togatum. » Plura exempla ad manum sunt, si hæc non sufficiant.

38. *Immitem Bromium*, etc. Gronov. Diatr. cap. 20: « Auctor sum edituris Statium, ut sine ulla hæsitatione in textum recipiant palmariam illustrissimi viri conjecturam, *Invitam Brimo*. » Is est Scaliger, Not. ad Propert. II, 2, 12: « Virgineum Brimo composuisse latus. » Quod vero Statius Dianam vocat *Brimo*, in diversum abeunt ceteri scriptores, qui *Cererem*, non Dianam, *Brimo* appellant; causam hujusce appellationis narrat Arnobius, lib. V, p. 170. Jupiter enim incestis libidinibus in matrem Cererem æstuans, quum non auderet vi petere quod procaci appetitione conceperat, fit taurus, et ita cupita potitur, « ardescit furiis atque indignationibus mater (verba sunt Arnobii), spumat, anhelat, exæstuat, nec fremitum continere tempestatemque irarum valens, ex continua passione *Brimo* deinceps ut appelletur, assumsit. » Et ita quoque Clem. Alexandrin. Admonit. ad Gentes, pag. 11, ed. Paris. Διοῦς δὲ μυστήρια καὶ Διὸς πρὸς μητέρα Δήμητραν ἀφροδίσιοι συμπλοκαὶ, καὶ μῆνις (οὐκ οἶδ' ὅτι φῶ λοιπὸν, μητρὸς ἢ γυναικὸς) τῆς Διοῦς· ἧς δὴ χάριν, ΒΡΙΜΟ προσαγορευθῆναι λέγονται: « Cereris vero mysteria, et Jovis cum matre venereæ conjunctiones, et ira Cereris (nescio an dicam matris vel uxoris), ob quam iram Brimo appellatam esse dicitur. » Est enim Βριμοῦσθαι idem quod θυμοῦσθαι, ὀργίζεσθαι, *fremere, irasci*. Hesychius: Βρίμει, ἀτειλεῖ· καὶ γυναικεία ἀῤῥητοποιία· quæ ultima verba explicanda sunt ex istis Hesychii: Βριμάζει, ὀργᾷ ὡς συνουσίαν, Κύπριοι. Sed hæc obiter. Nequaquam igitur Statio et auctoribus citatis convenit: nisi dicas Cererem seu *Brimo*, et *Dianam* seu Lunam, easdem esse: de qua re vide Macrobium, Saturn. I, 18 ad finem. Sed tota Veterum Μυθολογία tenebris et contradictionibus obvoluta. Memoriæ vero falsus fuit Gronovius, quum *Invitam Brimo* Scaligero imputaret: ille enim non *Invitam* sed *Immitem Brimo*, ut in vulgatis est, legebat.

41. *Deposuit juxta*. Id est, *plantavit*: ex Virg. Georg. II, 23: « Hic plantas tenero abscidens de corpore matrum Deposuit sulcis. » Senec. Consol. ad Marciam. cap. 16: « Agricola, eversis arboribus, quas aut ventus radicitus evulsit, aut contortus repentino impetu turbo perfregit, subolem ex illis residuam fovet, et amissarum semina statim plantasque deponit; » ita legendum; vulgo *disponit*, male; quum de *plantatione* non *ordinatione* et *dispositione* ex sensu liqueat eum agere. Vide Gronovium ad Epist. 86, ubi simile mendum sustulit. Plinius, Hist. Nat. XIX, 6, de cæpis: « Ascaloniarum propria natura: etenim velut steriles sunt ab radice; et ob id semine seri illas, non deponi, jussere Græci. »

52. *Stupeant tua germina*; id est, *colant, venerentur*, cum *stupore* quodam seu *admiratione*. Achilleid. I, v. 14, ad Domitianum: « At tu, quem primum longe stupet Itala virtus; » Claudian. in Prob. et Olybr.

Cons. vs. 162 : « Medisque subactis Nostra Semiramiæ stupeant insignia turres; » ita invenit Heinsius in Pulmanni Codice (Nos vero, *timeant*. Ed.) Ubique exempla.

53. *Illa Dei veteres animata calores.* Latinitatem in his quæro : dixisse enim debuit vel animata *in calores*, vel animata *caloribus*. Noster, Thebaid. lib. VI, vers. 268 :

> Exin magnanimum series antiqua parentum
> Invehitur, mixis in vultum animata figuris.

Ovid. Metam. IV, vers. 617 :

> Gorgonei capitis guttæ cecidere cruentæ :
> Quas humus exceptas varios animavit in angues;

et XIV, 566 : « In nymphas animata classe marinas; » Sedul. V, 266 : « Corpora Sanctorum fractis abiere sepulchris, In cineres animata suos. » Vel animata *caloribus*. Claudian. IV, Cons. Honor. vs. 591 : « multaque animantur iaspide cultus; » quem locum adduxi et emendavi supra ad Eq. Max. vs. 20, quo tempore editio Heinsii ad manus non erat; hæc inspecta, video eum annotantem, « *variantur* unus Mediceus; *hortatur* in nonnullis; forte *animatur*. » Ne dubites quin scripserit Claudian. ita ut emendavi, *animantur* : quæ vox in MSS. hoc modo scribitur *aiātur* : unde ista *variantur* et *hortatur* et vulgata *ornantur*. Nost. Pietat. Abasc. vs. 2 : « Aut ebur, impressis aurumve animare figuris; » Theb. III, 223 : « urmaque in auro Tristia, terrificis monstrorum animata figuris. » Plura exempla utriusque generis vide apud Heins. ad Claudian. in Rapt. Pros. III, 386, et passim in Statio reperies. Jam vero qua analogia, quo sensu interpretabimur istud *animata calores?* quippe notus ille Græcismus quo subintelligitur præpositio *κατὰ*, hic locum non potest habere; nec enim potes dicere, arbor *animata calores*, eo modo quo clipeus *cælatus pugnas* apud Nostrum, Achilleid. II, 178; et, arma *expressa casus*, Valer. Flacc. I, 398; et, flores *inscripti nomina* regum, apud Virgilium; in illis enim locis idem est ac si dixissent, clipeus qui *pugnas cælatas habet;* et arma quæ *casus expressos habent* seu *exprimunt;* et flores qui *nomina regum inscripta habent* : nullo vero sensu potes dicere, arbor quæ *calores Dei animatos habet*. Domitius interpretatur, *animata, quæ concepit* : more suo verba detorquendi ad sensum quem animo conceperat, securus utrum ea sit eorum significatio, necne. Lege, « illa Dei veteres imitata calores. » Sensu optimo, mutatione minima. De rebus inanimis hanc vocem usurpari notum est. Manilius, I, 201 : « Terra quoque aerias leges imitata pependit; » Ovid. Met. IX, 340 : « Tyrios imitata colores; » Martial. I, XLIV, 6 : « Aut imitata breves punica mala rosas; » Horat. ep. II, 1, vs. 207 : « Lana Tarentino violas imitata veneno; » ita legendum puto pro *lana* : alibi dixi. Plin. Histor. Nat. XIV, 3 : « caudas vulpium imitata alopecis; » vitis ea species. In contextum itaque admisi *imitata*. Quod si quis audaciam hanc damnet, tantum peto, ut exemplo uno hujusce constructionis me refutet. Aliquis forte conjiciat, « illa Dei in

veteres animata calores. » Sed probe scio Statium non ita scripturum fuisse.

62. *Hæc tibi, parva quidem, geniali luce paramus Dona.* Ita omnes, quas inspexi, editiones, præter unicam Parmensem, ex optimis codicibus expressam, prout testatur N. Heinsius alicubi ad Claudianum. Ea habet *genitali* luce. Nihil verius: *lux genitalis* idem est quod *dies natalis*, in qua *genimur*, seu nascimur. Ovid. Trist. III, 13, 18, quæ est de *Natali* suo, vocat *tempus genitale;* quæ ibi est indubitata scriptura. Noster, Genethliaco Lucani, v. 131: « Procul hinc abite mortes: Hæc vitæ genitalis est origo; » ita enim et illic ex eadem Parmensi scribendum pro *genialis;* alludit ad titulum eclogæ quæ est *Genethliacon* seu *proprius dies* seu *natalis* Lucani: et simul opponit *mortem* et *genitalem originem* vitæ: quasi dixisset, Quid *morti* cum *die natali?* abeas, o Mors; nihil tibi cum hac luce: hæc enim est *natalis* Lucani. Miror igitur Salmasium, qui ad Capitolini Pertinacem, cap. 15, scribit *genitales dies* pro *nataliciis* non esse sermonis aut consuetudinis Latinæ; nec audiendus Gronovius, qui legit, *Hac vitæ genialis*, pro *hæc;* nesciit vir summus lectionem edit. Parm. quam nunquam viderat. Hæ vero voces sæpissime commutantur in Codd. MSS. Ovid. Art. Amat. I, 125, de virginibus Sabinis: « genitalis præda, » quæ est elegans Burmanni restitutio, pro *genialis.* (Nos *t* omisimus. Ed.) Sciunt pueri quare *genitalem* prædam vocet Sabinas Ovid. quia nempe rapiebantur liberorum *gignendorum* et suscipiendorum gratia. In contextum itaque recepi *genitali* luce: idem facturus etiamsi in Parmensi non invenissem. Aliud est *genialis* lux; nempe *festa, hilaris, læta,* qua *Genio* indulgemus. Juven. sat. IV, 66, « genialis agatur Ista dies; » unde *genialis hiems*, Virgilio. Optime autem conveniunt *Dona;* ea enim *natalibus* mittebantur amicis, ut ex Martiale et aliis notum. Ita Censorinus librum suum *de Die Natali* misit Q. Cerellio, *Natalitii* titulo, ut ipse ait, cap. 1, ubi vide notas Lindenbrogii. Sic etiam Antholog. I, 30: Ἀντίπατρος Πείσωνι ΓΕΝΕΘΛΙΟΝ ἄγραφον ΒΙΒΛΟΝ.

68. *Et secrete palam.* Domitius: « Inemendati Codices habent, *et satiate palam;* nos *secrete* legimus, ut dicat, *Qui non minus continenter* secretus *visus* (opinor *vivis*) *quam si publice ageres.* » Hinc apparet, vel Domitium non bona fide et ingenue agere, vel eum non vidisse edit. Parmensem, quæ clare habet *Et secrete palam.* Et huic lectioni acquiescit Gronov. Diatr. cap. 20, me non rennente, modo intelligerem quid sit *vir secretus*, aut qua laudis parte afficiendus. *Secretus* quidem *turbis popularibus* aut *negotiis* recte dicitur aliquis; sed exemplum desidero ubi laudatur quispiam eo quod sit *secretus* absolute: et magis quia tam in malam quam bonam partem *secretus* quis esse potest. Multo minus admitto interpretationem et conjecturam Gevartii, *Exsatiate palam;* hoc est, inquit ille, *plenus vita.* Quid? an *exsatiatus* significat *plenus vita?* non certe magis quam *plenus vino;* et quid est *palam plenus vita?* Quod

si dicat τὸ *vitæ* repetendum esse a fine versus et voce *vitam*, respondeo, tunc scribi oportuisse *Exsatiate palam* quam *digeris ordine vitam:* palam exsatiate vitæ *quam* vitam digeris ordine; non *qui*. Hæ sunt allucinationes doctorum virorum quum fateri nolint se non intelligere quod non intelligunt. Sub vocibus *satiate palam* latere puto epitheton aliquod τοῦ *vitam;* quærant acutiores: mihi simplicius videtur fateri nescire quod nescio. Scio quidem voces *secrete* et *secure* a librariis sæpe confundi: vide cl. Drakenborch. ad Sil. Italic. XI, 324. Sed si Statius scripsisset *Et secure palam*, vix explicare potuissem.

73. *Vincere persta Quos pater Elysio, genitrix quos detulit annos.* Id est, superes ætate patrem et matrem tuam mortuos: *vincas* annos quos illi ad campos Elysios detulerunt. Ita, Silv. V, 269, de Ænea,

> Tentantem et vivos molitum in Tartara gressus
> Detulit infernæ vates longæva Dianæ.

75. *Hoc illi duras exoravere sorores. Illi*, id est, *pater* et *mater tua* hoc Parcas tibi exorarunt, hoc impetraverunt a Parcis, ut eorum annos superes; hoc etiam *exoravit* gloria Blæsi, quam non sinis interire. Hæc explicanda erant, quoniam interpretes non intellexerunt vocem *exoravit* repetendam esse in ultima parte sententiæ, ut Theb. VI, v. 144: « At tua nondum, Cadme, domus; nullus Tyrio grege plangitur infans; » ubi vox *plangitur* ἀπὸ κοινοῦ utrique parti sententiæ applicanda est. Ovid. Metam. XV, vers. 156:

> Corpora sive rogus flamma, seu tabe vetustas
> Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis.
> Morte carent animæ:

ita distinguendum; vulgo τέλεια στίγμη ponitur post τὸ *putetis;* quo pacto pars ultima sententiæ, quæ pendet a voce *animæ*, corrumpitur. Constructio est: *ne putetis* animas *posse pati mala ulla;* quippe *morte carent animæ*. Juvenal. VI, vers. 162:

> Sit formosa, decens, dives, fecunda, vetustos
> Porticibus disponat avos, intactior omni
> Crinibus effusis bellum dirimente Sabina
> (Rara avis in terris, nigroque simillima cycno):
> Quis feret uxorem cui constant omnia?....

ita distinguendum. *Sit* uxor *formosa, decens, dives*, etc. *quis ferat* uxorem *cui omnia constant?* Locum adduco, ut mecum mireris istam vocem *intactior*, quæ mihi absurdissima videtur: non enim *uxores* (de quibus hic agit Juvenalis) sed *virgines* dicuntur *intactæ;* vide Virg. Æneid. I, 349, et poetas passim: *intactæ* quidem recte dicerentur Sabinæ antequam a Romanis raperentur; et ita eas appellat Propertius, lib. II; sed non ita quum *bellum dirimebant;* tunc enim *matres* erant; vide Liv. I, 13. Mitto vocem *intactior*, novam, nec alibi, credo, inveniendam. Lege,

> Porticibus disponat avos, sit castior omni

Crinibus effusis bellum dirimente Sabina.

Notabiles *castitate* Sabinæ; vide Horat. epod. II, v. 41. Ita emendaveram, quum inspecto vetere scholiaste illum quoque ita legisse deprehendi. Sic enim habet: « *Bellum*. Sit castior Sabinis, quæ fœdera inter Tatium et Romulum fecerunt. » Vides ipsa verba, hoc est, rem ipsam. Prima litera τοῦ *sit* amittebatur in ultima præcedentis *avos:* unde ex *itcastior* fecerunt *intactior*, minima mutatione. « Exoravere hoc duras sorores, » ut carm. VII, vers. 121: « Unum quæso diem Deos silentum Exores. » *Hoc, Hoc*, ut apud Virg. Georg. II, 352: « Hoc effusos munimen ad imbres; Hoc, ubi hiulca siti findit canis æstifer arva. »

CARMEN IV.

PSITTACUS MELIORIS.*

Psittace, dux volucrum, domini facunda voluptas,
Humanæ solers imitator, Psittace, linguæ,
Quis tua tam subito præclusit murmura fato?
Hesternas, miserande, dapes moriturus inisti
Nobiscum; et gratæ carpentem munera mensæ,
Errantemque toris mediæ plus tempore noctis
Vidimus: affatus etiam meditataque verba
Reddideras; at nunc æterna silentia Lethes
Ille canorus habes. Cedat Phaëtontia vulgi
Fabula; nec soli celebrant sua funera cycni.
At tibi quanta domus rutila testudine fulgens,
Connexusque ebori virgarum argenteus ordo,

VARIÆ LECTIONES.

* *Psittacus Melioris.* Cod. Paris. *Psitacus Atedii Melioris;* quod et habet ed. pr. A.

3. Pro *murmura* ed. Parm. *lumina;* perperam. Vide quæ dixi in præfatione, de commutatione vocum trisyllabarum.

4. *Hesternas.* Edd. Rom. et Ven. *externas,* forte *extremas,* et hoc verum puto: hæ tres voces perpetuo confunduntur in libris. — Cod. Par. *externas.*

9. *Habes.* Heins. ad Ovid. Herr. XIV, 95, « pro *habes,* forte, inquit, reponendum *obis.* » Non opus est: Noster, Protrept. Crisp. vers. 136: « an te septenus *habebit* Ister? » Ovid. R. Am. vs. 630: « Alter, si possis, orbis *habendus* erit; » ubi *habere alterum orbem,* ut *habere silentia Lethes.* Genethl. Luc. v. 111: « Seu pacis merito nemus reclusæ Felix Elysiis *tenes* in oris. » Idem ergo: « tu habes silentia Lethes, » et « silentia Lethes te habent; » et proinde nihil mutandum. — *Habes.* Sic Cod. Par. ex emendatione: *habet* a prima manu. A.

10. Edit. Parmen. exhibet *non* pro *nec.*

Argutumque tuo stridentia limina cornu!
En querulæ jam sponte fores! vacat ille beatus
Carcer, et angusti nusquam convicia tecti.
Huc doctæ stipentur aves, quis nobile fandi
Jus Natura dedit: plangat Phœbeïus ales;
Auditasque memor penitus demittere voces
Sturnus, et Aonio versæ certamine picæ;
Quique refert jungens iterata vocabula perdix;
Et quæ Bistonio queritur soror orba cubili;
Ferte simul gemitus, cognataque ducite flammis
Funera, et hoc cunctæ miserandum addiscite carmen:
« Occidit aëriæ celeberrima gloria gentis
Psittacus, ille plagæ viridis regnator Eoæ;
Quem non gemmata volucris Junonia cauda
Vinceret, aspectu gelidi non Phasidis ales,
Nec quas humenti Numidæ rapuere sub Austro.
Ille salutator regum, nomenque locutus
Cæsareum, et queruli quondam vice functus amici:

14. *En.* Vulgo *et.* — Cod. Par. *et:* sic edd. Cruc. et Gronov. Vid. not. A.

15. Ed. Parm. *augusti tecti*, non *angusti*: et ita in sua editione Gronovius. Supra quidem dixerat, 11: « At tibi quanta domus rutila testudine fulgens. » Nihilominus tamen vix fieri potest ut *augustum* tectum diceret quod modo vocaverat *carcer:* vel ut eadem appellatione afficeret *imperatoris palatium* et *aviculæ caveam:* illud enim *augustum tectum* vocat, Eucharistico, v. 18. — Cod. Paris. *augusti n. convicia;* in margine *convivia* legitur pro *convicia.* Ed. pr. *convitia.* A.

16. *Nobile.* Cod. Par. *mobile.* A.

18. Pro *demittere* multæ editiones perperam habent *dimittere.* — Cod. Paris. *dimittere.* A.

19. *Et Aonio versæ certamine picæ.* Omnino legendum *victæ certamine:* non enim *vertebantur certamine,* sed *vincebantur.* Ovid. Met. V, 300, de hac re: « Nuper et istæ Auxerunt volucrem victæ certamine turbam; » idem Met. XIII, 19; Noster Theb. VIII, 615; Ovidius, Heroid. XVI, 359; idem Met. VI, 91; Livius I, 24: « Priusquam dimicarent, fœdus ictum inter Romanos et Albanos est his legibus, ut, cujusque populi cives eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret. »

29. *Regum nomenque.* Cod. Par. *nomen regumque.* Edit. princ. *Ille salutator nomenque regum locutus.* A.

Nunc conviva levis, monstrataque reddere verba
Tam facilis: quo tu, Melior dilecte, recluso,
Nunquam solus eras: at non inglorius umbris
Mittitur: Assyrio cineres adolentur amomo,
Et tenues Arabum respirant gramina plumæ,
Sicaniosque crocos: senio nec fessus inerti
Scandit odoratos Phœnix felicior ignes.

35. *Gramina.* Vulgo *germine.* Edd. Parm. et Rom. et Ven. habent *gramine.* — Cod. Paris. et ed. Cruc. *gramine.* Ed. Gron. *germine.* Vid. not. A.

36. *Sicaniosque crocos.* Cod. Par. *sicaniisque crocis;* ita legitur in ed. Cruc. et Gronov. A. — Pro *fessus senio,* edd. Parmensis et Ven. habent *fusus;* perperam.

37. Pro *Phœnix,* ed. Ven. *felix:* pessime.

NOTÆ

IN CARMEN QUARTUM LIBRI SECUNDI

SILVARUM.

PSITTACUS MELIORIS. Ecce occurrit adhuc Atedius ille Melior, cui novum offert carminis sui tributum Statius. Nuper (huj. lib. carm. I, pag. 175 sqq.) cum illo lugebat poeta de Glaucia interempto; nunc, plectro leviore, Psittaco, domini deliciis, delicate simul et poetice nænias canit. A.

VERS. 1. *Psittace, dux volucrum.* In Gloss. Cyrill. scribitur unico τ Ψιτακὸς, *Psitacus.* Plinius, lib. X, cap. 42, ait avem hanc vocari in India *Sitacem.* A.

14. *Et querulæ jam sponte fores.* Operæ pretium sit exscribere notulam viri de Statio bene meriti. « Ingeniose (inquit ille) Politianus (epist. VI, 1) hunc locum interpretatus est; *Querulæ*, inquit, jam *sponte fores videntur*, quoniam quidem querulæ antea quoque, sed non sponte; quia brutorum voces etiam interdum *querulæ* dicuntur. Ita *questus avium* dixit IV Silv., ad Sever. Ait itaque poeta caveam Psittaci jam conqueri quod desolata sit. Eodem modo, Theb. V, nidum avis quem serpens rapuerat *querulam domum* vocat. » Revera vix intelligo, quid velit vir doctus: puto tamen contraria omnia a Statio dici debuisse; quomodo enim *querulæ* esse possunt fores quum *tacet* cavea? hoc enim intelligendum est istis, « et angusti nusquam convicia tecti. » Contrarium, inquam, oportuit, hoc modo:

> En! mutæ non sponte fores! vacat ille beatus
> Carcer, et angusti nusquam convicia tecti.

Jam omnia belle cohærent: limina olim tuo rostro *stridebant*, nunc *mutæ sunt*; sed *non sponte;* invito, et quasi hoc silentium dolentes. Ita Achill. I, 237: « speluncaque docti Muta senis; » *docti senis*, Chironis. Alibi, Theb. lib. VIII, vers. 196: « Mutisque diu plorabere Delphis. » *Non sponte*, ut Virgil. Æneid. lib. XI, vers. 827: « Simul his dictis linquebat habenas, Ad terram non sponte fluens; » alibi, Æneid. IV, 361, « Italiam non sponte sequor. » Tale quippiam sensus videtur requirere: sed multum abest, ut affirmem Statium ita scripsisse.

20. *Quique refert jungens iterata vocabula perdix.* Vir doctus Jacobus Dalechamp. not. ad Plin. Hist. Nat. lib. X, cap. 12, citat hunc versum, ut probet *cornices* vocales esse · « Quique refert jungens iterata vocabula cornix. » Memoriæ errore. Vide tamen erroris inconstantiam : quippe ad cap. 42 ejusdem libri, hunc ipsum versum adducit ut probet *perdices* vocales esse, « Quique refert jungens iterata vocabula perdix. »

32. *Quo tu, Melior dilecte, recluso Nunquam solus eras.* Quæro quo sensu Psittacus *reclusus* dici potest, id est, *apertus. Cavea* quidem *recluditur,* sed non *Psittacus,* nisi cultro chirurgico. Lege, « quo tu, Melior dilecte, relicto, Nunquam solus eras; » si omnes alii convivæ abierint, hoc tamen *relicto,* non solus eras; hic tibi erat pro turba et sodalibus. Nec metuas a sono vocum *dilecte, relicto :* pariter enim optimi poetæ. Ovid. Amor. II, 7, v. 10, « dicor a*more mori,* » et Metam. VII, v. 538 : « m*iratur arator;* » Virgil. Æn. XI, 552 : « Telum i*mmane manu,* etc. » Manilius, II : « Sic mihi cun*ctanti tantæ* succedere moli, etc.; » nisi ibi legendum sit *conanti;* quod verum puto.

35. *Et tenues Arabum respirant germine plumæ Sicaniisque crocis.* Edition. Parm. et Roman. pro *germine* habent *gramine.* Lege, « Et tenues Arabum respirant gramina plumæ Sicaniosque crocos; » Propert. lib. II, 22 :

> Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
> Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.

Apuleius tamen, Miles. XI : « Talis ac tanta, spirans Arabiæ Felicis germina, divina me voce dignata est. » Utroque modo recte dici potest : sequor tamen vetustissimas. Bene vero *respirant gramina* non *gramine;* ita II, 2, vs. 77 : « inde malignum Aera respirat pelago circumflua Nesis; » non *Aere. Respirant* idem quod *spirant, exspirant.* Silius Italicus, lib. III, vers. 703 :

> In latus Hesperium flammam exspirare furentes
> Cornipedes, multoque fluentia sanguine lora,

scil. *cerno. Suspirare* hoc sensu utitur alibi Silius; et Lucan. lib. VI, vers. 369 :

> Quique nec humentes nebulas, nec rore madentem
> Aera, nec tenues ventos suspirat Anaurus.

Inspirare pro eodem utitur Ammian. Marcellinus; sed non occurrit locus; ita *spirare* cum quarto casu : de quo vide Heinsium ad Claudian. IV, Cons. Honor. v. 591. Non vero dimittendum hoc carmen antequam in integrum restituamus insignem locum Ovidii ea Elegia a qua multa mutuatus est Statius. Ea est Amorr. II, 6, 25, ubi mortem Psittaci deflet, et hoc elogio decorat :

> Raptus es invidia; non tu fera bella movebas :
> Garrulus, et placidæ pacis amator eras.

Ecce, coturnices inter sua prælia vivunt;
Forsitan et fiunt inde frequenter anus.
Plenus eras minimo: nec, præ sermonis amore,
In multos poteras ora vacare cibos.
Nux erat esca tibi, causæque papavera somni;
Pellebatque sitim simplicis humor aquæ.
Vivit edax vultur, ducensque per aera gyros
Miluus, et pluviæ graculus auctor aquæ:
Vivit et, etc.

Ita omnes, opinor, editiones et codices. Sed parum accuratus lector est qui non statim videt quam inepte inseratur secundum distich. *Ecce coturnices*, etc. quod narrationem inopportune admodum abrumpit, quum jam in eo esset poeta, ut vitam et mores Psittaci describeret. Detrudendum dico istud distichon in quartum locum, et totum sic legendum: « Raptus es invidia, etc.; Garrulus et, etc.; Plenus eras minimo, etc.; In multos, etc.; Nux erat esca, etc.; Pellebatque, etc. » Et jam locum habet: « Ecce, coturnices inter sua prælia vivunt, forsitan et, etc.; Vivit edax vultur, etc. » Res per se patet.

— Omnibus innotescit concessa avibus aliquot et præsertim Psittaco facultas humanam vocem reddendi. De illa fusa Plinius, Hist. Natur. lib. X, cap. 42 : « Super omnia humanas voces reddunt Psittaci, et quidem sermocinantes. India autem hanc mittit .... Imperatores salutat: et quæ accipit verba pronuntiat in vino præcipue lasciva .... » Ad hæc postrema alludere possunt verba poetæ:

Nunc *conviva levis*, monstrataque reddere verba
Tam facilis....

Digna fuit avis illa, quæ poetarum ingenia certatim accenderet; et sicuti immortalem fecit Catullus Lesbiæ Passerem, ita et Psittacum celebraverunt Ovidius, quem jam citavimus; Pers. Prolog. Satir. vers. 8: Martial. X, III, vs. 7, et XIV, LXXIII. Non tacendum est inprimis eximium poema, quod tanta lepiditate, et tot amœnis carminum floribus respersit Cl. Gresset, cui nomen dedit *Vert-vert*. Multa in hoc occurrunt fere Statio similia:

.... Gratæ carpentem munera mensæ.

Gresset, *chant* Ier:

« Admis partout, si l'on en croit l'histoire,
« L'amant chéri mangeait au réfectoire. »

.... monstrataque reddere verba
Tam facilis....

« Par plusieurs voix interrogé sans cesse,
« Il répondait à tout avec justesse. »

Sic est de pluribus aliis, quæ hic referre non vacat, neque nostrum est. A.

CARMEN V.

LEO MANSUETUS IMP.

Quid tibi constrata mansuescere profuit ira?
Quid scelus, humanasque animo dediscere cædes,
Imperiumque pati, et domino parere minori?
Quid, quod abire domo, rursusque in claustra reverti
Suetus, et a capta jam sponte recedere præda,
Insertasque manus laxo dimittere morsu?
Occidis, altarum vastator sæve ferarum,
Non grege Massylo, curvaque indagine clausus,
Non formidato supra venabula saltu
Incitus, aut cæco foveæ deceptus hiatu,
Sed victus fugiente fera; stat cardine aperto
Infelix cavea, et clausis circum undique portis

VARIÆ LECTIONES.

7. *Sæve.* Vulgo *docte.* — Cod. Paris. ed Gron. *docte.* Vid. not. A.

12. *Clausis... portis.* Edd. Parm. et Rom. habent *clausas portas;* abrupta hæc videntur; et suspicor aliquid deesse, nisi scribendum et distinguendum sit, « Stat cardine aperto Infelix cavea, occlusis circum undique portis. Hoc licuisse nefas pavido gemuere leones. » *Circum undique,* ut Silv. V, 1, « miseram circum undique leti Vallavere plagæ. » Restitue hanc vocem Virgilio, Æneid. IV, 416: « Anna, vides toto properari litore : circum Undique convenere : vocat jam carbasus auras. » Ita distinguendum; vulgo male divellitur hæc vox, et ponitur distinctio post *circum* : « Anna, vides toto properari litore circum : » quæ in errorem induxit Servium, ut putaret *circum* esse *adverbium loci* : quod quidem interdum verum est, sed non hoc loco. — Cod. Paris. habet et interpungit, *clausas... portas.* Hoc l. n. p. t. leones, T. etc. Gron. *portis.* Hoc l. n. p. t. leones, T. etc. A.

Hoc licuisse nefas pavidi timuere leones.
Tunc cunctis cecidere jubæ, puduitque relatum
Aspicere, et torvas duxere in lumina frontes.
At te non primo fusum novus obruit ictu
Ille pudor; mansere animi, virtusque cadenti
A media jam morte redit: nec protinus omnes
Terga dedere minæ: sicut sibi conscius alti
Vulneris, adversum moriens it miles in hostem,
Attollitque manum, et ferro labente minatur:
Sic piger ille gradu, solitoque exsutus honore
Firmat hians oculos animumque, hostemque requirit.
Magna tamen subiti tecum solatia leti,
Victe, feres, quod te mœsti populusque Patresque,
Ceu notus caderes tristi gladiator arena,
Ingemuere mori: magni quod Cæsaris ora
Inter tot Scythicas, Libycasque, et litore Rheni,
Et Pharia de gente feras, quas perdere vile est,
Unius amissi tetigit jactura leonis.

15. *Torvas.* Cod. Paris. et edit. Gron. *totas.* Vid. not. A.

16. *At te non.* Cod. Paris. *At non te.* A.

22. *Solitoque exsutus honore.* Sono et elegantiæ consulueris si legas, *solitosque exsutus honores;* non quin alterum probum sit, sed hoc magis Statianum videtur. — Cod. Paris. præbet *excitus* in margine. A.

23. *Firmat hians oculos animumque.* Omnino legendum *animumque.* Thebaid. IV, 494, « firmans animum; » Epithal. Stell. et Violant. vs. 92: « Firmavique animos; » Tacit. Annal. I, 6, de Centurione quodam: firmatus *animo.* Plinius, epist. VII, 27: « Ille non tollere oculos, non remittere stilum, sed obfirmare animum, acriusque pertendere; » ita legendum puto; (Nos, *auribusque prætendere*, scilic. *animum;* licet pergat Markl. « phrasi vix poetis concedenda, nedum scriptori prosaïco, et in simplici narratione. » Ed.) Tacitus, Ann. XV, 59: « animum firmabat. » Ovid. Met. IX, 744: « animum firmas. » Passim exempla invenies. — Cod. Paris. ed. Gronov. *animam.*

26. *Notus* in margine Cod. Par. qui habet *noctes* in contextu. A. — Pro *gladiator*, ed. Ven. *Germanus*, quod glossatoris est.

NOTÆ

IN CARMEN QUINTUM LIBRI SECUNDI

SILVARUM.

Vers. 7. Vastator *docte ferarum*. Sic vulgo. At mirum epitheton istud *docte vastator*: putares leonem hunc feras fregisse *secundum artem*. Olim conjeceram *vastator torve;* quod de leonibus hanc vocem usurpari ex multis poetarum locis observaveram. Sed aliud me docuit Parmensis, quæ habet *vastator cæde ferarum:* unde nullo negotio elicitur vera lectio, *vastator sæve ferarum;* et hoc *leonibus* convenientissimum et usitatissimum epitheton. Virgil. Georg. II, 151: « sæva leonum Semina. » Noster, Thebaid. IX, 15: « sævos Libyæ contra ire leones? » Manilius, lib. IV, de Africa: « sævosque leones; » Ovid. Met. IV, 102: « lea sæva; » Martial. epigr. II, LXXV, 7, de leone: « Sævus et infelix furiali dente peremit, » sc. duos pueros. Ubique invenies. « Erunt fortasse, quibus mirum et incredibile videbitur vocabulum tam notum et obvium sic corrumpi potuisse. Verum qui veteres codices tractarunt, sciunt nihil esse tam monstrosum, ut in illud non paullatim abeant verba etiam vulgatissima, postquam semel male legi et reddi cœperunt. » Verba sunt Frid. Gronovii ad Plinii Hist. Nat. XXXIII, 1, ubi pro *consertoris*, vel, ut in aliis codicibus legitur, *sartoris*, legit *armorum*. Vide locum.

13. *Hoc licuisse nefas pavidi timuere leones.* Hanc lectionem falsi arguit sensus communis: nemo enim *timere* potest aliquid *licuisse;* quippe *timor* locum habet ubi *in incerto* res sunt, non ubi *præteriit* quod timuimus; tunc enim succedit *dolor*, vel *desperatio*, vel talis aliquis affectus. Si igitur pro *timuere licuisse* scripsisset *doluere licuisse*, recte et secundum naturam scripsisset: ut apud Lucan. IX, 1055: « captique in viscera Magni Hoc aliis licuisse doles; » Procul dubio a Statio fuit, « Hoc licuisse nefas pavidi gemuere leones. » Ita Theb. I, 814: « et longum signis cunctantibus annum Stare gemit; » VII, 821, de Amphiarao: « campumque coire Ingemuit; » Sil. Italic. II, 225: « portaque atque aggere tuto Erupisse gemunt; » Ovid. Metam. III, 94: « Parte flagellari gemuit sua robora caudæ; » Horatius, epist. I, 15, 5:

. . . . sane myrteta relinqui,

Dictaque cessantem nervis elidere morbum
Sulfura contemni vicus gemit.

Sed nec adhuc recte habet sensus: non enim leones gemuere hoc licuisse, absolute, sed « Hoc licuisse nefas pavido gemuere leones. » Si alius et fortior leo hoc facinus perpetrasset, nihil adeo dolendum foret: quum vero *pavido* tigridi (quem supra vocat *feram fugientem*) tantum licuit, hoc quidem *gemendum* erat; compar sententia apud Claudian. in Rufin. II, 198: « ignavo tantum licuisse nocenti Miratur. » Sil. Italic. XIV, 671: « Ingemuit nimium juris, tantumque licere Horruit; » Avien. Fab. II, « Ingemuit votis hæc licuisse suis. » De re vide Martial. lib. de Spectac. epigr. XVIII. *Gemere* vero de leonibus recte dici notum ex isto Virgil. Eclog. V, vers. 27:

Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feros silvasque loquuntur:

ita legendus iste nunquam adhuc intellectus locus, pro *feri* et *silvæ*. Ortus error ex eo quod non intelligebant τὸ *loquuntur* idem esse ac *ferunt*, *dicunt*; ut Æn. I, 731: « Juppiter (hospitibus nam te dare jura loquuntur), Hunc lætum, etc. » id est, *dicunt* te dare jura. Horat. epist. I, 20:

Me libertino natum patre, et in tenui re
Majores pennas nido extendisse loqueris:

ubi eadem verborum constructio, *loqueris me extendisse pennas*, ut *loquuntur leones ingemuisse interitum*. Jam vero sensu et constructione loci Virgiliani nihil facilius: « Daphni, dicunt leones et feros montes et silvas ingemuisse tuum interitum. » Pro *feros* errore librarii scriptum erat *feris*; inde, ultima litera *s* a proxime sequenti absorpta, *feri*: dehinc factum *silvæ* pro *silvas*, ut ejusdem casus esset ac *feri*; millies hoc veterum scriptis accidit. (Nos, hic etiam Markl. repugnantes, *montes feri*, *silvæ*, in nostra Virgil. editione retinuimus. Vide var. lect. et notas, p. 143, vol. I, et p. 283, vol. V, ubi fusius nostram explicuimus sententiam. Ed.)

15. *Totas duxere in lumina frontes.* Nullius usus vox ista *totas*; nunquam enim, opinor, *partem* frontis in lumina ducere solent leones. Juvenal. sat. IX, 1:

Scire velim quare toties mihi, Nævole, tristis
Occurras fronte obducta, ceu Marsya victus:

vides *fronte obducta*, non *tota fronte obducta*. Scripsit Statius: « Torvas duxere in lumina frontes; » Virgil. Æneid. III, 635: « Telo lumen terebramus acuto Ingens, quod torva solum sub fronte latebat; » Martialis, Epigr. IV, XIV, 11:

Nec torva lege fronte, sed remissa,
Lascivis madidos jocis libellos.

Sil. Ital. III, 75: « Ora parentis Agnosco, *torva*que oculos sub fronte minaces. » Et ita passim apud poetas.

30. *Unius amissi tetigit jactura leonis.* Mirum sane est quod occurrit versu ultimo hujus carminis, « magni quod Cæsaris ora Uniús amissi tetigit jactura leonis; » quippe *jactura amissi* leonis pæne idem est ac si diceres *amissio amissi* leonis; non tamen adeo absimile istud Ovidii, Met. IX, 98, de Acheloo amne: « Huic tantum ablati doluit jactura decoris; Cætera sospes erat; » ita enim legendum; vulgo, « Hunc tamen ablati domuit, etc. » Comparat poeta sortem Acheloï cum sorte Nessi, qui ambo Dejaniram amarunt: Achelous, inquit, ex amore Dejaniræ tantum *doluit*, nullum aliud malum assecutus est præter *dolorem* (ob amissum scilic. alterum cornu); at tu, Nesse, *exitium*. Auctor tibi sum Ovidium ita scripsisse, et tute fateberis si locum spectes. Naugerius invenit in nonnullis codicibus *tantum*, et ita Heinsius in quinque: *domuit* pro *doluit*, frequenti vice literarum *l* et *m*: de qua ad Silv. V, 3. Pro *sospes erat* codex unus Heinsii habuit, sospes *abit*: quod defendit vir summus. — Nos, ad Ovid. tom. IV, pag. 87: « *Haud tamen* ablati... » Cæterum, quia sæpo nostris ab editionibus variat Markl. non operæ pretium esse judicamus, hanc discrepantiam in opere deinceps indicare. Non equidem omittemus annotationes Markland. de varietate lectionum. Sed hoc semel lectorem admonitum volumus, ut recurrat ad locos citatos, quales in nostra editione, non sine causa et maturo judicio, relati fuerunt. Ed.

CARMEN VI.

CONSOLATIO AD FLAVIUM URSUM,

DE AMISSIONE PUERI DELICATI.*

Sæve nimis, lacrimis quisquis discrimina ponis,
Lugendique modos! Miserum est primæva parenti
Pignora, surgentesque (nefas) accendere natos:
Durum et deserti, prærepta conjuge, partem

VARIÆ LECTIONES.

* *Consolatio ad Flavium Ursum*, etc. Ita edidi, secutus Gronovium, qui in duobus codicibus pari fere modo hanc epigraphen invenit: nisi quod in uno *Flavium Ruffum de morte pueri.* Verum est *amissione*, ut epist. ad Meliorem, libro huic præfixa: « scriptam de puero amisso Consolationem; » ubi titulo carminis hujus alludit; quod et alias facit. Eadem epistola: « Jam vero tibi hujus amissi recens vulnus, ut scis, epicedio prosecutus sum; » de Glaucia Melioris; ubi pariter carminis lemmati alludit, quod fuit, *Epicedium Glauciæ Melioris* (non, *in Glauciam Melioris*); et ita ibi habet vetusta Parmensis: hic vero, « Ad Ursum juvenem amicissimum; » quod etiam habuit ex eadem epistola; licet ibi paullo aliter sit, « Ad Ursum quoque nostrum, juvenem candidissimum, etc. » non *amicissimum*. Pro *Piletus* legendum *Philetus*, a Græco ΦΙΛΗΤΟΣ: et ita apud Martialem, II, XLIV, 8, et vet. Inscript. apud Reines. pag. 239 et 756; ita etiam scriptus codex, notante Gronovio. Vide Marq. Gudium ad Phædrum, V, 10: « Hæc cur, Philete, scripserim, pulchre vides. » Vetus epitaphium, Romæ repertum: ΦΙΛΗΤΩ, *τόδε σῆμα, κατοιχομένῳ συνομίνῳ, Αβασκαντὶς γαμετὰ μνημοσύνης ἕνεκεν.* Citatur in not. Sirmondi, ad Sidon. Apollinar. epist. IX, 16, et a Grævio, in Spicileg. Notar. in Rutilii Itinerar. vs. 419; ubi probat primam syllabam hujus vocis communem esse. — Cod. Par. *ad Ursum Juvenem Epicedion Pileti*; edit. pr. *ad Ursum Juvenem Amicissimum*; Ald. et veteres, *Epicedion Pileti Ursi.* A.

2. Ed. pr. *modo*, pro *modos.* A.

3. *Accendere.* Cod. Par. præbet *succendere* in margine: v. not. A.

4. In ed. pr. *est.... patrem.* A.

Conclamare tori: mœsta et lamenta sororum,
Et fratrum gemitus. Arcte tamen, et procul intrat
Altius in sensus, majoraque vulnera vincit
Plaga minor. Famulum (quoniam rerum omnia cæca
Sic miscet Fortuna manu, nec pectora novit)
Sed famulum gemis, Urse, pium: sed amore, fideque
Has meritum lacrimas; cui major stemmate juncto
Nobilitas ex mente fuit. Ne comprime fletus,
Ne pudeat: rumpat frenos dolor iste (Deisque
Si tam dura placent), hominem gemis (hei mihi! subdo
Ipse faces) hominem, Urse, tuum, cui dulce volenti
Servitium, cui triste nihil; qui sponte, sibique
Imperiosus erat. Quisnam hæc in funera missos
Castiget luctus? gemit inter bella peremptum
Parthus equum, fidosque canes flevere Molossi,
Et volucres habuere rogum, cervusque Maronis.
Quid si nec famulus? vidi ipse animosque notavi

5. Pro *conclamare*, ed. pr. *clamavere*. A.

6. *Arcte*. Ed. pr. *ad te*: v. not. A.

8. Ed. pr. habet *quia rerum omnium egena;* Ald. *quoniam r. omnia cæca*. A.

9. *Nec pectora novit*. Ita recte Bernartius et Gevartius pro *movit*. Fortuna non *novit*, non inspicit, et recte æstimat animos et *pectora* hominum: quod si fecisset, dignus fuisset Philetus nasci liber. Pari sensu Herc. Epitrap. V, 89: « Si mores humanaque pectora curæ Nosse Deis. » Male Gronovius sincerum corrumpit legendo et defendendo (Diatr. c. 21): « Si miscet Fortuna manu, nec pectora morit; » licet Elench. Antidiatr. c. 3, dicat se ideo tantum protulisse hanc conjecturam, ut ejus occasione Silium, Statium alibi, Lucanum et Valer. Flaccum emendaret et illustraret. — Cod. Par. edd. pr. Ald. *movit*. A.

10. *Urse*. Cod. Paris. *usque*. Ed. pr. habet *Nec famulum genus et sepium*. A.

12. *Nobilitas*. Cod. Paris. edd. pr. Ald. *Libertas*. Vid. not. A.

13. Pro *Deisque*, ed. pr. *diesque*. Vid. not. A.

14. *Hominem gemis*. Ed. prine. *hominum genus*, et v. s. *hominum* pro *hominem*. A.

21. *Vidi ipse, habitusque notavi*, etc. Ita plurimæ editiones. Bentleius tamen ad Horat. Sermon. II, VII, 83, citat, « vidi ipse animosque notavi; » et ita inveni in Parmensi; in Romana, *animoque*: et Crucei editio habet *animosque;* omnino verum *animos*, id est, *spiritum*,

Te tantum capientis herum: sed major in ore
Spiritus, et tenero manifesti in sanguine mores.
Optarent multum Graiæ, cuperentque Latinæ
Sic peperisse nurus. Non talem Cressa superbum
Callida sollicito revocavit Thesea filo:
Nec Paris OEbalios talis visurus amores
Rusticus invisas dejecit in æquora pinus.
Non fallo, aut cantus assueta licentia ducit:
Vidi, et adhuc video, qualem nec bella caventem

generosæ indolis indicem. Virgilius, Æn. VII, 42: « Dicam acies, actosque animis in funera reges. » Seneca, Troad. v. 340: « Hos Scyros animos? » ubi Agamemnon Pyrrhum alloquitur, et illi exprobrat natalis sui ignobilitatem. Silv. IV, 4: « Illic egregium formaque animisque videbis Marcellum. — Pro *animosque* Cod. Paris. affert *habitusque* in margine; edit. pr. Ald. habent *habitusque*.

22. *Te tantum cupientis herum*. Quisquis herum *cupit* necesse est *servili* sit animo; *ferre* quidem *dominum* necessitate adactus interdum potest magnus animus; nunquam vero *cupere:* lege igitur, « Te tantum capientis herum. » Vide annotata ad Silv. I, 2, v. 107, ubi de hac voce fusius; statim etiam sequitur, « cuperentque Latinæ Sic peperisse nurus; » quod ultra mendum arguit. Sed contra me movet, quod summus Bentleius in sua hujus loci explicatione legit *cupientis;* et huic aliquatenus favent præcedentia, « tuum cui dulce volenti Servitium. » Melius itaque forte nihil in contexta mutasse. — Cod. Paris. ed. pr. Ald. et omnes vett. *cupientis*. A.

27. Pro *talis*, Cod. Paris. habet *tales*.

28. Pro *invisas* nonnullæ edd. perperam habent *invitas*. — Cod. Paris. edd. pr. Ald. et omn. vett. *invitas*. Vid. not. A.

30. *Qualem nec bella caventem*. Bella *caventem*, id est, ut bella *caveret*, seu *vitaret*, ut recte Domitius: nec audiendus Gevartius, qui *canentem* legit. Sensus est: non tam formosus erat Achilles, quem mater inter virgines occultavit, ut bella *vitaret;* non, ut bella *caneret; cavere* in hoc sensu Statio familiare: Theb. VI, 769: « Sed providus astu Et patria vigil arte Lacon hos rejicit ictus, Hos cavet; » ibid. 780: « Illum rigida arma caventem Avocat; » iterum, v. 792: « motu Spartanus acuto Mille cavet lapsas circum cava tempora mortes; » i. e. *vitat*. Verum quidem est quod dicit Gevartius, Achillem musicum fuisse et solitum esse bella *canere*, a Chirone præceptore edoctum; sed hoc non satis est; requiritur enim *causa* propter quam mater eum occultavit: hæc vero non fuit, ut bella *caneret*, sed *caveret* seu vitaret: et ita præferunt antiquissimæ editiones Parmensis et Romana. Grono-

Litore virgineo Thetis occultavit Achillem :
Nec circum sævi fugientem mœnia Phœbi
Troïlon Æmoniæ deprendit lancea dextræ.
Qualis eras, procul heu ! cunctis puerisque virisque
Pulchrior, et tantum domino minor ! illius unus
Ante decor, quantum præcedit clara minores
Luna faces, quantumque alios premit Hesperus ignes.
Non tibi femineum vultu decus, oraque supra
Mollis honos (quales dubiæ discrimina formæ
De sexu transire jubent); parvoque virilis
Gratia, nec petulans acies, blandique severo
Igne oculi (qualis bellis jam casside missa
Parthenopæus erat); simplexque horrore decoro
Crinis, et obsessæ nondum, primoque micantes
Flore genæ. Talem Ledeo gurgite pubem
Educat Eurotas; teneri sic integer ævi
Elin adit, primosque Jovi puer approbat annos.

vius edidit *caventem :* in erratis tamen reponi vult *canentem*. — Cod. Par. ed. pr. *canentem*. A.

33. Pro *deprendit*, ed. pr. *trajecit*. A.

34. *Qualis erat procul heu ! cunctis puerisque virisque Pulchrior !* Parmensis, *Talis eras procul En :* Romana, *Qualis eras procul heu ;* et hoc verum, *eras* non *erat :* puerum enim jam alloquitur, ut mox, « Non tibi femineum vultu decus. » Notanda vero vox *procul*, quæ cum comparativo significat *longe : procul pulchrior* pro *longe pulchrior ;* ita supra vers. 6 : « arcte tamen et procul intrat Altius in sensus ; » pro *longe altius*. Etiam sine comparativo in Surrent. Pollii, v. 83 : « Ante tamen cunctas procul eminet una diætas ; » id est, *longe* ante cunctas. — Pro *eras*, Ald. *erat ;* edit. princ. *e cunctis*. A.

36. *Præcedit*. Ed. pr. *procedit*. A.

39. *Quales dubiæ discrimina*. Cod. Paris. edd. princ. Ald. et vet. *qualis dubiæ post crimina*. Vid. not. A.

40. Pro *parvoque* Parmensis habet *torvaque ;* Romana, *torvoque :* perperam. — Cod. Par. *torvoque*, et *ornat* in margine. Edit. pr. *torvaque*. A.

42. Parmens. et Rom. pro *belli* habent *bellis ; missa* etiam casside, pro *visa*, ex MS. Senensi reponendum. — *Missa* est in marg. Cod. Paris. qui cum Cruc. habet *visa*. Ed. pr. *visu*, Ald. *visa*. Præterea *belli* pro *bellis* in Ald. A.

43. *Horrore*. Sic Cod. Paris. in marg. cujus legitur *errore*.

Nam pudor ingenuæ mentis, tranquillaque morum
Temperies, teneroque animus maturior ævo,
Carmina quæ donasse queant? Sæpe ille volentem
Castigabat herum, studioque altisque juvabat
Consiliis; tecum tristisque, hilarisque, nec unquam
Ille suus, vultumque tuo sumebat ab ore:
Dignus et Æmonium Pyladen præcedere fama,

48. *Nam pudor inde novæ mentis.* Quænam hæc *nova mens*, et quem sensum habet ista vox *inde?* lege minima mutatione, « Nam pudor ingenuæ mentis; » nihil verius. Seneca, Hippol. v. 250 : « Non omnis animo cessit ingenuo pudor. » Plin. epist. VIII, 6, 17 : « Scio quam sit tibi vivus et ingenuus animus. » Auctor de Causis corrupt. eloquentiæ, cap. 6 : « Quid enim dulcius libero et ingenuo animo, et ad voluptates honestas nato, quam videre plenam semper et frequentem domum concursu splendidissimorum hominum? » obiter emenda Claudianum in hac voce, Nupt. Honor. et Mar. vers. 313 : « Quis consilio, quis juris et æqui Nosse modum melior? quod semper dissidet, in te Convenit, ingenuo robur, prudentia forti; » vulgo, *ingenio* robur; sine sensu : *ingenuus* es, sed non sine *robore; fortis*, sed non sine *prudentia.* Pro *inde novæ*, Parmensis habet, *unde novæ* mentis? Romana, *inde notæ.* — Cod. Paris. *inde notæ;* ed. pr. *inde notæ menti;* Cruc. cum Ald. *inde novæ mentis.* A.

50. *Carmina quæ donasse queant?* Difficillimus locus; ad quem hæc notat Barthius : « In veteri Lindenbrogiano libro fuit, « Carmina quæ donasse queant; » meo animo reliquit Papinius, « Nam pudor inde novæ mentis tranquillaque morum Temperies, teneroque animus maturior ævo, Carmina quæ non fessa premant? » Recepit Lindenbrogianam scripturam in contextum sermonis doctissimus Gevartius; sed ea nihil dicit : si vero recipienda esset, accusandi casu priores duo isti versus forent concipiendi, quæ absurda sit mutatio : hac autem emendatione omnia suo pede ingrediuntur. » Viderint alii quali pede hæc ingrediantur; ego quidem nec sensum nec verborum constructionem intelligo : sed si nihil excidit, scio ad hanc formam concipi hæc oportere, « Nam pudor ingenuæ mentis, tranquillaque morum Temperies, teneroque animus maturior ævo, Carmine quo nota esse queant? » ad hanc, inquam, formam; hæc enim pro veris Statianis venditare nolo; minima vero differentia inter *nota esse* et *donasse :* et conjecturæ meæ favet Parmensis quæ exhibet, « Carmine quo potasse queam; » ut jam putem hanc esse scripturam Statianam, « Carmine quo nota esse queant? » — *Carmine.... queam* legitur in Cod. Par. et in ed. Cruc. Edit. princ. *carmine quo potasse queam.* A.

53. Pro *suus*, edit. princ. *suis :* Cod. Paris. *suus.* A.

Cecropiamque fidem; sed laudum terminus esto,
Quem fortuna sinit. Non mente fidelior ægra
Speravit tardi reditus Eumæus Ulixi.
Quis Deus, aut quisnam tam tristia vulnera casus
Eligit? unde manus Fatis tam certa nocendi?
O quam divitiis censuque exutus opimo
Fortior, Urse, fores! si vel fumante ruina
Ructassent dites Vesuvina incendia Locros,
Seu Pollentinos mersissent flumina saltus:
Seu Lucanus ager, seu Tybridis impetus, altas
In dextram torsisset aquas, paterere serena
Fronte Deos: sive alma fidem, messesque negasset
Cretaque, Cyreneque, et qua tibi cumque beato
Larga redit Fortuna sinu: sed gnara dolorum
Invidia infelix animi vitalia vidit,
Lædendique vias. Vitæ modo limine adultæ
Nectere tendebat juvenum pulcherrimus ille
Cum tribus Eleis unam trieterida lustris.
Attendit torvo tristis Rhamnusia vultu:
Ac primum implevitque toros, oculisque nitorem
Addidit, et solito sublimius ora levavit
(Heu! misero letale favens), seseque videndo
Torsit, et invitam Mortem complexa, jacenti

57. Pro *Ulixi*, Cod. Paris. et Cruc. *Ulissis*, vel *Ulyssis*; ed. princ. *Eumelus Ulyxis*. A.

58. Pro *casus*, ed. pr. *creas*, et vers. seq. *jam* pro *tam*. A.

65. Pro *serena*, edit. pr. *serenos*.

70. Pro *limine*, Cod. Par. edd. pr. Ald. et vett. omnes, *carmen*. Vid. not. A.

71. *Tendebat*. Cod. Paris. *tentabat* in margine; Ald. *tentabat*. Vid. finem not. ad vers. 70. A.

72. *Eleis u. t. lustris*. Heinsius, ad Ovid. Metam. XIV, 325, pro *lustris* conjicit *luctis*; nihil mutandum: *Elea lustra*, ut *Capitolina lustra*, ad Uxor. v. 92; *patrium seu Neapolitanum lustrum*, Surrent. Poll. v. 6, et similia passim.

74. Pro *implevit*, ed. pr. *implicuit*. A.

77. *Invitam Mortem complexa*. Vulgo *invidiam mortemque amplexa*. — Cod. Paris. edd. pr. Ald. et vet. *invidia mortemque amplexa*. Vid. not. A.

Injecit nexus, carpsitque immitis adunca
Ora verenda manu. Quinta vix Phosphorus hora
Rorantem sternebat equum, jam litora duri
Sæva, Philete, senis, dirumque Acheronta videbas,
Quo domini clamate sono! non sævius atros
Nigrasset planctu genitrix tibi sæva lacertos,
Nec pater: et certe qui vidit funera frater
Erubuit vinci. Sed nec servilis adempto
Ignis: odoriferos exhausit flamma Sabæos
Et Cilicum messes, Phariæque exempta volucri
Cinnama, et Assyrio manantes gramine succos,
Et domini fletus: hos tantum hausere favillæ,
Hos bibit usque rogus: nec quod tibi Setia canos
Restinxit cineres, gremio nec lubricus ossa
Quod vallavit onyx, miseris acceptius umbris
Quam gemitus; sed et ipse juvat. Quid terga dolori,
Urse, damus? quid damna foves; et pectore iniquo
Vulnus amas? ubi nota reis facundia raptis?
Quid caram crucias tam sævis luctibus umbram?

79. Pro *verenda*, God. Paris. ed. princ. *ferenda*, et *phosphoros* pro *phosphorus*. Aldin. *verenda.... phosphoros*. A.

81. Pro *sæva* Parm. *scæva* ut et mox, *scævius*, et, tibi *scæva*. — *Philete.... dirum*. Cod. Paris. edd. pr. Ald. *Pilete.... durum*: in versu sequenti iidem *clamante* pro *clamate*. Vid. not. A.

83. *Tibi*. Sic Cod. Par. et Cruc. uterque *sibi* ex emendatione. Vid. not. ad. v. 82.

84. Pro *frater*, ed. pr. *fratris*.

88. *Cinnama, e. A. m. gramine succos*. Heins. ad Ovid. Heroid. XV, 76, ita citat hunc versum: « *Balsama, e. A. m. germine succi*; non *gramine* quod nunc legitur; *myrrham* enim innuit, quæ arbor. » Memoriæ nimis fidebat vir summus. Verum autem videtur quod dicit de *germine* pro *gramine*, licet in hoc consentiant editiones. Vide eum ibi fuse agentem.

89. *At domini fletus, hos tantum hausere favillæ*. Pro *at*, ex codice Senensi recte legi *et*, notat Gevartius: et ita inveni in Parm. et Rom. quæ habent, *Et* domini flectus, *hos tantum* ausere *favillæ*.

90. *Quod*: edit. pr. *quo*. Eadem *restrinxit* pro *restinxit*, vs. seq. et *accepimus* pro *acceptius*, v. 92. A.

93. *Quid*. Ed. pr. *quod*. A.

95. Pro *vulnus*, ed. pr. *ulnus*. A.

Eximius licet ille animi, meritusque dolorem,
Solvisti; subit ille pios, carpitque quietem
Elysiam, carosque illic fortasse parentes
Invenit: aut illi per amœna silentia Lethes
Forsan Avernales alludunt undique mixtæ
Naïdes, obliquoque notat Proserpina vultu.
Pone, precor, questus: alium tibi Fata Phileton,
Forsan et ipse dabit, moresque habitumque decoris
Monstrabit gaudens, similemque docebit amari.

97. *Meritusque dolorem*. Ita plures editiones; recte. Gronov. edidit *doleri*, et in Parmensi *dolerri;* sed alterum verius. — Pro *meritus*, ed. pr. *meritis*. A.

98. *Carpsitque quietem*. Immo jam *carpit*, jam fruitur quiete Elysia, ut *subit pios*, non *subiit*, et *invenit parentes* in præsenti tempore: ita mox *alludunt* et *notat* : et huc facit lectio edit. Parm. quæ habet *capit*. — Cod. Paris. edd. pr. Ald. *carpsit*. A.

99. Pro *caros parentes*, male edd. Parm. Rom. et Venet. *claros:* quomodo enim *clari* parentes Phileti, quum ipse famulus fuerit? — *Claros* invenitur in Cod. Paris. edd. pr. Ald. et vett. A.

100. *Illi*. Cod. Paris. edd. pr. Ald. et vett. *illic*.

101. Pro *Avernales*, edit. princ. *vernales*. A.

102. *Naiades* in Cod. Par. et ed. pr. quæ habet *rotat* pro *notat*. A.

104. *Moresque habitumque decoris Monstrabit gaudens*. MS. Flor. Rom. Venet. codex habent *decoros*, notante Gronovio: clare legendum, etiam sine his auctoritatibus, moresque *habitusque decoros:* vox enim *habitus*, quando de *animo* usurpatur, numero multitudinis plerumque effertur; ita Silv. V, 3, v. 61, « Meque habitus moresque tuos et facta canentem Fors et magniloquo non posthabuisset Homero, Tenderet et docto pietas æquare Maroni; » ita legendum esse ad locum probabo; vulgo, *Atque tibi moresque tuos;* et *torvo* Maroni. Theb. VI, 262: « ibi corpore mixto Metiri numerum vultusque habitusque suorum Dulce viris; » Ovid. Met. IV, 767: « Narrat Lycides moresque habitusque virorum; » ubi tamen vide Heinsium. Martial. epigr. IX, LXVI, 3: « Si tibi tunc isti vultusque habitusque fuissent. » Pro *habitusque* Parmensis præfert *habitare:* et ita Romana: et *decoros* non *decoris*, eædem: ut et *amari* pro *amorem;* et istud probat Gronov. Diatr. c. 21, et Elench. Antidiatr. cap. 3. Mihi *amorem* et verius et simplicius videtur: recepi tamen in contextum τὸ *amari* propter summam Gronovii et editt. Parm. et Venet. auctoritatem: licet ipse in sua editione præferat *amorem :* quod omnino verum est. — Cod. Paris. et Cruc. *habitumque*, et in vs. præced. *Pileton*. Iidem *amorem* pro *amari*, v. 105. A.

NOTÆ

IN CARMEN SEXTUM LIBRI SECUNDI

SILVARUM.

Vers. 3. Surgentesque (nefas!) *accendere natos.* Ita distinguendum: vulgo omittitur parenthesis, quasi constructio esset, « nefas est accendere surgentes natos; » vitiose. Theb. VI, ad finem: « Monstratumque (nefas!) uni remeabile bellum; » XII, 83: « Meque super, cui vita (nefas!), cui sanguine nati Partus honos; » ita optime codex Petrensis; vulgo, *et* sanguine. Virgil. Æneid. VIII, 685:

> Hinc ope barbarica, variisque Antonius armis,
> Ductor ab Auroræ populis et litore rubro,
> Ægyptum, viresque Orientis, et ultima secum
> Bactra vehit; sequiturque (nefas!) Ægyptia conjux:

ita legendum; vulgo *Victor ab Auroræ populis:* quod multis nominibus isti loco non convenire facile esset probare. *Ducem* vocat Horat. epod. IX, in eadem descriptione: et Ovid. Met. XV, 826: « Romanique ducis conjux Ægyptia, tædæ Non bene fisa, cadet; » ubi hunc Virgilii locum in animo habuit. *Ductor ab Auroræ populis,* ut, *Pastor ab Amphryso:* et per contemptum hæc dicuntur et indignationem, quod *ductor ab* imbellis *Auroræ populis* arma adversus Augustum, Agrippam, et nomen Romanum sumere auderet. Vide pag. 466, tom. III Virgil. nostri, ubi confutatur hæc Marklandi opinio. Ed.

6. *Arcte tamen, et procul intrat Altius in sensus.* Hæc est lectio omnium quotquot vidi editionum, præter Parmensem, quæ habet *ad te tamen;* an voluit, « alte tamen, et procul intrat Altius in sensus? » Q. Curtius, IV, 6, 18: « omnibus territis, quia nunquam tam alte penetrasse telum, lorica obstante, cognoverant; » ubi pariter in uno codice scriptum erat *ad te* pro *alte.* Domitius explicat, *arcte*, « quamvis nulla sit necessitudo: » quod sane non capio. Nec puto plagam recte dici posse *arcte* seu *arte intrare*, quæ *per arctum* seu tenue foramen intrat. Latet, opinor, verbum aliquod substantivum; optime congrueret, pro *arte*, transpositis literis, *æret*, id est *hæret:* « hæret tamen, et procul intrat Altius in sensus, majoraque vulnera vincit Plaga minor; » Lucan. VIII, 417: « Hæreat Eoæ vulnus miserabile sortis; » Virgil. Æneid. VII, 533: « hæsit enim sub gutture vulnus, et udæ Vocis iter, tenuemque inclusit sanguine vitam; » ubi *vulnus* pro *sagitta* quæ infert vulnus; et ita forte capiendum τὸ *plaga* hoc Statii loco. Auson. epitaph. XXVII, de Niobe: « Sed dolor, obstru-

ctis quamquam vitalibus hæret; » Juven. II, 137 : « Interea tormentum ingens nubentibus hæret; » Plin. epist. I, 5, 11 : « Ait, timere se, ne animo meo penitus hæreret, quod in Centumvirali judicio aliquando dixisset; » ita *gaudium hæreat animo* dicit idem, in Panegyrico.

11. *Cui major stemmate juncto Libertas ex mente fuit.* Quam male hic argumentatur Statius, et res diversas et nihil commune habentes conjungit! *Libertas*, inquit, *major juncto stemmate;* quid *libertati* cum *juncto*, longo, et continuato *stemmate?* dixisse debuit *libertas* omni *vindicta*, omni *manumissione* major; non *juncto stemmate* major: quippe *junctum stemma* non ad *libertatem* facit, sed *nobilitatem*. Vides jam Statium scripsisse, « cui major stemmate juncto Nobilitas ex mente fuit; » Ovid. Pontic. I, 2, initio :

> Maxime, qui tanti mensuram nominis imples,
> Et geminas animi nobilitate genus.

Noster, Theb. II, 436 : « tibi larga (Pelops et Tantalus auctor) Nobilitas, propiorque fluat de sanguine juncto Juppiter; » IV, 600 : « huic ampla quidem de sanguine prisco Nobilitas. » Vides *nobilitatem*, non *libertatem* de *sanguine prisco* et *genere* acquiri. Juvenalis, sat. VIII, 1 : « Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo Sanguine censeri? » concludit deinde, vs. 20 : « Nobilitas sola est atque unica virtus; » non *libertas*. Infra, eadem satir. v. 40 : « tumes alto Drusorum stemmate, tanquam Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses. » Alcim. Avit. lib. IV, 172, de Noacho :

> Stemmatis hic sancti; nam claro nobilis ibat
> A proavo, quem prisca fides et conscia virtus
> In cælum sine morte tulit.

Auson. Profess. XXIV, « Stemmate nobilium deductum nomen avorum; » Senec. de Benef. III, 28 : « Qui imagines in atrio exponunt, et nomina familiæ suæ longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris in prima parte ædium collocant, noti magis quam nobiles sunt. » Huic Statii sententiæ similis ista Auctoris Panegyr. ad Pisonem, v. 5 :

> Hinc tua me virtus rapit, et miranda per omnes
> Vita modos; quæ, si deesset tibi forte creato
> Nobilitas, eadem pro nobilitate fuisset.

Male vero Gevartius legit *fluit* pro *fuit* : si enim quidquam mutandum, scripsisse debuit *fluxit* non *fluit;* recte habet *fuit*, ut mox, imperiosus *erat*. Et si *sanguis* vel *stemma fluere* dicitur, non tamen *libertas*, quemadmodum legebat Gevartius : adeo ut bis peccet. Has vero voces *libertas* et *nobilitas* commutatas observavi alicubi apud veterem Horatii scholiastem; sed locus non nunc memoriæ occurrit.

13. *Rumpat frenos dolor iste* (*deisque Si tam dura placent*) *hominem gemis*, etc. Nihil hic mutant editiones, præter Parmensem, quæ pro *deisque* habet *diesque*, transpositis literis. Gevartius, Papin. Lect. II, 15,

hæc notat: « Itaque quum ait *deisque*, subaudi, *convicia inferas*, aut quid simile. Vel lege *deosque*, « rumpat frenos dolor iste, deosque: » *deos rumpe*, id est, deorum invidiam contemne, vel fortiter feras. » Quam multipliciter peccat vir politissimus! Primum *rumpere deos* pro invidiam deorum *contemnere* vel *fortiter ferre;* quod si sensus et phrasis admitterent, quo tamen referenda essent ista *Si tam dura placent?* Deinde, *deis*, pro *convicia inferas deis*. Si hujusmodi ellipses admittantur, quidvis ex quovis probari potest. Olim conjeceram, « (deisne Hei tam dura placent?) hominem gemis (hei mihi! subdo Ipse faces), hominem, Urse, etc. » Non male, opinor, quia idem conjectantem postea deprehendi Gronovium, Diatr. cap. 21, qui observat, « Summa ars excellentissimi poetæ est quod periodos breves velut singultibus interstinguit. *Ei* in vett. libr. scriptum fuerat, ut assolet, pro *Hei:* id in *Si* degeneravit. » Et hoc sane placeret, nisi hunc locum, retenta veteri lectione, explicaret doctiss. Bentleius, not. ad Horat. Satir. II, 7, vers. 83, his verbis: « Excusat Ursum poeta, quod in *famuli* morte tam *acerbe* lugeret: « Famulum, inquit, gemis, sed pium, sed mente ingenuum. » Esto igitur famulus (*si deisque tam dura placent;* hoc est, ut tam liberalis puer indolis vel nascendi conditione vel captivitatis sorte foret servus); *at hominem gemis:* quid hic pudendum? quanto hoc justius quam quod « Persæ equum fortem, Molossi canem fidum lugent exstinctum? » Hæc vir summus; et hoc quidem pacto optimus exsurgit sensus; adhuc tamen, ut mihi videtur, turbat istud *que*, quod superfluum est, nec aliquid connectit; prout videre potes etiam in explicatione Bentleiana: quam etiam si admittas, alieno tamen loco ponuntur ista « deisque Si tam dura placent: » debuerunt enim sequi vocem *famulum:* « gemis quidem famulum (Si deis tam dura placent) sed pium, etc. » ita paullo ante, « famulum (quoniam rerum omnia cæca Sic miscet Fortuna manu nec pectora novit) gemis. » Revera vix aliter scribere potuit Statius ac conjecerat Gronovius, « rumpat frenos dolor iste (deisne Hei tam dura placent?), hominem gemis, etc. » Omnino huic similis apostrophe, Theb. X, 799, ubi mater Menœcei queritur,

> .... nos sæva piacula bello
> Demus, ut æternis (placet hoc tibi, fulminis auctor?)
> Œdipodioniі mutent diademata fratres?

Recte vero idem vir magnus distinguit, *tuum servitium*, non *tuum hominem*. Sequitur, « qui sponte, sibi*que* Imperiosus erat; » iterum videtur abundare *que:* satis enim erat dixisse, « qui sponte sibi imperiosus erat, » omisso τῷ *que;* an scripsit, « qui sponte sibi qui Imperiosus erat? » ut in isto Horatii, II, Sat. 7, 83; « sibi qui imperiosus. » Vel, « qui sponte sibimet Imperiosus erat; » quære an hæc vox unquam versum finiat.

28. *Rusticus invisas dejecit in æquora pinus.* Quibus *invisas pinus* dicit? non enim absolute *invisæ* dici possunt; quippe Helenæ non *invisæ*, Paridi non *invisæ:* non igitur simpliciter *invisæ*. Suspicari posses *incestas pinus*, ex loco Achilleid. II, 363. Sed majus aliquid latet: quare

enim *rusticus* Paris? verum quidem est olim *rusticum* fuisse Paridem, quando scilicet *pastorem* ageret, et antequam *regis filius* agnosceretur: sed non *rusticus*, quando *dejecit in æquora pinus*: quippe in aulam Trojanam receptus fuerat, et *rusticitatem* procul dubio exuerat. Audi Ovidium, Art. Am. II, 369, de Paride et Helena:

> Quid faciat? vir abest, et adest non rusticus hospes;
> Et timet in vacuo sola cubare toro.

Agnoscis Paridem *non rusticum*. Præterea, vix est ut *rusticum* diceret quando propter *formam* laudare instituisset: « nec tam formosus fuit Paris rusticus; » hæc enim aliquatenus se mutuo tollunt. Satis, opinor, patet depravatio; non adeo facilis medicina. Et dixisse quidem potuit *matribus invisas pinus*: ut apud Horatium, *bella matribus detestata*: et, Hannibal *parentibus abominatus*: et ita apud Sil. Ital. III, 70, ubi idem Hannibal natum infantem alloquitur,

> .... amplior, oro,
> Sis patrio decore, et factis tibi nomina condas,
> Queis superes bellator avum, jamque ægra timoris
> Roma tuos numeret lacrimandos matribus annos.

Sed hoc non satis fuisset: quippe ambiguum foret utrum matribus *Trojanis* an *Lacænis* has puppes *invisas designare* voluerit, quum ad utrasque ex æquo pertinerent. Sine dubio intelligit *feminas Trojanas*, quibus merito *invisæ* erant hæ puppes, utpote mulierem peregrinam in opprobrium ipsarum invecturæ, et frustraturæ spem quam ipsæ habere poterant de matrimonio formosi sui popularis Paridis; et ob multas alias rationes. Pæne certus sum Statium scripsisse,

> Nec Paris Œbalios talis visurus amores
> Troasin invisas dejecit in æquora pinus.

Sensus, ut mihi videtur, hoc postulat; nec aliam comminisci potes vocem, quæ per omnia tam bene conveniat. Causam immanis hujusce mutationis in Præfat. aperui: nempe ultima syllaba *in* amissa erat in subsequente *invisas*, ut sæpe fit. Deinde pro *tróas* fecerunt *ticus*, quum inter hoc et illud parum sit differentiæ in minuto charactere. Et jam obvium erat exscriptori vel lectori eruditulo addere syllabam *rus*, ut integram vocem *rusticus* faceret; qua pejor, et sensui magis opposita, vix inveniri potuit. Pariter et in eadem voce depravatum Ovidii locum felicîter restituit Salmasius, teste Gronov. Observ. III, 3. Verba Ovidii sunt, Heroid. XIII, 137, epist. Laodamiæ Protesilao, « Troadas invideo: quæ si lacrimosa suorum Funera conspicient, etc. » ubi vulgatam lectionem *Troadas invideo* σολοικίζειν probat Heinsius: in Codice Puteaneo erat *Troas invideo*: unde, τῷ *in* geminato, Salmasius reponebat *Troasin invideo*. Nihil verius, aut magis appositum huic meæ emendationi esse potuit. *Troasin* vero ut *Hydryasin* et *Hamadryasin* apud Propert. I, 20, vss. 12, 32; *Lemniasin* seu *Lemniasi*, Ovid. Art. Amat. III, 672, ex emendatione Heinsii pro *Lemnias*. Vide locum: ibi enim plura exempla. Pro *invisas*, nonnullæ editiones perperam habent *invitas*.

39. *Quales dubiæ post crimina formæ De sexu transire jubent.* Nullum ex his sensum efficere possum : « jubent de sexu transire post crimina dubiæ formæ : » qui jubent? deest enim casus rectus. Sed majus quod sequitur, « post crimina dubiæ formæ : » quænam hæc *crimina* intelligit? quodnam in te *crimen*, si

Dum dubitat Natura marem faceretne puellam,
Factus es o pulcher pæne puella puer?

ut eleganter Ausonius : non *tuum* hoc, sed *Naturæ;* nec tamen *crimen*. Vide quam levi mutatione evanescunt hæ absurditates; lege modo, « quales dubiæ discrimina formæ De sexu transire jubent; » « discrimina dubiæ formæ de sexu transire jubent : » notum enim *pueros formosissimos* in hanc rem eligi solitos; quippe « nullum Deformem sæva castravit in arce tyrannus. » Bene vero *discrimina* : Horatius, lib. II, Od. 5, 21, de puero formoso,

Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces falleret hospites
Discrimen obscurum, solutis
Crinibus, ambiguoque vultu;

quem Horatii locum in animo videtur habuisse Statius, Achilleid. I, 332, ubi describitur Thetis natum cultu muliebri ornans : deinde addit elegantissima hæc,

Qualiter artificis victuræ pollice ceræ
Accipiunt formas, iguemque manumque sequuntur;
Talis erat Divæ natum mutantis imago.
Nec luctata diu : superest nam plurimus illi
Invicta virtute decor; fallitque tuentes
Ambiguus, tenuique latens discrimine sexus;

versu quinto, pro *Invicta virtute* lege *Invita virtute;* ut apud Sidonium Apollinarem qui hoc mutuatus est a Statio, carm. V, vers. 17 : « Invita superat virtute venustas. » Claudian. de Rapt. Proserp. II, 29 : « solusque dabat discrimina sexus. » Ovid. Met. IV, 280 : « Ambiguus fuerit, modo vir, modo femina, Scython; » Noster, Theb. V, « ambiguo visus errore lacessunt Œbalidæ gemini; » *ambigui mares* de eunuchis Claud. in Eutrop. Ausonius, epigr. 69 : « Ambiguoque fuit corpore Tiresias; » Juvenal. XV, 135 :

Pupillum ad jura vocantem
Circumscriptorem, cujus manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.

Senec. de Provid. cap. 3 : « Exoletus omnia pati doctus, exsectæ virilitatis aut dubiæ. » Recte vero, discrimina *jubent*, id est *faciunt* : ita apud Juvenal. VI, 620 : « boletus tremulum (*Claudii*) caput in cælum descendere jussit; » id est, *fecit*. Passim apud poetas invenies.

54. *Dignus et Æmonium Pyladen præcedere fama.* Heinsius ad Ovid. Trist. I, 9, v. 27, hæc notat : « *Hæmonium* Pyladen facit Statius in Sil-

vis, sed librariorum, ut opinor, culpa. » Quippe Pylades erat *Phoceus*. Id. Ovid. Amor. II, 6, 15 : « Quod fuit Argolico juvenis Phoceus Orestæ ; » id est, *Pylades;* et Ponticor. II, 3 : « Adfuit insano juvenis Phoceus Orestæ. » E *Phocide* nempe, Græciæ regione, Bœotiæ contigua : ita enim dicit pater ejus *Strophius* apud Senecam, Agamemn. act. V, vers. 918 : « Phocide relicta Strophius, Elea inclytus Palma revertor. » Non igitur *Æmonius* seu *Thessalus* Pylades. An scripsit « Dignus et Aonium Pyladen præcedere fama? » ut contiguas regiones *Bœotiam* seu *Aoniam* et *Phocida* forte confuderit : vide quæ notavi ad carmen I, hujus libri, vers. 181. Conjungit alibi has regiones, Achilleid. I : « Phocis et Aoniæ jaculis rarescitis umbræ. »

58. *Quis Deus, aut quisnam tam tristia vulnera casus Eligit?* Non optimum videtur istud, *Deus eligit vulnera :* melius *exigit;* ita Theb. VIII, 758 : « plus exigit ultrix Tisiphone, » de Tydeo mandente caput Menalippi. Thebaid. XI, vers. 167 : « Sed exige tandem Supplicia ; » Ovidius, Metam. IV, v. 190 : « Exigit indicii memorem Cythereia pœnam ; » clare Fastor. V, vers. 313 :

> Quid facerem, per quod fierem manifesta doloris?
> Exigerem nostræ qualia damna notæ?

Noster, Silv. V, 2, v. 91 : « Exegit pœnas hominum cui cura suorum ; » Lucanus, VIII, vers. 701 :

> Hac Fortuna fide Magni tam prospera fata
> Pertulit ; hac illum summo de culmine rerum
> Sorte dedit ; cladesque omnes exegit in uno
> Sæva die, quibus immunes tot præstitit annos :

ita legendum puto ; vulgo *Morte petit*; imitatur Virgilium, de Priamo, Æneid. II, 554. *Expetere pœnas* Auson. Cæsaribus : « Expetiit pœnas de Caio Chærea mollis ; » ita emendo pro, de *Cæsare* Chærea mollis : in MS. conceptum erat *de C. Chærea mollis;* quæ litera et *Cæsarem* et *Caium* denotat : Caligulam vero vocari *Caium* omnibus notum : *Cæsare* nimis generale est. Vide tamen Theb. I, 259 : « Facta luant Thebæ : cur hostes eligis Argos? » Senec. Medea, V, 534 :

> Nec diligenti tela librentur manu :
> In me, vel istum : quisquis e nobis cadit,
> Nocens peribit.

et Hippol. vers. 208, de Amore :

> Cur in penates rarius tenues subit
> Hæc delicatas eligens pestis domos?

Œdipo, vers. 1036 :

> .... utrumne pectori infigam meo
> Telum, an patenti conditum jugulo imprimam?
> Eligere nescis vulnus? hunc, dextra, hunc pete
> Uterum capacem?

Noster, Theb. VII, 175 : « Quin etiam invisos (sic hostis defuit?) Argos

Eligis; » ita optime Codex Petrensis: vulgo *Elicis*. Hinc patet nihil mutandum esse loco Curtii IV, 1, 21: « hortum intrant, quem forte steriles herbas eligens Abdalonymus repurgabat; » ibi enim N. Heinsius maluit *exigens; eligere steriles herbas* est notare eas quæ steriles erant, ut evelleret et abjiceret.

62. *Ructassent dites Vesuvina incendia Locros.* Scio quomodo hunc locum explicat Gronovius, Diatr. c. 50: Incendia *ructassent* dites Locros, id est, inquit, *ructando* ignem Locros *vexassent:* ita *nodare palæstras*, Herc. Surrent. quia in palæstris *nodi ligantur: plaudere choreas* Maroni et aliis, quia *saltando* terra *plauditur*; vide locum: plurima enim ejusmodi exempla ibi adducit. Mihi tamen non satisfacit in hac phrasi; nec simili modo dici posse videntur *nodare palæstras*, *plaudere choreas*, et *ructare Locros*, seu *ructando ignem vexare Locros:* quod affectatum, κακόζηλον, et longe accersitum mihi videtur. Et si hæc admittatur interpretatio, vide quid sequitur: « Vesuvina incendia ructando incendia vexassent Locros. » Quid? an *incendia* possunt *ructare* seu evomere *incendia?* certe non hoc dixisset Gronovius, licet ejus interpretatio hoc dicat. Mihi minime dubium est hanc vocem *ructassent* depravatam esse; et medicinam videor invenisse, « si vel fumante ruina Undassent dites Vesuvina incendia Locros; » ex Achilleid. I, 86: « Quum tuus Æacides tepido modo sanguine Teucros Undabit campos; » ubi *undabit campos sanguine*, ut hoc loco *undassent Locros ruina. Undare* vero de *flammis* usitatum poetis. Silius, IX, 446: « Undantes volvit flammas ad sidera vertex. » Vide Heinsium ad ejusdem VII, 355, ubi satis exemplorum. Constructio est, « si Vesuvina incendia fumante ruina undassent (i. e. undare fecissent) dites Locros, » fundos et prædia tua circa Locros, Bruttiorum urbem. Posses etiam, *Nudassent* dites, etc. sed istud alterum placet magis; et verum puto, nisi malis, « Ructassent dites Vesuvina incendia Locri; » quod etiam facile defendi potest.

64. *Seu Lucanus ager*, etc. Fidi et boni interpretis esse puto, non solum explicare quæ alii vel non, vel male, intellexerint; sed etiam monere, si quid occurrat quod ipse non intelligat. Quod mihi hoc loco evenisse ultro fateor:

> Seu Lucanus ager, seu Tybridis impetus altas
> In dextrum torsisset aquas, paterere serena
> Fronte Deos: sive alma, etc.

Ubi Constructio est, « Seu Lucanus ager torsisset in dextrum altas aquas, seu Tibridis impetus torsisset in dextrum altas aquas. » Nisi ita construas, non video quo referri possunt verba *Seu Lucanus ager:* per se enim nihil efficiunt. Jam vero mirum est quod dicit de Lucano *agro* aquas torquente: non enim *agrorum* est, sed *fluviorum*, *aquas torquere;* prout ex innumeris poetarum locis liquet. Nec mutatione distinctionis, aut alio quopiam pacto possum huic loco opitulari: nam quod in men-

tem veniebat,

> Seu Pollentini mersi essent flumine saltus,
> Seu Lucanus ager : seu Tybridis impetus altas
> In dextrum torsisset aquas, etc.

pro *Pollentinos mersissent flumina;* statim abjeci, gnarus hanc laxam compositionem non esse Statii. Aut igitur excidisse videtur versus, aut mira est ellipsis, « Seu Lucanus ager admisisset aquas, seu Tybridis impetus torsisset aquas in dextrum. » Sed quid *Tybridi* cum *agro Lucano*, tam longe dissito? Despero igitur, et supra captum meum esse hæc confiteor. Recte vero ex duobus Codicibus edidit Gronovius *In dextrum*, scil. latus; non *dextram;* ita Theb. II, « in lævum prona jacet Inachus urna; » et X: « huic languida cervix, In lævum cogente Deo, etc. » Q. Curtius, IV, 13, 16: « interdum hæsitare, an potius in lævum torqueret agmen. » Passim exempla.

70. *Lædendique vias*, etc. Totus hic locus vulgo ita legitur et distinguitur:

> Lædendique vias vitæ modo carmen adultæ
> Nectere tentabat juvenum pulcherrimus ille
> Cum tribus Eleis unam trieterida lustris
> Attendit torvo tristis Rhamnusia vultu.

Nibil fœdius, aut minus intelligibile his verbis. Sensus quidem facile perspicitur, nempe, Philetum jam annorum esse quindecim: quindecim, inquam, non octodecim, ut falso Bernartius et Gevartius, Elect. III, 10, decepti significatione vocum *tribus Eleis lustris*, quæ *duodecim* tantum, non *quindecim* annos efficiunt: quum *lustra Elea* idem sint quod *Olympiades*, hoc est, τετραετηρίδες, non πεντατηρίδες. Ad sensum igitur attendenti statim patebat Statium scripsisse, « vitæ modo limine adultæ; » id est, in ipso *limine adolescentiæ*, ubi *concessit tempus puerili juventæ*, ut eleganter Ovidius, Metam. VI, 719 ubi: « ter quinos adoleverat annos, » ut de Romulo et Remo idem, Fast. III, 59, nisi quod ibi sit *ter senos*. *Ætatem adultam* vocat Lucretius, lib. II, et *robur adultum*, ibidem. Idem, III, 450, et IV, 1032; Virgil. Georg. II, 362; et Æn. XII, v. 438: « Tu facito, mox quum matura adoleverit ætas, Sis memor; » id est, « quum adulta ætas maturaverit, » vel, « adolescendo matura esse cœperit, » ut bene Servius. Sic *prima vita* pro *pueritia* passim apud poetas: *primam ætatem* vocat Noster, Theb. VI, 252, et Achilleid. I, 163. Sic *puber ævum* pro *pubertas* Ausonius, Profess. XVII, vs. 10: « pueros grandi mercede docendi Formasti rhetor, metam prope puberis ævi; » id est, « pueros pubertatem jamjam ingressuros. » Idem, Protrep. V, 73:

> Idem vesticipes motu jam puberis ævi
> Ad mores artesque bonas fandique vigorem
> Produxi:

ubi forte præstat *fandique decorem*: *motus puberis ævi* est *progressus pubertatis*: et ita iterum, Genethliaco, v. 8. *Primam* hanc *ætatem*, de quo modo dixi, ad annos *quatuordecim* ad minimum pertigisse colligo ex

loco Senecæ, Consolat. ad Marciam, cap. 20. Appositissime Varro, apud Censorinum, de Die Natal. cap. 14. Recte igitur Philetus dicitur fuisse in *limine vitæ adultæ* seu *initio adolescentiæ*, utpote qui jam *decimum quintum* ætatis annum ingressus fuerat. Ut vero *adulta vita* pro *adolescentia*, seu ea pars vitæ in qua *adolescimus*, ita *matura vita* Manilio, lib. II, quæ « ad florem juventæ pervenit, » ut ait Florus: *robustam ætatem* vocat idem, ibidem, Procem. lib. I: *maturos annos* Horatius, Art. Poetica. Sic *anni domiti* Theb. IX, 210: de *equo* loquitur: *domitis ab annis*, ab ea parte vitæ in qua primum domabatur: *domitam vitam* dixisse potuit. Recte etiam *limine vitæ*, ut epiced. Glauc.; Theb. V, 535; et supra v. 260; Noster, Eucharist. v. 13. Vetus inscriptio, citata a Jos. Castalione, Not. in Rutil. Itiner. p. 28: « Annus erat natæ primus; mox deinde secundi Liminibus rapuit me sibi Persephone; » id est, *initio secundi*. Passim occurrit apud Statium et ceteros poetas. Gronov. Reliq. ad Statii Silv. et Elench. Antidiatr. cap. 3, aliud vult; et notat, « Scimus Statium reliquisse *vitæ modo* cardine *adultæ Nectere tendebat. Vita adulta* est ætas in qua adolescimus, aut adulti redditi sumus; ut alibi *vita laborata*, in qua laboratum est. Merito igitur et *cardines* illas vitæ partes, infantiam, pueritiam, adolescentiam, etc. » Hæc vir summus: non recte tamen, opinor, in ista voce *cardine;* hæc enim vox non denotat *initium* rei (quod sensus loci hujus requirit), sed contra, notionem *extremitatis* fere continet: saltem ambiguum est, nisi addatur epitheton quod significationem ejus determinet. Sil. Italic. IX, 140, ubi Satricus *moriturus* loquitur: « Sat magnum hoc miseræ fuerit mihi cardine vitæ Solamen, cavisse meis; » Senec. de Benef. IV, 22. Ob hanc rationem, nempe quia vox est dubiæ significationis, sæpe invenitur additum epitheton *summum* vel *extremum;* ita exemplo illo quod Gronovius adducit ex Thebaid. X, vers. 853: « Tum vero attoniti fatorum cardine summo; » Senec. Troad. vers. 52: « Mortalis ævi cardinem extremum premens; » Lucan. VII, 381. Si igitur scripsit *cardine* hoc loco Statius, addidisse debuit vocem *primo*, ut notum esset illum innuisse *initium* adolescentiæ Phileti. Rectius idem Gronovius in voce *tendebat;* quam, præter sensum loci, confirmant MS. Senens. et edit. Romana: et ita ex conjectura emendaveram priusquam ullam variantem lectionem videram; *nectere tendebat* idem est quod *pergebat nectere* seu *nectebat;* ita Silv. V, vs. 3: « Tenderet et torvo pietas æquare Maroni; » id est, *æquaret* Maroni; ita *tendit divellere nodos*, Virg. Æneid. II, 220; *tendit convincere* pro *convincit*, Lucret. V; *aqua tendet rumpere plumbum*, Horat. Epist. I, 10, 20; Tacit. Ann. I, 19: « Si tamen tenderent in pace tentare, quæ ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint, etc. » Claudian. in Eutrop. I, 300. Eodem libro, vers. 14: « Nilusne meatu Devius, et nostri tendat jam transfuga mundi Se Rubro miscere mari? » ita ex duobus libris MSS. legit Heinsius pro *tentat*. Pari modo depravatum Ovidii locum ex optimis membranis restituit idem, Metam. XI, v. 533: « Pars igitur tendebat adhuc invadere pinum; » vulgo erat *tentabat*. Infeliciter vero Gronovius, quum distinguit, « Invidia, infelix, animi vitalia vidit, » et

ad Ursum pertinere facit *infelix*, vocandi casu. Sumptum enim hoc epitheton *Invidiæ* ex Virg. Georg. III, 37: « Invidia infelix Furias amnemque severum Cocyti metuet; » ubi notat Servius, « Quæ invidentes efficit infelices; » cui interpretationi pulchre convenit quod de hac dea mox dicit poeta, *seseque videndo Torsit*. Ovidius, Met. II, 780, de Invidia: « intabescitque videndo Successus hominum; carpitque, et carpitur una, Suppliciumque suum est; » unde pulcherrima Alexandri magni vox, « invidos homines nihil aliud quam ipsorum esse tormenta; » referente Q. Curtio, lib. VIII, cap. 12, 18. Recte igitur, *Invidia infelix*. Multa de hoc Statii loco Salmasius, epist. 86 ad Gronovium: quæ omnia retexit, epist. 88, et demum legit, « vitæ modo limen adultæ Nectere tentabat: » proxime verum. Nostram correctionem *ἀναμφισβήτητον* puto. *Nectere* vero *trieterida* ut apud Ausonium, Epigramm. « Undecies unamque super trieterida necte. »

77. *Torsit, et Invidiam Mortemque amplexa*. Totum locum libet apponere, ut videas quam negligenter hic egerunt interpretes:

> Attendit torvo tristis Rhamnusia vultu:
> Ac primum implevitque toros, oculisque nitorem
> Addidit: et solito sublimius ora levavit,
> (Heu misero letale favens!) seseque videndo
> Torsit, et Invidiam Mortemque amplexa jacenti
> Injecit nexus:

ubi *Rhamnusia* eadem est quæ *Nemesis* seu *Invidia* (ut paullo ante dixit vs. 69, *Invidia infelix*); Dea nempe quæ nimiis mortalium successibus et rebus lætis invidet: unde *ægram lætis Invidiam* dicit, Theb. I, 126. Quintil. Procem. lib. VI, 10: « Observatum fere est, celerius occidere festinatam maturitatem; et esse nescio quam, quæ spes tantas decerpat, invidiam; ne videlicet, ultra quam homini datum est nostra provehantur. » Hanc Glauciæ Nutricem assignat Statius, in ejus Epiced. v. 120:

> Scilicet infausta Lachesis cunabula dextra
> Attigit, et gremio puerum complexa fovebat
> Invidia:

quem locum explicans Gevartius, Elector. III, 10, hæc notat: « *Invidia* hic auferendi casus non est, sed nominandi. Statius enim philosophice *Invidiam* seu *Nemesin* velut altricem et nutricem Glauciæ assignat, quæ in primo pueritiæ flore, omnia illi elegantiæ ac venustatis dona, omnes Venerum Gratiarumque dotes liberalissime concesserit, sed ut postea gravius illi noceret, et vita vix salutata illum eriperet. Interpretationem hanc meam firmavi simillimo loco Statii, qui exstat hoc eodem lib. II, Silvar. in *Epicedio Pileti*, juvenis formosissimi; cui quum omnes animi corporisque dotes etiamnum puero a *Nemesi* Dea, quam ibi *Rhamnusiam* appellat, collatas esse poeta cecinisset; hoc ab illa factum ait, ut deinde acerbius juvenem affligeret; et *Invidiam* ac *Mortem*, socias suas secum adducens, eum annos vix duodeviginti natum e medio tolleret. Locus ita habet: « Vitæ modo carmen adultæ Nectere tentabat, etc. »

Errorem Gevartii supra notavi, quo Phileton *duodeviginti* annos natum facit, quum *quindecim* tantum Statius voluerit. Sed gravius adhuc errat vir politus: dicit enim « Rhamnusiam secum adducere socias suas Invidiam ac Mortem. » Quid? an *Rhamnusia* secum adducit sociam *Rhamnusiam*, *Invidia Invidiam*? easdem enim esse *Invidiam* et *Rhamnusiam*, nisi jam scias, disce ex Claudiano, de Bell. Get. vers. 631, ubi postquam Alarici successum et conjugis ejus fastum descripsit, addit, « Sed Dea quæ nimiis obstat Rhamnusia votis Intumuit, flexitque rotam; » ita legendum; vulgo inepte *Ingemuit*. Dea quæ *obstat nimiis votis* quænam alia est præter *Invidiam*? Apuleius, Miles. IV: « Nec ille tam clarus, tamque splendidus publicæ voluptatis apparatus, Invidiæ noxios effugit oculos. » Ex quo Apuleii loco intelligitur Statii *Attendit;* scilicet *conjecit* in eum noxios illos *oculos* suos Rhamnusia: ut carm. ad Uxor. init. « Audiat infesto licet hoc Rhamnusia vultu. » Q. Curt. X, 9, 6: « Absit modo invidia, excipiet hujus sæculi tempora ejusdem domus utinam perpetua, certe diuturna posteritas. » Audi Nostrum suavissime querentem, Pietat. Abasc. v. 137:

> Quisnam impacata consanguinitate ligavit
> Fortunam Invidiamque, Deus? qui jussit iniquas
> Æternum bellare Deas? nullamne notavit
> Illa domum, torvo quam non hæc lumine figat
> Protenus, et sæva perturbet gaudia dextra?

Etiam ipse Gevartius, loco supra citato, *Invidiam* et *Nemesin* unam eamdemque facit: *Nemesin* vero et *Rhamnusiam* eamdem esse norunt omnes. Hesychius: Ῥαμνουσίαν, Νέμεσιν. Alibi: Νέμεσις, ὕβρις, μίμψις, ΦΘΟΝΟΣ. Mira hæc viri docti oblivio, in eadem sententia unam personam duas facientis. Sed sensui et verborum significationi non satis hoc loco attendit Gevartius: quod si fecisset, facile vidisset Statium scripsisse, « et invitam Mortem complexa, jacenti Injecit nexus. » Nihil venustius dici potuit: Mors, etiamsi blanditiis Deæ *Invidiæ* allecta, *invita* tamen, præter morem, opus suum peregit: tanta amabilitas Phileti fuit. Mors *invita* aliquid facere eleganter dicitur, quando contra leges naturæ vim suam exerit: quando rapit *juvenem*, qui secundum vitæ humanæ conditiones diutius vixisse sperare potuit. Lucanus, VI, 529, de saga Thessala:

> Viventes animas et adhuc sua membra regentes
> Infodit busto: fatis debentibus annos
> Mors invita subit:

invita, utpote *ante tempus*, et quum fata adhuc *annos deberent*. Manil. IV, vers. 86:

> Quod Decios non omne tulit, non omne Camillos
> Tempus, et invictam devicta morte Catonem,
> Materies in rem superat, sed lege repugnat.

Ubi nescio quid sibi velit Scaliger, qui hos tres versus ita ut hic vides ex optimo Codice Gemblacensi adducit, nota tamen proxime sequente

dicit, « Male Gemblacensis; et invicta devictum morte Catonem. » Utcunque sibi contradicat Scaliger, ne dubites quin elegantissimi scriptoris sit, « et invita devictum morte Catonem. » Qui historiam lethi Catonis legerunt, facile intelligent quare *invita Morte devictus* ille dicitur. Noster, Thebaid. X, 809, ubi mater Menœcei queritur, « sponte en ultroque peremptus Irrumpis mœstas, fatis nolentibus, umbras; » *nolentibus fatis*, « quia ante diem periit; » ut bene Lutatius scholiastes. Ita Canthus, apud Valer. Flacc. VI, 317, tela rapit ab Argus navis carina *invita*, quia sc. Argo fatorum præscia novit illum periturum esse; ideo *invita* administravit illi tela; Manil. V, « glebas inter deprendere gazam, Invitamque novo tandem producere cælo. » Ita, « mors juveni accidere adversante et repugnante Natura, » alicubi apud Cic. de Senectute, dicitur. Pro *que amplexa* edidi *complexa;* supra notavi de *qu* pro *c*, et vice versa; ita apud Manil. V, « Maximus Orion, magnum complexus Olympum; » pro *complexus* optimus Gemblacensis habet *que amplexus.*

80. *Jam litora duri Sæva, Philete, senis, durumque Acheronta videbas, Quo domini clamante sono!* Non ferri potest *duri senis* et statim *durum Acheronta;* lege, « jam litora duri Sæva, Philete, senis, dirumque Acheronta videbas; » *duri senis*, ut apud Senecam, Œdip. vs. 166, de Charonte:

> Quique capaci turbida cymba
> Flumina servat durus senio
> Navita crudo.

Hercule tamen Furente, v. 771: « dirus exclamat Charon, Quo pergis, audax? » Apuleius, Apolog. « Igitur agnomenta ei duo indita; Charon, ut jam dixi, ob oris et animi diritatem; sed alterum, quod libentius audit, ob Deorum contemptum, Mezentius. » Utrovis modo recte dici potest: mihi tamen magis placet *duri senis*, quia *dirum* est perpetuum Acherontis epitheton. *Dira Furiarum loca*, Senec. Herc. Fur. vs. 1221; Charontem *navitam tristem* vocat Virgil. Æneid. VI, 315; *tetrum porthmea*, Juven. III, 266; *torvum senem*, Propert. III, 18: hoc vero est *durum* potius quam *dirum* senem. Hæ autem voces *durus* et *dirus* in MSS. perpetuo confunduntur; vide Bentleium ad Horat. carm. II, 12, 2; Drakenborch. ad Sil. Italic. XIV, 126, ubi *diro Læstrygone* edidit pro *duro*. Contra *duri Ditis* seu Plutonis apud Virgil. Æneid. XII, 199, uti recte ex Codicibus Pierius, pro *diri*. Sequitur, « Quo Domini clamante sono! » pro quo bene Gronovius ex duobus Codicibus *clamate;* ita Theb. IX, 476: « Unde hæc, Ismene, repente Ira tibi? quove has traxisti gurgite vires Imbelli famulate Deo? » ubi pari errore in nonnullis editionibus legitur *famulante*. Thebaid. III, 201:

> . . . . nec quod te, Delia, castos
> Prolapsum ad fontes specula temerare profana
> Heu dominum insani non agnovere Molossi,
> Deflerim magis:

ita legendus iste locus: vulgo *tibi* et *temerante*. Constructio est, « nec magis deflerim quod insani Molossi non agnovere dominum Actæonem prolapsum ad castos fontes temerare specula profana te, Delia. »

82. *Non sævius atros Nigrasset planctu genitrix tibi sæva lacertos.* Quærit Barthius quomodo *Atri* lacerti *nigrari* possunt; et cur *sævius* et *sæva* de eadem re dicuntur? pro *sævius* itaque legit *sæpius;* de ceteris, nihil mutat. Ego adhuc quæro quare *sæva* litora et *sæva* genitrix tam prope posita; et, quod majus est, quomodo genitrix *sæva* fuit huic puero *mortuo*, quum *suos* lacertos nigraret, et plangeret? propius ad rem fuisset si dixisset *sibi* sæva, non *tibi*. Sed nec ita dixisse puto: adhuc enim *sæva* et *sæva* nimis vicina sunt; et subfrigidum est istud *sibi sæva:* cui enim nisi *sibi* sæva esse potuit quæ *suos* lacertos verberarit? sensum igitur non promovet *sibi sæva*. Ego non dubito a Statio fuisse « non secius atros Nigrasset planctu genitrix insana lacertos; » *non secius*, id est, *pari modo, non aliter*. Sosipater Charisius, lib. I, p. 61: « Fit *secus* et adverbium, quod significat *aliter;* unde nascitur *sequius*, ἀλλοιοτέρως. » Meministi vero quæ supra dixi de promiscuo usu literarum *qu* et *c:* unde idem sunt *secius* et *sequius*. Virgil. Georg. III, 367: « Interea toto non secius aere ninguit; » idem, Æneid. VII, 781: « Filius ardentes haud secius æquore campi Exercebat equos; » IX, 441: « instat non secius, ac rotat ensem Fulmineum; » Ovid. Metam. II, 809: « Felicisque bonis non secius uritur Herses, etc. » ita edidit Heinsius, quum in quibusdam exemplaribus invenisset *non lævius*, in aliis, *non lenius*, in quatuor *non aliter*. Vide eum plena manu exempla congerentem. Noster, Thebaid. V, 261: « gelida non sævius Ossa Luxuriant Lapitharum epulæ, si quando profundo Nubigenæ caluere mero; » ubi pro *non sævius* MS. Petrensis habet *non segnius:* lege, *non secius*. Hoc verissimum puto. Deinde, « Nigrasset atros lacertos; » probum hoc: ita apud Lucan. II, 37: « ictu liventes atra lacertos. » Notum vero est vocem *insanus* usurpari de iis qui magno aliquo luctu afficiuntur. Noster, Silv. V, 5: « Tanta mihi feritas, tanta est insania luctus; » II, 1: « Mulceat insanos gemitus; » Thebaid. VI, vers. 202:

> Jam face subjecta primis in frondibus ignis
> Exclamat: labor insanos arcere parentes.

XII, 274, de Cerere Proserpinam lugente, « Illius insanis ululatibus ipse remugit Enceladus; » Ovid. Metam. IV, 690, de Andromeda: « genitor lugubris, et amens Mater adest; ambo miseri, sed justius illa; » Propertius, I, 6:

> Ut mihi deducta faciat convicia puppi
> Cynthia, et insanis ora notet manibus:

Ovid. Amor. III, 6, vers. 57:

> Quid fles, et madidos lacrimis corrumpis ocellos,
> Pectoraque insana plangis aperta manu?

Plin. epist. IV, 2: « amissum tamen luget insane. » Potes etiam legere,

genitrix *vesana*, ex Propertio, II, 9:

> Nec non exanimem amplectens Briseis Achillem
> Candida vesana verberat ora manu:

Senec. Herc. Œt. v. 1930, ubi Alcmena de seipsa loquitur:

> Fallor, fallor, vesana parens;
> Nec te manes umbræque timent, etc.

Et hoc forte verius, propter perpetuam fere mutationem literarum B et V: *tivisæva*, pro *tibi sæva*, parum differt a *vesana*. Ita *vene merenti* pro *bene*, apud Reines. Inscript. p. 543, *bixit* et *biginti* pro *vixit* et *viginti*, p. 901.

93. *Sed et ipse juvat.* Hæc verba, quorum sensum et connexionem cum præcedentibus aut subsequentibus nullatenus video, corruptissima puto. Fruatur iis Cruceus, qui pro *juvat* legit *juva:* et addit, « Sensus apertus: nihil quidem acceptius umbris quam gemitus, sed tamen tu eas, Urse, pro virili *juva*, i. e. subleva, dolori resistendo, ne caram Pileti umbram nimio luctu offendas. Huic lectioni favent sequentia, *Quid terga dolori, Urse, damus?* etc. » Nihilo melius adhuc intelligo. Diu me torsit hic locus, et desperaveram; sed jam verum inveni, ut opinor. Præcedit:

> Et domini fletus: hos tantum hausere favillæ,
> Hos bibit usque rogus; nec quod tibi Setia canos
> Restinxit cineres, gremio nec lubricus ossa
> Quod vallavit onyx, miseris acceptius umbris.

Huc usque luctum et lacrymas Ursi describit: hortatur dehinc illum, ut seipsum erigat et dolorem excutiat:

> Quin gemitus sedasse (vel sedare) juvat? quid terga dolori,
> Urse, damus? quid damna foves? et pectore iniquo
> Vulnus amas?

Quin est *hortantis* cum interrogatione, idem quod *at cur non*, vel *cur non*. Virg. ecl. II, 71:

> Quin tu aliquid saltem, *potior* quorum indiget usus,
> Viminibus mollique paras detexere junco?

Ita legendum puto pro *potius*. Gellius, N. A. II, 21: « Quin, inquam, vos, Opici, dicitis mihi, quare, etc. » ita legendum, vulgo: *Quid*, etc. *Quin dicitis* est *cur non dicitis*, exprobratorie; sed admodum probabilem facit hanc conjecturam locus similis in Glaucia Mel. v. 208, in re nempe simili: « Quin tu jam vulnera *sedas*, Et tollis mersum luctu caput? » Omnia fere eadem vides.

95. *Ubi nota reis facundia raptis?* Non explicant interpretes quinam sint hi *rei rapti;* intelliges vero ex loco Senecæ de Brevitat. vitæ, cap. 6, de Livio Druso: « Ausus enim et pupillus adhuc et prætextatus judicibus reos commendare, et gratiam suam foro interponere tam efficaciter, ut quædam judicia constet ab illo rapta. » Ut *judicia*, ita *rei rapi* dicun-

tur, qui contra omnium spem et exspectationem, sola patroni facundia, causa vincunt; *eripere* et *extorquere* hoc sensu passim utitur Cicero; *causam auferre* eleganter L. Senec. Controv. II, 9, pag. 130. Audacter Alcimus Avitus, lib. V, 229, de latrone crucifixo: « Abstulit ille suis cælorum regna rapinis; » nempe quia dixerat Evangelista Matthæus, XI, 12: ἡ βασιλεια τῶν οὐρανῶν ΒΙΑΣΕΤΑΙ, καὶ βιασταὶ ΑΡΠΑΖΟΥΣΙΝ αὐτήν· nec minus Noster, Pietat. Abasc. v. 7: « Sic auferre rogis umbram conatur, et ingens Certamen cum Morte gerit. » Quintilianus, Instit. lib. II, 16: « Nam et M. Aquilium defendens Antonius, quum scissa veste cicatrices, quas is pro patria pectore adverso suscepisset, ostendit, non orationis habuit fiduciam, sed oculis populi Romani vim attulit: quem illo ipso aspectu maxime motum in hoc, ut reum absolveret, creditum est. »

96. *Quid caram crucias tam sævis luctibus umbram?* Probum forte suo loco epitheton istud *sævis;* sed non hic: nihil enim sensui addit. Lege, « Quid caram crucias tam seris luctibus umbram? » luctibus *seris*, et nihil profuturis; vel *veteribus*, et in longum tempus continuatis: utrovis enim modo optime sensui congruit. Pari modo, et in eadem voce depravatus Lucanus, VII, 430: « Quod semper seras debet tibi Parthia pœnas: » ita legendum pro *sævas*. Vide not. ad Valer. Flacc. V, 261, ubi idem mendum; et Senec. Medea, v. 686, ubi idem.

CARMEN VII.

GENETHLIACON LUCANI.*

Lucani proprium diem frequentet,
Quisquis collibus Isthmiæ Diones
Docto pectora concitatus œstro
Pendentis bibit ungulæ liquorem.
Ipsi, quos penes est honor canendi,
Vocalis citharæ repertor Arcas,
Et tu Bassaridum rotator Evan,
Et Pæan, et Hyantiæ sorores,
Lætæ purpureas novate vittas:
Crinem comite, candidamque vestem
Perfundant ederæ recentiores.
Docti largius evagentur amnes,
Et plus Aoniæ virete silvæ:
Et si qua patet, aut diem recepit,
Sertis mollibus expleatur umbra.
Centum Thespiacis odora lucis
Stent altaria, victimæque centum,

VARIÆ LECTIONES.

* *Genethliacon Lucani.* Editio Parmensis addit, *ad Pollam*: non male, propter ea Præfat.: « Excludit volumen Genethliacon Lucani, quod Polla Argentaria, clarissima uxorum, quum hunc diem forte consecraremus, imputari sibi voluit. »

5. Pro *Ipsi*, ed. princ. *ipsis*. A.

8. *Hyantiæ*. Cod. Paris. *euhantiæ*; et vers. 7, *euhan* pro *Evan*. A.

14. *Et si qua patet, aut diem recepit.* Cod. Paris. edit. pr. *Et si qua pateram et diem recepit.* Vide not. A.

Quas Dirce lavat, aut alit Cithæron.
Lucanum canimus : favete linguis :
Vestra est ista dies ; favete, Musæ,
Dum qui vos geminas tulit per artes
Et vinctæ pede vocis, et solutæ,
Romani colitur chori sacerdos.
  Felix heu nimis, et beata tellus,
Quæ pronos Hyperionis meatus
Summis Oceani vides in undis,
Stridoremque rotæ cadentis audis :
Quæ Tritonide fertiles Athenas
Unctis, Bætica, provocas trapetis !
Lucanum potes imputare terris ;
Hoc plus quam Senecam dedisse mundo,
Aut dulcem generasse Gallionem.
Attollat refluos in astra fontes
Graio nobilior Melete Bætis.
Bætin, Mantua, provocare noli.
  Natum protenus, atque humum per ipsam
Primo murmure dulce vagientem
Blando Calliope sinu recepit.
Tum primum posito remissa luctu
Longos Orpheos exsuit dolores ;
Et dixit : « Puer o dicate Musis,
Longævos cito transiture vates,
Non tu flumina, nec greges ferarum,
Nec plectro Geticas movebis ornos ;
Sed Septem juga, Martiumque Tybrim,
Et doctos Equites, et eloquente

22. *Vinctæ*. Cod. Paris. a prima manu, *vinctæ ;* a secunda, *junctæ :* hoc retinet edit. pr. A.

24. *Nimis*. Cod. Par. *nimis*, et in margine, *nimium*. Ed. pr. *nimis*. A.

28. *Tritonide*. Sic Paris. cod. Ed. princ. *Tritonidæ*. A.

46. *Doctos Equites*. Lege *celsos*,

Cantu purpureum trahes Senatum.
Nocturnas alii Phrygum ruinas,
Et tarde reducis vias Ulixi,
Et puppem temerariam Minervæ,
Trita vatibus orbita, sequantur:
Tu carus Latio, memorque gentis
Carmen fortior exeres togatum:
Ac primum, teneris adhuc in annis,
Ludes Hectora, Thessalosque currus,
Et supplex Priami potentis aurum.
Tu sedes reserabis inferorum;
Ingratus Nero dulcibus theatris
Et noster tibi proferetur Orpheus.
Dices culminibus Remi vagantes,
Infandos domini nocentis ignes.
Tu castæ titulum decusque Pollæ
Jucunda dabis Allocutione.

et vide not. Cod. Paris. *doctos*. A.

49. *Tarde*. Cod. Paris. edit. pr. et Gronov. *tardi*. A.

53. *Carmen fortior exeris togatum*. Supra dixit *movebis, trahes;* infra, *ludes, reserabis*, etc. hic itaque reponatur *exeres*. Hoc non advertens Heinsius, hunc locum ita legebat: « Tu par es Latio, memorque gentis Carmen fortius exeris togatæ; » male: dixisse enim debuit par *eris* non *es*, ut respondeat τῷ *exeres*, quod sine dubio Statianum est. Nec opus est ut legamus *togatæ* pro *togatum; togatum* enim *carmen* est carmen argumenti *Romani*: ita pax *togata*, pro *Romana* apud Calpurnium Siculum, eclog. IV, 8: « Qui populos urbesque regit, pacemque togatam. » Diomed. lib. III: « Togatæ fabulæ dicuntur, quæ scriptæ sunt secundum ritus et habitus hominum togatorum, id est, Romanorum. » Unde *togatum forum* pro *Romano*, Protrep. ad Crispinum, v. 108. — Cod. Paris. et Gronov. *exeris*: idem Gronov. nescio an typorum vitio, pro *togatum* scribit *rogatum*. A.

54. *In annis*. Ed. princ. *inanis*: absurde. A.

57. *Tu sedes*. Cod. Par. et Gron. *Et sedes*. Vid. not. A.

59. *Proferetur*. Sic Cod. Par. et Gron. Apud Cruc. *præferetur*. Vid. not. A.

60. *Vagantes*. Cod. Par. et Cruc. *vagantis*. Vers. seq. cod. Paris. et ed. princ. pro *domini*, habent *dominis*. A.

62. *Tu*. Cod. Paris. edit. princ. *Huc*. A.

Mox, cœpta generosior juventa,
Albos ossibus Italis Philippos,
Et Pharsalica bella detonabis,
Et fulmen ducis inter arma Divi;
Libertate gravem pia Catonem,
Et gratum popularitate Magnum.
Tu Pelusiaci scelus Canopi
Deflebis pius; et Pharo cruenta
Pompeio dabis altius sepulcrum.
Hæc primo juvenis canes sub ævo,
Ante annos Culicis Maroniani.
Cedet Musa rudis ferocis Enni
Et docti furor arduus Lucreti,
Et qui per freta ducit Argonautas,
Et qui corpora prima transfigurat.
Quin majus loquor; ipsa te Latinis
Æneis venerabitur canentem.
Nec solum dabo carminis nitorem,
Sed tædis genialibus dicabo
Doctam, atque ingenio suo decoram;
Qualem blanda Venus, daretque Juno;

67. *Et fulmen ducis inter arma Divi.* Venet. et Parm. *Quo fulmen.* Scripsit: « Quod fulmen ducis inter arma Divi; » id est, *quale* vel *quantum fulmen;* ut passim his Silvis. *Dux Divus,* emphatice, Julius Cæsar. — *Ducis.* Edit. pr. *dulcis;* quod et habet Cod. Par.; idem a secunda manu, *ducis.* A.

69. *Magnum.* Paris. cod. *Magnum:* ed. pr. *magum.* A.

77. *Et qui per freta duxit Argonautas.* Sequitur, « Et qui corpora prima transfigurat; » hic igitur lege *ducit Argonautas.* — Cod. Par. ed. pr. Cruc. Gron. *duxit.* Vid. not. A.

79. *Quin.* Cod. Paris. edit. pr. *Quid.* A.

81. *Carminis.* Cod. Par. ed. pr. *carminum.* A.

83. *Doctam, atque ingenio tuo decoram.* Polla quidem uxor Lucani *decora* seu *decorata* fuit ingenio mariti, utpote qui *titulum decusque* illi *dedisset jucunda allocutione,* ut supra vs. 62; sed majus quiddam hic voluit Calliope, nempe « Doctam atque ingenio suo decoram; » majoris quippe gloriæ est suo quam alieno ingenio eminere. — Cod. Paris. edit. princ. Cruc. Gronov. *tuo.* A.

Forma, simplicitate, comitate,
Censu, sanguine, gratia, decore.
Et vestros Hymenæon ante postes
Faustis cantibus ipsa personabo.
O sævæ nimium, gravesque Parcæ!
O nunquam data festa longa summis!
Cur plus, ardua, casibus patetis?
Cur sæva vice magna non senescunt?
Sic natum Nasamonii Tonantis
Post ortus obitusque fulminatos
Angusto Babylon premit sepulcro:
Sic fixum Paridis manu trementi
Peliden Thetis horruit cadentem:
Sic ripis ego murmurantis Hebri
Non mutum caput Orpheos sequebar:
Sic et tu (rabidi nefas tyranni!)

85. De duobus his vers. cf. not. A.

88. *Festis cantibus ipsa personabo.* Lege *Faustis cantibus;* quippe statim sequitur *festa longa; faustis* vero proprium in hac re verbum. Claudianus, epithal. Pal. et Celer. v. 22: « Quum subito varius vicina clamor ab urbe Et fausti juvenum plausus, mistæque choreis Auditæ per rura lyræ. » Idem, de Nupt. Honor. et Mar. v. 195: « Tibia pro lituis, et pro clangore tubarum Molle lyræ faustumque canant; » ubi pariter erat *festumque.* Vide Heinsium ad locum. Noster, Theb. III, 691: « Ex quo primus Hymen, movitque infausta sinistram Juno facem. » Ob eamdem rationem pro *sæva* vice, v. 92, mallem *læva* vice, propter præcedentem, *O sævæ nimium,* etc. vide Burmanni not. ad Val. Flacc. I, 370; ubi pro *face sæva*, Heinsius in Oxon. cod. invenit *læva.* Claudianus, Idyll. VI, 92: « nec sævo Sirius igne nocet; » ubi quatuordecim libri habent *lævo,* testante Heinsio. Vide Drakenb. ad Sil. Italicum, V, 660. — Cod. Paris. Cruc. Gron. *festis.* A.

91. *Patetis.* Cod. Paris. in textu, *petatis;* ad marginem *patetis.* Ed. princ. et Cruc. *petatis:* Gronovius, *patetis.* A.

96. *Sic fixum Paridis manu trementis.* Aures exigunt *trementi* manu, id est, *trepida:* hoc multo suavius quam *Paridis trementis.* Seneca, Troad. v. 957: « O manum Paridis levem! » Edit. Parm. habet *prementis:* Romana, *potentis;* et *obruit* pro *horruit.* — Cod. Paris. ed. pr. *potentis.* A.

97. *Horruit.* Cod. Paris. ed. pr. *obruit.* A.

Jussus præcipitem subire Lethen,
Dum pugnas canis, arduaque voce
Das solatia grandibus sepulcris;
(O dirum scelus! o scelus!) tacebis. »
Sic fata est, leviterque decidentes
Abrasit lacrimas nitente plectro.
At tu, seu rapidum poli per axem
Famæ curribus arduis levatus,
Qua surgunt animæ potentiores,
Terras despicis, et sepulcra rides;
Seu pacis merito nemus reclusæ
Felix Elysiis tenes in oris,
Quo Pharsalica turba congregatur;
Et te nobile carmen insonantem
Pompeii comitantur, et Catones:
Seu magna sacer et superbus umbra
Nescis Tartaron, et procul nocentum
Audis verbera, pallidumque visa
Matris lampade respicis Neronem;
Adsis lucidus; et, vocante Polla,
Unum, quæso, diem Deos silentum
Exores: solet hoc patere limen
Ad nuptas redeuntibus maritis.
Hæc te non thiasis procax dolosis
Falsi numinis induit figuras;
Ipsum sed colit, et frequentat ipsum

111. *Merito.* Sic cod. Paris. ed. pr. et Cruc. Apud Gronov. *meritum.* Vide not. A.

116. *Tu magna sacer.* Sensus et constructio postulant *Seu magna sacer:* hoc ut percipias necesse est ut recurras ad v. 107: quippe longa est periodus, nec finitur ante versum 120: « At tu adsis lucidus, seu terras despicis, seu pacis nemus tenes, seu nescis Tartaron. » Uno spiritu continua sententiam a v. 107 ad vs. 120, et statim videbis. — Cod. Paris. ed. pr. *Tu magna.* A.

125. *Figuras.* Vulgo *figura;* quod et habet cod. Paris. et ed. pr. A.

Imis altius insitum medullis;
Ac solatia vana subministrat
Vultus, qui simili notatus auro
Stratis prænitet, excubatque somno
Securæ. Procul hinc abite, mortes;
Hæc vitæ genitalis est origo:
Cedat luctus atrox, genisque manent
Jam dulces lacrimæ; dolorque festus
Quidquid fleverat ante, nunc adoret.

130. *Excubatque somno.* Vulgo *incubatque s.* Sic et Par. cod. Vid. not. A.

132. Pro *genialis*, Parmensis habet *genitalis*: recte. Vide quæ notavi ad Arb. Ated. v. 62: *genitalis origo* idem est quod *initium*. Sumsit Noster ex Lucretio, *cœli genitalis origo*: et alibi, *mundi tempus genitâle*; id est *initium* seu *natalem* mundi; *diem genitalem* vocat Tacitus, Annal. XVI, 14. — Cod. Paris. *genialis*. A.

134. Ed. pr. *fessus* pro *festus*. A.

NOTÆ

IN CARMEN SEPTIMUM LIBRI SECUNDI

SILVARUM.

VERS. 10. CRINEM *comite, candidamque vestem Perfundant ederæ recentiores.* Cujusnam usus sit *edera* in vestibus *perfundendis*, vel quid sit *perfundere* vestem *edera* omnino tacent interpretes; et perdoctus sit oportet qui hæc explicare possit. *Colligere* quidem *sinus edera* invenio, Achilleid. lib. I, vers. 609: « Ut vero a tereti demisit Nebrida collo Errantesque sinus edera collegit, etc. » Et *ligare sinus edera* Val. Flacc. lib. II, 268, de Hypsipyle patrem Thoanta ornante in speciem Bacchi. Ex quibus locis primum suspicabar de *cinctu* (non *perfusione*) *vestis* hæc Statii intelligenda esse : omnem mox scrupulum removit Sidonius Apollinaris, perpetuus Statii imitator, epist. VIII, 11 :

> Sparsam stringe comam virente vitta ;
> Et rugas tibi syrmatis profundi
> Succingant ederæ expeditiores.

Hæc ad verbum Statii quasi filo ducunt, « Crinem comite, candidamque vestem Præcingant ederæ recentiores: » non *perfundant. Præcingere* pro *vincire* seu *ligare* centies occurrit apud Ovidium et alios. Præpositiones *per*, *præ* et *pro*, eodem modo in MSS. signantur; unde sæpissime confunduntur.

14. *Et si qua patet, aut diem recepit Sertis mollibus expleatur umbra.* Nullum opus disjunctiva particula *aut*, quum res eadem exprimatur; quippe *patere* et *diem recipere* idem sunt; quum umbra quæ *pateat* necessario etiam *diem recipiat*. Melius itaque si dixisset *patet et diem recepit:* quo pacto, τὸ αὐτὸ bis tantum diceretur; quod poetæ sibi interdum indulgent. Isto vero modo, *patet aut diem recepit*, disjunctivum *aut* vitiose usurpatur: nunquam enim disjunguntur nisi verba aut res diversæ significationis: ridicule enim diceres, *non possum, aut bibere, aut liquorem haurire.* Domitius satis absurde edidit, « Et si qua pateram diem recepit: » quod tamen magis absurde interpretatur, « Si aliquis se contulit in umbram in diem ut pateram daret voluptati. » Ex MSS. vero hanc lectionem hausisse Domitium hinc colligo, quod editio Parmensis, quæ duobus annis editionem Domitii præcessit, habet *patet aut :* quam

lectionem si vidisset Domitius, avide, sat scio, arripuisset; et hinc probabile fit illum nunquam inspexisse istam editionem. Quid igitur, inquis, facies isti voci *pateram?* ecce tibi,

> Et si qua patulam diem recepit
> Sertis mollibus expleatur umbra.

Jam numeros Statianos agnoscis. Pro *patulam* errore librarii scriptum erat *patelam :* unde, mutata una litera, fecerunt *pateram.* Bene vero *diem patulam :* ita *aer patulus* Avieno, Phœnom. Arat. v. 1113; *apricam diem* vocat Val. Flaccus, I, 845; *aprica saxa* Virgil. Georg. l. II, v. 522; alibi, eodem libro, v. 112, *apertos colles*, eodem sensu : id est, *patulos.* Appositissime Ovid. Art. Amat. II, 619:

> Et si non tenebras, at quiddam nubis opacæ
> Quærimus, atque aliquid luce patente minus :

id est, *die patula. Dies* enim hoc Statii loco idem est quod *cælum*, *lux.* Noster, Thebaid. lib. I, vers. 199,

> Interiore polo : spatiis huic omnia juxta,
> Primæque occiduæque domus, et fusa sub omni
> Terra atque unda die.

Ita legendus iste locus : vulgo, *hinc*, et *effusa.* Vetus interpres : *sub omni die; id est, sub omni cælo.* Lucanus, III, 443, de cæsis arboribus loquens : « Tunc primum posuere comas, et fronde carentes Admisere diem : » id est, *lucem recepere.*

24. *Felix heu! nimis.* Præstat, *Felix o, nimis.* Seneca, Herc. OEt. v. 1778 : « O nimis felix, nimis, Thebane conjux! » Quippe *heu* vix locum habet nisi in re lugubri; ut in ista Didus apud Virg. Æneid. lib. IV, vers. 657:

> Felix, heu nimium felix, si litora tantum
> Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ!

Noster, Lacrim. Etrusc. v. 25 : « Felix, heu nimium felix, ploratæque nato Umbra venit. » Hic vero *exsultandi* potius quam *dolendi* datur occasio. Supra, Silv. I, 2 : « ..... satis o nimiumque priores Despexisse procos. » De his vocibus dixi ad Carm. primum hujus libri v. 41. Thebaid. lib. IV, vers. 761 : .... tantum reduces det flectere gressus Juppiter, o quanta belli donabere præda! » ubi male codex Petrensis habet, *heu* quanta. Lucanus tamen in re simili VIII, 139 : « Heu nimium felix æterno nomine Lesbos. » Charisius, lib. II, p. 213, notat *o* etiam dolentis esse : « O dolentis est, ut Maro, *O terque quaterque beati :* Afranius in Emancipato : *O quid clamas?* » et ita Servius ad Æneid. lib. XI, vers. 415.

36. *Natum protenus, atque humum per ipsam*, etc. Imitatur Sidon. Apollinaris, carm. XXIII, 204:

> Jam primum tenero calentem ab ortu
> Excepere sinu novem sorores.

46. *Et doctos Equites.* Quare *Equites* potissimum hoc epitheto donat? nisi illi præ *Senatoribus* et cæteris Romanis *docti* fuerint : quod non memini me legisse; et *Senatores* quidem proprio et perpetuo epitheto designat, *purpureum trahes Senatum :* eodem modo cum *Equitibus* actum esse oportuit, *Et celsos Equites;* hoc enim *Equitibus* proprium : Silv. III, 3 : « .... lævæque ignobile ferrum Exsuit, et celse natorum æquavit honori : » *celse nati* sunt *Equites.* Horatius, Art. Poet. vers. 342 : « Celsi prætereunt austera poemata Rhamnes. » Noster, Silv. I, 4 : « Pompeio nec celsus Eques, nec femina Bruto. » Potes etiam ad vulgatam propius legere *claros* Equites; quippe *cl* in *d* sæpe coalescit; ita *dura* pro *clara* Theb. IV, 827, de quo supra monui; et *tandem* pro *zanclem* vel *zanclen* apud Silium Italicum, libro primo. *Coride* apud Martial. Epigr. lib. III, XCIII, 24, pro quo restituit *Coricle* Scaliger, Auson. Lection. II, 4. *Clari* vero *Equites* interdum dicuntur : vide Bentleium ad Horat. carm. I, 20, 5. Sed hoc particulare est, nec *omnibus* Equitibus convenit : maneamus itaque in priori conjectura.

58. *Ingratus Nero dulcibus theatris Et noster tibi proferetur Orpheus.* Vera est lectio quam hic posui; et ita censuit Gronovius, Diatr. c. 29. Constructio est, *proferetur dulcibus theatris,* non *ingratus dulcibus theatris :* id est, « tu proferes, exhibebis theatro poemata Neronem et Orphea. » De verbo *proferre* dixi aliquid in not. p. 304; ubi monui verbum esse *artificum.* Cicero, Academic. II, 1, de Themistocle : « Qui quidem etiam pollicenti cuidam se artem ei memoriæ quæ tum primum proferebatur, traditurum, respondisse dicitur, oblivisci se malle discere. » Stare igitur potest versus ille *Ingratus Nero dulcibus theatris;* licet epitheton *dulcibus* non adhuc nimis arrideat. Auctor Vitæ Lucani : « Prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit, quinquennali certamine. » Hic tertio loco ponitur Nero. — Pro *Et sedes* (v. 57) lego *Tu sedes;* quum ut vitetur insuavis repetitio conjunctionis, *et supplex, et sedes, et noster :* tum ut servetur emphatica iteratio pronominis, *tu carus Latio, tu sedes reserabis, tu castæ titulum, tu Pelusiaci :* ut in Eq. Max. vers. 79 : « tu bella Jovis, tu prælia Rheni, Tu Civile nefas, tu tardum in fœdera montem Longo Marte domas, etc. » Et sæpe hæ voces invicem commutantur. Titulus autem hujus poematii in quo de Orpheos descensu ad inferos egit Lucanus, fuit, credo, Καταχθόνιος, *Subterraneus;* seu plenius, *Orpheus Catacthonius;* hoc mihi suggessit Lutatius, vetus scholiastes Statii; qui ad Theb. lib. IX, vers. 224, duos versus citat ex Lucani *Catagonio;* quam vocem intelligere hactenus non valuerunt viri eruditi : sed si legas *Catacthonio,* et de *Orpheo apud Inferos* accipias, evanescet obscuritas : nisi malis *Catonio;* eodem sensu : de quo adeundus Salmasius, ad Spartianum Adriano, p. 171 : et hoc forte verius. Vid. Cic. Epist. Famil. VII, 25.

63. De *Allocutione* consule Salmasium, ad Trebel. Pollionis Gallienos, p. 214, ubi ex vetustissimo Codice Epigrammatum profert *Allocutio-*

nem Sponsalem Abiti vel Aviti cujusdam, ad hunc modum :

> Linea constricto de pectore vincula solve,
> Et domino te crede tuo : nec candida lædas
> In quibus ora vide, vel ne contacta repugnes.
> Est in nocte timor, non est in nocte periclum.
> Nec volo contendas : vinces quum vicerit ille.

Ita etiam citantur hi versus a Theod. Jans. Almeloveenio, in Epigram. et Poem. Vett. Mirum neutri eorum suboluisse mendum apertissimum in versu tertio : legendum nempe, « nec candida lædas Unguibus ora vide : » non *In quibus* : quod sensum nullum habet.

69. *Et gratum popularitate Magnum.* Iterum alludit Sidonius, carmen IX, v. 297 : « Et carus popularitate princeps. » *Popularitate* gratum, id est, *ob popularitatem*. Plinius, Epist. II, 1, de Virginio Rufo : « Cæsares, quibus suspectus atque etiam invisus virtutibus fuerat, evasit. » Tacitus, Annal. IV, 19 : « Erat uxor Silio Sosia Galla, caritate Agrippinæ invisa principi. » Et Annal. XIV, 59 : « Octaviamque conjugem amoliri, quamvis modeste agat, et nomine patris, et studiis populi graveu? » id est, *ob studia* populi invisam.

70. *Tu Pelusiaci scelus Canopi.* Quintilianus, Instit. I, 5, de Barbarismo : « Sed in prosa quoque est quædam jam recepta immutatio : nam Cicero Canopitarum exercitum dicit, ipsi Canobon vocant. » Servius, ad Virgil. Georg. IV, 287 : « *Pellæi Canopi ;* Canopus autem dicta est quasi Canobus, a Canobo Menelai gubernatore illic sepulto. » Κανωβον etiam non Κανωπον semper appellat Strabo, Geogr. lib. XVII, pp. 550, 551. Sed nihil mutandum.

85. *Forma, simplicitate, comitate, Censu, sanguine, gratia, decore.* De versu priore notat Gevartius : « Versus hic trivialis et insititius e margine videtur irrepsisse, ob similitudinem sequentis, qui sine dubio Statianus est. » Assentior de primo ; et idem etiam censeo de altero ; nempe neutrum Statii esse, sed faceti alicujus, qui per lusum duobus versiculis ex singulis verbis compactis Pollam nostram omnibus præclaris dotibus ornare et quasi cooperire voluit ; et de primo quidem certum est ; *si enim* admittas, cum Gevartio, *censu, sanguine, gratia, decore ;* tum certe *forma* locum habere, nisi summa cum ταυτολογια, non potest. Ad hunc igitur modum paulisper cum viro docto locum concipiamus,

> Doctam atque ingenio suo decoram,
> Qualem blanda Venus daretque Juno
> Censu, sanguine, gratia, decore :

ubi primum oculis incurrit inscita repetitio *decoram* et *decore*. Deinde, grammaticorum filios interrogarem, quare in ablativo casu hæc concipiantur, et a quo verbo regantur. Porro, quæro, quænam sit differentia inter *gratiam* et *decorem*. Aufer itaque versus male natos, et sine quibus optime procedit sensus ; et monachus suam *Gratiam* sibi habeat.

110. *Terras despicis et sepulcra rides.* Alludit ad verba ipsius Lucani, initio lib. IX, de Pompeio. Sequitur, *Seu pacis meritum nemus reclusæ.* Heinsius malebat *paucis* et *reoludi;* vulgatam optime tuetur Gronovius, Diatr. c. 22, et explicat, « Seu tenes beatum in Campis Elysiis et bene meritum nemus quietis, quam (voluit, opinor, *quod*, sc. *nemus*) tu inducto et reducto Orpheo reclusisti. »

Acquieveram in Gronovii explicatione. Sed quam jam videam antiquiores Ven. Parm. et Rom. uno consensu (et ita MS. Florent. teste eodem) habere *merito*, cur dubitem quin Statius ita scripserit? *seu tenes nemus pacis, reclusum merito tibi*, vel *merito tuo.*

129. *Vultus qui simili notatus auro Stratis prænitet.* Hygin. Fab. CIV, de Laodamia : « itaque fecit simulacrum cereum simile Protesilai conjugis, et in thalamis posuit sub simulatione sacrorum, et eum colere cœpit. » Apuleius, Miles. VIII : « Imaginem defuncti, quam ad habitum dei Liberi formaverat, affixo servitio divinis percolens honoribus, ipso sese solatio cruciabat. » Hoc exemplum explicat præcedentia, *Falsi numinis induit figuras :* ita enim ex Rom. et Venet. editt. legit Gronovius, Diatr. c. 6, pro *figura ;* ubi etiam hunc Apuleii locum adducit : *figuras* Parmensis quoque.

130. *Stratis prænitet incubatque somno.* Scio quid sit *incubare ovis* vel *divitiis;* sed quomodo aliquis *somno incubat* non possum animo concipere. Lege, certissima emendatione, *excubatque somno Securæ :* eleganter; quasi Bonus Genius *excubias agit* et *somnum* tutatur uxoris, *securæ* ideo quia ille *excubat.* Eamdem constructionem habes apud Lucan. IX, 912, de Psyllis : « Nec solum gens illa sua contenta salute, Excubat hospitibus. » Ita in Surrent. Pollii, v. 21, Neptunus *excubare* dicitur. Et Amor *pulchris excubat in genis Chiæ* apud Horat. carm. IV, 13, 8, qui hoc mutuatus est ex Sophocle, Antig. v. 794 (prout et ab aliis notatum video),

Ος ἐν μαλακαῖς παρειαῖς
Νεάνιδος ἐννυχεύεις,

sc. Ἔρως· *servare somnum* vocat Sidon. Apollinaris, carm. V, 30. Suetonius, Claudio, c. 37 : « Nec dubitavit postero die Claudius ordinem rei gestæ perferre ad Senatum, ac liberto gratias agere quod pro salute sua etiam dormiens excubaret. » Seneca, epistola 102 : « ubi disposita tot numina in actus suos excubant. » Plinius, Hist. Nat. XXXV : « Nondum libebat parietes totos pingere : omnis eorum ars urbibus excubabat : pictorque res communis terrarum erat. » Apuleius, Miles. V : « Nos autem quæ pervigili cura rebus tuis excubamus, cladibus tuis misere cruciamur. » Non igitur audiendus Gevartius legens, *incubatque somno Securæ :* nec Heinsius, « Sint curæ procul : hinc abite, mortes. » — Manes defunctorum ex opinione veterum nocte errare, satis expositum est a doctis viris. Vid. Meursius, ad Lycophron. v. 1225; Burmannus, ad Propert. lib. IV, el. 7, v. 89; ubi etiam affert Lucretii IV, v. 794 : « Scilicet arte madent simulacra et docta vagantur; » in quibus desidero

curam novissimi editoris diu exspectatam. Nam Turnebi emendationi inhæret, quod displiceat. Præterea mortuorum animæ ita vagantes turbare et illudere dicebantur homines, qui iis vivis odiosi essent. Vid. Broukhus. ad Tibull. I, 6, 15, et interprr. ad Ibin, 141 seq. Hinc Tertullianus, de Resurrect. carn. c. 16 med. *illudia animarum*. Et inveniuntur in plurimis sepulcris antiquis foramina media, per quæ umbræ mortuorum nocte volare et amicos putabantur visere, etc. H.

134. *Dolorque festus*. Ita *furor festus* Sidon. Apollinari, carm. IX, 205. Qui locus et phrasis egregie refutat Cruceum, qui aliquid mutire voluit contra Gronovianam istorum Statii verborum explicationem.

FINIS LIBRI SECUNDI.

SILVARUM

LIBER TERTIUS.

STATIUS POLLIO SUO

SAL.

Tibi certe, Polli dulcissime, et hac, cui tam fideliter inhæres, quiete dignissime, non habeo probandam diu libellorum istorum temeritatem, quum scias multos ex illis in sinu tuo subito natos, et hanc audaciam stili nostri frequenter expaveas, quoties in illius facundiæ tuæ penetrale seductus, altius literas intro, et in omnes a te studiorum sinus ducor. Securus itaque tertius hic Silvarum nostrarum liber ad te mittitur. Habuerat quidem et secundus testem; sed hic habet auctorem. Nam primum limen ejus Hercules Surrentinus aperit, quem in litore

VARIÆ LECTIONES.

1. *Fideliter.* Cod. Par. in marg. *fœliciter.* A.

3. *Libellorum.* Edit. princ. *bellorum.* A.

5. *Quoties in illius facundiæ tuæ penetrale seductus.* Editio Romana pro *penetrale* habet *penetrasti*: a qua lectione merito dissentit Politianus, epist. VI, 1, et legit *penetrale.* Parmensis exhibet *penetralia;* quod verius puto. Et hinc quoque probabile est Domitium nunquam vidisse exemplar Parmense: melius enim de eo opinor quam ut putem illum recepturum fuisse ineptum istud *penetrasti*, si usquam invenisset *penetralia.* — Cod. Par. in textu habet, *penetrasti;* ad marginem, *penetrale.* Ed. princ. *penetrasti.* A.

tuo consecratum, statim ut videram, his versibus adoravi. Sequitur libellus, quo splendidissimum et mihi jucundissimum juvenem, Metium Celerem, a sacratissimo Imperatore missum ad legionem Syriacam, quia sequi non poteramus, sic prosecutus sum. Merebatur et Claudii Etrusci mei pietas aliquod ex studiis nostris solatium, quum lugeret veris (quod amarissimum est) lacrimis senem patrem. Earinus præterea, Germanici nostri libertus, scit quamdiu desiderium ejus moratus sim, quum petisset, ut capillos suos, quos cum gemmata pyxide et speculo ad Pergamenum Asclepium mittebat, versibus dedicarem. Summa est Ecloga, qua mecum secedere Neapolim Claudiam meam exhortor. Hic, si verum dicimus,

13. *Metium*. Cod. Paris. et ed. pr. *Novium*. A.

15. *Quia sequi non poteramus, sic prosecutus sum*. Nihil frequentius hac numeri mutatione; ita Lacrim. Etrusc. vs. 37: « nos non arsura feremus Munera, venturosque tuus durabit in annos, Me monstrante, dolor. » Et ita passim. Parmensis vero præfert, « quia sequi non poteram, sic prosecutus sum; » quod quare spernerem? præsertim quum per totam hanc epistolam (unico excepto loco in quo *nostri* pro *mei*) numero singulari agat. Hoc igitur in contextum recipi velim. — Cod. Paris. ed. pr. *quia sequi non poteram* A.

17. Pro *amarissimum* non opus est ut legamus *rarissimum*. — Cod. Paris. superscriptam habet vocem *quod* ante *amarissimum*; ed. princ. plane omittit: sed vitio, ut apparet, librarii et typorum paulo post exhibent: *quod Earinus* (*Carinus* ed. pr.) *præterea*, etc. A.

18. *Germanici dei nostri libertus*. Vox *dei* additamentum est Domitii, ut ipse fatetur: nec agnoscit Parmensis: ejeci itaque. — Cod. Paris. vocem *dei nostri* retinet, sed ad marginem quasi emendatio annotatur, *ut nosti*. A. — *Quamdiu*, id est, *quam non diu*, quam brevi tempore carmen istud scripsi; per contraria loquitur: et Earinum testem advocat temeritatis istius libelli.

21. *Mittebat*. Cod. Paris. *mictebat;* ed. pr. *mitebar*. A.

23. *Hic, si verum dicimus, sermo est quidem securus, ut cum uxore*. Olim emendaveram, *sermo est*, et *quidem securus, ut cum uxore;* et *qui*, etc. Confirmat Parm. quæ habet, *equidem* pro *et quidem*: et Rom. *ē quidem*. Notum quid sit *Sermo* ex Horatio. Apuleius, Miles. III, de simulacro Eponæ: « quod accurate corollis roseis et quidem recentibus fuerat ornatum. Tum denique, etc. » Ita legendum; vulgo

sermo est; et quidem securus, ut cum uxore, et qui persuadere malit quam placere. Huic præcipue libello favebis, quum scias habere destinationem quietis meæ, et tibi maxime intendere : meque non tam in patriam quam ad te secedere.

equidem : et omittitur *Tum*, a voce præcedente absorptum : qualiter factum est etiam lin. 26 hujus epistolæ : « Huic præcipue libello favebis, quum scias hanc destinationem quietis meæ tibi maxime intendere ; » ita vulgo legitur. Parmensis : « cũ scias habere destinationem quietis meæ tibi maxime intendere ; » lege : « Huic præcipue libello favebis tu, cũ scias habere destinationem quietis meæ, et tibi maxime intendere. » Duas voces, *tu*, atque *et*, a similibus literis extrusas vides. — Cod. Paris. ed. pr. *sermo est equidem securus* : mox, *quum scias hanc destinationem quietis meæ tibi maxime intendere*. A.

CARMEN I.

HERCULES SURRENTINUS POLLII FELICIS.

Intermissa tibi renovat, Tirynthie, sacra
Pollius; et causas designat desidis anni
Quod coleris majore tholo; nec litora pauper
Nuda tenes, tectumque vagis habitabile nautis,
Sed nitidos postes, Graiisque effulta metallis
Culmina; ceu tædis iterum lustratus honesti
Ignis, ab OEtæa conscenderis æthera flamma.
Vix oculis, animoque fides: tune ille reclusi
Liminis, et parvæ custos inglorius aræ?
Unde hæc aula recens, fulgorque inopinus agresti
Alcidæ? sunt fata Deum, sunt fata locorum.
O velox pietas! steriles hic nuper arenas,
Aspersum pelago montis latus, hirtaque dumis
Saxa, nec ulla pati faciles vestigia terras
Cernere erat. Quænam subito fortuna rigentes
Divisit scopulos? Tyrione hæc mœnia plectro,
An getica venere lyra? stupet ipse labores
Annus, et angusto bisseni limite menses

VARIÆ LECTIONES.

16. *Divisit scopulos.* Cod. Paris. ed. pr. Cruc. Gronov. *ductavit.* Vid. not. A.

17. Pro *labores* Parmensis habet *laborans:* et *angusti bisseno* pro *angusto bisseni;* utrumque perperam; ut et istud quod sequitur: *Deus* adfuit, *arces erexitque suas:* pro quo Parm. et Rom. *attulit:* aliæ *affluit:* verum est *adfuit*, ut v. 112, « ipse adero, et conanima tanta juvabo; » ita Virgilius, Ciri, v. 105, in re si-

Longævum mirantur opus. Deus adfuit, arces
Erexitque suas, atque obluctantia saxa
Summovit nitens, et magno pectore montem
Reppulit; immitem credas jussisse novercam.
Ergo age; seu patrios, liber jam legibus, Argos
Incolis, et mersum tumulis Eurysthea calcas;
Sive tui solium Jovis, et virtute parata
Astra tenes, haustumque tibi succincta beati
Nectaris, excluso melior Phryge, porrigit Hebe;
Huc ades, et genium templis nascentibus infer.
Non te Lerna nocens, nec pauperis arva Molorchi,
Nec formidatus Nemees ager, antrave poscunt
Thracia, nec Pharii polluta altaria regis;
Sed felix, simplexque domus, fraudumque malarum
Inscia, et hospitibus Superis dignissima sedes.
Pone truces arcus, agmenque immite pharetræ,
Et regum multo perfusum sanguine robur,
Instratumque humeris dimitte gerentibus hostem.

mili: « Stat Megara, Actæi quondam munita labore Alcathoi, Phœbique: Deus namque adfuit illi: Unde etiam citharæ voces imitantur acutas; » lege « Unde etiam citharæ voces mittuntur acutæ; » nullus in altero sensus idoneus; *mittantur* pro *emittuntur*. Val. Flacc. IV, 652: « stetimus tamen, et Deus adfuit ausis. » Claudianus, Idyll. VII, vs. 35: « Senserunt elementa fidem: pater adfuit Æther, Terraque maternum sedula juvit onus. » Livius, I, 9: « Satis scire, origini Romanæ et Deos adfuisse, et non defuturam virtutem. » — Cod. Paris. *deus attulit arces*, et in marg. *artes*. Ed. princ. « deus attulit arce Erexitque suas. » A.

3o. Pro *antra*que, legendum *antrave*: ut Pietat. Abascant. v. 57: « Illum nec Phrygius vitiasset raptor amorem Dulichiive proci; nec qui fraternus adulter Casta Mycenæo connubia polluit auro. » Et ita passim. — Cod. Par. *antraque*. A.

35. *Perfusum*. Cod. Paris. edit. pr. *profusum*. A.

36. *Instratumque humeris dimitte gerentibus hostem*. Edd. Parm. et Rom. pro *Instratum* habent *Lustratum*: quod Domitius ita explicat: « dimitte pellem leonis quo lustrasti et purgasti agrum Nemeum: » festinanter, et nulla aut sensus aut Latinitatis ratione habita: et tamen hanc lectionem multæ sequuntur editiones; optime vero Codex Se-

Hic tibi Sidonio celsum pulvinar acantho
Texitur, et signis crescit torus asper eburnis.
Pacatus, mitisque veni; nec turbidus ira,
Nec famulare timens; sed quem te Mænalis Auge
Confectum thiasis, et multo fratre madentem
Detinuit; qualemque vagæ post crimina noctis
Thestius obstupuit, toties socer: hic tibi festa
Gymnas, et insontes juvenum sine cæstibus iræ

nensis, *Instratumque humeris*: et hoc approbat Gevart. Papin. Lect. III, 1; et loco Virgilii confirmat, Æn. II, v. 721: « Hæc fatus, latos humeros subjectaque colla Veste super, fulvique insternor pelle leonis: » nihil verius. Deinde, pro *gerentibus*, mavult Gevartius, literis transpositis, *rigentibus*: ante enim omnia ut horrida et aspera describit Statius, « truces arcus agmenque immite pharetræ. » Gronovius, Diatr. c. 23, pro vulgata contendit: « Et potest et debet, inquit, legi *gerentibus*, non *rigentibus; gerentibus humeris* est non jam luctantibus, sed gestantibus modo, et jam victoribus humeris. » Mihi tamen adhuc superflua videtur hæc vox: « dimitte hostem instratum humeris: » quodnam opus τοῦ *gerentibus* (Gevartii enim *rigentibus* nihil moror)? quippe si hostis (i. e. pellis leonis) *instratus* sit humeris, mirum ni eum *gerant* humeri: abundare igitur videtur vox *gerentibus;* licet sciam hoc etiam apud alios interdum inveniri: ita Valer. Flaccus, II, 543: « Emicat Alcides, vinclisque tenentibus aufert Virgineas de rupe manus; » et VII, 398: « Atque hic se profugam volucri Thaumantias ala Sustulit: inde Venus dextræ dilapsa tenenti; » quibus locis voces *tenentibus* et *tenenti* omitti possent absque ullo incommodo. Hic vero, ut mihi videtur, requiritur aliquid signantius et Herculi magis proprium; hoc vero est, « Instratumque humeris dimitte ingentibus hostem; » nimirum ante oculos habuit supra citatum Virgilii locum, « Hæc fatus, latos humeros insternor pelle leonis; » ita Theb. IV, 234: « Frena tenent, duplexque inserto missile nodo Exserti ingentes humeros; » Val. Flacc. IV, 244: « Ingentes humeros spatiosaque pectoris ossa Protulit; » Ovid. Met. XIII, 962: « Ingentesque humeros et cærula brachia vidi. » Inter præcipua Herculis γνωρίσματα numerabantur *humeri ingentes*: unde Amphitryon apud Senec. Hercul. Fur. post filii reditum ex inferis dubius utrum is ipse esset, necne, tandem ex toris et *humeris* agnoscit. Noster, Theb. VI, 836: « levat ardua contra Membra Cleonææ stirpis jactator Agylleus, Herculea nec mole minor: sic grandibus alte Insurgens humeris, hominem super improbus exit. »

43. *Thestius.* Cod. Paris. ed. pr. Cruc. Gron. *Thespius.* Vid. not. A.

44. *Et insontes juvenum sine cæstibus iræ.* Domitius invenit in suis Codicibus *testibus*: unde fecit *cæsti-*

Annua veloci peragunt certamina lustro.
Hic templis inscriptus, avo gaudente, sacerdos
Parvus adhuc, similisque tui, quum prima novercæ
Monstra manu premeres, atque exanimata doleres.
Sed quænam subiti veneranda exordia templi,
Dic age, Calliope : socius tibi grande sonabit
Alcides, tensoque modos imitabitur arcu.
Tempus erat, cæli quum torrentissimus axis
Incumbit terris, ictusque Hyperione multo
Acer anhelantes incendit Sirius agros.
Jamque dies aderat, profugis quum regibus aptum
Fumat Aricinum Triviæ nemus, et face multa
Conscius Hippolyti splendet lacus : ipsa coronat
Emeritos Diana canes, et spicula tergit,

bus; quod ante illum habuit editio Parmensis. Et ferri quidem potest hæc lectio : mihi tamen subfrigidum videtur : quare enim *cæstibus* potissimum ? quasi ideo solum *insontes* essent hæ juvenum iræ, quia *cæstus* non adhibebantur his ludis ! quasi nullum esset aliunde periculum nisi a *cæstibus !* quasi non *in lucta* quoque crus aut brachium sæpe frangeretur, aut talus inverteretur ! Non igitur ideo *insontes* iræ quia *sine cæstibus*, sed quia *sine cædibus :* « Et insontes juvenum, et sine cædibus, iræ, Annua veloci peragunt certamina lustro ; » hoc maxime placet ; *inermes pugnas* vocat, Thebaid. VI, 249, et VII, 90. « Insontes et sine cædibus, » ut apud Ovid. Amor. I, 7, 61 : « Adstitit illa amens, albo, et sine sanguine, vultu. » Si quis pro vulgata contendat, facile inveniet speciosa satis quibus eam tueatur. Cave vero putes τὸ *iræ* hic aliud quid denotare quam *animos*, *spiritus*, fortitudinis et virtutis indices ; ut Theb. IV, 228, de Laconibus : « Deus ipse viros in pulvere crudo Arcas alit ; nudæque modos virtutis, et iras Ingenerat ; » de *palæstra* loquitur ; ut et VI, v. 830 : « sic otia Martis Degere, et armiferas laxare adsueverat iras Ingentes contra ille viros, Acheloïa circum Litora, felicesque Deo monstrante palæstras : » passim invenies. — Cod. Paris. ed. pr. *sine cestibus iræ.* A.

53. *Incumbit.* Cod. Paris. edit. pr. *incubuit.* A.

55. *Profugis quum regibus aptum Fumat Aricinum Triviæ nemus.* Parmensis, *Aricinæ Triviæ :* alterum poetis usitatius, et auribus gratius. Pro *aptum* nescio unde in Gronovii editionem irrepserit *altum :* quam sequitur Veenhusius, errorum etiam fidus exscriptor : ceteræ omnes quas vidi, habent *aptum.*

Et tutas sinit ire feras; omnisque pudicis
Itala terra focis Hecateias excolit idus.
Ast ego, Dardaniæ quamvis sub collibus Albæ
Rus proprium, magnique ducis mihi munere currens
Unda domi, curas mulcere æstusque levare
Sufficerent; notas Sirenum nomine rupes,
Facundique larem Polli non hospes habebam;
Assidue moresque viri pacemque novosque
Pieridum flores, intactaque carmina discens.
Forte diem Triviæ dum litore ducimus udo,
Angustasque fores assuetaque tecta gravati
Frondibus et patula defendimus arbore soles;
Delituit cælum, et subitis lux candida cessit
Nubibus, et tenuis graviore Favonius Austro
Immaduit; qualem Libyæ Saturnia nimbum
Attulit, Iliaco dum dives Elissa marito
Donatur, testesque ululant per devia Nymphæ.
Diffugimus; festasque dapes, redimitaque vina
Abripiunt famuli: nec quo convivia migrent;
(Quamvis innumeræ gaudentia rura superne
Insedere domus, et multo culmine dives
Mons nitet) instantes sed proxima quærere nimbi
Suadebant, læsique fides reditura sereni.
Stabat dicta sacris tenuis casa, nomine templi;

65. *Habebam.* Sic ed. princ. et cod. Paris. qui ad marginem habet *adibam.* A.

69. *Angustasque fores.* Cod. Paris. a manu prima, *angustas;* a secunda, *augustas.* Mox *gravamus*, et ad marg. *gravati.* Edit. pr. *Angustas.... gravamus;* et *assuta* pro *assueta.* Vide not. A.

71. Pro *lux*, Parm. habet *nox:* et versu 72 *astro* pro *Austro.*

77. In Parm. et Rom. deest vox *quo*, elisa a similitudine sequentis *co.*

78. Pro *superne*, ed. princ. *supernæ.* A.

82. *Stabat dicta sacri tenuis casa, nomine templi.* Nullus in his sensus: lege, « Stabat dicta sacris tenuis casa; » *dicta sacris*, id est, *rebus sacris dicata: dicere* proprium consecrationibus verbum: Servius

Et magnum Alciden humili lare parva premebat,
Fluctivagos nautas, scrutatoresque profundi
Vix operire capax : huc omnis turba coïmus ;
Huc epulæ, ditesque tori, cœtusque ministrûm
Stipantur, nitidæque cohors gratissima Pollæ.
Non cepere fores, angustaque deficit ædes.
Erubuit, risitque Deus, dilectaque Polli
Corda subit, blandisque animum complectitur ulnis :

ad Virg. Æn. VI, 138, ubi *dictus* interpretatur *dicatus*. Vide eumdem ad Æn. VIII, 344. Noster, Theb. V, 511, plenius, « Inachio sanctum dixere Tonanti Agricolæ ; » Persius, Sat. II, 63 : « Et bona Dis ex hac scelerata dicere pulpa ; » ita legendum puto ; vulgo, *ducere :* nullo apto sensu. — Cod. Par. ed. pr. *sacri*. A.

86. *Ditesque tori*. Cod. Paris. in textu, *chori ;* ad marg. *thori*. Edit. princ. *chori*. A.

89. *Erubuit, risitque Deus*. Non video quam *risus* causam hic habuit Hercules ; *iræ* potius et *indignationis*, quod tanto numini tam angusta esset ædes. Conjicio, « Erubuit vidisse Deus, » id est, *visu ;* Ovid. Metam. II, 49 : « Pœnituit jurasse patrem ; » id est, *juramenti* pœnituit ; verbum infinitivum pro substantivo, ut pueri sciunt. Noster, Silv. II, 6, « et certe qui vidit funera frater Erubuit vinci ; » Virgil. Ecl. III, 78 : « Phyllida amo ante alias ; nam me discedere flevit ; » i. e. *meo discessu flevit*. — Cod. Paris. ed. pr. Cruc. Gronov. *Erubuit, risitque deus*. A.

90. *Blandisque virum complectitur ulnis*. Quomodo potuit *virum* complecti ? non enim in propria specie apparuit Hercules ; sed *corda Pollii subiit*, et *menti* has cogitationes infudit : patet hoc ex v. 116, « dixit, mentemque reliquit. » Lege : « Corda subit, blandisque animum complectitur ulnis ; » *Corda* et *animum* passim conjuncta reperies. Sæpe vero hæ voces commutantur. Ita Lucan. IV, 372 : « mox robora nervis Et vires rediere animis ; » ita legendum sensus et oppositio postulant : vulgo, *viris :* sic et Theb. X, 635, pro *Elegit penetrare viros*, scribendum esse *animos* monui supra, ad Epithal. Stel. v. 107 : eodem libro, vs. 937, de Capaneo morituro : « Sed membra virum terrena relinquunt, Exuiturque animus ; » pro *virum*, legendum esse *animam* ex vet. scholiaste putat Burmannus, ad Ovid. Metam. II, 312 : verba scholiastis sunt : « *Exuiturque animus*. Mire *exuitur* dixit, quia anima exuitur corpore : ideo metaphoram a vestibus posuit : » sine sensu hæc : lege, *quia anima induitur corpore ;* potuit æque bene dixisse *quia animus induitur corpore :* quippe *animam* et *animum* pro eodem posuit : unde patet nihil mutandum esse in voce *virum*, quum verba scholiastis pertineant ad τὸ *Exuiturque animus*, non ad præcedentia, *sed membra* virum *terrena relinquunt*. — Cod. Paris. ed. pr. Cruc. Gronov. *virum*. A.

« Tune, inquit, largitor opum, qui mente profusa
Tecta Dicarchææ pariter, juvenemque replesti
Parthenopen? nostro qui tot fastigia monti,
Tot virides lucos, tot saxa imitantia vultus,
Æraque, tot scripto viventes lumine ceras
Fixisti? quid enim ista domus, quid terra, priusquam
Te gauderet, erant? longo tu tramite nudos
Texisti scopulos, fueratque ubi semita tantum,
Nunc ibi distinctis stat porticus alta columnis,
Ne sorderet iter: curvi tu litoris ora
Clausisti calidas gemina testudine nymphas:
Vix opera enumerem: mihi pauper, et indigus uni
Pollius? et tales hilaris tamen intro penates,
Et litus, quod pandis, amo: sed proxima sedem
Despicit, et tacite ridet mea numina Juno.
Da templum, dignasque tuis conatibus aras,
Quas puppes velis nolint transire secundis:
Quo pater ætherius, mensisque accita deorum
Turba, et ab excelso veniat soror hospita tecto.

91. *Tune, inquit.* Cod. Paris. *tuno*, et ad marg. *tune, inquit.* Ed. pr. *Tuno.* A.

96. *Quid enim ista domus, quid terra... erant?* Ven. Parm. et Rom. *erant;* quod verum est. Vide ad Epithal. Stell. v. 227. *Quid erant*, ut apud Propert. IV, 4: « Quid tum Romæ fuit, tubicen vicina Curetis Quum quateret lento murmure saxa Jovis? »; forma loquendi quum comparatur præteritus status rei alicujus, cum ejusdem præsenti statu. — Cod. Paris. ed. princ. et Cruc. *erant:* Gronov. *erat.* Mox pro *longo tu tramite*, cod. Paris. ed. pr. *longoque in tramite.* A.

101. *Gemina testudine lymphas.* Parm. et Rom. disertim habent *nymphas:* recte. Vide quæ notavi ad Tiburtin. Vopisci, vs. 64. — Cod. Paris. *tenera* (a secunda manu, *gemina*) *...nymphas:* ed. princ. *tenera... nymphas:* Gron. et Cruc. *gemina... lymphas.* A.

103. *Tales... penates.* Cod. Par. ed. pr. *talis... penatis.* A.

105. *Numina.* Cod. Paris. edit. pr. *lumina.* A.

109. *Et ab excelso veniat sotor hospita templo.* Præcessit, initio sententiæ, « Da templum, dignasque tuis conatibus aras. » Credat, qui vult, Statium ita scripsisse: ego non dubitavi in contextum admittere, « et ab excelso veniat so-

Nec te, quod solidus contra riget umbo maligni
Montis, et immenso non unquam excisus ab ævo
Terreat; ipse adero, et conamina tanta juvabo,
Asperaque invitæ perfringam viscera terræ.
Incipe, et Herculeis fidens hortatibus aude.
Non Amphioniæ steterint velocius arces,
Pergameusve labor. » Dixit, mentemque reliquit.
Nec mora; conscripta formantur imagine templa:
Innumeræ coiere manus: his cædere silvas,
Et levare trabes: illis immergere curæ
Fundamenta solo. Coquitur pars uvida terræ

ror hospita tecto;» sensu eodem, voce tantum diversa: ita supra, v. 4: « tectum habitabile nautis;» id est *templum:* pariter utrumque conjungit infra, v. 137: « et junctæ tecta noverca Provocat et dignis invitat Pallada templis. » *Tecta Deum* pro *templis* ubique occurrit. Hæ vero voces *tecta* et *templa* sæpissime a librariis confunduntur: ita Eq. Max. pro *Julia templa* Codex Lipsii habuit *tecta;* quod verum est, et in contextum meum admissum: et jam addo, me ita in Parmensi quoque invenisse. Sic et apud Ovid. Met. I, 170, « magni tecta Tonantis,» eadem est diversitas in libris scriptis: ut et Nostro, Theb. I, 208, « Aurea templa replent,» in nonnullis codicibus *tecta.* Versu præcedente, pro *accita* Heins. Not. ad Claudian. de Bel. Gild. v. 171, mavult *ascita* seu *adscita:* bene; sed vix opus est ulla mutatione, propter exemplum quod adducit ex Ausonio, Perioch. Odyss. VIII, « accitoque ad convivium Ulixe, citharam jubet pulsare Demodocum. » Utrumvis probum est, *acciri mensis,* et *adsciscî* seu *adsciri;* eadem diversitas apud Virgilium, Æn. XII, 38, « Si Turno exstincto socios sum adscire paratus, » ubi nonnulli codices legunt *adcire;* notante Pierio. — Cod. Par. ed. pr. Gronov. Cruc. *templo.* A.

111. *Non unquam excisus.* Cod. Par. *nonnunquam exesus,* et a manu sec. *non unquam exesus,* quod habent edit. pr. Cruc. et Gronov. Vid. not. A.

117. *Formantur... templa.* Cod. Par. ed. pr. Cruc. Gronov. *formatur... tela.* Vide not. A.

119. *Et relevare trabes.* Ita plurimæ editiones. Parmensis tamen et Romana *levare;* quod verum est: idem scil. quod *lævare* vel *lævigare:* mutatum ab aliquo qui quantitati primæ syllabæ τοῦ *levare* metuebat. Via Domit. v. 51, « Hi ferro scopulos trabesque levant;» ubi iterum ob eamdem, opinor, rationem, substituerunt *cædunt.* Thebaid. I, 512, « Pars teretes levare manu, ac disponere mensas. — Cod. Par. ed. pr. *levare.* A.

120. Pro *uvida,* Domitius notat

Protectura hiemes, atque exclusura pruinas;
Indomitusque silex curva fornace liquescit.
Præcipuus sed enim labor est exscindere dextra
Oppositas rupes, et saxa negantia ferro.
Hic pater ipse loci, positis Tirynthius armis
Insudat, validaque solum deforme bipenni,
Quum grave nocturna cælum subtexitur umbra,
Ipse fodit: dites Capreæ, viridesque resultant
Taurubulæ, et terris ingens redit æquoris echo.
Non tam grande sonat motis incudibus Ætna,
Quum Brontes Steropesque ferit: nec major ab antris
Lemniacis fragor est, ubi flammeus ægida cælat
Mulciber, et castis exornat Pallada donis.
Decrescunt scopuli, et rosea sub luce reversi
Artifices mirantur opus: vix annus anhelat

inemendatos Codices habere *invida;* se vero fecisse *uvida.* Recte fecit Domitius, et bene interpretatus est; per *partem uvidam terræ* intelligit *arenam,* ex qua fiebant *tegulæ,* protecturæ hiemes, et pruinas exclusuræ. — Cod. Par. *vivida* in contextu; ad marginem, *invida.* Edit. princ. *vivida;* quod et habet Cruc. A.

123. Pro *exscindere dextra Oppositas rupes,* Crucei et Tho. Stephan. editt. exhibent *dextræ Oppositas:* forte non male: *oppositas dextræ,* ut, *negantia ferro;* ita enim in Parmensi et Aldina invenitur, non *rigentia;* et Statio vindicavit Gronovius, Diatr. cap. 45, multis exemplis; *saxa negantia ferro* sunt *non cedentia, inexpugnabilia.* Lucan. VIII, 3, de Pompeio: « Cornipedem exhaustum cursu, stimulisque negantem Magnus agens, incerta fugæ vestigia turbat; » quem locum adduxit Gronovius; ut et hunc ex Nostro, Theb. IV, « dexter Iaccho Collis, at Ennææ Cereri negat; » id est, *non admittit segetem,* non *ferax est segetis.* Sed nota sunt hæc eruditis; et exempla obvia. — Cod. Paris. ed. pr. Gron. *excindere dextra;* Cruc. *dextræ.* Seq. versu, cod. Paris. *saxa rigentia ferro,* et in marg. *negantia ferrum:* ed. pr. et Cruc. *rigentia ferro.* A.

130. Pro *Ætna,* Parm. et Rom. *Ætnæ:* forte *Ætne,* terminatione Græca, ut *Nemee* infra v. 143, pro quo Rom. *Nemeæ,* Parm. *Nemees.* Vide quæ dico ad V, 3, 93. — Cod. Par. *Ætne:* ed. pr. *Ætnæ.* A.

135. *Vix annus anhelat Alter, et,* etc. Parmensis, ut notavi, habet *anhelans:* quod non est de nihilo: immo Statianum hoc esse persuadeor. *Annus* ponitur pro *pars anni; annus* igitur *anhelans* est ea pars anni in qua *anhelamus* seu *æstua-*

Alter, et ingenti dives Tirynthius arce
Despectat fluctus, et junctæ tecta novercæ
Provocat, et dignis invitat Pallada templis.
Jam placidæ dant signa tubæ; jam fortibus ardens
Fumat arena sacris: hos nec Pisæus honores
Juppiter, aut Cyrrhæ pater aspernetur opacæ.
Nil his triste locis: cedat lacrymabilis Isthmos,
Cedat atrox Nemee: litat hic felicior infans.
Ipsæ pumiceis virides Nereïdes antris
Exsiliunt ultro, et scopulis uventibus hærent;
Nec pudet occulte nudas spectare palæstras.
Spectat et Icario nemorosus palmite Gaurus,
Silvaque quæ fixam pelago Nesida coronat;
Et placidus Limon, omenque Euplœa carinis,

mus; hoc est, *æstas;* vix rediit *æstas* altera, et Hercules templum habuit. Sic *horrens annus* Thebaid. IV, 1; ea pars anni in qua *horremus*, id est, *hiems*. Ita *vernantia tempora* pro *vere* Virg. Cul. v. 409; ubi æque bene dixisse poterat *vernans annus*. Vide quæ notavi ad Tiburt. Manlii, vs. 8: *Vix annus anhelans alter*, sc. *aderat;* ut Ov. Fast. V, vs. 534: « Jamque decem menses; et puer ortus erat. » Vide ad Epithal. Stell. v. 144. — Cod. Par. ed. pr. *anhelat*. A.

136. Pro *arce* Parm. *arte;* et pro *junctæ* Parm. et Rom. *victæ:* perperam: si enim *victæ*, quodnam opus *provocare? tecta novercæ junctæ* sunt *templa Junonis in proximo, juxta*. — Cod. Par. ed. pr. *arce*, et vers. seq. *victæ tecta n*. A.

144. *Ipsæ pumiceis*. Cod. Paris. ed. pr. *Ipse puniceis*. A.

145. *Et scopulis humentibus hærent*. Ita editiones pleræque: antiquiores tamen Rom. et Venet. MS. Flor. et Parm. habent *viventibus:* unde Gronovius, Diatr. cap. 24, fecit *uventibus*, id est, βριχομένοις. Recte: significatio utriusque verbi eadem fere; licet aliquam differentiam statuat Salmasius, Epist. 85. Vide cl. Drakenborch. ad Silium Italicum, IX, 30, et alios ejusdem poetæ locos. — Cod. Par. *viventibus*, et ad marg. *humentibus:* ed. pr. *viventibus*. A.

149. *Numenque Euplœa carinis*. Supra in Surrent. Pollii, v. 79, « Inde vagis omen felix Euplœa carinis; » ex quo loco corrigendus hic, « omenque Euplœa carinis; » non enim *numen* erat carinis *Euplœa* (qui potuit?) sed *omen*, utpote *prosperam navigationem* denotans. Homerus, Iliad. Θ, Εἰ δή κεν ΕΥΠΛΟΙΗΝ δόμεν κλυτὸς Ἐννοσίγαιος. Ultima litera vocis *Limon* adhæsit insequenti *omen; Limo nomen:* unde fecerunt *numen;* et ita

Et Lucrina Venus; Phrygioque e vertice Graias
Adsciscis, Misene, tubas; ridetque benigna
Parthenope gentile sacrum, nudosque virorum
Certatus, et parva suæ simulacra coronæ.
Quin age, et ipse libens proprii certaminis actus
Invicta dignare manu: seu nubila disco

inveni in Parm. « Et placidum Limo numenque: » Romana *Limen*. Mos hic sive superstitio veterum ex rebus fortuitis *omina* capiendi, satis notus. Sueton. Aug. c. 94: « Apud Mundam Divus Julius castris locum capiens, quum silvam cæderet, arborem palmæ repertam conservari ut omen victoriæ jussit. » Seneca, Agamemn. 938: « Et ista donum palma Pisæi Jovis Velamen eadem præstet atque omen tibi. » Tale omen Augusto ante pugnam Actiacam erat asellus cum asinario: « Eutychus homini, bestiæ Nicon erat nomen: » verba sunt Suetonii, Aug. c. 96. — Cod. Par. *Et placidus Limon* (ad marg. *limen*) *numenque Euplea*. Edit. pr. *Limon numenque*. Ita quoque Cruc. et Gronov. A.

150. *Phrygioque e vertice Graias Addiscis, Misene, tubas.* Immo ad Trojam satis *didicerat* Graias tubas Misenus: non itaque opus erat ut hic *addisceret*, sed ut *agnosceret*: « Agnoscis, Misene, tubas. » Theb. XI, 221: « auditos proavis agnovimus ignes; » Silius, XII, 660: « Agnovit tenebris cælestia bella Typhœus. » Exempla ubique. Et in hac conjectura acquievi ante inspectam editionem Parmensem: ea vero exhibet, « Adscises, Misene, tubas. » Atque hinc de præstantia istius editionis conjecturam facere licet: hæc enim lectio, quamquam depravata, ad veram nullo negotio ducit, « Phrygioque e vertice Graias Adsciscis, Misene, tubas: » qua nihil elegantius. *Adsciscere* dicimur quidquid *nativum* et de proprio non habemus; ita quum in *Phrygio* monte *Graiæ* tubæ naturaliter esse non possint, Misenus dicitur illas *adsciscere*, id est *adoptare*, et *admittere*: in quo etiam hæc oppositio et acumen est, quod dicit *Graias* tubas *Phrygio* Miseno gratas esse; quum inter istas gentes, Graios et Phrygios, maximæ aliæ essent inimicitiæ. *Graias* vero *tubas* dicit, quia omnis juventus et turba quæ ad hos ludos confluebat ex oppidis proximis, *Græcæ* fere erat originis; quum ista pars Campaniæ Græcis coloniis maxime esset referta. Idem sensus et eadem oppositio Epiced. Patr. v. 126: « Te de gente suum Latiis adscita colonis Graia refert Selle; » Ov. Met. XV, 622: « Pandite nunc, Musæ, præsentia numina vatum, Unde Coroniden circumflua Thybridis alveo Insula Romuleæ sacris adsciverit urbis; » uti recte emendavit Heinsius pro *adjecerit* vel *accesserit*. Vide eum de hac voce plena manu ibi agentem. — Cod. Paris. ed. princ. Gronov. Cruc. *Addiscis.... tubas*. Pro *Misene*, ed. pr. *Miscene*. A.

152. Pro *gentile*, Parm. *genitale*.

Findere, seu volucres zephyros prævertere telo,
Seu tibi dulce manu liquidas nodare palæstras;
Indulge his sacris: et si tibi poma supersunt
Hesperidum, gremio venerabilis ingere Pollæ;
Nam capit, et tantum non degener ambit honorem.
Quod si dulce decus viridesque resumeret annos
(Da veniam, Alcide), fors huic et pensa tulisses.
Hæc ego nascentes lætum bacchatus ad aras
Libamenta tuli. Nunc ipsum in limine cerno
Solventem voces, et talia dicta ferentem:

156. Pro *Findere* nonnullæ editt. *Fingere*: Rom. *Fidere*: perperam. Epiced. Patr. v. 53: « Illic Œbalio non finderet æra disco Graiorum vis ulla virum: » Parmens. *Findere*.

157. *Liquidas nodare palæstras.* Vulgo *Libycas nudare pal.* Ita Cod. Paris. et ed. pr. Vide not. A.

158. *Indulge his sacris.* Vulgo *Indulge sacris*, pro quo Tiliobroga in Observationibus ita: « *Indulge in sacris.* Al. deest *in*; sed fors sit an legendum *his sacris.* » Sane nullam adhuc vidi editionem quæ *in* retineret: Romana tamen plane, *Indulge his sacris*, prout conjecerat Tiliobroga, et sensus postulat: ita Thebaid. II, 719, *huic annue sacro.* — Cod. Par. ed. pr. *Indulge his sacris*: Cruc. *in sacris.* A.

160. *Non degener ambit honorem.* Vulgo, *non dedignatur*, vel *degenerabit h.* Cod. Par. *dedignatur*, et ad marg. *degenerabit*; edit. pr. *dedignatur.* Vide not. A.

161. *Quod.* Cod. Par. et ed. pr. *quid.* A.

162. *Huic.* Cod. Par. ed. princ. *hinc.* A.

163. *Hæc ego nascentes lætus bacchatus ad aras.* Quem non offendit sibilus tot syllabarum in *s* exeuntium, necesse est duras aures habeat. Hoc modo emollias versum: « Hæc ego nascentes lætum bacchatus ad aras. » Jam nihil est de quo queraris: *lætum bacchatus*, ut Theb. III, 618, *lætum fremit*; Achilleid. I, 323, « Mulcetur, lætumque rubet; » Virgilius, Culice, v. 71, « Atque illum calamo lætum recinente palustri, etc. » Sic *turbidum lætari*, Horat. Carm. II, 19, 17: *inexpletum lacrimans*, Virgil. Æn. VIII, 559; *querulum spirare* et *acerbum tussire*, Mart. Epigr. II, XXVI, 1. Auctor Ætnæ, v. 25, « Qui tanto motus operi, quæ causa perennes Explicet immensum flammas, quæ ructet ab imo Ingenti sonitu moles, etc. » ita legendum puto; vulgo, *in densum flammas, eructes*: sic *longum tenebo*, Theb. II, 429; et innumera ejusdem formæ. Quæ sequuntur, « nunc ipsum in limine cerno, etc. » hoc modo citat N. Heinsius, ad Sil. Ital. VIII, 266: « nunc ipso in limine cerno Solventem curas, et talia dicta serentem: » memoriæ, opinor, culpa. — Cod. Par. edit. pr. Cruc. Gronov. *lætus bacchatus.* A.

« Macte animis opibusque, meos imitate labores,
Qui rigidas rupes, infecundæque pudenda
Naturæ deserta domas, et vertis in usum
Lustra habitata feris, fœdeque latentia profers
Numina. Quæ tibi nunc meritorum præmia solvam?
Quas referam grates? Parcarum fila tenebo,
Extendamque colus : duram scio vincere mortem :
Avertam luctus, et tristia damna vetabo,
Teque nihil læsum viridi renovabo senecta ;
Concedamque diu juvenes spectare nepotes,
Donec et hic sponsæ maturus, et illa marito :
Rursus et ex illis soboles nova ; grexque protervus
Nunc humeris irreptet avi, nunc agmine blando
Certatim placidæ concurrat ad oscula Pollæ.
Nam templis nunquam statuetur terminus ævi,
Dum me flammigeri portabit machina cæli.
Nec mihi plus Nemee, priscumve habitabitur Argos,

166. *Imitate.* Ed. princ. et Cruc. *imitare.* A.

169. *Fœdeque.* Ed. pr. *fœdæque.*

172. N. Heinsius, not. ad Eleg. in Mort. Drusi, vs. 444, dubitat annon legi debeat *fila renebo* pro *tenebo.* Non opus est : *tenebo* est *inhibebo*, ut Soter. Gallic. vs. 60, « teneamus adorti Tendentes jam fila colos; » *teneamus colos*, ut hic, *tenebo fila.* Vide quæ ibi notavi. Sequitur, *Extendamque colos.* Parm. et Rom. *colus:* et ita Ven. an. 1502 ; et Rothomagi an. 1613. Parum interest : hæc enim vox tam quartæ quam secundæ declinationis est : vide Priscianum, lib. V, p. 654. Noster, Theb. IX, 838, de Parthenopæo : « premit hinc Mavortia cuspis, Hinc plenæ tibi, parve, colus ; » et X, 649 : « Et turbare colus, et tympana rumpere dextra. » Sic *laurus* pro *lauros* ex MSS. Claudiano restituit Heins. VI Cons. Honor. v. 38. — Cod. Paris. edit. pr. *colos.* A.

175. *Juvenes.* Ita cod. Paris. et a manu sec. *juvenem.* A.

179. *Certatim.* Sic cod. Par. et in margine, *certamen.* A.

182. *Priscumque habitabitur Argos.* Lege, *priscumve* ; et versu proxime seq. *solisve*, non *que.* Ita supra, v. 30, eadem depravatio : « Nec formidatus Nemees ager, antrave poscunt Thracia, nec Pharii polluta altaria regis; » ubi vulgo *antraque.* — Cod. Paris. ed. princ. Cruc. Gronov. *priscumque... solisque.* A.

Nec Tiburna domus, solisve cubilia Gades. »
Sic ait, et tangens surgentem altaribus ignem,
Populeaque movens albentia tempora silva,
Et Styga, et ætherei juravit fulmina patris.

183. Pro *solisve cubilia Gades*, Parmensis habet *cunabula*: perperam: et contra legem Pediam. Horatius, Carm. IV, 15, 1: « famaque et imperî Porrecta majestas ad ortum Solis ab Hesperio cubili; » Valer. Flacc. III, 37: « Ipse diem longe, solisque cubilia Tiphys Consulit. » Sil. Ital. III, 411: « Extremamque petit, Phœbea cubilia, Tethyn. — Cod. Paris. ed. princ. *cubilia*. A.

184. *Sic ait*, etc. Tres ultimi versus hujus carminis editioni Romanæ desunt; typothetarum, puto, incuria: nam in commentario eos agnoscit Domitius. — Locum etiam habent in cod. Paris. et edit. pr.; sed hæc pro *fulmina* scribit *flumina*; ille a prima manu *flumina*; ex emendatione, *fulmina*. A.

NOTÆ

IN CARMEN PRIMUM LIBRI TERTII

SILVARUM.

VERS. 9. ET *parvæ custos inglorius aræ*. *Parvæ aræ*, ut opponatur *Maximæ* illi quæ Herculi sacra erat. Ovidius, Fastor. I, 581 : « Constituitque sibi, quæ Maxima dicitur, aram : » ubi vide quæ collegit de hac re Heinsius in notis edit. Burman. Virgilius, Æneid. lib. VIII, vers. 271 :

> Hanc aram luco statuit, quæ Maxima semper
> Dicetur nobis, et erit quæ maxima semper.

Quod hemistichion, *et erit quæ maxima semper*, qui non odit, necesse est is amet Ovidianum istud « Omnia pontus erat : deerant quoque litora ponto. » Putasne Virgilium ita scribere potuisse?

10. *Agresti Alcidæ*. Qui et *Rusticus* dicebatur. Lampridius, Commod. c. X : « Habuit et hominem quem Onon appellabat, sibi carissimum; quem, et ditavit, et sacerdotio Herculis Rustici præposuit. » Ubi vide Salmasium.

15. *Quænam subito fortuna rigentes Ductavit scopulos*. Diu est quod hanc vocem *Ductavit* suspectam habui, propter ea quæ notat Quintilian. Instit. VIII, 3, 44 : « Sed quoniam vitia prius demonstrare aggressi sumus, vel hoc vitium sit, quod Κακίμφατον vocatur : sive mala consuetudine in obscœnum intellectum sermo detortus est, ut *ductare exercitus*, et *patrare bellum*, apud Sallustium dicta sancte et antique, ridentibus si diu placet. » Et Sosipater Charisius, lib. IV, p. 242 : « Κακίμφατον est compositio verborum obscœnæ significationis, aut unius verbi obscœna pronuntiatio; fit et in uno verbo, ut apud Sallustium *ductabat exercitum*, et, arrexit animos militum. » Nimirum *ductare* est verbum lenonium et obscœnum (vide cl. Burmannum, ad locum Quintiliani; et Muretum, Var. Lect. VI, 7); et in lasciviori sensu eo usi sunt Plautus et Terentius : honestiori demum Sallustius, Catilin. c. XI, tamen propter ambiguitatem vocis derisus et male acceptus; post hunc, opinor, hoc verbum a lingua Latina exsulavit; neque alibi, credo, reperies, nisi in unico hoc Statii loco : hinc quoque ejiciendum : nam optima Parmensis editio clare habet « quænam subito fortuna rigentes Divisit scopulos : »

hoc est quod mox dicit « oblnctantia saxa Summovit nitens, et magno pectore montem Reppulit; » et vers. 104, *litus pandere :* clarius adhuc vers. 110 :

> Nec te quod solidus contra riget umbo maligni
> Montis, et immenso non unquam excisus ab ævo
> Terreat; ipse adero, et conamina tanta juvabo,
> Asperaque invitæ perfringam viscera terræ :

hoc est, *dividam scopulos.* Vide etiam v. 123; et Surrentin. Pollii, v. 54: « Mons erat hic, ubi plana vides : » et 56 :

> .... illum
> Formantem rupes expugnantemque secuta
> Gaudet humus : nunc cerne jugum discentia saxa
> Intrantesque domos, jussumque recedere montem.

Diducere scopulos vocat Juvenalis, sat. X, 153, de Hannibale : « ... opposuit Natura Alpemque nivemque : Diducit scopulos et montem rumpit aceto. » Sequitur apud Statium, « .... Tyrione hæc mœnia plectro An Getica venere lyra? » recte *venere :* ita Theb. lib. VII, vers. 663, ubi Eunæus Thebanus dicit,

> .... prohibete manus : hæc omine dextro
> Mœnia Cirrhæa monstravit Apollo juvenca :
> Parcite : in hæc ultro scopuli venere volentes.

42. *Qualemque vagæ post crimina noctis Thespius obstupuit, toties socer.* Non *Thespius* sed *Thestius* vocatur hic Thespiensium rex qui tam genialiter Herculem excepit, Apollodoro, Bibliothec. lib. II, 3, sec. 9, ubi loquitur de leone Cithæronio : οὗτος ὁρμώμενος ἐκ τοῦ Κιθαίρωνος, (l. Κιθαιρῶνος,) τὰς Ἀμφιτρύωνος ἔφθειρε βόας, καὶ τὰς ΘΕΣΤΙΟΥ. Βασιλεὺς δὲ ἦν οὗτος Θεσπιῶν : « Hic e Cithærone impetu facto, Amphitryonis et *Thestii* boves occidebat : erat autem Thestius rex Thespiarum. » Reliqua vide, de filiabus ejus quinquaginta; et ita vocatur paullo post, sec. 12. Arnobius, lib. IV, p. 145 : « Ille (Jupiter) noctibus vix novem unam potuit prolem extundere, concinnare, compingere : at Hercules, sanctus Deus, natas quinquaginta de Thestio nocte una perdocuit et nomen virginitatis exponere, et genitricum pondera sustinere. » Hinc intelligis quare *vagam noctem* et *toties socerum* Thestii Herculem vocat elegantissimus poeta. Vide Observat. Elmenhorstii ad Arnobii locum : ubi multa auctorum testimonia de hoc *Thestio* adfert.

45. Per *lustrum* intelligitur aliquod tempus seu temporis periodus quæ statis vicibus recurrit; ita *Eleum lustrum* in Phileto Ursi, idem quod *olympias*, quatuor annorum, seu quod quinto quoque anno revertebatur; ita Eucharist. v. 62 : « Sæpe coronatis iteres Quinquennia lustris! » Tacitus, Annal. XVI, 2 : « Ac forte quinquennale ludicrum secundo lustro celebrabatur. » Seneca, Agamemn. v. 42 :

> Post dena Phœbi lustra, post captum Ilium,
> Adest damnus conjugi jugulum suæ :

post dena *Phœbi lustra*, id est, *annos decem :* bene igitur *veloci*, « Annua veloci peragunt certamina lustro ; » contra, *ingens lustrum* vocat Martialis spatium *centum annorum :* quo completo exhibebantur Ludi Sæculares : « Hic colat ingenti redeuntia sæcula lustro. »

46. *Hic templis* inscriptus, *avo gaudente, sacerdos.* Minime dubito quin Statii manus fuerit *Hic templis* adscriptus, *avo gaudente :* nisi probari potest nomina sacerdotum in aliqua templi parte *insculpi* solere : hoc enim vult τὸ *inscriptus templis ;* alia res est *adscriptus templis* sacerdos ; nempe *assignatus, numeratus inter sacerdotes.* Horat. carm. III, 3 :

. . . . ducere nectaris
Succos, et adscribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.

Capitolinus, in Antonino Philosopho, c. VII : « Ob hanc conjunctionem pueros et puellas novorum hominum frumentariæ perceptioni adscribi præceperunt. » *Adsumi* eodem sensu Noster, Thebaid. VIII, 9. Vers. 47 : « quum prima novercæ Monstra manu premeres, atque exanimata doleres. » Ex hoc loco sua hausit Sidon. Apollin. carm. XV, 135 :

Amphitryoniadi surgebat tertia vestis.
Parvulus hic gemino cinctus serpente novercæ
Inscius arridet monstris, ludumque putando
Insidias, dum nescit, amat ; vultuque dolentis
Exstingui deflet quos ipse interficit angues.

Si quis hæc digna exscribi non putat, næ illum non amant Musæ.

53. *Ictusque Hyperione multo.* Recte : Lucretius, VI : « Nubila solvuntur solis super icta calore. » Tacitus, Ann. II, 61 : « Ceterum Germanicus aliis quoque miraculis intendit animum ; quorum præcipua fuere Memnonis saxea effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum reddens. » Tubero apud Gellium, Noct. Attic. VI, 4 : « In atras, inquit, et profundas tenebras eum claudebant ; ac die post, ubi erat visus sol ardentissimus, repente educebant, et adversus ictus solis oppositum continebant. » Ita legendum ; vulgo, *diu post.* Vide Heinsium ad Ovid. Met. V, 389 ; et Bentleium, ad Horat. carm. II, 15, 10. Non igitur opus est ut legamus « auctusque Hyperione multo : » licet hoc quoque probum sit. Ausonius, Precatione, vers. 16 : « Sirius ardentem non augeat igne leonem. » Seneca, OEdip. vers. 38 :

Non Zephyri leves
Spirant ; sed ignes auget æstiferi Canis
Titan, Leonis terga Nemeæi premens.

60. *Hecateias idus*, id est, idus Augusti mensis, quæ sacræ erant *Hecatæ* seu Dianæ. Ausonius, Eclogario :

Et medias Idus, Maii, Augustique recursu,
Quas sibi Mercurius quasque Diana dicat :

ubi Vientus dicit se non meminisse aliud legisse de *Dianæ sacris Idibus*

Augusti. Exciderat memoriæ hic Statii locus, et Martialis Epigr. XII, LXVII, 1, sq.

Maiæ, Mercurium creastis, Idus:
Augustis redit Idibus Diana.

vide et Festum in voc. *Servorum dies festus*. Hunc Statii locum explicat Ovidius, Fast. III, 269, de hoc sacro die Dianæ:

Sæpe potens voti, frontem redimita coronis,
Femina lucentes portat ab Urbe faces.

Vides quare *face multa splendet* Hippolyti lacus; et quare *pudici foci* dicuntur; nempe a *Matronis* faces portatæ.

63. *Æstusque levare* : ex Virgil. Æn. VII, 494 : « ... fluvio quum forte secundo Defluëret, ripaque æstus viridante levaret : » ubi plerique Codd. antiqui habent *lavaret*, notante Pierio : alterum confirmat hic Statii locus.

64. *Notas Sirenum nomine rupes Facundique larem Polli non hospes habebam*. Locus notabilis ob errores Salmasii in Plinian. Exercitat. p. 58 edit. optimæ. Sed prius videamus de situ hujus Villæ Pollii; ea locabatur in *montibus Surrentinis*. Noster, ad Uxor. vers. 102 :

Caraque non molli juga Surrentina Lyæo,
Quæ meus ante alios habitator Pollius auget;

inter Surrentum et *promontorium* seu templum *Minervæ* : ita enim in Surrent. Pollii affirmat, v. 1 :

Est inter notos Sirenum nomine muros,
Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ,
Celsa Dicarchei speculatrix villa profundi.

Muri isti noti *Sirenum nomine* nulli alii esse possunt præter *Surrentum* : unde redarguitur Morellus, qui negat *Surrentum* a *Sirenibus* dici posse, quia Græcis Σύρρεντον et Σύρειον per *υ* non per *ει* scribitur; contrarium plane affirmat hoc loco Statius; utri creditis, Quirites? Nisi per *notos Sirenum nomine muros* intelligendum sit *fanum Sirenum* : quod in istis montibus positum esse narrat Strabo, lib. I, p. 15. Porro, ex his Statii locis patet *montes Surrentinos* et *Sirenianos* eosdem esse : quippe in carm. ad Uxorem, Villam Pollii in *jugis Surrentinis* locat; hic vero, in *rupibus notis Sirenum nomine* : ut necesse sit eadem esse *juga Surrentina* et *rupes notas Sirenum nomine;* nimirum, dicebantur Sirenes tenuisse scopulos circa Surrentum et Promontorium Minervæ : unde utrovis nomine recte dici possent, sive *Surrentinos*, sive *Sirenianos* malles. Plinius, Hist. Nat. III, 5 : « Surrentum cum promontorio Minervæ, Sirenum quondam sede; » vel, ut alii legunt, *sedes*. Frontinus, libro de Coloniis : « Surrentum oppidum : ager ejus ex occupatione tenebatur a Græcis ob consecrationem Minervæ : sed et circa montes Sirenianos militibus pro parte Augustanis est assignatus : » ita legendum, non *limitibus*. His ita constitutis, jam videamus quid de hoc loco adferat Salmasius : « *Surrentini montes* diversi a *Sirenianis*, quos male quidam confundunt, nec quicquam eos juverit Mela vel Plinius. » Atqui Statius juvabit : ille enim eosdem facit, ut plane docuimus : et valde suffragatur Plinius; saltem

Salmasio refragatur. Pergit : « *Surrentini montes* circa Surrentum ; at *Sireniani scopuli* sive *montes* tres parvæ insulæ desertæ, πετρώδεις quæ et Σειρηνοῦσαι dicebantur, de quibus Strabo, lib. I. » Immo et *Sireniani montes* erant circa Surrentum, ut ex Frontini loco supra adducto clare patet : narrat enim *agrum Surrentinum*, qui jacebat circa *montes Sirenianos*, militibus Augustanis pro parte assignatum fuisse : et plane docet Strabo, lib. I, p. 15, si verbis ejus attendas : sed in hoc totus viri maximi error vertitur, quod non distinguit *Sirenusas* insulas a *Sirenianis montibus*, qui quidem diversi erant, ut luculenter ibidem monstrat Strabo : unde, quum voces *scopulos* et *saxa* et *rupes Sirenum* tam de *insulis Sirenusis* quam de *montibus Sirenianis* usurpatas observasset vir doctissimus, male confudit ; et quod duorum erat, in unum compegit. Sequitur : « Statius Surrentinam Villam Pollii inter *Sirenum montes* et promontorium Minervæ sitam fuisse docet, in montibus nimirum Surrentinis. » Non inter *Sirenum montes* et promontorium Minervæ sitam hanc Villam docet Statius, sed *inter notos Sirenum nomine muros* et promontorium Minervæ. Pergit : « Sic ille :

Est inter notos Sirenum nomine muros
Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ
Celsa Dicarchei speculatrix villa profundi.

Per *muros Sirenum nomine notos* intelligi debere certum est *Sirenianos montes* : alibi *rupes* vocat, in Herc. Surrent. *notas Sirenum nomine rupes*. » Quid audio ? per *muros* intelligi debere *montes?* et, quod æque incommodum est, si Pollii Villa sita fuit inter *Sirenianos montes* (hoc est, secundum Salmasium, *Sirenusas* insulas) et *promontorium Minervæ*, necessario sequitur eam in *mari* sitam fuisse : quippe promontorium istud ad *mare* pertingebat, ut *inter* illud et Sirenusas nihil esse potuerit præter *aquas* : quod satis mirum est, sive Villæ fundamentum, sive Salmasii commentum.

69. *Augustasque fores assuetaque tecta gravamus.* Domitius : « Inemendati Codd. habent *assuetas* et *gravatis* : nos vero legimus, *assutaque tecta gravamus Frondibus* : ut sit sensus, Dum tegimus tecta *assuta* maleque hærentia hiantibus rimis, atque ita solem arcemus. » Hanc Domitii interpretationem merito rejicit Gevartius ; ipse tamen errans, quum dicit, Statium hoc loco describere augustissimum et magnificum templum *Dianæ Aricinæ*. Nihil hic, ne verbum quidem, de templo Dianæ *Aricinæ* ; quum hæ *augustæ fores*, de quibus Statius loquitur, non *Ariciæ* essent, sed *Villæ Surrentinæ* Pollii, ubi tunc versabatur poeta. Gevartium decepit vox *Triviæ*, quæ conjungenda erat cum *diem*, non cum *udo litore*, aut *augustas fores* : *dies Triviæ* est *festus dies Triviæ*, Idus scil. Augusti mensis : ut Theb. VI : « .... da, parve, tuum trieteride multa Instaurare diem, » id est, tuum *festum diem*, de Archemoro : ita *Lucani proprius dies*, Genethl. v. 1 ; et *Cæsaris alma dies*, apud Martialem. De reliquo, in verbis hujus loci nihil mutat Gevartius, nisi quod pro *Angustas*, quod typographis imputat, vult *Augustas* : de quo mox

videbimus. Salmasius, Exerc. Plinian. p. 265, legit

> Augustasque fores assuetaque tecta gravamur,
> Frondibus et patula defendimus arbore soles:

et hoc verum esse pronuntiat Gronovius, Diatr. c. 23; immemor vocem *vero* vel *autem* hoc pacto desiderari: dixisse enim debuit, « gravamur assueta tecta, frondibus vero et arbore defendimus soles: » aliter enim non connectuntur hæc. Quemadmodum in suis Codicibus invenit Domitius, ita etiam est in vetusta Parmensi, *gravatis:* unde nullo negotio confici potest

> Augustasque fores assuetaque tecta gravati,
> Frondibus et patula defendimus arbore soles:

constructione ita postulante: et ita tandem Gronov. in Errat. et Omiss. ad finem Diatr. p. 406, ex MS. Senensi. *Gravari* idem quod *odisse, aversari;* cum quarto casu: Lucanus, lib. VII, vers. 284: « Romanos odere omnes, dominosque gravantur, Quos novere, magis. » Suetonius, Augusto: « ampla et operosa prætoria gravabatur: » qui locus a Gronovio adducitur. Apuleius, Apolog.: « recitari ipsa hæc jubebo; quoniam ostendis humanissimo vultu auditionem te istam non gravari: » ita legendum; vulgo, *auditione ista;* passim exempla. Pro *augustas* multæ editiones habent *angustas;* quod mihi verius videtur: in hac enim voce continetur ratio quare convivæ *gravabantur fores* seu *domum*, nempe quia *angustæ* erant; et ideo aperto æthere frigus captabant, frondibus arborum umbram concinnantes. Verum quidem est, has *fores* seu ædes *augustas* fuisse: sed non erat hujus loci hoc innuere: non enim gravabantur eas utpote *augustas*, sed *angustas*: et ita jam sentire video Heins. ad Ovid. Heroid. V, 16, ubi notat, « *Angustas fores*, ob immensum frigus, non *Augustas.* » Voluit, opinor, *ob immensum calorem;* non *ob immensum frigus.* Pro *fores* etiam optime legere potes *lares: lares* et *tecta* sæpe conjunguntur: infra tamen occurrit vox *fores* eodem sensu, vers. 88: nihil igitur in hac voce innovandum.

71. *Delituit cœlum, et subitis lux candida cessit Nubibus.* In nonnullis editionibus deest copula *et:* sed eam retinent Parm. Rom. et Venet. et ita edi curavi. Pro *candida lux* Heinsius ibidem scribi vult *condita;* « quoniam candida lux plerumque fortunata. » Non opus est: *candida* enim *lux* idem quod *clara;* et *nubilo* opponitur. Ovidius, Trist. II, 142: « Nube solet pulsa candidus ire dies. » Idem, Heroid. XVI, 317, ubi ludit in duplici hujus vocis significatione:

> Te mihi, meque tibi communia gaudia jungant;
> Candidior medio nox erit illa die.

Ita *candidus sol*, Metam. XV, 30. Inde *albæ luces*, Martial. Epigr. X, LXII, 6. Plautus, Amphitr. I, 3:

> Nunc te, nox, quæ me mansisti, mitto, ut cedas die;
> Ut mortalibus illucescat luce clara et candida.

Ita, opinor, legendum; non *illucescas;* et pro *Ut* forte legendum *Is*,

scil. *dies*, *mortalibus illucescat*. Lactantius, VI, 2 : « Ipse in usum hominis tam claram, tam candidam lucem dedit. » Multo plura colligi possunt : sed hæc satis ad vulgatam *candida* tuendam.

74. *Dives Elissa* : ex Virg. Æneid. IV, 263, desumptum epitheton ; ut et quæ sequuntur, « testesque ululant per devia Nymphæ, » ex eodem, libro IV, 168, « summoque ululârunt vertice Nymphæ. » Ibidem pro *Attulit* legendum esse *Detulit* persuasissimum habeo : « qualem Libyæ Saturnia nimbum Detulit. » Noster, Theb. XI, 276 : « hos ignis egentes Fert humus, hos pelago patrius jam detulit amnis. » Val. Flacc. IV, 15 :

Dixit, et arcano redolentem nectare rorem,
Quem penes alta quies liquidique potentia somni
Detulit, inque vagi libavit tempora nati ;

ubi Heinsius conjicit *Depluit* : merito reprehensus a Burmanno, qui notat proprie *deferri* dici quæ *ex alto* feruntur : ut infra v. 80 ejusd. lib. : « Diva volat, defertque viro celeranda parentis Imperia. » Virgil. XII, 416 : « Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo Detulit. » Scio quidem locum istum Thebaid. VIII, 411, « Quum Libyæ Boreas Italos niger attulit imbres : » sed diversa ratio est istius et hujus loci : quæ enim ex *longinquo* veniunt recte *afferri* dicuntur, ut imbres ex Italia in Africam : quæ vero *ex alto*, melius *deferri*.

77. *Nec quo convivia migrent*. Ita recte Parm. et Rom., et in vet. ed. Paris. legi testatur Morellus, qui ita interpretatur : « nec tamen locus idoneus occurrebat, quo transferrent epulas ; » et ita fere Adr. Behotius et Salmasius, epist. 92. Aliam viam insistit Gronovius, Reliq. ad Stat. Silv. his verbis : « *Nec quo convivia migrent*. Vere sic legitur, non tamen eo sensu quem dant Morellus et Behotius, « nec tamen occurrebat idoneus locus quo transferrent epulas : » sic enim quidvis in quovis intelligere posses : sed et occurrebat satis locorum, ut exponit ipse statim. Proximum verbum repetendum intellectu : *abripiunt*, nec tamen eo *abripiunt* quo possint aut soleant convivia migrare : scilicet in sacellum vel ædiculam Herculis. » Hoc modo pulcher quidem exsurgit sensus ; sed verior altera distinctio de qua jam dicturus sum. Adversativa particula *sed* in sequenti sententiæ membro, « instantes sed proxima quærere nimbi Suadebant, » necessario denotat aliquam oppositionem inter hanc et priorem sententiæ partem. Sic igitur construendus locus, voce *nec* resoluta in *et non*, ut passim : « et instantes nimbi suadebant quærere non quo convivia migrent, sed proxima : » reliquis parenthesi inclusis : et ita edi curavi : repentinus, inquit, imber famulis non permittebat consulere τῷ πρίστοντι, sed commoditati : cogebat eos petere non quo epulæ in tali casu transferri solent, privatam aliquam domum ; sed proxima : scil. sacellum Herculis.

92. *Tecta Dicarchea pariter, juvenemque replesti Parthenopen*. Mendose fere hæc vox scribitur, *Dicarchæi* et *Dicarchei*, quum oporteat *Dicarcheæ*, penultima producta : est enim a Græco Δικαιάρχεια vel Δι-

καιαρχία, non *Δικαιαρχεῖα* vel *Δικαιαρχία·* lege igitur, *Tecta Dicarchea pariter:* et infra, v. 110, *Aula, Dicarcheique sinus:* non *Dicarchœique.* Vide quæ supra notavi ad II, 2, v. 95. Sed quid sequentibus faciemus, *juvenemque replesti Parthenopen?* infra enim, Silv. IV, 8, v. 55, hanc eamdem *Parthenopen* vocat *fessam ævo.* Quomodo igitur hæc concilianda? nullo modo: sed sanari possunt, si legas, *mitemque replesti Parthenopen,* pro *juvenemque replesti.* Ductus calami in vocibus *mitem* et *juvenem* non adeo dissident: epitheton vero *mitis* Neapoli optime congruit: ita infra carm. V hujus libri, vers. 79:

> Parthenope, cui mite solum trans æquora vectæ
> Ipse Dionæa monstravit Apollo columba.

Silius [Italicus, XII, 27: « Prima instaurantem sensit certamina mitis Parthenope. » *Dulcem* vocat Virgilius, Georg. IV, ad finem: *benignam* Noster, infra, hoc carmine, v. 151: *Campaniam,* in qua Neapolis, *mitem* appellat idem Silius, VI, 651. *Dicarcheam,* id est, Puteolos in Campania, Noster, IV, 8: « et socii portus dilectaque mitis Terra Dicarchæ: » ubi etiam male legitur Terra *Dicarchei.* Florus, I, 16: « Omnium non modo Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. Nihil mollius cælo: denique bis floribus vernat. » *Mitis Taras,* id est, *Tarentum,* in Equo Max. v. 102: *mitem Corinthon,* Thebaid. I: *mitis Hybla,* Achilleid. I, 557.

110. *Nec te quod solidus contra riget umbo maligni Montis, et immenso non unquam exesus ab ævo.* Pro *quod* non male legas *qui:* « umbo montis qui solidus, et ab immenso ævo non unquam exesus, contra riget. » Pro *Nec te* etiam non male *Neu te:* « neve te terreat mons rigidus, ipse adero. » Sed non opus est; ut perspicere potes ex loco Propert. IV, 6:

> Nec te, quod classis centenis remiget alis,
> Terreat: invito labitur illa mari.

Deinde, *non unquam exesus:* vox *unquam* nihil ad rem; non enim *bis aut ter exedi ævo* potuit mons; quare igitur *non unquam exesus?* præterea, dixisse debuit *ævo exesus,* non *ab ævo:* diversas enim notiones exprimunt hæ duæ phrases: quum enim dicimus, « aliquid ævo immenso non exeditur, » vox *ævo* instrumentum seu causam denotat: quum vero dicimus, *ab ævo immenso non exeditur,* non instrumentum, sed durationem longi temporis ex quo aliquid *non exeditur,* exprimimus; ut quum dicimus, « a viginti annis hoc non accidit. » Lucanus, III, 399: « Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo: » recte; vult enim dicere, « per longum ævum ab hominibus non cæsus; » (Ovid. dixisset, « Silva frequens trabibus, quam nulla ceciderat ætas ») vitiose, si idem exprimere voluisset omissa præpositione *ab;* « longo ævo nunquam violatus: » saltem, aliam rem dixisset: quippe, in priori loquendi modo, *homines* sunt instrumentum per quod lucus *violatur;* in posteriori, *ævum:* quam distinctionem servat, Achilleid. I, de monte loquens, « Pars exhausta manu, partem sua ruperat ætas. » Hanc observationem ad hunc Statii

locum applica, et videbis illum scripsisse, « immenso non unquam excisus ab ævo. » *Exscindere* vocat, infra v. 123 :

> Præcipuus sed enim labor est exscindere dextra
> Oppositas rupes, et saxa negantia ferro ;

Virgilius, VI, 42, « Excisum Euboïcæ latus ingens rupis in antrum. » Idem, Æneid. I, 429, « immanesque columnas Rupibus excidunt. » Suetonius, Calig. c. 37, « excisæ rupes durissimi silicis ; » et Claudio, 20 : « Per tria autem passuum millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absolvit. » Vocem *umbo* amat Statius ; Achilleid. I, 407 :

> Nec tantum exciti bimari quos Isthmia vallo
> Claustra, nec undisonæ quos circuit umbo Maleæ,
> Sed procul amotæ, etc.

Thebaid. VI, 351 :

> Metarum instar erant hinc nudo robore quercus
> Olim omnes exuta comas ; hinc saxeus umbo,
> Arbiter agricolis.

Restituenda hæc vox Thebaid. IV, 520 : « Panditur Elysium chaos, et telluris opertæ Dissilit umbra capax : » legendum dico, *umbo capax dissilit*, id est, *dividitur : umbra telluris dissilit* nullum habet sensum. Iterum, Thebaid. VII, 15 : « omne quod Isthmius umbo Distinet. » Notanda vero in hoc Statii loco, quem jam explicamus, vox *unquam* πλεοναζουσα : quippe *non unquam excisus*, idem est, nec amplius, quam *non excisus* : ita Theb. IV, 240 :

> Qui te, flave, natant terris Alphee, Sicanis
> Advena tam longo non unquam infecte profundo :

id est, *non infecte*. Herc. Epitrapez. v. 106 :

> Nec te regnator Macetum, nec barbarus unquam
> Annibal, aut sævi posset vox horrida Syllæ
> His celebrare modis ;

ubi æque bene omitti potuit τὸ *unquam*. In qualibet Statii pagina invenies. Virgilius, Æneid. II, 331 : « Millia quot magnis unquam venere Mycenis. » Ubi si omittas τὸ *unquam*, nihil perdes. Val. Flacc. IV, 167 :

> Fulminea frontem dextra, disjectaque fudit
> Lumina, me nunquam leto dignatus et armis ;

nunquam dignatus, id est, *non unquam*, id est, *non dignatus*.

117. *Nec mora, conscripta formatur imagine tela.* Domitius : « Statim designatum est pictum ædificium in *tela* ; ut ea similitudine erigeretur. » Male : formæ enim ædificiorum non in *tela*, sed *charta* describi solent : præterea, non *formari*, sed *texi* dicitur *tela*. Cruceus ita : « Notatur Ἰχνογραφία, id est, tenuis et prima delineatio operis seu ædificii exstruendi, quam redemptores velut exemplar sibi proponere solent in *tela* vel charta expressam. » Eamdem cantilenam de *tela* canit : et ita quoque Buchnerus ad Plinii Epist. IX, 39, his verbis : « significat Sta-

tius struendi templi speciem in *tela* seu *linteo* picta imagine expressam fuisse: » et, quod mireris et indigneris simul, in eumdem errorem abripuerunt politissimum Broukhusium; qui not. ad Tibull. II, 5, vs. 23, citato hoc Statii loco, addit, « vides ichnographiam in *linteo* coloribus depictam. » Atqui, o boni, ipsa *tela* hoc loco *formari* dicitur, non *templi species in tela*. At cui bono *formaretur tela?* an tam ineptus fuerit Pollius, ut *formaret telam* seu *linteum* huic tantum fini, ut in ea postea formam ædificii describeret, quum ad manum esset *charta* vel *membrana*, quæ huic usui melius inserviret? Mitto quod *formare* non est textorium sed architectonicum verbum; idem nempe quod *describere*, *delineare*; nec vox *tela* simpliciter et sine adjuncto denotat *linteam telam*; non hercle magis quam *laneam*, aut *sericam*. Dixisse igitur debuit *ædes formatur*, non *tela*; et sane ita dixit: scripsit enim, « Nec mora, conscripta formātur imagine tēpla. » Veritatem et erroris originem simul vides: scriptum erat, ut fere, *formātur* pro *formantur*, et pro *templa*, *tēpla* (ut supra v. 109, pro *templo* edit. Parm. habet *tēplo*); unde, omissa *p*, *tela*. Recte vero *templa*, pro *templum*, ut infra v. 138, de hoc templo; et 180, de eodem. Surrent. Poll. v. 2, « Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ. » Ovidius, Fast. V, 577: « Templa feres, et me victore vocaberis Ultor: » ubi, pariter atque hic, in tredecim MSS. erat *tela feres*. Bene etiam *imagine*: eadem nempe quam *formam* vocant architecti; *imitationes ædificiorum* Vitruvius, notante Buchnero; quem vide ad supra memoratam Plinii epistolam; *vestigia* ac *lineamenta* Auctor de Caus. corrupt. eloquentiæ. Plinius, Hist. Nat. XXVIII, 2: « scipione prius determinata templi imagine, etc. » vide totum locum. Quintilianus, Instit. IV, 2: « Ubi vero major res erit, et atrocia invidiose, et tristia miserabiliter dicere decebit; non ut consumantur affectus, sed ut tantum velut primis lineis designentur; ut plane, qualis futūra sit imago rei, statim appareat. »

122. *Indomitusque silex curva fornace liquescit.* Parodia, seu potius hemistichion Virgilianum, ex Æneid. VIII, 446: « Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit. » Hic igitur reponendum videtur *vasta fornace*: *curva* enim nequaquam convenit *fornaci*. Sumsit forte Virgilius ex Lucretio, VI, 680:

> Nunc tamen illa modis quibus irritata repente
> Flamma foras vastis Ætnæ fornacibus efflat,
> Expediam.

Lucanus, VI, 405: « immensis coxit fornacibus æra. »

128. *Dites Capreæ, viridesque resultant Taurubulæ.* Domitius notat hoc nomen *Taurubulæ* a cosmographis prætermissum esse, atque ita appellari Viam Herculeam seu aggerem illum quem inter lacum Lucrinum et mare fecit Hercules, ad traducendos boves Geryonis: nempe a *ταῦρος*, et *βάλλω*, *jacio* seu *trajicio*; unde *Taurubulæ*. Non potest vera esse hæc Domitii fictio: primum enim, dicendus foret hic locus, *Taurobolæ*,

non *Taurubulæ* : ταυροβολαὶ, non ταυρυβυλαὶ. Deinde, ignobilis hæc et perexigua terræ lingua (quippe longitudinis *unius* tantum *milliaris*, latitudinis *plaustri* erat) non bene cum *ditibus Capreis* componeretur : mitto epitheton *virides*, isti aggeri minime congruum, prout ex Strabone discere potes, lib. V, p. 169. Alii pro *Taurubulæ* legunt *Teleboæ* : quæ Joan. Scopæ, Fr. Tiliobrogæ, et Fred. Lindenbrogii erat conjectura : et hanc in Codicem suum retulerat vir summus Adr. Turnebus, referente et approbante Morello : et Barthius dicit, non dubium esse quin *Teleboæ* sit vera lectio. Rem confectam putant loco Virgilii, Æn. VII, 734, ubi *Capreas* vocat *Teleboum regna* : « quem generasse Telon Sebethidè nympha Fertur, Teleboum Capreas quum regna teneret. » Nemo dubitat, quin *Capreæ* recte appellari possint *Teleboum regna;* et ita appellat Sil. Ital. VII, 418 : *domos Teleboum* Noster, carm. ad Uxor. v. 100. Capreis vero pharon fuisse notum ex Suetonio, Tiber. cap. 74. Addere etiam potuissent Tacitum, Annal. IV, 67 : « Græcos ea tenuisse, Capreasque Telebois habitatas fama tradit : » ubi pariter errantem videoLipsium, his verbis : « Thelebois habitatas. Ideo Theleboæ pro ipsis Capreis, Ausonio : viridesque resultant Theleboæ. » Voluit dicere *Statio*, non *Ausonio* : et locum citat quasi nulla esset de lectione dubitatio. Secundum hos igitur dicit Statius, « dites Capreæ et virides Capreæ resultant; » quod primo intuitu absurdum est; nec minus istud, quod *Teleboas* vocat *virides*. An si *Capreas virides* recte dixeris, ideo sequitur *incolas* quoque Caprearum *virides* recte dici posse? hoc modo *incolæ* Gauri montis vocari possunt *nemorosi;* hoc enim epitheto donatur ipse Gaurus, infra v. 147 : nisi probare posses *Teleboas* solere *viridi* aliquo medicamento cutem pingere : tunc enim *virides* recte dicerentur, ut *virides Britanni* apud Ovid. Am. II, 16, 39, ob hanc rationem. Quum itaque manifesto vitiosum sit τὸ *Teleboæ*, nec quidquam mutent editiones, in contextu retinui *Taurubulæ;* de iis prorsum ignarus : censeo tamen cum Scaligero ναιδιον aliquod esse ignobile istius tractus, ut *Nesis* et *Euplæa*, quorum nomina vix alibi exstant. *Dites* vero *Capreæ* propter ædificia Tiberii Cæsaris, et cetera ornamenta; ut bene Domitius : licet aliter non male legi posset *mites Capreæ*, ex Tacito, Ann. IV, 67, de hac insula : « cæli temperies hieme mitis, objectu montis, quo sæva ventorum arcentur. »

139. *Jam fortibus ardens Fumat arena sacris.* Justus Lipsius, Saturn. Serm. II, 14, pro *fortibus* legit *sortibus*, assentientibus Bernartio et Cruceo, quia *sorte* utebantur in his certaminibus. Male : præcessit enim, « Jam placidæ dant signa tubæ : » ergo ludi commissi erant, ut *sortibus* jam non locus fuerit : nec in his ludis omnino usurpari *sortes* putat Gronovius, Diatr. c. 24; ubi contra Lipsium disputat, et defendit *fortibus sacris* : « Elegantissime, inquit, Statius *fortia sacra* dixit certamina hæc palæstrica, quæ in honorem Herculis exercebantur : quod nomen dari potest omnibus virilibus ludis, ut decursibus equestribus, etc. Contra, mollia sacra sunt thiasi, epulæ, ludi Florales, pervigilia Veneris. Et sic

erudelia sacra, quæ fiebant Dianæ Tauricæ, Latiari Jovi, Cælesti Carthaginiensi. In Hercule Vindicis ipsum fortem Deum et fortissimum Divûm appellat; cujus merito sacra fortia. Hæc sacra sunt palæstræ; quæ etiam fortes : Manilius, IV, 721 :

Perque coloratas subtilis Græcia gentes
Gymnasium præfert vultu, fortesque palæstras.

Ita fortia lamenta vocat Statius afflictiones corporis in luctu, ut quum plangitur pectus, secantur genæ, crines rumpuntur. » Hæc vir doctissimus; nec de phrasi *fortia sacra* dubitandum est, nec *palæstras* recte dici posse *fortes :* tantum restat quæstio, utrum sensui loci conveniat vox *fortibus ;* et mihi secus videtur : Statii enim propositum est commendare hos ludos non ex eo quod erant *fortes,* sed quia *innocentes :* patet hoc ex verbis præcedentibus, « Jam placidæ dant signa tubæ: » non *ferales* illæ, quæ in ludis gladiatoriis sanguini et morti præcinebant, sed « placidæ tubæ dant signa ; » et mox, « Nil his triste locis : cedat lacrimabilis Isthmos, Cedat atrox Nemee : » ita supra, v. 43, « hic tibi festa Gymnas et insontes juvenum sine cæstibus iræ : » omnia vides non *fortitudinem,* sed *pacem, quietem,* et *innocentiam* exprimentia. Optime igitur scripsisse potuit, « Jam placidæ dant signa tubæ, jam mitibus ardens Fumat arena sacris : » cui oppositum esset *triste sacrum* apud Prudentium contra Symmach. II, 1113, de gladiatoriis muneribus :

Quod genus ut sceleris jam nesciat aurea Roma,
Te precor, Ausonii Dux augustissime regni;
Et tam triste sacrum jubeas, ut cetera, tolli.

Hoc modo cogitabam : confirmavit inspecta vetus editio Parmensis, quæ habet *jam frontibus ardens ;* statim vidi legendum esse, « Jam placidæ dant signa tubæ, jam insontibus ardens Fumat arena sacris : » ut supra, *insontes juvenum sine cæstibus iræ,* vel *cædibus.* Eleganter Achill. I, 112,

. . . . hic hominum nullos experta cruores
Spicula, nec truncæ bellis genialibus orni . . . .
Sed pharetræ insontes, et inania terga ferarum.

Minime dubito quin istud *fortibus* sit ab interpolatore Domitio, qui has Silvas innumeris locis, ubi non intellexit, ad libitum depravavit : unde in insequentes editiones propagatæ sunt lectiones non Statii, sed Domitii. Prima syllaba *τοῦ insontibus* absorpta erat a præcedente *m :* dehinc ex *sontibus* fecerunt librarii *frontibus,* Domitius *fortibus.*

143. *Litat hic felicior infans.* Intelligit nepotem Pollii, filium Julii Menecratis; eumdem quem supra memoravit, v. 46, *templis adscriptum,* et sacerdotem Herculis : *felicior* hic puer quam Archemorus, qui in Nemea occisus ludis Nemeæis originem dedit.

149. *Silvaque quæ fixam pelago Nesida coronat.* Non placet vox *fixam,* et Latinitatem desidero : nisi dicas *fixam* pelago esse *affixam ;* quo facto, sensum desidero : insula enim non *affigitur pelago,* sed *solo.* Conjicio, « Silvaque quæ cinctam pelago Nesida coronat. » Haurio hanc conjectu-

ram ex Surrentin. Pollii, vs. 78, ubi hic locus dicitur *pelago circumfluus Nesis; id est cincta pelago*; ut innuatur *insulam* esse τὴν *Nesida*. Scriptum erat *ejctam* : unde *fictam, fixam*. Ovid. Heroidd. XX, 222; Met. X, 530, et alibi passim. Hunc vero locum videtur Statius hausisse ex Met. V, 388: « Silva coronat aquas, cingens latus omne. » Hujus Nesidos mentionem facit Seneca, Epist. LIII. Ut vero *coronare* pro *cingere* Latinis, sic περιστέφειν Græcis. Vide Callimach. Hymn. in Del. v. 93. *Coronat* est *claudit, cingit*, ut apud Virgilium, Æn. IX, 380, « omnemque abitum custode coronant. »

157. *Seu tibi dulce manu Libycas nudare palæstras, Indulge sacris.* Certissima emendatio Gronovii pro *nudare* legentis *nodare*, Diatr. c. 25: et ita postea invenit in prima Venet. et Membranis Salisburgensibus. *Nodare* et *nodus* propria luctæ verba. Lucanus, IV, 631, de Antæo:

> Intumuere tori, totosque induruit artus,
> Herculeosque novo laxavit robore nodos.

Noster, Achilleid. II, 439,

> Nam procul Œbalios in nubila condere discos,
> Et liquidam nodare palen, et spargere cæstus,
> Ludus erat requiesque mihi.

Ita recte emendavit idem Gronovius, quum et ibi male esset *nudare*. Vide eum in dicto Diatribes loco. Fallitur vero vir magnus in eo quod putat emendationem suam confirmari a voce *Libycas*, quia scilicet Hercules Antæum *Libyn* elisit *nodis* et *manu* : non defensoribus istis eget præclara emendatio; et si isto tantum fundamento niteretur, falsa esset; omnino enim prava est vox *Libycas* : quomodo enim possunt *Libycæ palæstræ* nodari ad *Surrentum* in *Italia*? hoc primo intuitu absurdum. Quod si dicat *Libycas palæstras* denotare non palæstras *quas* exercebat, sed *quales* exercebat Hercules cum Antæo in *Libya*; (ut apud Silium Italicum, *Vesuvius* mons dicitur contorquere *Ætnæos ignes*, id est, tales *quales* Ætna contorquere solet; et multa ejusmodi exempla adferri possent:) respondeo, hoc pacto Statium sibi ipsi contradicere et destruere propositum suum : quippe hæ *Libycæ* palæstræ *sævæ* erant et *sanguinolentæ*, utpote in quibus occisus erat Antæus : hic vero invitatus est Hercules ad *insontes juvenum, et sine cædibus iras*, et *insontia sacra*, de quibus supra, ad v. 139. Nullo igitur apto sensu stare potest vox *Libycas* : plane legendum, « Seu tibi dulce manu liquidas nodare palæstras : » ut loco Achill. supra citato, « Et liquidam nodare palen, » quod est *liquidas nodare palæstras*, quia *palen* ducit e Græco vocabulo πάλη, *luctatio* : Lucan. in Phars. lib. IX, 661, « Arcados auctoris citharæ liquidæque palæstræ. » Claudian. de Mal. Theod. Cf. v. 287, « Calliope liquidas Alciden posce palæstras. » *Unctas luctas* vocat Sidon. Apollin., carm. IX, 184; *unctam palen* Noster, Theb. VI, 832; et *pingues palæstras*. *Putris palæstra* Martial. Epigr. VII, LXVII, 7; et *lubricus palæstrita* III, 58. Ita Græci ΤΡΑΣ παλαίστρας, et ΑΠΑΡΑΣ : propter *oleum* scilicet : unde *nitidus magister* vocatur Pollux, Thebaide: et *nitidis palæstris* Mar-

tial. Epigr. IV, VIII, 5. Acumen vero et oxymoron affectat Noster in vocibus *liquidas* et *nodare* ; *liquida* enim non possunt *nodari*.

160. *Nam capit, et tantum non dedignatur honorem.* Ita editiones. Politianus tamen, Epist. VI, 1, monuit se restituisse verbum *degeneravit* in suum locum, in quem subierat *dedignatur;* procul dubio ex MS. inquit Gronovius, Diatr. c. 26. Hæc enim talia sunt, ut ab ingenio nudo proficisci non possint. Et quidem *degenerare* cum quarto casu probum est ; Ovidius, Pontic. III, 1,

> Magna tibi imposita est nostris persona libellis,
> Conjugis exemplum diceris esse bonæ ;
> Hanc cave degeneres.

Et Metam. VII, 542, « Acer equus quondam, magnæque in pulvere famæ, Degenerat palmas : » ita libri meliores, testante Heinsio, non *Degener ad palmas :* licet hoc quoque probum ; ut *degener ad pericula* Tacit. Ann. I, 40. Noster, Theb. IV, 149, de Tirynthe urbe : « non fortibus illa Infecunda viris, famamve immanis alumni Degenerat ; » ita legendum ; vulgo *famaque.* Sed alia ratio hujus et istorum locorum : quippe ridiculum esset dicere Pollam *non degenerare honorem* quem illi optat poeta ; et consequenter illa nondum accepit. Præterea, vox *capit* non præteritum, sed præsens tempus secum connecti requirit ; *capit et non degenerat.* Verissima restitutio Gronovii, qui putat τὸ *degeneravit* positum esse pro *degenerabit;* (frequenti vice literarum *v* et *b*) hoc vero pro *degener ambit*, litera *m* non adscripta, sed nota ejus super *a* posita : « Nam capit, et tantum non degener ambit honorem. » Nihil verius : et MS. Flor. habet *degenerabit ;* et ita in Parmensi ego inveni. Boethius, Consol. Philos. III, Metr. 8 :

> Quid dignum stolidis mentibus imprecer ?
> Opes, honores ambiant.

Recte etiam *non degener :* Ausonius, Mosell. v. 355, « Sura tuas properat non degener ire sub undas. » Tacitus, Annal. IV, 61 : « Fine anni excessere insignes viri, Asinius Agrippa, claris majoribus quam vetustis, vitaque non degener ; et Q. Haterius, familia senatoria. » Noster, Theb. IX, 619, de Parthenopæo :

> . . . . nec degener ille
> Sanguinis ; inque meos reptavit protenus arcus,
> Telaque per lacrimas et prima voce poposcit :

ita legendum ; vulgo sine sensu, *Tela puer lacrimis.* Heinsius, ad Ovid. Pontic. III, 1, assentitur Gronovio de τῷ *degener ambit :* et locum Thebaidos IV, 149, mecum emendat ; nisi quod pro *famamve* citat *famamque :* verius alterum. De significatione verbi *capere* supra egi, Epithal. Stellæ, v. 107. Quod vero optat Statius, ut Hercules *poma* ingerat in *gremium* Pollæ, pudice innuit Pollam desiderio liberorum teneri : *poma* enim veteribus credebantur conceptum adjuvare, et erat lascivum aliquod in istius vocis notione : unde istud Propert. I, 3, 24 : « Nunc furtiva

cavis poma dabam manibus : » quum Cynthiam inviseret dormientem: et Virgilius, Eclog. III, 64, « Malo me Galatea petit, lasciva puella; » et Eclog. II, 51, « Ipse ego cana legam tenera lanugine mala : » ad quæ Servius : « verecunde rem inhonestam supprimit, quam Theocritus aperte commemorat; » vide præcedentia. Vetus Epigramma a Scaligero editum :

Qualibus Hippomenes rapuit Schœneïda pomis,
Qualibus Hesperidum nobilis hortus erat.

Hujusmodi igitur poma, inquit Statius, ingere in gremium Pollæ : *Nam capit;* capax est propter ætatem, non vetula nimis, (unde in Surrentin. v. 10, « nitidæ juvenilis gratia Pollæ ») et *cupit; tantum ambit honorem :* et *meretur; non degener ambit.* Hanc *Pollam* eamdem fuisse quæ *Polla Argentaria,* Lucani uxor, jam fere persuadeor; et erroris imputatione liberandum esse Sidonium Apollinarem, qui *duobus* poetis jugatam eam facit; scil. *Lucano* et huic *Pollio*, non *Statio.* Vide quæ notavi ad Præfat. lib. II.

173. *Duram scio vincere mortem.* Cum *Morte* enim luctatus est Hercules, et ei eripuit Alcestidem Admeti uxorem : quod ad medicinæ peritiam refert Plutarchus. Noster, Herc. Epitrapez. v. 104 : « Hic penetrata tibi spoliataque limina Mortis Concinet : » de Hercule loquitur. Sic Abascantius, V, 1, dicitur « ingens certamen cum Morte gerere. »

185. *Populeaque movens albentia tempora silva. Populea silva* idem quod *populus,* quæ *Alcidæ gratissima,* ut ait Virgilius : et ideo ex hac arbore *coronam* gestabat. Vide Broukh. ad Tibull. I, 4, 30. Senec., Herc. Œt. vers. 1640 : « contexit pyram Populea silva, frondis Herculeæ nemus : » ubi pro *contexit pyram* optimus codex Florent. habet *se complet rogo :* unde Gronovius dubitanter, *se confert rogo.* Sed quare *nemus,* quum *silvam* jam dixerat; et quid est *nemus frondis?* lege certissima emendatione, « se confert rogo Populea silva, frontis Herculeæ decus : » hoc est Statii *populea albentia tempora silva. Confert* proprium in *re funebri* verbum, ut pluribus dicemus ad Lacrim. Etrusc. v. 134 : *Honor* et *decus frontis* vocatur *corona* seu *sertum.* Glaucia Melioris, v. 26, « Et nunc heu ! vittis et frontis honore soluto. » Thebaid. X, 254 :

Ponit adoratas Phœbea insignia frondes,
Longævique ducis gremio commendat honorem
Frontis :

id est, *coronam* lauream. Appositissime, Epiced. in Puer. v. 28 : « sed nec solitæ mihi vertice laurus, Nec fronti vittatus honos : en taxea marcet Silva comis. » *Taxea silva* pro *taxus.*

CARMEN II.

PROPEMPTICON METIO CELERI.*

Di, quibus audaces amor est servare carinas,
Sævaque ventosi mulcere pericula ponti,
Sternite molle fretum, placidumque advertite votis
Concilium, et lenis non obstrepat unda precanti.
« Grande tuo rarumque damus, Neptune, profundo
Depositum : juvenis dubiæ committitur alno
Metius, atque animæ partem super æquora nostræ
Majorem transferre parat; proferte benigna
Sidera, et antennæ gemino considite cornu,

VARIÆ LECTIONES.

* *Propempticon Metio Celeri.* Ita invenit in Codicibus Rhod. et Saliab. Gronovius, non *Metii Celeris.* Et ita editio Parmensis; nisi quod pro *Celeri* habet *Celere.* Pro *Metio* non opus est ut legamus *Mettio;* quum illud in inscriptionibus antiquis frequenter occurrat, et apud Donatum, Vit. Terentii. Vide Gruterum passim in magno opere. — Cod. Paris. ed. pr. *Propemticon Metii Celeris.* A.

6. *Dubiæ alno.* Cod. Paris. edit. pr. Cruc. *dubio alto.* Vid. not. A.

9. *Antennæ gemino consistite cornu.* Ita editiones : Romana tamen *consite;* Parmensis *considite :* recte : Hor. Serm. I, 8, 6 : « Ast importunas volucres in vertice arundo Terret fixa, vetatque novis considere in hortis; » Ovid. Metam. II, 632, « Inter aves albas vetuit considere corvum; » ubi eadem scripturæ diversitas in codicibus. Curtius, lib. III, 1, 4, de Marsya amne : « quippe traditum est, Nymphas amore amnis retentas in illa rupe considere. » Auctor Panegyr. ad Messallam, v. 151 : « Nam circumfuso considit in aere tellus; » ut bene emendat Heinsius, pro *consistit.* Ita *insidere ramis* apud Lucan. lib. III, vers. 407, ubi vulgo *insistere;* vide Burmann. ad Quintil. Declam. XIII, 4. *Subsidere* vocat idem, V, 226, de Appio. — Cod.

OEbalii fratres : vobis pontusque polusque
Luceat : Iliacæ longe nimbosa sororis
Astra fugate, precor, totoque excludite cælo.
Vos quoque cæruleum, divæ Nereides, agmen,
Quis honor, et regni cessit fortuna secundi,
(Dicere quas magni fas sit mihi sidera ponti)
Surgite de vitreis spumosæ Doridos antris,
Baianosque sinus, et feta tepentibus undis
Litora tranquillo certatim ambite natatu,
Quærentes ubi celsa ratis, quam scandere gaudet
Nobilis Ausoniæ Celer armipotentis alumnus.
Nec quærenda diu : modo nam trans æquora terris
Prima Dicarcheis Pharium gravis intulit annum :
Prima salutavit Capreas, et margine dextro
Sparsit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ.
Hujus utrumque latus molli præcingite gyro ;
Partitæque vices, vos stuppea tendite mali

Paris. edit. princ. et Gronov. scribunt *considite ;* Cruc. *consistite.* A.

10. Pro *vobis pontusque polusque Luceat,* Tiliobroga notat in veteri Codice esse *fiat pontusque serenus Luceat ;* ego in Parm. et Rom. inveni *pontusque polusque serenus Luceat :* quod isto altero melius est ; non tamen Statii : optima est vulgata, quam præbuit Venet. — Cod. Paris. *pontusque polusque serenus Luceat,* et ex emendatione, *vobis pontusque polusque Luceat.* Edit. princ. *serenus pontusque polusque Luceat.* A.

13. *Divæ.* Sic cod. Par. qui ad marg. habet, *ponti.* A.

15. *Dicere quæ magni fas sit mihi sidera ponti.* « Vos quoque, Nereides, quæ mihi fas sit dicere ponti Sidera ; » immo *quas ;* ita enim postulat grammatica. — Cod. Paris. ed. pr. Cruc. Gronov. *quæ.* A.

19. *Ratis qua scandere gaudet Celer.* Immo *quam.* Horat. Carm. II, 16, 21 : « Scandit æratas vitiosa navis Cura ; » Catull. Carm. CII, « Pimpleum scandere montem ; » Virgilius, Æn. II, 237 : « Scandit fatalis machina muros ; » Seneca, Hippol. v. 7, « Scandite colles Semper canos nive Riphæa : » *scandere puppem* idem, Herc. Fur. v. 775. — Cod. Paris. ed. pr. Cruc. Grom. *qua.* A.

26. Pro *Et partite vices,* Parm. et Rom. *Partiteque vices,* id est, *Partitæque.* Recte : et ita edidi. — Cod. Par. *Partiteque,* et superscript. *partiamini.* Ed. princ. *partiteque :* Cruc. *Et partite ;* Gronov. *Partitæque.* A.

Vincula, vos summis annectite suppara velis,
Vos Zephyris aperite sinus : pars transtra reponat,
Pars demittat aquis curvæ moderamina puppis.
Sint quibus exploret rupes gravis arte molybdis,
Quæque secuturam religent post terga phaselon,
Uncaque submersæ penitus retinacula vellant.
Temperet hæc æstus, pelagusque inclinet ad ortus :
Officio careat glaucarum nulla sororum.
Huic multo Proteus, geminoque huic corpore Triton
Prænatet; et subitis qui perdidit inguina monstris
Glaucus, adhuc quoties patriis allabitur oris
Litoream blanda feriens Anthedona cauda.
Tu tamen ante omnes, diva cum matre Palæmon,
Annue, si vestras amor est mihi pandere Thebas,
Nec cano degeneri Phœbeum Amphiona plectro.
Et pater, Æolio frangit qui carcere ventos,
Cui varii flatus, omnisque per æquora ponti

30. *Sint quibus*, etc. Cod. Paris. edit. pr. Cruc. *Sint quibus exploret rupes* (cod. Paris. ad marg. *scopulos*) *gravis arte molorchus*. Gronov. *Sunt.... Molochus*. Vid. not. A.

32. Pro *vellant*, multæ editt. *velant*, sine sensu. *Vellant unca retinacula* est *avellant, extrahant ancoram* ex mari : vide Lucan. II, 694; et ita Parmensis. — Cod. Par. *vellant;* ed. pr. *velans*. A.

33. *Pelagusque inclinet ad ortus*. Parm. *adortus*, una voce : male : *inclinare pelagus ad ortus est fluxum maris impellere versus Orientem*, quo navigaturus est Celer. Sumsit hoc, ut multa alia in hoc carm. ex Ovid. Amor. II, 11, v. 39, « Tum mare in hæc magnus proclinet litora Nereus; Tunc venti spirent; tunc aget æstus aquas : » ita legendum puto; non *Huc venti*, et *huc aget*. Idem, Metam. XI, 207 : « Non impune feres, rector maris inquit : et omnes Inclinavit aquas ad avaræ litora Trojæ. » — Cod. Paris. ed. pr. *adortus* pro *ad ortus*. A.

35. *Huic multo Proteus, gemino hinc et corpore Triton Prænatet*. Ita editiones. Parmensis, *Hic multo*, et *geminoque hic corpore :* lege : « Huic multo Proteus, geminoque huic corpore Triton : » quod multo suavius est altero; et ita edidit Gronovius. — Cod. Paris. *Huic* (a sec. manu, *Hinc*) ..... *geminoque hinc corpore Triton*. Edit. pr. *Huic..... geminoque hinc c. T.* Cruc. *Hinc.... gemino hinc et c.* A.

41. *Phœbeum*. Cod. Paris. *Phœbeium*, et ad marg. *plebeium*. A.

43. *Omnisque per æquora mundi*

Spiritus, atque hiemes nimbosaque nubila parent,
Arctius objecto Borean, Eurumque, Notumque
Monte premat: soli Zephyro sit copia cæli,
Solus agat puppes; summasque supernatet undas
Assiduus pelago; donec tua, turbine nullo,
Læta Paretoniis assignet carbasa ripis. »
Audimur: vocat ipse ratem, nautasque morantes
Increpat: inde meum timido jam frigore pectus
Labitur, et nequeo, quamvis movet ominis horror,
Claudere suspensos oculorum in margine fletus.
Jamque ratem terris divisit fune soluto
Navita, et angustum dejecit in æquora pontem;
Sævus et e puppi longo clamore magister

Spiritus. Recte Heinsius ad Valer. Flaccum, I, 501, pro *mundi* legit *ponti.* Lucretius, I, 8; Ovid. Met. II, 872; Avien. Orb. Descr. vs. 78 et 964. *Freta ponti*, et *marmora ponti* passim apud eumdem occurrunt: *æquora maris*, Hor. Carm. IV, 5, 10; et ita legendum notissimo illo Lucretii versu, initio lib. II: « Suave maris magni turbantibus æquora ventis E terra magnum alterius spectare laborem: » vulgo *mari magno;* quod redundat: satis enim fuerat dixisse, « suave est, ventis turbantibus æquora, e terra spectare, etc. » Mutatum ab aliquo qui nescivit *æquora maris* recte dici posse. — Cod. Paris. ed. pr. Cruc. Gronov. *mundi.* A.

44. *Ac hiemes nimbosaque nubila parent.* Intolerandus hic cultis auribus hiatus: fidenter edidi, contra omnes quas vidi editiones, *atque hiemes:* raro invenies *ac*, quando subsequens vox a vocali incipiat. Noster, Epithal. Stell. v. 248; Theb. X, 787; Lyrico ad Maximum, v. 2, « Fortis heroos Erato labores Differ, atque ingens opus in minores Contrahe gyros; » ubi si vulgo lectum fuisset *ac ingens*, sine ulla hæsitatione in contextum admisissem *atque.* Silius Italic. VIII, 360: « Quos celso devexa jugo Junonia sedes Lanuvium, atque altrix casti Collatia Bruti; » ita ex scriptis dedit N. Heinsius pro *ac altrix.* — Cod. Par. ed. pr. Cruc. Gronov. *ac hyemes.* A.

51. *Ecce meum timido.* Pro *ecce* MS. Senens. Rom. et Venet. codex habent *inde:* perquam elegans usus particulæ, inquit Gronovius, c. 26, pro « nunc vero, ab hoc momento, enimvero jam; » ita IV, 4, vs. 26, « Certum est: inde sonus geminae mihi circuit aures. » Vid. Theb. I, 303; Virgil. Æneid. III, 663; Val. Flacc. V, 225; et ita edit. Romana: Parmensis *unde.* — Cod. Par. *inde*, et in marg. *ecce:* edit. princ. *inde.* Cruc. et Gronov. *ecce.* A.

56. *Longo clamore* non placet, propter sequens *Nec longum cava:*

Dissipat amplexus, atque oscula fida revellit,
Nec longum cara licet in cervice morari.
Attamen in terras e plebe novissimus omni
Ibo, nec egrediar nisi jam cedente carina.
Quis rude, et abscissum miseris animantibus æquor
Fecit iter? solidæque pios telluris alumnos
Expulit in fluctus, pelagoque immisit hiantes?
Audax ingenii; nec enim temeraria virtus
Illa magis, summæ gelidum quæ Pelion Ossæ
Junxit, anhelantemque jugis bis pressit Olympum.
Usque adeone parum lentas transire paludes,
Stagnaque et angustos submittere pontibus amnes?
Imus in abruptum, gentilesque undique terras
Fugimus, exigua clausi trabe, et aere nudo.
Inde furor ventis, indignatæque procellæ,
Et cæli fremitus, et fulmina plura Tonanti.
Ante rates, pigro torpebant æquora somno;
Nec spumare Thetis, nec spargere nubila fluctus

lege, *magno clamore*. Sil. Italicus; XVII, 26: « Tum puppe e media magno clamore sacerdos, etc. » tametsi occurrat *longo clamore*, Theb. V, 552, et alibi passim. Eodem versu: « Sævus ubi e puppi, etc. » Conjeceram, « Sævus et e puppi... » sensu ita postulante: Rom. et Parm. « Serius e puppi. » — Cod. Par. ed. pr. « Serius e puppi. » A.

58. Pro *licet* Parm. *valet;* quod non intelligo. — Cod. Par. ed. pr. *licet*. A.

60. *Cedente*. Sic edit. princ. et Cod. Par. qui ad marg. habet *currente*. A.

61. *Animantibus*. Cod. Paris. ad marg. *mortalibus;* in contextu *animantibus;* ed. pr. *animantibus*. Vid. not. ad hunc vers. A.

63. *Expulit*. Cod. Paris. *expulit*, et inter lin. *compulit:* edit. pr. *expulit*. Mox pro *pelagoque immisit hiantes*, cod. Paris. qui vulgatam in contextu retinet, ad marg. scribit: *pelagoque immisit hianti*, superscript. *aperto*. Vid. not. ad versum 61. A.

66. Pro *bis pressit*, Parm. *bis presit*. — Cod. Paris. ed. pr. *bis pressit*. Vid. not. A.

71. Pro *indignatæque* mallem *indignantesque*, ex Virgil. Æneid. I, 55, de ventis: « Illi indignantes magno cum murmure montis Circum claustra fremunt; » et Ovid. Metam. XII, 353: « Tereaque, Hæmoniis qui prensos montibus ursos Ferre domum vivos, indignantesque solebat. »

Audebant : visis tumuerunt puppibus undæ,
Inque hominem surrexit hiems. Tunc nubila Pleias,
Oleniumque pecus ; solito tunc pejor Orion.
Justa queror : fugit ecce vagas ratis acta per undas
Paulatim minor, et longe servantia vincit
Lumina, tot gracili ligno complexa timores,
Teque super reliquos, te, nostri pignus amoris
Portatura, Celer. Quos nunc ego pectore somnos,
Quosve queam perferre dies? quis cuncta paventi
Nuntius, an facili te prætermiserit unda
Lucani rabida ora maris : num torva Charybdis

75. *Audebant.* Quare vero non *audebat spumare Thetis ante rates* inventas? an visæ puppes *audaciam* illi indiderunt? non certe, sed *iram* potius et *tumorem; visis tumuerunt puppibus undæ*, non *audaciores erant.* Lege omnino, *gaudebant spargere*, id est, *spargebant:* ante rates æquora *torpebant*, nec *spumabat* Thetis, nec fluctus *spargebant* nubila : nihil verius. *Gaudebant spargere* est *spargebant;* ut supra v. 19, *ratis quam* scandere gaudet *Celer:* id est, *scandit*, seu scansurus est. Fusius dixi ad Tiburtin. Vopisc. v. 57.

76. *Pleias.* Edit. pr. *plias.* A.

79. *Minor.* Cod. Paris. in contextu, *miror:* ad marg. *minor.* A.

81. *Teque super reliquos.* Vulgo, *Quæque s. r.* Hunc versum in suis codicibus ita conceptum invenit Domitius : « Quamque super reliquos *et* nostri pignus amoris; » unde fecit *Quæque* et *te.* Parmensis, *Quaque* et *te*, non *et.* — Cod. Par. ed. pr. *Quæque.... te.* Vid. not. A.

82. *Somnos.* Ita cod. Paris. qui inter lin. habet, *noctes.* A.

83. *Quis cuncta paventi Nunciet, an facili*, etc. Ita plures editiones : vetustiores vero Rom. et Venet. et MS. Flor. habent *Nuncius;* quod impendio elegantius et Statio dignius judicat Gronovius, Distr. c. 29 : verissime. Ita Theb. III, 590, « Cædere nec validas sanctis e stirpibus hastas, Nec pudor emerito clipeum vestisse juvenco : » sic potius dicit, quam *pudet.* IV, 263, de Parthenopæo : « tædet nemorum, titulumque nocentem Sanguinis humani pudor, et nescire sagittas ; » ita legendum ; vulgo sine sensu, *pudor est nescire sagittas.* Constructio est : *pudorque* est (i. e. *pudet*) se *nescire titulum nocentem humani sanguinis, et sagittas :* hoc est, se humanam cædem nondum perpetrasse, ista ætate adolescentem. Iterum, VIII, 522 : « Tunc magis atque magis vires animusque recedunt, Nec pudor ire retro ; » ubi MS. Petrensis *pudet;* sed alterum elegantius. Vide Gronovium ad *Livium* XXXVII, 10. Pro *facili* Parm. *facilis:* perperam. — God. Par. ed. pr. *Nuncius.... facili.* A.

Fluctuet, aut Siculi populatrix virgo profundi:
Quos tibi currenti præceps ferat Adria mores:
Quæ pax Carpathio: quali te subvehat aura
Doris Agenorei furtis blandita juvenci?
Sed merui questus: quid enim, te castra petente,
Non vel ad ignotos ibam comes impiger Indos
Cimmeriumque Chaos? starem prope bellica regis
Signa mei, seu tela manu, seu frena teneres,
Armatis seu jura dares; operumque tuorum
Etsi non socius, certe mirator adessem.
Si quondam magno Phœnix reverendus Achilli
Litus ad Iliacum, Thymbræaque Pergama venit
Imbellis, tumidoque nihil juratus Atridæ,
Cur nobis ignavus amor? sed pectore fido

86. *Aut Siculi.* Cod. Paris. edit. pr. *an Siculi.* A.

87. In Parmensi et Romana pro *ferat mores* invenio *gerat;* sed frustra; mutatum, opinor, ab aliquo qui novit *morem gerere* idem esse quod *obsequi:* quod tamen hujus loci constructio non admittet. Verum est *ferat* et recte a Gronovio explicatum, Diatr. c. 29. — Cod. Paris. ed. pr. *gerit.* Conf. not. ad vers. 85. A.

94. *Seu.* Cod. Paris. *sive:* edit. princ. *seu.* A.

96. *Sic quondam magno.* Totum hunc locum ita lege et distingue: « Si quondam magno Phœnix reverendus Achilli Litus ad Iliacum Tymbræaque Pergama venit Imbellis, tumidoque nihil juratus Atridæ, Cur nobis ignavus amor? » ante, plena στιγμὴ posita erat post vocem *Atridæ;* quo pacto sententia nova abrupte ordiebatur ab istis, *Cur nobis,* etc. Claudian. de Nupt. Honor. et Mar. vs. 271: « Si Bacchus amator Dotali potuit cælum signare Corona, Cur nullis virgo redimitur pulchrior astris? » Silv. V, 3: « Si chelyn Odrysiam pigro transmisit Averno Causa minor; si Thessalicas Admeton in oras Si conjux retro Phylaceida rettulit umbram; Cur nihil exoret, genitor, chelys aut tua manes Aut mea? » ita legendum esse corruptissimum istum locum probabo. Valer. Flacc. VII, 276: « Si Pelopis duros prior Hippodamia labores Expediit.... Si dedit ipsa neci fratrem Minoïa virgo, Cur non hospitibus fas sit succurrere dignis Te quoque? » Similis forma apud Sil. Italic. XII, 674 sqq. Ut conjeceram ita in editt. Parm. et Rom. inveni: illæ enim plane habent, « Si quondam magno, etc. » — Cod. Paris. edit. pr. *Si quondam.* Cruc. et Gronov. *Sic.* Pro *Phœnix,* ed. pr. *phœoix.* A.

98. *Atridæ.* Ed. pr. *Atride.* A.

Nusquam abero, longisque sequar tua carbasa votis.
Isi, Phoroneis quondam stabulata sub antris,
Nunc regina Phari, numenque Orientis anheli,
Excipe multisono puppem Mareotida sistro;
Ac juvenem egregium, Latius cui ductor Eoa
Signa, Palæstinasque dedit frenare cohortes,
Ipsa manu placida per limina festa, sacrosque
Duc portus, urbesque tuas: te præside, noscat
Unde paludosi fœcunda licentia Nili:
Cur vada desidant, et ripa coerceat undas
Cecropio stagnata luto: cur invida Memphis,
Curve Therapnæi lasciviat ora Canopi:
Cur servet Pharias Lethæus janitor aras:
Vilia cur magnos æquent animalia Divos:
Quæ sibi præsternat vivax altaria Phœnix:
Quos dignetur agros, aut quo se gurgite Nili
Mergat adoratus trepidis pastoribus Apis.
Duc et ad Æmathios manes, ubi belliger urbis
Conditor Hyblæo perfusus nectare durat;
Anguiferamque domum, blando qua mersa veneno

100. Pro *Nusquam*, Ven. et Parm. *Nunquam*. — Cod. Paris. *Nusquam*. A.

103. *Multisono sistro*. Auream lectionem servat Veneta; nempe *mulcisono sistro;* de qua non est dubitandum quin Statii sit: quippe non satis erat precari Isidem ut exciperet puppem *multisono* sistro, quia *multisonum sistrum* potuit esse signum Isidis fremebundæ et *iratæ;* sed optat poeta ut illa excipiat puppem *placido* et *mulcente* sistri *sono*, σείστρῳ ἵλεω καὶ εὐμονεῖ. A *mulceo* et *sonus* fit *mulcisonus;* ut ab *horreo* et *sonus*, *horrisonus*. — Cod. Par. ed. pr. *multisono*. A.

110. *Stagnata*. Ita cod. Paris. qui ad marg. *signata*. Edit. princ. *stagnata*. Vide not. ad vs. 109. A.

111. *Curve Therapnæi*. Edit. pr. *Curva teramnei*. A.

114. *Quæ sibi præsternat*. Cod. Paris. *prosternat;* ed. pr. *Quæ tibi prosternat*. A.

116. *Adoratus*. Cod. Par. *odoratus;* ed. pr. *adoratus*. A.

119. Pro *qua mersa* plurimas editiones insedit *quæ;* pessime. Parmensis habet *qua;* et ita ediderat Gronovius. Nihil autem huic loco attinet quæstio, quo genere veneni perierit Cleopatra; utrum delibutorio, an puncto acus comatoriæ

Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.
Usque et in Assyrias sedes, mandataque castra
Prosequere, et Marti juvenem, Dea, trade Latino.
Nec novus hospes erit: puer hic sudavit in armis
Notus adhuc tantum majoris munere clavi;
Jam tamen et turmas facili prævertere gyro
Fortis, et Eoas jaculo damnare sagittas.
Ergo erit illa dies, qua te majora daturus
Cæsar ab emerito jubeat discedere bello?
At nos, hoc iterum stantes in litore, vastos
Cernemus fluctus, aliasque rogabimus auras.
O tum quantus ego! aut quanta votiva movebo
Plectra lyra! quum me magna cervice ligatum
Attolles humeris, atque in mea pectora primum
Incumbes e puppe novus, servataque reddes
Colloquia, inque vicem medios narrabimus annos,

veneno infectæ; quum vox *anguiferam* plane ostendat Statium imputasse mortem ejus morsui *aspidum* somniferarum; unde hypothesi suæ serviens recte addidit *mersa veterno:* quod, ut certissimum, in contextum admitti velim. Vide not.

121. Pro *Usque et in Assyrias sedes,* quod verum est, Domitii codices habebant, « Usque ad Masurias sedes; » unde fecit ille, « Usque in Assyrias. » Parmensis, « Usque ad Massyrias sedes; » obvium erat, « Usque et in Assyrias sedes. »

125. Pro *prævertere,* Parm. *pervertere:* male. — Cod. Paris. *prevertere;* ed. pr. *pervertere.* A.

129. Pro *At nos hoc iterum,* etc. Ven. « Hac nos hoc iterum; » Rom. *Hoc;* quod verum est: « Hoc nos, hoc iterum stantes in litore; » quo pacto augetur affectus. Virg. XII, 259: « Hoc erat, hoc votis, inquit, quod sæpe petivi; » Claudianus in Rufinum, II, 402, « Hac petit, hac Stilico, quem jactas pellere, dextra Te ferit; » ubi vide Heinsium. Val. Flacc. V, 17, « Arcipotens adverte, precor, nunc denique, Apollo; Hoc, pater, hoc nobis refove caput. » — Cod. Par. « Hoc (ad marg. Ac) nos hoc iterum. » Edit. pr. « Hoc..... hoc. » A. — *Vastos.* Lege *versos;* et conf. not.

135. *Inque vicem medios narrabimus annos.* Tres ultimas voces omittunt editt. Parm. et Rom. Prior hoc modo: « inque vicem Euphraten et batra sacraque; » Romana sic: « Euphraten bactra sacrasque. » Nescio quidem in qua editione primum comparuerint ista « medios narrabimus annos; » sed optima

Tu, rapidum Euphraten, et regia Bactra, sacrasque
Antiquæ Babylonis opes, et Zeugma, Latinæ
Pacis iter; qua dulce nemus florentis Idumes;
Quo pretiosa Tyros rubeat, quo purpura fuco
Sidoniis iterata cadis; quo germine primum
Candida felices sudent opobalsama virgæ:
Ast ego, devictis dederim quæ justa Pelasgis,
Quæque laboratas claudat mihi pagina Thebas.

sunt et Statiana. Pro *Zeugma* Parm. *Zeuma;* Rom. *Zaugma.* — Ed. pr. « Colloquia inque vicem Euphraten et Bactra sacrasque Antiquæ B. o. » Idem in cod. Paris. qui ad marg. vulgatam reponit. Hic autem et illa, *Zeugma.* A.

139. Vulgo: *Qua.... qua purpura succo;* ita etiam cod. Paris. et ed. pr. Vid. not. A.

140. Pro *cadis*, aliquot editiones, et eæ plures, inepte habent *vadis;* mox autem, pro *quo germine* vulgo legitur *ubi germine.* — Cod. Paris. edit. princ. *vadis* et *ubi germine.* Conf. not. A.

141. Pro *sudent* Parm. et Rom. *sudant:* perperam; *sudent*, ut *rubeat, dederim*, et *claudat;* pro quo Parm. *claudit;* Rom. *claudet.*—Cod. Par. ed. pr. *sudant.* A.

142. N. Heinsius ad Ovid. Trist. IV, 10, v. 80, « matri proxima justa tuli, » pro *busta Pelasgis* legit *justa;* nihil verius : *justa dare* frequens phrasis. Noster, Theb. IX, 518: « certe tumulos supremaque victis Justa dabas; » ubi male *Busta* nunc legitur. Lucanus, IX, 67, ubi queritur Cornelia Pompeii: « nunquam dare justa licebit Conjugibus? » ita veterrimus Cod. Vossianus; non *busta.* Vide plura exempla ibidem; *justa solvere* et *persolvere* et *præstare* idem Q. Curtio. Flor. IV, 2, de Julio Cæsare: « Tandem receptus a classicis suis.... justa generi manibus dedit. » — Cod. Par. ed. pr. Gronov. Cruc. *busta.* A.

143. Pro *Quæve* legendum *Quæque;* et ita Parm. et Rom. editiones. — Cod. Paris. edit. princ. Gronov. et Cruc. *Quæve.* Pro *claudat*, cod. Paris. et ed. pr. *claudit.* A.

NOTÆ

IN CARMEN SECUNDUM LIBRI TERTII

SILVARUM.

Vers. 6. Juvenis *dubio committitur alto Metius.* Hanc lectionem tuetur Gronov. Observ. II, 11, contra eos qui *alveo* vel *alno* legunt. Percurramus sex vel septem versus, ut melius judicium feramus: « Di qui gaudetis *maris* pericula mulcere, sternite *mare;* et *mare* non obstrepat precanti. Grande depositum damus tuo *mari*, o Neptune: quippe Metius committitur dubio *mari*, et partem majorem animæ meæ super *mare* transferre parat. » Dudum, opinor, tædet ingratæ repetitionis: levemus igitur aliqua parte, scribendo, « dubiæ committitur alno; » quamquam ne *sic* quidem omnem *ταυτολογίας* reprehensionem vitabit. Ludunt quidem et interdum plurimum sibi permittunt in his repetitionibus poetæ; eumdem vero sensum in sex versibus continuis ingerere, omnem omninm morem et licentiam superat. Ita vero Nostrum scripsisse, non *alto*, clarius patebit, si conferas hunc locum cum isto unde hæc desumpsit; is est Horat. carm. I, 3, in Propemptico Virgilii: v. 5:

Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animæ dimidium meæ!

idem est ac si dixisset, « Alne cui committitur Virgilius, etc. » reliqua confer, si vacat; per totum enim hoc carmen Horatii oden ante oculos habuit Noster. Recte vero *dubiæ alno.* Juvenalis, sat. XII, 31: « Alternum puppis latus evertentibus undis Arboris incertæ; » id est, *dubiæ alni.* Statius, Theb. V, v. 370: « incertæ nec jam prior impetus alno; » Silv. IV, 3: « Vix passus dubias prius carinas; » Theb. IV, 224: « Quas Pylos et dubiis Malea vitata carinis; » Claudian. Præf. lib. I, 3, de Rapt. Pros. « Qui dubiis ausus committere flatibus alnum; » id est *dubiam* alnum committere flatibus, translato epitheto, de quo alibi. Ovid. Art. Am. II, 514: « Nec semper dubias adjuvat aura rates. » *Puppem timendam* vocat Noster, carm. IV hujus libri.

30. *Sint quibus exploret rupes gravis arte molybdis.* Non operæ pre-

tium est exscribere quæ interpretes in difficillimum hunc locum commenti sunt: minimo negotio vagæ eorum conjecturæ redargui possunt; sed nihil interim de meo afferre valeo. Audiamus tamen quid de eo summus Gronovius, Diatr. cap. 26: « Scripsit Statius, inquit ille, *Sint quibus exploret lino gravis alta molybdis;* dictio *rupes* semper suspecta fuit; nec enim *rupes* explorantur, sed fundus maris et ipsius altitudo; pro ea in Florentino legitur *primo;* sed hanc mutari malim in *lino*, quo sc. molybdis in mare demittitur. *Arta* pro *alta* deinde *arte* correctum est. Vocarunt olim instrumentum mari explorando μολυβδίδα, quia plumbum habebat assutum in extremo. » Hæc ille, ex Salmas. epist. 88; primo quidem intuitu speciosa, et ceterorum somniis longe saniora; quæ tamen et ipsa examen ferre non valent; elige enim quamvis verborum constructionem, vox *lino* abundat. Salmasius, epist. 88, legit, « Sint quibus exploret plumbo gravis alta molybdis; » speciosum quidem et hoc, sed forte nihilo verius: quippe non opus est dicere molybdis *plumbo* gravis; hoc enim continetur sub notione vocis *molybdis*, quæ per se significat *linum* seu funem *plumbo gravem*. Idem in Plinian. Exercit. p. 712, hunc versum ita citat, « Sint quibus exploret rupes gravitate molybdus. » In Parmensi ita concipitur: « Sint quibus explorēt prīos gravis arte molucros; » in Romana, « exploret rupes molorchus. » Domitii video manum interpolatricem in vocibus *rupes* et *molorchus;* qui, inquit ille, « est instrumentum nauticum ad latentia saxa indaganda; quod miror et a nostris et a Græcis, Julioque Polluce inprimis, prætermissum fuisse. » Nil mirum prætermissum fuisse, quum nec analogia, nec veterum aliorum testimoniis appareat hoc verbum usquam exstitisse, nisi in Domitii commentariis. Pro eo minime dubium scribi oportere *molubdis* seu *molybdis;* μολυβδὶς, plumbeum instrumentum ad hunc usum; quod et βολὶς et καταπειρατὴρ seu καταπειρατηρία vocabatur. De ceteris tacendum puto, donec ex codice aliquo aut felici conjectura liquidius aliquid effulgeat.

46. *Soli Zephyro sit copia cæli.* Ex Ovid. Amor. II, 11, v. 41: « Ipsa roges Zephyri veniant in lintea soli; » ita Puteaneus et quatuor alii codices, non *pleni;* quod licet probum sit, Statium tamen legisse *soli* vel ex hac imitatione patet.

52. *Quamvis movet ominis horror.* Gronovius pro *movet* legit *monet;* sed quoniam *monere* et *monitus* propria sunt verba de auguriis, oraculis, prodigiis, *ominibus*, somniis; parum accurate argumentatur; tam enim *movemur* ominibus quam *monemur;* et hoc loco nullum opus est *monitu; movet* idem est quod *turbat, terret, anxium reddit.* Lege modo hæc ex Thebaid. II, 263: « cunctos tamen omina rerum Dira movent, variisque metum sermonibus augent; » Sil. Ital. IX, 258: « tum triste movebat Augurium; » Virgil. IX, 471: « simul ora virum præfixa movebant, Nota nimis miseris; » Ovid. Met. I, v. 55: « humanas motura tonitrua mentes; » Heroid. IX, 39:

Me pecudum fibræ, simulacraque inania somni,
Ominaque arcana nocte petita movent.

Passim apud Senecam hæc vox occurrit hoc sensu. Si hæc in mentem venissent, nihil movisset acerrimi judicii vir.

61. *Quis rude, et abscissum miseris animantibus æquor Fecit iter?* Ita omnes quas vidi editiones. Heinsius vero ad Valer. Flacc. I, 827, citat *abscisum*, absque ulla diversitatis nota, et quasi in omnibus libris ita legeretur. De differentia verborum *abscindere* et *abscidere* (quorum alterum, *abscindere*, præteritum facit *abscĭdi*, media brevi, et participium *abscissus;* alterum, *abscidere*, a præpositione *abs* et *cædo*, in præterito *abscīdi*, media longa, participio *abscisus*) et quam frequenter commutentur, vide cl. Drakenborchium, ad Sil. Italic. XV, 470. Hoc tamen loco nihil mutandum esse, præter consensum editionum, docet Horatius, carm. I, 3, 21:

Nequicquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabiles
Terras, si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt vada;

cui loco palam alludit Noster. Claudian. de Rapt. Pros. I, 142: « rupit confinia Nereus Victor, et abscissos interluit æquore montes; » ubi nihil variant codices. Plin. Hist. Nat. IV, 1: « Dein sinus ac Leucadia: ipsa peninsula, quondam Neritis appellata, opere accolarum abscissa a continenti. » Virg. Æn. III, 417: « venit medio vi pontus, et undis Hesperium Siculo latus abscidit. » Indignandum sane hanc vocem *abscissus* ubique fere a viris doctis repudiatam esse, ut locum faciat τῷ *abscisus;* etiam sine causa, et ubi præstaret *abscissus;* ut facile possem monstrare: præsertim in locis ubi requiritur *divisio;* quam *scindo* et composita ejus melius certe exprimunt quam *cædo* et ejus composita: *scindere* enim pro *dividere* tralatitium est, et primitivæ significationis; *cædere* nonnisi in compositis, et per consequens. Sed pergo. Gronovius, Diatr. cap. 27, miratur eruditionem Statii in voce *animantibus;* et culpat doctos, quod non viderint hanc vocem usurpari hoc loco pro *terrestribus* tantum *animalibus*, utpote quæ *anima* seu *respiratione* utantur, quæ *piscibus* seu ἐνύδροις ζώοις non competere noverat, inquit, ex Aristotele poeta doctissimus. Acuta sane hæc observatio: et multum in Statio intelligendo profecerit, qui talia antitheta notare poterit; sed nimis acuta hoc loco videtur: quod enim fundamenti loco ex Aristotele sumit, pisces non *spirare*, hoc illi negabit Plinius, Hist. Nat. IX, 7; et quod dicit *terrestria* tantum *animalia* hac voce designari, interdum verum est, interdum non; quod videbis ex loco Ciceron. de Amicit. cap. 21: « Quod si hoc apparet in bestiis, volucribus, nantibus, agrestibus, cicuribus, feris, primum ut se diligant ipsæ (id enim pariter cum omni animante nascitur) deinde ut requirant atque appetant ad quas se applicent ejusdem generis animantes; quanto id magis in homine sit natura, etc. » Vi-

des *nantes* seu pisces inter *animantes* plane numerari. Nimirum per ista *miseris animantibus* Statius intelligit non omnia *terrestria animalia*, sed *homines* simpliciter; non ullo pulmonum aut *respirationis* respectu, sed quod *anima* id est *vita* utuntur; patet hoc ex epitheto *miseris*, quod cum τοῖς *animantibus* conjunctum significationem ad *homines* restringit: *misera* enim *animantia* κατ' ἐξοχὴν *homines* poetis passim dicuntur. Noster, Thebaid. III, 551: « unde iste per orbem Primus venturi miseris animantibus æger Crevit amor? » ad quæ vetus Scholiastes: *miseris animantibus*: « Hominibus, qui fere miserrimi inter animalia super terram. » Infinita tum Nostri tum aliorum loca adduci possunt, ubi vox *animantibus* per se significat *hominibus*; non ut opponantur *aquatilibus*, sed quia *animas habent*, ut bene Lutatius scholiastes, quem vide ad Theb. XI, 465:

> Quid me, ait, ut sævis animantum, ac sæpe Deorum
> Obsteturum animis, princeps Natura, creabas?

ubi plane opponit *animantum* id est *hominum*, et *Deorum*. Nihil igitur ex intima philosophia et de *respiratione* in hoc loco quæras; sed simpliciter sume *miseris animantibus* pro *hominibus*. Sic in eo quod sequitur, *pelagoque immisit hiantes*: « Eadem ratione, inquit Gronovius, *hiantes* est *respirantes*: antecedens positum pro consequenti; est enim *hiare* proprie recludere os ad respirandum. » Iterum nimio acumine peccat vir eruditissimus: quippe *hiare* non magis proprie est recludere os ad *respirandum* quam ad *edendum* vel *sorbendum* aliquid; in *respirando* quidem interdum *hiamus* seu os recludimus; et ita in *edendo* vel *sorbendo*; male tamen inde concluseris propriam verbi significationem esse *edere* vel *sorbere*; et quod summum est, si τὸ *hiantes* denotat *terrestria* tantum animalia ex eo quod *hiant*, id est, secundum Gronovium, *respirant*; ego dico *pisces* quoque *hiare* (quod docet ἀναπλία), hoc est, secundum consequentiam Gronovianam, *respirare*; lege modo hos elegantissimos Ausonii versus, Mosella, v. 263, ubi describuntur pisces capti et in ripa morituri:

> Jam piger invalido vibratur corpore plausus,
> Torpida supremos patitur jam cauda tremores:
> Nec coeunt rictus; haustas sed hiatibus auras
> Reddit mortiferos exspirans branchia flatus;

ubi malim *hausta aura*; licet alterum per appositionem stare possit. Hinc vides τὸ *hiare* non satis esse ad *terrestria* denotanda, nisi simul probetur aquatilia *non hiare*; quod ex hoc Ausonii loco falsum esse convincitur; quid enim est *reddere haustas auras*, nisi *respirare*, vel remittere auras *hiatibus* acceptas? Quid multa? *hiantes* est *cupidos*, *avaros*, ut recte explicavit Domitius. Tacit. Hist. I, 12: « Quippe hiantes, in magna fortuna, amicorum cupiditates ipsa Galbæ facilitas intendebat; » et IV, 42: « libidine sanguinis et hiatu præmiorum, etc. » Arnobius, lib. I, pag. 39: « non libidinum exstinxit flammas? non hiatum compressit aviditatis? » Apposite Festus Avien. Arat. Phænom. v. 663, de nautis:

.... tamen isti sæpe malorum
Immemores, agitant totos in fluctibus annos
Mergorum et phocis similes: trahit unda paventes
Ac retrahit: quærunt oculis distantia semper
Litora, et in pontum cogunt lucra semper hiantes:

eleganter Lucretius, lib. III, ad finem: « Et sitis æqua tenet vitaï semper hiantes. » Virgil. Georg. II, 508:

Hic stupet attonitus rostris: hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatus enim) plebisque patrumque
Corripit: hi gaudent perfusi sanguine fratrum:

ita scripsit Virgilius; vulgo: « Corripuit: gaudent, etc. » vide locum et fateberis. Senec. de Benef. VII, 26: « Aspice quemadmodum immensæ hominum cupiditates hient semper, et poscant. » Recte igitur *hiantes*, id est, *cupidos* seu *avaros;* et exprimit Propertianum istud, eleg. III, 7: « Natura insidias pontum substravit avaris. » Recte etiam *immisit pelago*, ut apud Val. Flacc. VII, 53: « Rex suus immisit pelago; » ubi male legitur *illisit pelago;* quod alia res est: *misit in æquora*, eodem sensu, idem, I, 815. Hæc ad explicationem hujusce loci Statiani: et fateor quidem plus acuminis subesse interpretationi Gronovianæ; compertum tamen habeo plus veritatis alteri.

66. *Anhelantemque jugis bis pressit Olympum.* Quare *bis pressit?* nusquam enim alibi legitur, nec quidem opus fuit ut Olympus Pelio et Ossæ *bis* imponeretur. Mira comminiscitur vir doctus, qui ad ista *bis pressit Olympum*, hæc notat: « quia mons ille altissimus, duplicibus eum aliis cumulatum dicit, ut eo nempe citius sic in cælum penetraretur. » Quasi non eodem recideret, utrum Pelion et Ossa imponerentur Olympo, sive Olympus Pelio et Ossæ! *bis* igitur *jugis* pro *binis jugis* accepit. Quid multa? corruptus est locus, sic restituendus, « anhelantemque jugis impressit Olympum. » Exprimit Virgilianum istud, Georg. I, 285:

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam
Scilicet, atque Ossæ frondosum involvere Olympum.

Paullo aliter Ovidius, Amor. II, 1, 13 sq.:

Quum male se tellus ulta est, ingestaque Olympo
Ardua devexum Pelion Ossa tulit;

ex quo loco optime legeres *ingessit Olympum;* vide cl. Burmannum ad Ovid. Met. V, 346. Sed mihi magis placet *impressit*, tum quia vulgatæ lectioni propius est, tum etiam quia Statius alibi hac voce utitur eodem sensu, Theb. XI, 8, ubi post fulminatum Capanea, Jovi

Gratantur Superi, Phlegræ ceu fessus anhelet
Prælia, et Encelado fumantem impresserit Ætnam.

Seneca, Agamemn. v. 337:

.... stetit imposita
Pelion Ossa: pinifer ambos
Pressit Olympus.

Alio ordine idem, Herc. Œt. v. 1152:

> Jam Thessalicam Pelion Ossam
> Premet; et Pindo congestus Athos
> Nemus ætherеis inseret astris.

Quamquam ferri potest vulgata, si constructio sit, « bis pressit Olympum anhelantem jugis. » Bis, scil. Pelio et Ossa. — Hanc interpretationem ipse cod. Paris. innuit, qui ad vocem *bis*, superscriptum habet, « propter Pelion et Ossam. » Ed.

69. *Gentiles terras* non sunt *natale solum*, sed terras quæ proprie pertinent ad *gentem* nostram, id est *homines*, seu *humanum genus;* optime explicat Lucanus, VI, 400:

> Prima fretum scindens Pagasæo litore pinus
> Terrenum ignotas hominem projecit in undas.

Inde *hominem terrenum animal* vocat Columella, Præfat. lib. I, R. R.

80. *Tot gracili ligno complexa timores.* Heinsius ad Ovid. Pontic. I, 10, v. 39, post citatum hunc locum, « præstiterit fortasse, inquit, *fragili* quam *gracili*, quod nunc circumfertur: quum hæ duæ voces promiscue in vetustis codicibus confundantur: quamquam et scriptura vulgata satis commode se habet. » Huic conjecturæ favere videbitur forte Horatianum istud, carm. I, 1, 9:

> Illi robur et æs triplex
> Circa pectus erat, qui fragilem truci
> Commisit pelago ratem
> Primus.

Sed nihil mutandum. Recte enim Horatius *fragilem ratem* opponit *truci* et *navifrago pelago;* et æque recte Statius *tot timores* gracili *ligno*, tam *multos timores* tam *parvo navigio;* quam oppositionem Statio amatam perdideris, si admiseris *fragili*. *Gracili ligno* pro *parvo*, ut *gracilis lar* seu *parva domus* Apuleio, Apolog. *gracilis libellus* Martial. Epigram. VIII, XXIV, 1.

81. *Quæque super reliquos, te*, etc. *Timores* versu præcedenti sunt *amici pro quibus timemus;* hoc intellecto, jam scies Statium scripsisse, « Teque super reliquos, te, nostri pignus amoris, Portatura, Celer; » eleganti et affectuosa iteratione; ita Silv. I, 2, « te concinit iste (Pande fores) te, Stella, chorus; » IV, 2:

> Tene ego, regnator terrarum, orbisque subacti
> Magne parens, te, spes hominum, te, cura Deorum,
> Cerno jacens?

Virgil. Æn. VII, 596, et Eclog. IV, 11; Noster, Theb. IX, 160: « ipse manu Tyria tibi captus Adrastus Raptatur, teque ante alios, te voce manuque Invocat; » Virg. Æneid. X, 81,

> Tu potes Æneam manibus subducere Graium,

Proque viro nebulam et ventos obtendere inanes;
Tu potes in totidem classem convertere Nymphas.

Ita legendum; vulgo frigide, « Et potes in totidem. »

85. Pro *torva Charybdis* Heinsius ad Ovid. Amor. II, 16, v. 25, legit *torta*, ex eo, opinor, quod ita in edit. Parm. invenerat; et ita quidem recte dici potuisse nemo neget; rectius tamen hoc loco, ut mihi videtur, *torva Charybdis*: quippe *Charybdis* hic pro *Dea* seu *persona* accipienda est, ut *Scylla* versu proximo, « Siculi populatrix virgo profundi; » huic vero epitheton *torva* magis convenit quam *torta*. Per totam hanc sententiam affectat opposita Statius: Quis mihi nuncius erit an Lucanum mare, alias *rabidum*, prætermiserit te *facili* unda: an Deæ illæ Scylla et Charybdis, alias *torvæ*, tui gratia *fluctuent* tantum, hoc est moveant modo fluctus, flustris temperatæ sint: an mare Adriaticum, alias *præceps*, tibi currenti *ferat mores*, hoc est gratia tui navigantis componat se, legem patiatur, modeste et tranquille se gerat; hoc enim est *ferre mores;* Plinius eodem sensu *pati mores:* « quid ferri duritia pugnacius? sed cedit, et patitur mores. » *Accipere mores* Noster, Achilleid. II, 183:

Ut leo materno quum raptus ab ubere mores
Accepit, pectique jubas, hominemque vereri
Edidicit.

109. *Cur vada desidant, et ripa coerceat undas Cecropio Stagnata luto.* Intelligendus hic locus ex Plinio, Hist. Nat. X, 33, de hirundinibus loquente: « In Ægypti Heracleotico ostio, molem continuatione nidorum evaganti Nilo inexpugnabilem opponunt, stadii fere unius spatio: quod humano opere perfici non posset. In eadem Ægypto juxta oppidum Copton insula est sacra Isidi, quam ne laceret amnis eædem muniunt opere, incipientibus vernis diebus, palea et stramento rostrum ejus firmantes, continuatis per triduum noctibus; tanto labore, ut multas in opere emori constet. Ea militia illis cum anno redit semper. » Paria refert Plutarchus, libro de Fluviis. *Cecropio luto*, quia Procne quæ in *hirundinem* versa fuit, *Atheniensis* seu *Cecropia* erat. « Ergo *ripa stagnata coercet undas Cecropio luto*, est vel, quæ modo turbida et limosa aqua superfusa fuerat, jam coercet ripas hirundineo opere; vel, *stagnata ripa* est quam stagnando fecit, induxit, limo auxit Nilus. » Sic vir clarissimus, Diatr. cap. 28, quasi constructio esset, « ripa stagnata coerceat undas Cecropio luto; » a qua merito dissentit Salmas. Ep. 108; et ostendit *stagnatam ripam* sensu Gronoviano dici non posse. Constructio est: « ripa stagnata Cecropio luto coerceat undas, id est, firmata, munita Cecropio luto; » a Græca voce στυγανῶσαι fit Latina *stagnare*, idem quod *munire*. Justin. XXXVII, 2, 6, de Mithridate: « Quod metuens, antidota sæpius bibit, et ita se adversus insidias exquisitioribus remediis stagnavit, ut ne volens quidem senex veneno mori potuerit; » et XXXVI, 3, 7, de lacu Asphaltite: « nam neque ventis movetur, resi-

stente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur; neque navigationis patiens est; » id est, *densatur, firmatur solidatur.* Hæc fere Salmasius; quæ verissima sunt; et his addas licet locum Vegetii, Art. Veterin. lib. III, cap. 2: « Quod si toto anno adversus omnes ægritudines desperatas boves stagnare volueris, incipiente vere, id est, ab idibus Februarii, quindecim diebus continuis hanc potionem dabis; » ubi inter variantes lectiones in margine edit. Joan. Sambuci legitur *præservare;* quod glossatoris est; Vegetii *stagnare.* — Hæc autem alia Markl. in Addendis deinde subjicit: « *Cecropio stagnata luto.* De hac lectione jam dubito, postquam in Venet. comperi, *Cecropio signata luto;* quod omnino verum puto. Duobus vel tribus modis explicari potest vox *signata;* et omnibus eleganter. » Ed.

110. *Cur invida Memphis, Curve Therapnæi lasciviat ora Canopi.* Non satis explicatur quare Memphis *invida* dicitur. Domitii ratio adeo obscura est, ut vix intelligi queat, nedum ut memorari mereatur. Beroaldus existimat causam esse, quod Sacerdotes Ægyptii, tanquam livore et invidia agitati, nollent rerum cœlestium scientiam ac dogmata sua cum externis gentibus communicari. Hanc rationem non omnino rejiciendam putat Gevartius, Papin. Lect. III, 7. Existimat tamen Memphin hic *invidam* dici propter summum odium ac simultatem quam Ægyptii inter sese mutuo exercebant, ortam ob diversitatem Deorum quos quisque locus colebat; et huc trahit notissimam illam historiam Ombitarum ac Tentyritarum, quam narrat Juven. XV, 33 sqq. Non potest vera esse hæc ratio; quippe non *invidia* erat, sed *Immortale odium* inter hos populos, prout refert idem Juvenalis; et, quod præcipuum est, et a Gevartio non animadversum, *Memphis* hoc loco non pro *tota Ægypto* ponitur, sed pro *uno* tantum *oppido:* cur *Canopus lasciva*, cur *Memphis invida.* Jam vero quî fieri potest ut *Memphis invida* dicatur propter ridiculum prælium inter *Ombitas* et *Tentyritas?* Aliam igitur hujusce vocis (si sana sit) rationem exspecto: hæc enim nequaquam satisfacit. Quærite, studiosi, si quibus tanti videbitur.

112. *Cur servet Pharias Lethæus janitor aras. Lethæus janitor* est *Cerberus:* quo igitur sensu dicitur Cerberus *servare Pharias aras?* Gronovius, Diatr. cap. 29, post rejectas aliorum sententias, sic rem solvit: « Papinius hic παραλογίζεται· quia enim *Anubis* erat facie canina, canis autem Romanorum vulgo inter Deos nullus nisi *Cerberus*, *Lethæus* seu Orci *janitor*, ideo calumniatur Ægyptios *Cerberum* colere, et Deum illum latratorem (Anubin) *Cerberum* appellat. » Et mox: « Anubis aris colitur, Anubis facie canina: canum proprium *servare;* hinc Anubis *servat aras*, id est, aris, quibus colitur, ut canis observans impositus est, aras Pharias custodis ritu obsidet. » Hæc vir eruditissimus. Atqui si Cerberus inter *Deos* Romanorum vulgo coleretur (quod tamen ibi non probatur), quænam *calumnia*, qui παραλογισμὸς, si idem facientes Ægyptii inducuntur? Mitto quod *Cerberum* ponere pro *Anubide* duris-

simum videtur, et nullo παραλογισμῷ excusandum. Latet aliud quid, de quo quærant eruditiores.

119. *Anguiferamque domum, blando qua mersa veneno Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.* Loquitur de sepulcro et morte Cleopatræ, quæ morsu aspidum absumta fuit, secundum plures. *Aspidum* vero venenum torpore et *somno* conficiebat: unde *blandum*, utpote *somnum* inducens, non male dici potuit, nisi obstaret vox *mersa*. *Somno* quidem (qui *liquidus* et *irriguus* poetis passim dicitur) Cleopatra *mersa*, id est *obruta*, per metaphoram dici potuit: et *mersa veneno luxuriæ* vel *desidiæ*, etc. per eamdem metaphoram; sed non simpliciter *mersa veneno*, ubi de morte ejus agitur, nisi in dolium vel lacum vel tale aliquod veneni receptaculum conjecta fuisset: non enim *mersa* fuit, sed *absumta* et occisa *veneno*. Ita qui *gladio* seipsum interficit, non dici potest *mergi gladio*, sed *occidi*. Hinc intelliges Statium scripsisse, « blando qua mersa veterno Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas; » *veternus* vel *veternum* est *torpor, pigritia, somnus*. Virgil., Georg. I, 124, « Nec torpere gravi passus sua regna veterno; » ubi vide Servium. Plin. Hist. Nat. VIII, 36, de ursis loquens: « Primis diebus bis septenis tam gravi somno premuntur, ut ne vulneribus quidem excitari queant: tunc mirum in modum veterno pinguescunt. » Exempla ubique. Bene vero *blando veterno*: *blandus* veternus est *torpor iners et mors imitata quietem*, ut Noster, Epiced. Patr. v. 269, ubi mortem quietam *falsum somnum* vocat. Optime explicat Florus, IV, 11, de morte Cleopatræ: « in Mausoleum se (sepulcra regum sic vocant) recipit: ibi maximos, ut solebat, induta cultus, in differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium: admotisque ad venas serpentibus, sic morte quasi somno soluta. » Nimirum istud Ciceronis, de Senect. cap. 22, « nihil est morti tam simile quam somnus, » invertere potuit Cleopatra, « nihil est somno tam simile quam mors. » Corn. Nepos, Dion. cap. 2, « Quo ille commotus, ne agendi cum eo esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coegit: hoc æger sumto, somno sopitus, diem obiit supremum. » Talem *somnum* seu *veternum* inducebat morsus aspidis; unde *aspida somniferam* Lucan. IX, 704. Plinius, Hist. Nat. XXI, 31: « Nec illud præteribo, aspidum naturæ halicacabum in tantum adversari, ut radice ejus propius admota soporetur illa sopore enecans vis earum. » Propert. III, 9, v. 53, de Cleopatra:

> Brachia spectavi sacris admorsa colubris;
> Et trahere occultum membra soporis iter.

Recte etiam *mersa veterno* seu *somno;* ut apud Valer. Flaccum, VIII, 65: « an lumina somno Mergimus; » quæ vera ibi scriptura est; non Heinsii *Vergitur*. Eleganter *somno mergimus*, quia *somnus* poetis *liquidus* appellatur, ut supra notavi; unde intelligitur illud Lucret. lib. III, de anima loquentis: « Adde quod in pigras Lethargi mergitur undas; » ita legendum puto pro *nigras*.

126. *Eoas jaculo* damnare *sagittas*, id est, *superare;* per consequentiam: qui enim *superatur* seu *vincitur, damno* afficitur. Alibi hac voce eodem significatu utitur Noster.

129. *Vastos Cernemus fluctus.* Ineptissimum huic loco epitheton: quippe *vasti fluctus* tempestatem efficiunt: et si non effecerint tempestatem, tamen tam contra Metium in Italiam navigantem, quam pro illo esse possunt. Dixisse debuit, Cernemus fluctus *in Italiam qui bene vela ferant*, ut Propert. IV, 3. Nimirum quum in Syriam navigaturus esset Metius, oravit Nereïdas Statius, ut *inclinarent fluctus ad Ortus*, v. 33: jam in Italiam redeunti optat *alios fluctus* et *alias auras*, diversas a prioribus. Scripsit Statius,

> Hoc nos, hoc iterum stantes in litore, versos
> Cernemus fluctus, aliasque rogabimus auras?

nihil certius; et hoc quoque in contextum ex ima pagina admittas velim, lector. Ita *verso velo* Ovidius, Heroid. X, v. 149: « Flecte ratem, Theseu, versoque relabere velo; » ita optime Burmannus pro *vento:* nisi dicas *verso vento* esse, *quando ventus vertit.* Adumbrata sunt hæc Statii ex Ovid. Amor. II, 11, in Propemptico Corinnæ, v. 37:

> Vade memor nostri, vento reditura secundo;
> Impleat illa tuos fortior aura sinus!
> Tum mare in hæc magnus proclinet litora Nereus:
> Tunc venti spirent; huc agat æstus aquas!

Deinde, v. 43:

> Primus ego aspiciam notam de litore pinum,
> Et dicam: Nostros advehit illa Deos:
> Excipiamque humeris, et multa sine ordine carpam
> Oscula: pro reditu victima vacca cadet;

ita legendum: vulgo, *victima vota:* pro quo Francofurt. habet *vaca:* proxime verum. Horat. Epist. I, 3, 36: « Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca; » sed hoc obiter. Confer totam Ovidii Elegiam cum hoc Propemptico.

139. *Quo pretiosa Tyros rubeat, quo purpura fuco Sidoniis iterata cadis.* Ita legendum esse dudum videram; non *Qua* et *succo;* et ita Gronovius, Diatr. cap. 34; ubi tamen citat *succo;* postea vero edidit *fuco;* ita etiam Heinsius ad Claudian. in Rufin. I, 207: « rapiunt Tyrios ibi vellera fucos; » ubi pariter ac hic erat *succos.* Vide illic multa exempla ejusdem mutationis. Tibullus, IV, 2, 15:

> Sola puellarum digna est, cui mollia caris
> Vellera det fucis bis madefacta Tyros:

ita recte edidit Broukhusius pro *succis.* Plinius, Hist. Nat. XXXIII, 5: « natura est quæ lino lanæve ad succum bibendum; » ubi pro *succum* Cod. Vossian. habuit *sucum:* unde recte Gronovius *fucum.* Pruden-

tius, Hamartig. vs. 114, « anguino medicans nova semina fuco; » sic Heinsius ex MS. Thuaneo, pro *succo*. Seneca, Hippol. v. 1045: « Longum rubenti spargitur fuco latus; » ita recte Lipsius, et Gronovius ex cod. Medicæo: vulgo et ibi *succo*. Multo plura ejusdem diversitatis exempla proferre possem; sed hæc satis docent vices vocum *succus* et *fucus* in MSS.

140. *Tyrii cadi* sunt quos Epithal. Stell. vocat *Tyrium ahenum;* et ita passim poetæ. Sidonia vero et Tyria purpura dibapha omnibus nota. Petronius, Satirico: « Vestimenta mea accubitoria perdidit, quæ mihi natali meo cliens quidam donaverat, Tyria sane dibapha, sed jam semel lota; » ita legendum puto; vulgo inepte, « Tyria sine dubio, sed jam, etc. » Tyriam et Sidoniam purpuram dibapham similiter conjungit Alcimus Avitus, de Laud. Virginitat. v. 38:

> Nec te Sidonium bis cocti muricis ostrum
> Induit, aut rutilo perlucens purpura fuco:

ubi pro *aut rutilo* legendum *aut tirio*, id est *Tyrio;* si enim retineas *rutilo*, bis idem dixeris: quippe *Sidonium ostrum bis cocti muricis* quid aliud est, nisi *purpura perlucens rutilo fuco?* omnino verum est *Tyrio* fuco. Sequitur in Statio, « ubi germine primum Candida felices sudent opobalsama virgæ; » legendum *quo germine;* per se patet: et in altero nullus sensus. Plin. H. N. XII, 25 seu 54, de balsami arbore: « Succus e plaga manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximiæ, sed tenui guttæ ploratu: lanis parva colligitur in cornua; ex iis novo fictili conditur, crassiori similis oleo, et in musto candida. » Vides quare *candida opobalsama;* et hinc redarguitur Heinsius, qui, referente Burmann. ad Ovid. Fast. I, 186, pro *Candida* malebat *Condita* opobalsama; quod sane Heinsio indignum est. In hac voce pariter erravit vir præstantissimus, supra, Herc. Surrent. v. 71, ubi pro *candida lux* voluit *condita. Quo germine* est *quali germine:* Tu, inquit Statius, narrabis mihi *qualis* sit arbor balsami, ex qua fluunt *opobalsama.* Quare vero hoc narraret Statio Metius? quia dissensus erat inter scriptores de hac arbore. Disco hoc ex eodem Plinii loco: « Servit nunc hæc (arbor), et tributa pendit cum sua gente: in totum alia natura quam nostri externique prodiderant; quippe viti similior est quam myrto. » Vides quam nihil otiosum sit in Statio.

CARMEN III.

LACRIMÆ CLAUDII ETRUSCI. *

Summa Deum Pietas, cujus gratissima cælo
Rara profanatas inspectant numina terras,
Huc vittata comam niveoque insignis amictu,
Qualis adhuc præsens nullaque expulsa nocentum
Fraude, rudes populos atque aurea regna colebas,

VARIÆ LECTIONES.

* Vulgo, *Lacrimæ Etrusci*. Notat Gronovius in MSS. Rhod. et Saltzburg. titulum hujus carminis concipi, « Consolatio ad Claudium Etruscum; » et ita sane inveni in editione principe (sive temporis sive bonitatis ordinem spectes) Parmensi: et verum puto, propter ea præfat. « Merebatur et Claudii Etrusci mei pietas aliquod ex studiis nostris solatium; quum lugeret veris (quod amarissimum est) lacrimis senem patrem. » Scio alteram epigraphen ex hoc loco æque defendi posse; sed mihi non spernendus videtur librorum consensus. Utcunque sit, certe vox *Claudii* addenda est titulo carminis; et ita edidi, « Lacrimæ Claudii Etrusci. » — Cod. Paris. edit. pr. *Lachrymæ Etrusci*, omissa voce *Claudii*. A.

3. *Huc vittata comam*. Parmens. Nunc *vittata* comas; Romana: Nunc *vittata* coma; verum est *Huc*, ut Herc. Surrent.: « Huc ades, et genium templis nascentibus infer. » Parum interest utrum *comas* vel *comam* legas, quum utroque modo Noster efferre soleat. Infra, v. 14, « fessique senectus Longa patris; » eleganter et proprie: senectutem enim *fessam ætatem* vocabant. Tacitus, Hist. I, 12: « Non sane crebrior tota civitate sermo per illos menses fuerat; primum licentia ac libidine talia loquendi; dein fessa jam ætate Galbæ; » ubi si quid mutandum, potius esset, « fesso jam ætate Galba; » ut apud Senecam, Herc. Fur. v. 1308: « hanc animam levem Fessamque senio; » Ovidius, Met. IX, v. 439: « Quum videant fessos Rhadamanthon et Æacon annis. » Et ita passim Ovidius et alii. — Cod. Paris. edit. pr. *Nunc vittata comas*. Cruc. et Gron. vulgatam exhibent. A.

Mitibus exsequiis ades; et lugentis Etrusci
Cerne pios fletus, laudataque lumina terge.
Nam quis inexpleto rumpentem pectora questu,
Complexumque rogos, incumbentemque favillis
Aspiciens, non aut primævæ funera plangi
Conjugis, aut nati modo pubescentia credat
Ora rapi flammis? Pater est, qui fletur: adeste,
Dique hominesque, sacris: procul hinc, procul ite, nocentes;
Si cui corde nefas tacitum, fessique senectus
Longa patris; si quis pulsatæ conscius umbram
Matris, et inferna rigidum timet Æacon urna:
Insontes, castosque voco. Tenet ecce seniles
Leniter adplicitos vultus, sanctamque parentis
Canitiem spargit lacrimis, animæque supremum
Frigus amat: celeres genitoris filius annos,
(Mira fides) nigrasque putat properasse sorores.
Exsultent placidi Lethæa ad flumina manes;
Elysiæ gaudete domus; date serta per aras,
Festaque pallentes hilarent altaria lucos.
Felix, heu! nimium felix, plorataque nato
Umbra venit. Longe Furiarum sibila, longe
Tergeminus custos: penitus via longa patescat
Manibus egregiis: eat, horrendumque silentis
Accedat domini solium, gratesque supremas
Perferat, et totidem juveni roget anxius annos.

15. *Umbram.* Vulgo, *unquam.* Cod. Paris. ed. pr. *unquam.* Vide not. A.

16. *Rigidum.* Parmensis, *regidum*; Romana, *regimen.* — Cod. Paris. ed. pr. *rigidum.* A.

18. *Adplicitos vultus.* Vulgo, *implicitos.* Cod. Par. ed. pr. *implicitos.* Vide not. ad vers. 17. A.

21. Pro *putat*, Venet. *ferat.* — Cod. Paris. edit. princ. *putat.* A.

23. *Aras.* Cod. Paris. *auras*; ex emendatione, *aras.* A.

25. *Felix, heu! nimium felix.* Gronov. « felix, et nimium felix. » Cod. Paris. *heu*, superscript. *et*; ed. pr. et Cruc. *heu.* Vide not. A.

30. Pro *Perferat*, Parm. et Rom. *Præferat.* — Cod. Paris. edit. pr. *Præferat.* A.

Macte pio gemitu! dabimus solatia dignis
Luctibus, Aoniasque tuo sacrabimus ultro
Inferias, Etrusce, seni. Tu largus Eoa
Germina, tu messes Cilicumque Arabumque superbis
Merge rogis: ferat ignis opes hæredis, et alto
Aggere missuri nitido pia nubila cælo
Stipentur cineres: nos non arsura feremus
Munera; venturosque tuus durabit in annos,
Me monstrante, dolor: neque enim mihi flere parentem
Ignotum, et similes gemui projectus ad ignes.

31. Pro *dignis luctibus* mallem *magnis*, ut Silv. V, 3: « Da vocem magno, pater, ingeniumque dolori; » sæpe commutantur hæ voces; vide Heins. ad Ovid. Fast. III, 9. Sed forte nihil mutandum.

32. Pro *æternas*que, recte Gronovius ex libris *Aonias*que; et *tuo sacrabimus ultro seni*, pro *ultro sacrabimus umbris senis*, ex codicibus idem: recte. In Parm. est, « æternasque ultro sacrabimus umbras Inferias, Hetrusce, seni; » et ita Romana. *Aoniæ inferiæ* sunt *carmina exsequialia, Epicedia. Aonides* sorores, *Musæ;* ab *Aonia seu Bœotia.* — Ed. princ. « Luctibus æternasque ultro sacrabimus umbras Inf. Etr. s. » Sic. et cod. Par. qui ad marg. vulgatam restituit. A.

34. *Superbis.* Cod. Paris. ed. pr. Cruc. *superbas.* Gron. *superbis.* A.

35. *Merge rogis.* Heins. ad Ovid. Pontic. I, 9, v. 52, legit *Verge rogis;* et ita ego dudum conjeceram; sed monere insuper habui, propter locum Theb. VI, 225: « seu frena libet, seu cingula flammis Mergere. » Et Epiced. Puer. vers. 19, « Immersit cineri juvenem. » Nihil igitur muto. — *Ferat.* Sic Par. cod. qui inter lin. exhibet, *voret.* A.

40. *Similis gemui projectus ad ignem.* Ex aure et Statianis numeris et scribendi more certus sum eum hoc loco dedisse, « neque enim mihi flere parentem Ignotum; et similes gemui projectus ad ignes; » ita in Glaucia Melioris, vers. 33: « quum proprios gemerem defectus ad ignes Quem, Natura, patrem! » Theb. III, 193, de Niobe: « Tantalis, innumeris quum circumfusa ruinis Corpora quot raperet terra tot quæreret ignes; » ita legendum; vulgo, *tot raperet;* XII, 378: « proles ego regis Adrasti (Hei mihi! num quis adest!) cari Polynicis ad ignes, Etsi regna vetant; » eodem libro, vs. 779: « Jamne dare exstinctis justos, ait, hostibus ignes. » Potes etiam legere *similem ignem;* hac enim voce, hoc sensu, in singulari numero interdum utitur; sed melius alterum; et eo ducit vox *similis*, id est, *similes.* Hinc patet carmen hoc scriptum fuisse post mortem Statii patris; et consequenter post carmen 3 lib. V Silvarum; siquidem tres tantum menses intercesserunt inter mortem patris et scriptionem istius Epicedii. Pro

Ille mihi tua damna dies compescere cantu
Suadet; et ipse tuli, quos nunc tibi confero, questus.
Non tibi clara quidem, senior placidissime, gentis
Linea, nec proavis demissum stemma; sed ingens
Supplevit fortuna genus, culpamque parentum
Occuluit: neque enim dominos de plebe tulisti;
Sed quibus occasus pariter famulantur et ortus.
Nec pudor iste tibi: quid enim terrisque poloque
Parendi sine lege manet? vice cuncta reguntur,
Alternisque regunt: propriis sub regibus omnis
Terra: premit felix regum diademata Roma;
Hanc ducibus frenare datum: mox crescit in illos
Imperium Superis; sed habent et numina legem:
Servit et astrorum velox chorus, et vaga servit
Luna, nec injussi toties redit orbita solis.
Et (modo si fas est æquare jacentia summis)
Pertulit et sævi Tirynthius horrida regis
Pacta, nec erubuit famulantis fistula Phœbi.
Sed neque barbaricis Latio transmissus ab oris:
Smyrna tibi gentile solum, potusque verendo
Fonte Meles, Hermique vadum; quo Lydius intrat
Bacchus, et aurato reficit sua cornua limo.
Læta dehinc series, variisque ex ordine curis

gemui, Parm. *geminum*; Rom. *geminumque*. — Cod. Paris. « similis geminumque (ad marg. *gemui*) projectus ad ignem. » Ed. pr. « similis geminum projectus ad ignem. » Cruc. et Gronov. « similis gemui projectus ad ignem. » A.

44. Pro *stemma*, Parm. *stegma*.

49. *Vice cuncta*, etc. Gronov. « vice cuncta reguntur, Alternisque premunt. » Cod. Paris. ed. pr. et Cruc. « vice cuncta geruntur Alternisque premunt. » Vid. not. A.

51. Vulgatam ed. pr. tuetur, ut et cod. Par. qui ex emendatione alterum hoc adjicit: « omnis Terra patet. Felix regum diademate Roma. »

55. *Injussi solis*. Vulgo, *injussæ lucis*; quod retinent Paris. cod. et ed. pr. Vide not. A. — Pro *injussæ*, Parm. *invissæ*.

57. Forte legendum: *Pertulit Eurysthei*, etc. et mox *Jussa* pro *Pacta*. Vide not. ad vers. 56.

61. *Hermi*. Parm. *heremi*.

63. *Variisque*. Cod. Paris. et

Auctus honos; semperque gradus prope numina, semper
Cæsareum coluisse latus, sacrisque Deorum
Arcanis hærere datum. Tibereïa primum
Aula tibi, vixdum ora nova mutante juventa,
Panditur: hic, annis multa super indole victis,
Libertas oblata venit: nec proximus hæres
Immitis quanquam et furiis agitatus, abegit.
Hunc et in Arctoas tenuis comes usque pruinas
Terribilem affatu passus visuque tyrannum
Immanemque suis, ut qui metuenda ferarum
Corda domant, mersasque jubent jam sanguine tacto
Reddere ab ore manus, et nulla vivere præda.
Præcipuos sed enim merito subvexit in actus
Nondum stelligerum senior dimissus in axem

edit. princ. *variis*, omisso *que*. A.

64. Pro *gradus*, Parm. et Rom. *gradu*. — *Gradu* etiam in cod. Par. et ed. pr. A.

67. *Ora*. Cod. Paris. ridicule, *hora*. A.

68. *Multa*. Forte legendum, *magna*. Vide not.

71. Pro *Hunc*, Parm. et Rom. *Hinc*. — *Hinc* etiam in cod. Par. et ed. pr. A.

72. Pro *affatu*, Rom. *effatu*. — Cod. Paris. edit. pr. *affatu*. A.

76. *Subrexit in actus*. Heinsius ad Claudian. Epithal. Pall. et Celer. v. 83, legit *subvexit*. Recte: idem ac *evehere*. Eutropius, lib. VII, de Augusto loquens: « in cunctos liberalissimus, in amicos fidelissimus; quos tantis evexit opibus, ut pæne æquaret fastigio suo. » Juvenalis, sat. I: « in cælum quos evehit optima summi Nunc via processus. » Exempla ubique. Nec me movet Gronovius, Diatr. cap. 38, ubi hanc vocem defendit ex eo quod Lucilius, Virgilius, Livius, Seneca, Plinius sæpe, aliique usi fuerint. Verum quidem est eos hanc vocem usurpasse, sed numquam eo sensu quem postulat hic locus, pro *evehere*. *Subrigi mons* vel *insula* dicitur quum e plano *exstat*, *eminet*, *surgit*. *Homines* vero *subrigi in honores* vel *actus* dici posse, non credam, antequam exempla invenero. Parm. tamen et Rom. retinent *surrexit*; et pro *actus*, Rom. *arcus*. — Ed. pr. *surrexit in arcus*: idem apud cod. Paris. cum notula, *in triumphos*. A.

77. *Demissus in axem*. Recte Gronovius *dimissus*; nec te moveat notissimus ille Juvenal. locus, sat. VI, 621, ubi Claudius dicitur *descendere* in cælum; Juvenal. enim ibi ridet et satirice agit; Noster hic serius est, et narrat tantum; ut bene observat idem vir clarissimus. Quid igitur passus est, quando postea,

Claudius, et longo transmisit habere Neroni.
Quis Superos metuens pariter tot templa, tot aras
Promeruisse datur? summi Jovis aliger Arcas
Nuntius : imbrifera potitur Thaumantide Juno :
Stat celer obsequio jussa ad Neptunia Triton :
Tu toties mutata ducum juga rite tulisti
Integer, inque omni felix tua cymba profundo.
Jamque piam lux alta domum, præcelsaque toto
Intravit Fortuna gradu. Jam creditur uni
Sanctarum digestus opum, sparsæque per omnes
Divitiæ populos, magnique impendia mundi ;
Quicquid ab auriferis ejectat Iberia fossis,
Dalmatico quod monte nitet, quod messibus Afris
Verritur, æstiferi quicquid terit area Nili,
Quodque legit mersus pelagi scrutator Eoi,
Et Lacedæmonii pecuaria culta Galesi,
Perspicuæque nives, Massylaque robora, et Indi
Dentis honos : uni parent commissa ministro,
Quæ Boreas, quæque Eurus atrox, quæ nubilus Auster
Invehit. Hibernos citius numeraveris imbres,
Silvarumque comas. Vigil iste animique sagacis

Reliq. ad Silv. suspicaretur Statium scripsisse *senior emissus?* Verissimum est *dimissus;* Juven. VI, 469; Lucan. I, 443; ubi eadem diversitas scripturæ. Noster, Surr. Poll. v. 142; ubi ita restitui *dimitte* pro *demitte;* iterum, Pietat. Abasc. v. 86; Valer. Flacc. VII, 447 : « alias dimittet ad urbes ; » ita legendum ; non *aliasque immittet.* Senec. Cons. ad Helv. cap. 6 : « cogitationes suas in omnia nota atque ignota dimittit. » Idem, de Benef. V, 16 : « interfectores ejus in provincias et imperia dimisit. » Sed satis hæc. — Cod. Paris. edit. princ. et Cruc. *demissus.* A.

78. *Transmisit.... Neroni.* Cod. Paris. ed. pr. Cruc. Gronov. *transmittit.... nepoti.* Vid. not. A.

87. *Sparsæque.* Vulgo *partæque;* Ven. *parce,* unde confirmatur conjectura mea *sparsæ.* — Cod. Paris. *pa.æque;* ed. pr. *parcæque.* Vide not. A.

95. *Uni.* Cod. Paris. ed. princ. *unique.* A.

96. *Nubilus.* Cod. Paris. et ed. pr. *nubibus.* A.

98. *Vigil iste.* Cod. Paris. edit. pr. Cruc. Gronov. *vigilis te.* Seq. vers. pro *Exitus,* ed. pr. *Excitus.* Vide not. A.

Exitus evolvit, quantum Romana sub omni
Pila die, quantumque Tribus: quid templa: quid alti
Undarum cursus, quid propugnacula poscant
Æquoris, aut longe series porrecta viarum:
Quod domini celsis niteat laquearibus aurum,
Quæ Divum in vultus igni formanda liquescat
Massa; quid Ausoniæ scriptum crepet igne monetæ.
Hinc tibi rara quies, animoque exclusa voluptas,
Exiguæque dapes, et nunquam læsa profundo
Cura mero; sed jura tamen genialia cordi,
Et mentem vincire toris, et jungere festa
Connubia, et fidos domino genuisse clientes.
Quis sublime decus formamque insignis Etruscæ

103. Pro *Quod domini celsis niteat laquearibus aurum*, Parmensis habet, « Quodque bonum celsis niet, etc. » Romana, *Quod domuum;* et ita Aldina 1502, Grasseri, Crucei, et aliæ. Verum est *domini*, sc. Domitiani, qui passim *Dominus* vocatur. Ductus calami in *domini* et *domuum* fere iidem sunt. — Cod. Paris. *domini;* qui ex emendatione scribit *domuum*. Ed. pr. vulgatam retinet, *domini*. A.

107. *Læsa*. Sic Par. cod. qui inter lin., sed a manu glossatoris non correctoris, *mersa*. Vide not. A.

109. *Vincire*. Lege *mulcere* et conf. not.

111. *Quis sublime genus formamque*, etc. Hic *formam* Etruscæ prædicaturus est Statius; sed quid ad hanc facit *genus?* præsertim quum de *genere* sigillatim dicturus est mox, v. 115. In sedem igitur non suam irrepsit hæc vox. Conjicio, « Quis sublime decus formamque, etc. » Sil. Ital. XIII, 436, « In decus egregium vultus intenta juventæ; » *sublimem formam* vocat Auctor Elegiar. sub nomine Maximiani. Claudian. de Nupt. Honor. et Mar. v. 40: « sublime decus torrentis Iberi. » Verum, inquies, statim sequitur « Sed decus eximium formæ; » ita quidem est; hæreo igitur; interim pro certo habe vocem *genus* in mendo esse: si enim nemo nesciit *sublime genus* Etruscæ, quam inepta erat ταυτολογία statim subnectere « Nec vulgare genus? » placeat igitur, sublime *decus;* et verum est; Theb. VI, 563: « Quis Mænaliæ Atalantes Nesciat egregium decus? » *decus* hoc sensu Statio familiare; Silv. III, 1: « Quod si dulce decus viridesque resumeret annos. » Et ita passim. Pro *formamque*, potes etiam *famamque;* et hoc verius puto, propter sequens *formæ*. Vide ad Valer. Flacc. II, 148; ubi eadem diversitas. — Cod. Paris. edit. princ. Gronov. Cruc. *genus*. A.

Nesciat? haud quamquam proprio mihi cognita visu,
Sed decus eximium formæ par reddit imago
Vultibus, et similis natorum gratia monstrat.
Nec vulgare genus : fasces, summamque curulem
Frater, et Ausonios enses, mandataque fidus
Signa tulit, quum prima truces amentia Dacos
Impulit, et magno gens est damnata triumpho.
Sic quicquid patrio cessatum est sanguine, mater
Reddidit; obscurumque latus clarescere vidit
Connubio gavisa domus. Nec pignora longe :
Quippe bis ad partus venit Lucina, manuque
Ipsa levi gravidos tetigit fecunda labores.
Felix ah! si longa dies, si cernere vultus
Natorum viridesque genas tibi justa dedissent
Stamina! sed media cecidere abrupta juventa
Gaudia, florentesque manu scidit Atropos annos;
Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubentesve rosæ primos moriuntur ad Austros,

112. *Haud quamquam*. Sic, pro *haud quaquam*, Gronovius; Parmensis, *haud quaquam*; Rom. *haud nunquam*; Venet. *aut unquam*, id est, *haud unquam* : recte. Τὸ *unquam* παρίλκει, ut sæpe. — Cod. Par. a prima manu (quantum perspicere licet) *aut unquam* : ex emendatione, *haud quamquam*, cum explicatione : « licet tuam uxorem non viderim. » Ed. pr. *aut unquam*; Cruc. *haudquaquam*. A.

113. Pro *decus eximium formæ*, Venet. *decus exiguum famæ*. Rom. *deus* pro *decus*. — Cod. Paris. ed. pr. vulgatam retinent. A.

119. Pro *cessatum est sanguine*, Venet. *cessatum a sanguine*; non male : mater explevit quicquid deerat a parte patris. Alterum defenditur loco Virgilii, Æn. XI, 288 : « Quicquid apud duræ cessatum est mœnia Trojæ. » — Cod. Paris. ed. pr. *cessatum est*, et paulo ante, *Si* pro *Sic*. A.

121. *Longe*. Sic Paris. cod. et ex emendatione, *longa*. A.

122. Pro *manuque*, Rom. *manusque*. — Cod. Paris. edit. princ. *manuque*. A.

124. *Felix ah!* Cod. Paris. *Felix o*, superscript. *a*; ed. pr. et Cruc. *Felix o*. A.

125. *Viridesque*. Cod. Par. edit. pr. Cruc. *viridisque*. A.

129. Pro *Pubentesque*, Romana *Rubentesque*; verum erat *Pubentesve*, non *que*. Et hic imitatur Vir-

Aut ubi verna novis exspirat purpura pratis.
Illa sagittiferi circumvolitastis, Amores,
Funera, maternoque rogos unxistis amomo:
Nec modus aut pennis laceris aut crinibus ignem
Spargere, collatæque pyram struxere pharetræ.
Quas tunc inferias, aut quæ lamenta dedisses
Maternis, Etrusce, rogis, qui funera patris
Haud matura putas, atque hos pius ingemis annos?
Illum et, qui nutu superas nunc temperat arces
Progeniem claram terris partitus et astris,

gil. Æn. XII, 68: « aut mixta rubent ubi lilia multa Alba rosa. » — Cod. Paris. *Rubentesque*, et ad marg. *pubentes*. Ed. pr. *Rubentesq.* Cruc. Gronov. *pubentesque*. A.

132. Pro *maternoque*, quod probum est, Parmens. et Rom. minus bene *maternosque*. — Cod. Paris. *maternosque;* ex emendatione, *maternoque*. Ed. pr. *maternosque*. A.

134. *Collectæque pyram struxere pharetræ*. Olim emendaveram *collatæque;* jam video Gronovium occupasse, Diatr. cap. 32. *Conferre* verbum funebre: Lucanus, VIII, 755, de Codro combusturo truncum Pompeii: « collata rogo laceræ fragmenta carinæ Exigua trepidus posuit scrobe; » ita legendum puto; vulgo *collecta procul laceræ*, etc. collata *rogo*, i. e. *in rogum;* locum imitatur Manilii, IV, 55, de eodem Pompeio: « Ejectæque rogum facerent fragmenta carinæ; » utrumque simul exhibet Seneca, Hipp. v. 1111: « Passim ad supremos ille colligitur rogos Et funeri confertur. » Idem, Consol. ad Helv. c. 12: « Menenius Agrippa.... ære collato funeratus est. » Aurelius Victor, de eodem: « Menenius autem tanta paupertate decessit, ut eum populus collatis quadrantibus sepeliret. » Similiter depravatus idem hac voce in M. Valer. Poplic.: « ... adeo pauper exstitit, ut collatis a populo nummis publice sepultus sit; » vulgo *collectis*. Causa omnium horum errorum, quod literæ *a* et *ec* iisdem calami ductibus constant. Lucan. IX, 62: « sine funeris ullo Ardet honore rogus: manus hoc Ægyptia forsan Contulit officium grave Manibus; » ita legendum pro *Obtulit officium*. Plin. Hist. Nat. XXXIII, 10: « Nam quod Agrippæ Menenio sextantes æris in funus contulit, etc. » Senec. Herc. Œt. v. 1640. « se confert rogo Populea silva, frontis Herculeæ decus. » De quo loco supra dixi. *Ferre* eodem sensu Pedo Albinovanus, de Mort. Drusi, v. 188; et Noster supra, v. 37; et Val. Flacc. V, 31; et alii. — Cod. Paris. ed. pr. Cruc. *collectæque*. A.

137. *Pius*. Edit. pr. *prius;* idem apud cod. Paris. qui ex emendatione, *pius*. A.

138. *Illum*. Cod. Paris. *Ille;* ad marg. *Illum*. Edit. pr. *Ille*. A.

Lætus Idumæi donavit honore triumphi:
Dignatusque loco victricis et ordine pompæ
Non vetuit, tenuesque nihil minuere parentes.
Atque idem in cuneos populum quum duxit equestres,
Mutavitque genus, lævæque ignobile ferrum
Exuit, et celse natorum æquavit honori.

Dextra bis octonis fluxerunt sæcula lustris,
Atque ævi sine nube tenor. Quam dives in usus
Natorum, totoque volens excedere censu,
Testis adhuc largi nitor inde assuetus Etrusci,

143. *Atque idem*, etc. Mira pertinacia vetustæ Vss. Parm. et Domitii Codd. habent *deduxit* pro *quum duxit*, quod Domitii est. Latet aliquid. Forte, *Utque idem.... deduxit*, idem quod *Quumque idem deduxit*; nisi sic potius legendum. Potest etiam servari vetustarum lectio, et per *populum* intelligi Etruscus; *deduxit populum*, pro Etruscum qui ante erat *e populo*; ut apud Horatium, *Plebs eris*, pro *e plebe*; et multa hujusmodi sunt exempla. Sed nihil affirmo. *Populos* etiam omnes editt. præter Parmens. quæ habet *populus*: verum est *populum*; et ita edidit Gronovius, qui tamen nullam diversæ scripturæ mentionem facit. Alia res esset si scripsisset *populos*: hoc enim *gentes*, *nationes*, denotasset; quod fieri non potest. — Cod. Par. *populos cum duxit*, et ad marg. *deduxit*; ed. princ. et Cruc. *populos quum duxit*. A.

145. *Celso natorum æquavit honore*. Recte Salmasius *celse natorum*, id est *Equitum*, quibus epitheton *celsus* est proprium et perpetuum. Vide quæ notavi ad Silv. II, 7, v. 46; et Heinsium, not. in Eleg. in Mort. Drusi, v. 111, et 379. Ita *clare natus* apud Eutropium, lib. VII, de Vitellio Imp., « Nam pater ejus non admodum clare natus, etc. » Cujus contrarium *obscure natus*, paulo infra de Vespasiano: et *obscurissime natum*, lib. IX, de Diocletiano; et *vilissime natus*, de Caravsio. Senec. Epist. 47; « Mariana clade quam multos splendidissime natos, etc. » Ita *sordide* et *abjecte nati* apud Auctorem Dialogi de Oratoribus. Plinius, Epist. VI, 33: « Nam femina splendide nata, nupta Prætorio viro, etc. » *Feliciter natus*, Seneca, de Benef. III, 22; ubi opponit *servum* et *felicius natum*. Recte etiam *honori*, non *honore* legit idem Salmasius, ibidem, not. ad Hist. Aug. Script. p. 751, vol. I. *Æquavit honori celse natorum*, est, ex *Libertino Equitem* fecit; pro ferreis annulis quales libertini generis homines gerebant, aureos dedit, qui Equitum proprii. Huic emendationi frustra oblatrat Cruceus; est enim certissima. Pro *Exuit* Parm. *Exivit*. — Cod. Paris. *celso.... honori* (si bene scripturam video); initio vers. *Exuit*. Edit. pr. *Exivit et celso... honore*. A.

Cui tua non humiles dedit indulgentia mores.
Hunc siquidem amplexu semper revocante tenebas
Blandus, et imperio nunquam pater : hujus honori
Pronior ipse etiam gaudebat cedere frater.
Quas tibi devoti juvenes pro patre renato,
Summe ducum, grates, aut quæ pia vota rependant?
Tu (seu tarda situ, rebusque exhausta senectus
Erravit; seu blanda diu Fortuna regressum
Maluit) attonitum et venturi fulminis ictus
Horrentem, tonitru tantum lenique procella
Contentus monuisse senem: quumque horrida supra
Æquora, curarum socius procul Itala rura
Linqueret, hic molles Campani litoris oras,
Et Diomedeas concedere jussus in arces,
Atque hospes, non exsul erat. Nec plura moratus
Romuleum reseras iterum, Germanice, limen,
Mœrentemque foves, inclinatosque penates
Erigis. Haud mirum, ductor placidissime; quando
Hæc est quæ victis parcentia fœdera Cattis,
Quæque suum Dacis donat clementia montem:
Quæ modo Marcomanos post horrida bella, vagosque
Sauromatas Latio non est dignata triumpho.
Jamque in fine dies, et inexorabile pensum
Deficit. Hic mœsti pietas me poscit Etrusci
Qualia nec Siculæ moderantur carmina rupes,
Nec fati jam certus olor, sævique marita
Tereos. Heu quantis lassantem brachia vidi

150. Pro *Cui*, quod probum est, multæ editt. habent *Cum;* Parm. *Cui.* — Cod. Paris. a manu prima, *Cui*, a secunda, *Cum;* ed. pr. *Cui.* Mox hæc et ille, *humilis* pro *humiles.* A.

151. Pro *Hunc*, Parm. *Nunc.* — Cod. Paris. ed. princ. *Hunc.* Vide not. A.

164. *Erat.* Sic edit. pr. et cod. Paris. qui a secunda manu scribit, *eras.* Mox idem cod. *nec plura moratur*, et ad marg. *longa moratus.* Ed. pr. *moratur.* A.

Planctibus, et prono fusum super oscula vultu!
Vix famuli, comitesque tenent, vix arduus ignis
Submovet. Haud aliter gemuit perjuria Theseus
Litore quo falsis deceperat Ægea velis.
Tunc immane gemens, fœdatusque ora, tepentes
Affatur cineres : « Cur nos, fidissime, linquis
Fortuna redeunte, pater? modo numina magni
Præsidis, atque breves Superum pacavimus iras,
Nec frueris; tantique orbatus muneris usu
Ad manes, ingrate, fugis. Nec flectere Parcas,

179. Vulgo: « haud aliter *gemuit* perjuria Theseus Litore, *qui* falsis deceperat Ægea velis. Tunc immane *gemens*, etc. » Primo legendum « Litore *quo* falsis, » non *qui*. Deinde displicet *gemuit* et *gemens*. Lego: « Tunc immane fremens. » Thebaid. XII, 684: « Grande fremens; » VII, 584: « immane frementes; » Claudianus, de Cons. Mallii, v. 237: « immane fremant; » Sil. Italicus, XI, 146: « victorque immane sub ira Infremuit leo; » Virgilius, XII, 535: « animisque immane frementi. » Sæpe vero hæ voces confunduntur; ita apud Juvenal. VI, 260, pro *fremitu* sensus postulat *gemitu*; vide cl. Drakenborchium, ad Sil. Italic. I, 425. Sed forte nihil hoc loco mutandum: *fremere* enim *iratorum* potius quam *mœstorum*, qualis hic erat Etruscus. Pro *Litore*, Parm. et Rom. *Littora*. — Ed. pr. *Littora qui*. Idem apud cod. Paris. a prima manu; a secunda, *Littore*. A.

182. *Cur*. Cod. Paris. ed. pr. et Cruc. *Cui*. Gronov. *Cur*. A.

184. *Placavimus*. Ita omnes quas vidi editiones; parum tamen accurate Statius, si sic scripserit; sequitur enim versu abhinc tertio: « Aut placare malæ datur aspera numina Lethes. » Edidi igitur *pacavimus iras* pro *placavimus*, sensu eodem, verbo tantum mutato; quod in secundo loco, si malis, facere potes; et, retento τῷ *placavimus*, legere, « Aut pacare malæ, etc. » Parum interest, quum utrumvis probum sit. Hæ vero voces *placare* et *pacare* adeo sæpe in Codicibus commutantur, ut vix locum inveneris in quo hoc sit, quin illud quoque pro varia lectione repereris. Ita Theb. IV, 250, pro *Pacabat cornu* codex Petr. habet *Placabat*; Pietat. Abasc. ad fin. pro *Pacantem terras*, editt. Parm. et Rom. *Placantem*; male, quia præcedebat *Placat. Pacavimus iras*, ut Horat. Art. Poet. v. 197 : « Et regat iratos, et amet pacare tumentes; » ubi vide cl. Bentleium; et Drakenborch. ad Sil. Italic. II, 482. *Placare iras* quoque passim occurrit. — Cod. Par. edit. princ. *placavimus*. A.

186. Pro *ignare*, legendum *ingrate*; quod et monuit Gronovius, Diatr. c. 33, ex MS. Senens. editt. Rom. et Ven. Et ita quoque Parmensis; altera lectio *ignare* falsa

Aut placare malæ datur aspera numina Lethes?
Felix, cui magna patrem cervice vehenti
Sacra Mycenææ patuit reverentia flammæ!
Quique tener sævis genitorem Scipio Pœnis
Abstulit, et Lydi pietas temeraria Lausi!
Ergo et Thessalici conjux pensare mariti
Funus, et immitem potuit Styga vincere supplex
Thracius? ah quanto melius pro patre liceret!
Non totus rapiere tamen, nec funera mittam
Longius: hic manes, hic intra tecta tenebo.
Tu custos, dominusque laris; tibi cuncta tuorum
Parebunt: ego rite minor, semperque secundus
Assiduas libabo dapes et pocula sacris
Manibus, effigiesque colam: te lucida saxa,

est; Etruscus enim filius patri relegato restitutionem ab Imper. Domitiano impetravit (unde ista, « modo numina magni Præsidis, etc. »); atqui quomodo hujus rei *ignarus* esse potuit Etruscus pater? *ingratus* igitur, qui non usus est hoc beneficio Cæsaris et filii sui. — Cod. Paris. et edit. princ. *ingrate*. A.

192. *Ergo Thessalici*, etc. Parmensis, auctius, *Ergo et Thessalici*, etc. quod verum est: *et conjux Thessalici mariti et supplex Thracius*, seu *Orpheus. Et conjux* est *etiam conjux*, per *μείωσιν*; Potuitne *mulier* pensare funus *mariti; ego* non possim *patris?* ita in altero exemplo; Potuitne supplex *Thracius* exorare Styga pro *conjuge; ego Romanus* non possim pro *patre?* Similiter conjunguntur *Orpheus* et *Alcestis* in re simili, Epiced. Patr. v. 271. Pro *Phryga*, versu proxime sequenti, optime Cruceus *Styga: vincere Styga* est impetrare a Styge, exorare Styga, ut transmitteret et remitteret Orphea. Hanc Crucei conjecturam probant Gronovius, Diatr. c. 33, et Heinsius ad Ovid. Heroid. XVIII, 21; ubi pro *ah quanto melius pro patre liceret* (v. 194) mavult *at quanto melius*, etc. Non opus est; et alterum tuetur locus Theb. III, 286: « ah mea quanto Sithonia mallem nupsisset virgo sub Arcto! » Parmensis tamen, ut verum fateamur, habet *at quanto melius*. — Cod. Paris. ed. pr. *Ergo et;* mox autem, pro *Styga, phryga;* et vs. 194, *ah quanto*, etc. A.

198. Parmensis pro *minor* habet *memor;* perperam. Vide not.

199. *Assidue*. Melius Parmensis, « Assiduas libabo dapes. » Similis locus Piet. Abasc. v. 235 sqq.; ita et ibi Parmensis *Assiduæ*, non *Assidue*. — Cod. Paris. in contextu, *Assidue;* ad marg. *Assiduas*. Edit. pr. *Assidue*. A.

200. Pro *lucida saxa*, Rom. *dul-*

Te similem doctæ referet mihi linea ceræ:
Nunc ebur, et fulvum vultus imitabitur aurum.
Inde viam morum, longæque examina vitæ,
Affatusque pios, monituraque somnia poscam. »
Talia dicentem genitor dulcedine læta
Audit, et immites lente descendit ad umbras,
Verbaque dilectæ fert narraturus Etruscæ.
Salve supremum, senior mitissime patrum,
Supremumque vale: qui nunquam, sospite nato,
Triste Chaos, mœstique situs patiere sepulcri.
Semper odoratis spirabunt floribus aræ,
Semper et Assyrios felix bibet urna liquores,
Et lacrimas, qui major honos. Hic sacra litabit
Manibus, inque tua tumulum tellure levabit.
Nostra quoque, exemplo meritus, tibi carmina sanxit,
Hoc etiam gaudens cinerem donasse sepulcro.

cia, literis transpositis: perperam; *lucida saxa* sunt *gemmæ*. — Cod. Par. a manu prima, *dulcia;* a secunda, *lucida*. Ed. pr. *dulcia*. A.

201. Pro *linea*, cod. Paris. ed. princ. *lintea*. Vide not. ad hunc vers. A.

203. *Longæque*. Forte legendum, *sanctæque*. Vide not.

204. Pro *monitura somnia*, Romana et Bernartii editt. perperam *moritura*.

208. *Senior*. Vulgo *genitor;* quod et habent cod. Paris. ed. pr. Vide not. A.

210. Pro *mœstis sepulchris*, Gronov. Reliq. ad Silv. notat in MSS. Rhod. et Salisb. et edit. Ven. esse *mœsti sepulchri;* et ita Parmensis quoque: omnino vere. — Cod. Par. *mœstis sepulchris*, et a manu prima *patiare;* a secunda, *patiere*. Edit. pr. *mœstis... patiare sepuichrit*. A.

214. *Inque*. Vulgo *eque;* Parm. et Rom. *atque;* verum puto *inque*. — Cod. Paris. et ed. princ. *atque*. Vid. not. A.

215. Vulgo: *meritis... sancit*. — Cod. Par. a manu prima, *meritis;* ex emendatione, *meritus;* iterum ex emendatione, *sancit*. Ed. princ. *meritis... sancis*. Conf. not. A.

NOTÆ

IN CARMEN TERTIUM LIBRI TERTII

SILVARUM.

LACRIMÆ CLAUDII ETRUSCI. Claudius Etruscus Smyrnæus servili conditione, Romam translatus in imperatorum aula servivit, Tiberii primum, a quo libertate est donatus. Mox in aula Caligulæ mansit; et Claudii qui successit; et Neronis. A Domitiano in exsilium missus est, quum in re ærarii administranda levi quodam errore lapsus esset : lacrimis et pietate filii reditu impetrato, revocatus est. Quum ad nonagesimum ætatis annum pervenisset, mortuus illatus est tumulo uxoris, defletus mira pietate filii. DOMIT.

VERS. 15. *Si quis pulsatæ conscius unquam Matris, et inferna rigidum timet Æacon urna.* Ita omnes quas vidi editiones. Et supra, ad Herc. Surrent. notavi vocem *unquam* sæpe otiosam esse, et παρέλκειν. Removeamus igitur eam parumper; et constructio erit, « Si quis conscius pulsatæ matris et timet Æacon rigidum inferna urna. » Quare *et timet?* oportuit, *si quis conscius pulsatæ matris* timet *Æacon*, non *et timet;* nisi dicas verbum substantivum intelligi in priori membro, « Si quis conscius est pulsatæ matris, et timet Æacon. » Sed omnino frigidum est istud *unquam;* scripsit Statius, « si quis pulsatæ conscius umbram Matris, et inferna rigidum timet Æacon urna; » quanto elegantius hoc? ut de ejus γνησιότητι dubitare pæne malignum foret : « umbram pulsatæ matris, » vel « conscius pulsatæ matris; » utrovis enim modo ad idem fere recidit. Hujusmodi conscii fuerunt Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμέων, ΜΗΤΡΟΚΤΟΝΟΙ. Suetonius, Nerone, c. 34, « Sæpe confessus exagitari se materna specie, verberibus Furiarum, ac tædis ardentibus; quin et facto per magos sacro evocare manes, et exorare tentavit. » Noster, Geneth. Lucani, v. 118: « pallidumque visa Matris lampade respicis Neronem. » Ovid. Metam. IX, 410, de Alcmæone: « matrisque agitabitur umbris; » Virgil. Æn. IV, 471:

> Aut Agamemnonius Pœnis agitatus Orestes,
> Armatam facibus matrem et serpentibus atris
> Quum fugit, ultricesque sedent in limine Diræ;

ita legendum esse alio opusculo docui, Epist. Critic. pag. 123 (vid. Virg nost. edit. vol. II, p. 528. ED.); et firmavi imitatione Val. Flacci, VII, 147:

Turbidus ut Pœnis cæcisque pavoribus, ensem
Corripit, et sævæ ferit agmina matris Orestes.

Pœnæ sunt *Furiæ;* vulgo apud Virg. legitur *scenis agitatus Orestes. Pulsatæ matris* ex Virgil. VI, 609: « Pulsatusve parens, aut fraus innexa clienti; » ita lege; non, *et fraus.*

17. *Tenet ecce seniles Leniter implicitos vultus.* Quinam sunt hi *impliciti vultus?* quomodo aut cui *impliciti?* Lege, « Leniter adplicitos vultus; » id est, *admotos, appositos;* leniter tenet seniles vultus suis *admotos.* Ovidius, Fastor. IV, 851: « Osculaque adplicuit posito suprema feretro; » ubi in tribus Codicibus pari errore scriptum erat *implicuit.* Virgil. Æn. I, 619:

Quis te, nate Dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quæ vis immanibus applicat ausis?

ita legendum puto; vulgo frigidissime, *immanibus oris;* ad quæ verba vide Servium palantem; pro *ausis* scriptum erat *osis*, antiquo more; ut *aula* et *olla*, *aura* et *ora* (unde *luminis auras* passim Virgilio pro *oras*) *Paulla* et *Polla;* ex *osis*, quod non intelligebant, fecerunt *oris*, et Didonem induxerunt vocantem sua regna *immanes oras;* ineptissime, et contra decorum; dixit illa, *quæ vis major* admovet *te tam* immanibus ausis, *tam ingentibus cœptis?* nihil facilius, aut magis proprium.

21. *Nigrasque putat properasse sorores.* Nic. Heinsius ad Sil. Ital. III, 96, et Ovid. Met. IV, 470, pro *nigras* legit *pigras;* ut sensus sit, quamvis *pigræ* fuerint Parcæ, tamen ea est filii pietas, ut eas *properasse* putet. Recte: acumen enim captat Statius, ut ex antithetis potes videre, « Filius putat annos genitoris celeres, et pigras sorores properasse. » Nihil eximium esset si *nigræ* sorores *properasse* viderentur; hoc enim et aliis accidit qui amicos caros perdiderunt; sed quando, licet *pigræ* fuerint, tamen videntur *properasse;* nec hoc solum, sed et *filio* videntur *properasse;* ea demum est *mira fides.* De his Martialis, Epigr. VII, 40:

Hic prope ter senas vixit Olympiadas:
Sed festinatis raptum tibi credidit annis
Aspexit lacrimas quisquis, Etrusce, tuas.

22. *Exsultent placidi Lethæa ad flumina Manes.* Solita numerorum et poeseos elegantia Statium expressit hujus Editionis magister cultissimus, N. E. Lemaire, in carmine quo tragicum nostrum Ducis quondam alloquebatur: « Exsultate pii gelido sub marmore Manes. » A.

25. Pro *et nimium felix*, lege, *heu nimium felix;* supra monui. Scriptum erat *eu* pro *heu*, ut *ei* pro *hei* passim in MSS. unde nihil proclivius quam ex *eu* facere *et;* qui error frequentissimus est, et insignem Virgilii locum insedit, Æn. VII, 778, de Hippolyto ab equis distracto:

Unde etiam templo Triviæ lucisque sacratis

Cornipedes arcentur equi, quod litore currum
Et juvenem monstris pavidi effudere marinis.

Supra ad Epithal. Stell. v. 20, notavi hunc locum corruptum esse; si enim *effundere juvenem* recte dicas, certe *currus* qui continet juvenem non *effundi*, sed *everti* dici oportuit. Lege, « quod litora circum Heu! juvenem monstris pavidi effudere marinis; » *circum litora* ut vs. 763, « humentia circum Litora; » Æneid. I, 667: « Frater ut Æneas pelago tuus omnia circum Litora jactetur; » III, 75: « Quam pius arcitenens oras et litora circum Errantem; » VI, 329: « Centum errant annos, volitantque hæc litora circum. » Amat hanc verborum positionem Virgilius; sic *tempora circum*, *altaria circum*, *flumina circum*, *compita circum*, *ovilia circum*; et innumera ejusmodi. Vox *circum* minima mutatione abiit in *currum*; deinde pro *Heu* sive *Eu* fecerunt *Et*: « currum Et juvenem; » et jam necesse erat ut *litora* mutaretur in *litore*; et sic unus error duos alios, ut fit, procreavit.

49. *Vice cuncta reguntur Alternisque premunt.* Quis non statim videt Papinium scripsisse *Alternisque regunt?* Librarius conjecerat oculos in versum proxime sequentem, *premit felix*, etc. unde hanc vocem repetivit. Seneca, Medea, v. 218: « petebant tunc meos thalamos viri Qui nunc petuntur; » idem, Thyest. vers. 1051: « genitor en gnatos premo Premorque gnatis; » Lucret. II, « Nunc hic, nunc illic superant vitalia rerum, Et superantur item; » Laberius, apud Senec. de Ira, II, 11: « Necesse est multos timeat quem multi timent; » id est, vice *timetur* alternisque *timet*; Auctor Panegyr. ad Pisonem, v. 112:

Nec quisquam vero pretium largitur amico,
Quem regat ex æquo vicibusque regatur ab illo;

Martian. Capella, lib. IX, « Alternisque regit et regitur polis. » Gronovius ad Livium, XXXIV, 31, nihil hoc loco mutatum vult: et explicat *premunt*, « potentiora et superiora sunt, incumbunt, urgent. » Non de sensu verbi *premunt* (is enim obvius est) sed de ipso verbo dubitamus; et si quid elegantiæ sermonis et nitori dictionis concedendum est poetis, affirmamus Statium scripsisse *regunt*, non *premunt*; quod verbum præ altero languidum est, torpens; et, ut ait Martialis, « Vatreno Eridanoque pigrius. »

55. *Nec injussæ toties redit orbita lucis.* Notabilis hujus sententiæ climax: Omnia alternis *reguntur* et *regunt*; totus terrarum orbis est sub propriis *regibus*; *reges* sub *Roma*; *Roma* sub *ducibus* seu *imperatoribus*; *imperatores* sub *numinibus*; ipsa *numina* sub *legibus* suis; quippe *astra*, *luna*, et *lux* serviunt, et non nisi præscripto agunt; etiam ipse *Hercules* et *Apollo* dominos pertulerunt. Hoc est artificium Papinii in elevanda Etrusci sorte, ne cuiquam pudenda videretur. Unde vero *lux* inter *numina*? *Astra* quidem et *luna* innumeris veterum testimonis locum suum facile tuebuntur; sed de *luce*, vereor ne Statio dicam seri-

bat Areopagus, ut olim Socrati, ob introductos Καινοὺς Θεούς. Sed scripsit Statius, « nec injussi toties redit orbita solis; » *orbita solis* est *orbis solis* seu *sol*. Valer. Flacc. VI, 441 :

Illius ad fremitus sparsosque per avia succos
Sidera fixa pavent, et avi stupet orbita Solis;

Prudentius, Cathemer. III, 86 :

Te, pater optime, mane novo
Solis et orbita quum media est, etc.

Rotam solis vocant alii; de quo vide Broukhus. ad Tibull. I, 10, v. 62; et *rotam* simpliciter; sic *orbita Titania* pro *luna* Sil. Italic. X, 539; Auctor Ætnæ, vs. 229 : « Solis scire modum, et quanto minor orbita lunæ est; » licet ibi sumi possit pro *circulo* quem luna conficit : ut *orbita solis* passim pro *Ecliptica*. Plinius, Hist. Nat. II, 68 : « Media vero terrarum, qua solis orbita est, exusta flammis et cremata, cominus vapore torretur. » Avien. Phænom. Arat. v. 649 :

Imus ubi Australi descendit circulus axe
Signifer, inque Notum rutili cadit orbita solis;

Lucan. IX, 691 : « premit orbita solis Exuritque solum. » Claudian. in Rufin. II, v. 155 : « non orbita solis, Non illum Natura capit. » Multo plura proferre possem; sed ex his vides legendum esse *orbita solis*, non *lucis;* quæ voces a librariis sæpe in MSS. confunduntur. Claudian. de Rapt. Pros. I, 115 : « Obducam tenebris lucem; » ita edidit ex scriptis Heinsius, non *solem*. Eodem opere, lib. II, 263 : « Eripitur cum sole pudor; » ubi quoque ex conjectura idem edidit *luce*, quia *sole* modo præcesserat. Noster, Theb. II, 120, « Dixit, et abscedens (etenim jam pallida turbant Sidera Lucis equi), etc.; » pro *Lucis equi*, codex Petrensis habet *Solis*. Auctor Octaviæ, v. 385, ubi loquitur Seneca :

O quam juvabat (quo nihil majus parens
Natura genuit, operis immensi artifex)
Cælum intueri, solis et cursus sacros,
Mundique motus, solis alternas vices;

ubi pro *solis alternas vices*, sine dubio legendum, *lucis alternas vices;* quia *solis cursus* præcedebat. Manilius, V, 456 : « Ructantemque patrem natos, solemque reversum, Et cæcum sine sole diem; » quis ferre potest? iterum lege, « Et cæcum sine luce diem. » Auson. Ephem. v. 10,

Et locum mentis sopor altus urget,
Nec coruscantis oculos lacessunt
Fulgura lucis :

scribendum ibi quoque *Fulgura solis;* sequitur enim versu abhinc secundo, *Noctis et lucis vicibus manentem*. Bene vero *astra, lunam*, et *solem* conjungit Statius, et eo ordine ponit ut servetur gradatio et progressus a minoribus ad majora; quem perdidisset si *astra, lunam*, et *lucem* dixisset. Similiter Lucret. lib. II, 1030 :

Quemque in se cohibent palantia sidera passim,
Lunæque et solis præclara luce nitorem.

Et passim invenies. Obiter *solem* restituam obscurissimo loco Claudii Mamertini, Genethliac. Maximian. c. 6: « Vobis Rhenus et Ister et Nilus, et cum gemino Tigris Euphrate, et uterque *qualem accepit* et reddit Oceanus, et quicquid est inter ista terrarum et fluminum et litorum tam facili sunt æquanimitate communia, quantum sibi gaudent esse communem oculi diem; » ubi pro *qualem accepit* Livineius legit, *quam late cedit;* Gruterus, veritatem propius, *qua lucem accipit;* verum erat, « uterque qua (*vel* qui) solem accipit et reddit Oceanus; » manifesta imitatio Virgil. Æn. VII, 100:

Omnia sub pedibus, qua sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum, vertique regique videbunt.

56. *Et (modo si fas est æquare jacentia summis) Pertulit et sævi Tirynthius horrida regis Pacta.* Notanda primum geminatio conjunctionis *et* minime necessaria: « et et Tirynthius pertulit, etc. » Deinde, *sævi regis pacta;* quisnam hic *rex sævus? Eurystheus,* opinor; sed et Laomedontis *pacta* pertulit Hercules; et ille quoque *rex sævus* dici potest. Non igitur satis exprimit, et nimis ambiguum est istud *sævi regis.* Depravatio latet sub τοῖς *et sævi;* forte scripsit, « Pertulit Eurysthei Tirynthius horrida regis; » ex Virgilio, VIII, 291: « ut duros mille labores Rege sub Eurystheo, fatis Junonis iniquæ, Pertulerit. » Placet hoc, et verum puto; est enim manifesta allusio ad locum Virgilii. Hyginus, Fab. 30, de Hercule: « Cervum velocem in Arcadia cum cornibus aureis vivum in conspectum Eurysthei regis adduxit. » Et mox: « Eurystheo regi mala attulit. » Posses etiam legere et facile defendere *Argivi* pro *et sævi;* sed mihi alterum multo impensius placet, propter locum Virgilii. Scio Gronovium, Diatr. cap. 20, defendere repetitionem conjunctionis in hoc loco. Sed si hoc admittatur, quomodo defendetur ambiguum istud *sævi regis?* nisi probari possit τὸ *sævi regis* necessario designare *Eurysthea;* quod quis dixerit? Sed falsum videtur quod sequitur, *horrida regis pacta;* non enim Eurystheus ad *pacta* descendebat; non tam bene cum Hercule actum fuit; sed merus rex fuit, et *jubebat.* Valer. Flaccus, I, 113, ubi Juno hoc modo queritur:

O utinam Graiæ rueret non omne juventæ
In nova fata decus; nostrique Eurystheos hæc nunc
Jussa forent!

Senec. Herc. Furente, v. 40, Juno dicit,

. . . . monstra jam desunt mihi,
Minorque labor est Herculi jussa exequi
Quam mihi jubere: lætus imperia excipit.
Quæ fera tyranni jussa violento queant
Nocere juveni?

ubi tamen alteram ex istis vocibus utpote tam juxta se collocatis merito suspicari potes; ibidem, infra, vs. 78: « Ipse imperando fessus Eurystheus vacet; » et 479: « Hoc nulla Juno, nullus Eurystheus jubet; » Justinus, II, 4, de Orithya Amazonum regina: « Hujus virtute tantum

additum gloriæ et famæ Amazonum est, ut Herculi rex, cui XII stipendia debebat, quasi impossibile, imperaverit, ut arma reginæ Amazonum sibi afferret. » Claudianus, de Bell. Get. v. 377: « Qualis in Herculeo, quoties infanda jubebat Eurystheus, fuit ore dolor. » Martialis, epigr. IX, 66, ad Herculem, de Statua Domitiani : « Sed tu jussisses Eurysthea. » Ex his locis non *pacta*, sed *jussa* Eurystheos agnoscis. Totum igitur locum sic lege,

> Et (modo si fas est æquare jacentia summis)
> Pertulit Eurysthei Tirynthius horrida regis
> Jussa.

Nihil tamen in contextu muto, propter istud initio Thebaidos, « Sidonios raptus, et inexorabile pactum Legis Agenoreæ ; » et Valer. Flacc. VI, v. 4: « Sternere si Minyas, magnoque rependere luctu Regis pacta queat; » licet ibi quidem proprie *pactum* esset: non ita in Hercule. Recte vero *horrida jussa*, ut Silv. IV, 2 : « Sic gravis Alcides post horrida jussa novercæ, etc. » ita legendum esse locum docebo; vulgo, « post horrida jussa *reversus*. »

61. *Quo Lydius intrat Bacchus, et aurato reficit sua cornua limo.* Diodorus hæc scribit : « Sunt, qui Hammonem affirment natura in utroque tempore parva habuisse cornua: propterea filium ejus Dionysium eodem fuisse aspectu; posterisque traditum Deum hunc cornua gestasse. » Domit.

68. *Hic annis multa super indole victis.* Sed *quali indole? multa* enim *indoles* tam *mala* quam *bona* esse potest : quippe *indoles* est τῶν μίσων, et ex adjunctis in hanc vel illam partem determinatur; unde *dubia indoles*, Senec. de Clem. I, 14. Lege, « magna super indole victis; » Achill. I, 276: « cruda exordia magnæ Indolis; » Sil. Ital. XI, 308 : « Quamquam imperfectis, magnæ tamen indolis, ausis; » Florus, IV, 8 : « nisi quod magnæ indolis signum est sperare semper. » Claudian. IV Cons. Honor. v. 373, « vestigia magnæ Indolis agnosco. » Ita *recta indoles*, Seneca, Hippol. v. 453; *felix*, Troad. v. 702; *plena*, Auson. Parental. X; *bona*, Senec. Epist. XI; *segnis*, Sil. Ital. II, 347, et innumera ejusmodi. Potes etiam, « pulchra super indole victis. » Sed mihi magis placet *magna*, propter frequentes vices vocum *multus* et *magnus*. Ovid. Amor. I, 15, vers. ult., « parsque mei multa superstes erit; » ubi nonnulla exemplaria habent *magna;* vide cl. Burmannum. Ita Metam. V, 81, pro *multæ massæ*, Thuaneus codex habet *magnæ*. Tibullus, Eleg. I, 1, v. 2 : « Et teneat culti jugera multa soli; libri scripti, monente Broukhusio, fere habuerunt *magna*. Lucanus, III, 448, satis irreligiose: « servat multos fortuna nocentes, Et tantum miseris irasci numina possunt; » sensus omnino postulat *magnos nocentes;* patet hoc ex opposito *miseris*. *Irasci possunt* est *irascuntur;* ut sæpe Propertio et eruditioribus poetis.

71. *Hunc et in Arctoas*, etc. Difficiliorem sententiam ita construas: « tenuis comes usque et in Arctoas pruinas passus *es* hunc tyrannum terribilem affatu visuque; » passus es, inquam, « ut qui (id est, *eodem modo quo illi qui*) domant metuenda corda ferarum, jubentque, etc. » Per quæ ostendit Statius quanta auctoritate apud Caligulam fuerit Etruscus.

78. *Et longo transmittit habere nepoti.* Pro *transmittit*, primo legendum est *transmisit*, ut supra *subvexit*; sumptum nempe ex Virg. Æneid. III, 329: « Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam. » Sed quis est hic *longus nepos* Claudii, cui transmittebatur Etruscus? nullos enim, quos scio, *nepotes* habuit Claudius; nisi si filia Antonia quæ Cn. Pompeio, deinde Fausto Syllæ nupta erat, aliquos tulerit: Octavia enim, quam Nero in matrimonio habuit, ab eodem ut *sterilis* dimittebatur, de quo vide Sueton. Ner. c. 35; et Tac. Annal. XIV, 60. Lege, « Et longo transmisit habere Neroni; » et de *Nerone* quidem certi sumus ex sensu et ordine narrationis: primum, inquit, *Tiberii* aula tibi patuit; nec abegit *Caligula* proximus heres; sed in actus præcipuos subvexit *Claudius*, et transmisit te successori *Neroni*. Nihil certius: et eodem ordine eos recenset Tacit. Ann. I, init. « Tiberii, Caiique et Claudii et Neronis res, florentibus ipsis, ob metum falsæ, etc. » Sidonius Apollinaris, carm. V, 322:

> Post Capreas Tiberi, post turpia numina Caii,
> Censuram Claudi, citharam thalamosque Neronis, etc.

quem ordinem servat, carm. VII, 104: « Capreasque Tiberi Et caligas Caii, Claudi censura secuta est, Et vir morte Nero. » Ne igitur satagant posthac ostendere quomodo Nero dici potuit *nepos* Claudii, quum nepos fuerit Germanici, fratris Claudii: nunquam assentiar. Si enim hoc admittatur, perierunt consanguinitatis nomina, et nihil certi habebimus. *Nepos* Claudii debuit esse filius filii vel filiæ Claudii; pro quo filius filiæ Germanici, fratris Claudii, hic dicitur *nepos* Claudii; cujus rei absurditatem multis nominibus ostendere possem, si opus esset; sed pergo. Hinc patet epitheton *longo* depravatum esse. Gevartius, Elect. III, 9, voluit, *longum transmisit habere nepoti*, « eo quod Nero diu ac longo temporis spatio (annis enim quindecim imperavit) Etruscum hunc in famulatu habuerit; » dixisse debuit *quatuordecim* paullo minus, non *quindecim*. Gronovius, Diatr. cap. 30, tutius putat retinere vulgatam, eodem sensu quo Gevartius; *nepos habet longus* idem est, inquit, quod *nepos habet longum*, usitatissimo Græcismo; et hoc tuetur, Elench. Antidiatr. cap. 4, contra ineptientem Cruceum, et exemplis illustrat et confirmat. Sed ut ferri posset hoc sensu *longo nepoti*, minime tamen epitheton *longo* convenit *Neroni*, quæ vera est Statii scriptura. Latet aliquod *Neroni* proprium, et quod mores ejus exprimit; *torvo*, vel tale quidpiam; de quo tacendum usque dum exemplaria aliquid subministrent; *fero Neroni*, Protrep. Crisp. v. 33.

79. *Quis superos metuens pariter tot templa, tot aras Promeruisse dat*ur? Comparatur hic sors Etrusci cum sorte ministrorum cælestium, et præfertur: Quis, inquit, qui Diis ministrat, fertur inserviisse tot heris quot tu, Etrusce, inserviisti? non Mercurius, non Iris, non Triton; illi enim *singulis* tantum inserviebant; tu *quatuor* dominis. Hic est sensus hujus loci; nec alius esse potest; *datur* est *dicitur, fertur*, ut Thebaid. VII, 315, de Hypseo: « Asopos genuisse datur; » Claudian. de Rapt. Pros. III, v. 336: « pater post prælia prædam Advexisse datur; » id est, *narratur:* exempla obvia. Jam vero *metuere Superos* pro *inservire Superis* quemadmodum famulus hero inservit, quis unquam dixit? alia res est *metuere* Superos; scil. *colere, venerari;* unde *metuens Deorum* pro *religioso*, Ovid. Met. I, 323, de Pyrrha; et *metus* pro *religione*, Virgil. Æn. VII, 60, et ita aliis. Hic igitur verbi sensus huic loco non competit (non enim de *religione*, sed de *ministerio* agitur) et necessario requiritur *serviens* vel *ministrans* vel aliquod ejusmodi. Conjicio, « Quis Superom famulus pariter tot templa, tot aras Promeruisse datur? » Pro *Superûm* scriptum erat *Superom*, antiqua scribendi ratione: inde istud *Superos*. Potes etiam, « Quis Superis famulans, etc. » sed hoc, nescio qui, minus Statianum videtur; omnium optime hoc modo scripsisset, « Cui Superûm famulo pariter tot templa, tot aras Promeruisse datur? » ubi τὸ *datur* poneretur pro *concessum est*, ut sæpe. Hoc modo, inquam, scriptum esse oportuit, et aliquid ejusmodi sine dubio scripsit Statius. Sed quia nil mutant codices, quantum novi, meo periculo non placet mihi tam ingenioso esse ut in contextu quidquam mutem; meliora exemplaria hunc nodum olim forte solvent: meum erat monere. De verbo *promereo* dixi aliquid ad Soter. Gallici, supra p. 142.

86. *Jam creditur uni Sanctarum digestus opum*, etc. (usque ad, *quæ nubilus Auster Invehit;* vs. 97). Quærunt interpretes, quo nomine munus hoc appellatum sit, quod tam late hic descripsit Statius. Sunt qui *præfecturam ærarii* intelligant: sed eos refutat vel solum epitheton *sanctarum;* illud enim proprie ad Imperatorem spectat, cujus res omnes familiares solenni titulo *sacræ* dicebantur. Hinc *sacram domum*, *sacrum latus*, *sacros vultus*, alibi dicit Noster, ubi de Domitiano agit. Itaque *Dispensatoris* munus hic notari censeo; sic enim in Constitutionibus vocantur, qui principum pecunias curant, thesaurorumque administrationem gerunt. Labente imperio, hujusmodi muneribus præfecti dicti sunt *Comites sacrarum largitionum*, sub quibus erant *Præfecti thesaurorum*, *Comites metallorum*, aliique. Erat et *Comes rei privatæ dictus.* Gevart.

87. *Partæque per omnes Divitiæ populos. Divitiæ partæ per omnes populos* sunt divitiæ quas omnes populi pepererunt; ut apud Ovid. Am. III, 8, *partus per vulnera census*, est census quem *vulnera* pepererunt; ita *partum per scelus regnum* est *regnum quod scelus peperit* seu acquisivit, apud Curtium, VII, 4. Quibus in locis denotatur *instrumentum*

seu *causa* harum acquisitionum. Hic vero sensus huic loco non congruit; non enim vult Statius Etrusco mandatas esse divitias quas *omnes populi* acquisiverant (quomodo enim fieri potuit?) sed quas *Romani* per omnes terras possidebant. Scripsit igitur « sparsæque per omnes Divitiæ populos. » Vid. Ovid. Fast. II, 210, et IV, 760; Valer. Flacc. I, 293. Hyginus, Fab. 123, « cujus ossa per fines Ambraciæ sparsa sunt. » Lucanus, VII, 649 :

> . . . . stetit aggere campi
> Eminus unde omnes sparsas per Thessala rura
> Aspiceret clades, quæ bello stante latebant :

ita legendum; vulgo, bello *obstante*, minus recte si locum curiosius inspicias. Virgil. Georg. IV, 520, de cæde Orphei :

> . . . . Spretæ Ciconum quo munere matres
> Inter sacra Deûm nocturnique orgia Bacchi,
> Discerptum latos juvenem sparsere per agros;

in quibus verbis frustra sensum quæsiveris; nihil enim est ad quod referas ista *quo munere*. Deinde, quid est *munere? nuptiali*, inquit Servius; euge, grammatice, agnosco tuum judicium; æque vere dixisse potuisses *munere* ibi esse *munere centumvirali*. Aliquot antiqui codices, testante Pierio, legunt *spreto quo munere;* æque mendose : adhuc enim turbat *quo* relativum sine relatione, et *munere* pro *munere nuptiali*. Solus sensum vidit Asper grammaticus, qui, ut ait Philargyrius, *quo munere*, « ob quam rem, » vult accipi; nihil verius : « ob quam rem (scil. quia Nulla Venus, non ulli animum flexere Hymenæi, et quia Solus Hyperboreas glacies lustrabat, raptam Eurydicen querens) spretæ Ciconum matres illum discerpserunt. » Sed hoc non efficit *quo munere*, sed *quo nomine*, « Spretæ Ciconum quo nomine matres, » id est, « qua causa, quam ob rem. » Catullus, carm. XXVII, 11, de Mamurra :

> Eone nomine, Imperator unice,
> Fuisti in ultima Occidentis insula,
> Ut, etc.

Varro, de Re Rust. I, 2 : « Hoc nomine etiam Athenis, etc. » id est, *hac causa*. Vide Plin. Hist. Nat. II, 25; et exempla ubique. Vide autem originem erroris; prima syllaba in *nomine* absorpta erat in ultimis duobus literis vocis præcedentis *quo*, ut esset *quo mine;* hoc non intellecto, addebant syllabam *re* versui supplendo, sensus securi; sexcenties hoc accidisse facile probare possem, nisi eruditis notum esset. In syllabis *uomune* vocem *nomine* quivis videat. Confunduntur vero hæ voces *munera* et *nomina* in MSS.; vide Scaligerum ad Manil. IV, 207. Ita apud Ovid. Met. XV, 819, pro *nominis heres*, codex Zinzerling. et Leidensis habent *muneris*, teste Heinsio. Claudian. de VI Cons. Honor. vs. 17, « Urbis et Augusti geminato nomine felix; » et ibi Codices nonnulli habuerunt *munere*. In scriptis criticorum passim invenies. Propertius, II, 11, « Taleque sub nostro nomine carmen erit; » in suo libro invenit Scaliger *munere;* quod probat.

90. *Dalmatico quod monte nitet.* Aurum significat, quod e Dalmatia mittebatur; et Plinius ita scribit, lib. XXXIII, 21, edit. Bipont.: « invenitur aliquando in summa tellure protinus rara felicitate, ut nuper in Dalmatia, principatu Neronis, singulis diebus etiam quinquagenas libras fundens; gummi inventum est in summo cespite. » Domit.

94. *Perspicuæque nives.* Crystallina pocula. Plin. Hist. Nat. XXXVII, 9 : « Contraria huic causa crystallum facit, gelu vehementiore concreto; nec aliubi certe reperitur, quam ubi maxime hibernæ nives rigent; glaciemque esse certum est, unde et nomen Græci dedere. » — *Massylaque robora, et Indi Dentis honos.* Mensæ citreæ, cujus pedes ex ebore. Bernart.

98. *Vigilis te animique sagacis Exitus evolvit quantum Romana.* Salmas. Epist. 86, quæ est ad Gronovium, hunc locum ita legit: « Silvarumque comas, vel aquas quot in amne sequaces Exitus evolvit; » « Scis, inquit ille, *exitus amnium* dici ostia eorum, quibus in mare se exonerant. *Evolvi* etiam in mare dicuntur, quum in mare exeunt per ista ostia. Memini ita locutum politum scriptorem Curtium; sed nunc locus ad manum non est. *Aquas sequaces in amne* eleganter appellat, quia unda sequitur undam. Posset tamen etiam legi *fugaces;* lympham *fugere* dixit Horatius. » Non exagitanda hæc Salmasii conjectura (licet longe infra Salmasium sit), quia ipse alibi eam damnat, Epistola quæ præfigitur Gronovianæ Elencho Antidiatr. p. 27, ubi demum legit, « Vigil-usque, animique sagacis Et citus evolvis quantum, etc. » Tria, inquit, in eo commendat, vigilantiam, sagacitatem, et celeritatem in illis evolvendis et expediendis, de quibus sequitur. Hæc quidem superioribus longe præstantiora; sed adhuc Statium quæro, et spiritum illum et majestatem quæ nunquam serpit humi. *Evolvis* vero, non *evolvit,* certissimum est: Etruscum enim alloquitur poeta, ut supra, v. 83, et infra, v. 106. Pro *vigilis te*, Parmensis aliter dispescit voces, *vigil iste;* quod admisi in contextum, non quia intelligerem, sed quod aliquid necessario esset admittendum. Possem infinitas conjecturas disperdere in hunc locum; sed nulla earum mihimet satisfacio; nedum ut aliis sperem. *Animi* vero *sagacis* proba est et usitata phrasis. Lucretius, I, 403; II, 839; Plin. Hist. Nat. II, 21: « Pythagoras vero, vir sagacis animi, etc.; » Manil. II, 156; III, 276. Plura exempla possem proferre; sed quorsum hæc, inquies? Ut mecum mireris quid sibi velit Cicero, qui ob usurpatam hanc phrasin veniam petit, De Fin. Bon. et Mal. II, 14, ubi de *mente* seu *animo* loquitur: « Homines enim, etsi aliis multis, tamen hoc uno a bestiis differunt, quod rationem habeant a natura datam, mentemque et acrem et vigentem, celerrimeque multa simul agitantem, et, ut ita dicam, sagacem: quæ et causas rerum et consecutiones videat, et similitudines transferat, et disjuncta conjungat, et cum præsentibus futura copulet, omnemque complectatur vitæ consequentis statum. » Notabis ista, « mentem, ut ita dicam, sagacem; » quæ verba, « ut ita dicam, »

ipse, De Oratore, III, 41, usurpanda esse docet quando translatio durior videtur: « Si vereare ne paullo durior translatio esse videatur, mollienda est præposito sæpe verbo: ut si olim, M. Catone mortuo, Pupillum Senatum quis relictum diceret, paullo durius; sin, ut ita dicam, Pupillum, aliquanto mitius. » Jam vero *mens* seu *animus sagax* non est durior translatio, sed usitata locutio; ut ex Lucretio et exemplis allatis vides; et proinde non opus fuit ut hac excusationis formula uteretur Cicero. Sed aliud latet; et scripsit Tullius, « celerrimeque multa simul agitantem, et, ut ita dicam, satagacem. » En tibi novam vocem cælo Latino donatam: quam introducturus Cicero præfatione se munit. *Satagax* est quicquid multo discursu, et anxietate, et omnes strophas vertens, aliquid agit: eleganter et analogice formata vox: ut enim a *sperno, nis*, fit *spernax;* a *sterno, nis, sternax;* ab *emo, emax;* a *vendo, vendax;* a *tago* (antique pro *tango*), *tagax;* a *fallo, fallax*, et similia; ita a *satago, gis, satagax*. Notus ille Domitii Afri in hac voce jocus, quem refert Quintilianus, Instit. VI, 3: « Afer enim venuste Manlium Suram, multum in agendo discursantem, salientem, manus jactantem, togam dejicientem et reponentem, non agere dixit, sed satagere; est enim dictum per se urbanum, satagere, etiam si nulla subsit alterius verbi similitudo. » Ciceronis sensum in nova hac voce nihil melius explicare potuit quam iste Quintiliani locus.

Tandem in conjecturam incidi, quam pro manu Statii pæne ausim venditare. Ea est: « Vigil ipse, animoque sagaci Excitus, evolvis quantum, etc. » Vulgata est: « Vigil iste animique sagacis Exitus evolvit quantum, etc. » quæ est Parmensis lectio. *Tu, Etrusce* (inquit Statius; senem enim alloquitur et supra et infra), *vigil et excitus sagaci animo, evolvis quantum*, etc. *Ipse* pro *iste*, quæ minima est mutatio. *Excitus animo sagaci*, ut apud Senec. Hippol. v. 1082: « Tum vero pavida sonipedes mente exciti Imperia solvunt; » qui locus mihi hanc correctionem primus firmavit, licet dudum ita conjecissem. Vide Stat. Thebaid. III, 598. Ovid. Metam. II, 779, « Nec fruitur somno, vigilacibus excita curis. » Ex hoc versu sensum suum Noster videtur sumsisse. Potes etiam, *vigilans*, vel *vigilax animoque sagaci Excitus;* sed magis placet prior conjectura. Et sane Venet. habet *Excitus*, et *vigil ite.*

104. *Quæ Divûm in vultus igni formanda liquescat Massa: quid Ausoniæ scriptum crepet igne monetæ.* In priore versu *igni* ponitur pro *igne*, antiquorum more. Sumsit Noster ex Virg. eclog. VIII, 80:

> Limus ut hic durescit, et hæc ut cera liquescit
> Uno eodemque igni; sic nostro Daphnis amore;

Virg. ex Lucretio, VI, 514:

> Mittunt humorem pluvium, stillantque quasi igni
> Cera super calido tabescens multa liquescat.

Recte igitur *igni liquescat* in primo Statii versu; unde magis suspecta redditur vox *igne*, in sequenti; abundat etiam τὸ *igne;* satis enim erat

dixisse, *quid* (i. e. *quantum*) *Ausoniæ monetæ scriptum crepet*, non *igne scriptum: scriptum* enim est *signatum, inscriptione notatum.* Prudent. Peri Steph. II, 117:

> Is ipse tantum non habet
> Argenteorum ænigmatum
> Augustus, arcem possidens,
> Cui nummus omnis scribitur:

i. e. *signatur*, χαράσσεται. Scripsit, opinor, Statius: « quid Ausoniæ scriptum crepet ore Monetæ; » « quid scriptum ore Ausoniæ Monetæ crepet, » id est, quantum nummorum, Romana nota signatorum, in monetis et officinis Imperatoris percussum sit. *Moneta* est *Dea nummorum;* unde bene, ut de persona, addit *ore.* Insignis de hac Dea locus Martialis, qui criticorum ingenia summopere exercuit, epigr. I, 77, ubi Val. Flaccum a studio poetices dehortatur:

> Pierios differ cantusque chorosque sororum;
> Æs dabit ex illis nulla puella tibi.
> Quid petis a Phœbo? nummos habet arca Minervæ:
> Hæc sapit, hæc omnes fœnerat una Deos.

Hæc omnium MSS. et edit. lectio, testante Scriverio; et, quasi satis salva omnia, *arcam Minervæ* aut prætereunt interpretes, aut *jurisprudentiam* intelligendam esse dicunt. Atqui primum, quis eos docuit *Minervam* esse peculiarem *jurisconsultorum* præsidem? omnium quidem liberalium et ingeniosarum artium fautrix illa Dea; sed non inde sequitur *arcam Minervæ* denotare *jurisprudentiam* magis quam *textrinam;* et quare *arca Minervæ*, si de *jurisperitis* sermo sit? sed, quod præcipuum est, quomodo Minerva *fœnerat omnes Deos?* hoc βαρβαρίζει, inquit Scaliger, et legit *Deis*, mirante Scriverio, qui vulgatæ adhæret et explicat *fœnerat* pro *defœnerat* sive *fœnore exhaurit Deos.* Iterum quæro, quo sensu Minerva, *jurisprudentiæ* secundum eos Dea, *fœnore exhaurit* omnes Deos? ineptissima hæc mihi videntur. Tu lege,

> Quid petis a Phœbo? nummos habet arca Monetæ;
> Hæc sapit, hæc omnes temperat una Deos:

sensu perspicuo: « Quare petis a Phœbo? *Moneta* potius tibi roganda fuit: hæc enim, non Phœbus, sapientiam donat: hæc, licet *una* tantum sit, tamen *omnes* Deos moderatur et *regit;* » hoc enim est *temperat*, ut sæpe. Scriptum erat *tẽperat;* unde, frequenti vice literarum *t* et *f*, *p* et *n*, *fenerat;* quod Latinum non est, cum τῷ *Deos* conjunctum. Sed hæc obiter; licet non prorsus aliena huic Statii loco. Heins. ad Claud. Rapt. Pros. III, 386, ita citat: « Quæ Divum in vultus igni formata liquescat Machina: » memoriæ lapsu.

107. *Et nunquam læsa profundo Cura mero.* Merum profundum non dici potest *lædere* curas; quippe *Dissipat Evius curas edaces;* et, *Cura fugit multo diluiturque mero*, ut canit Ovid. Art. Amat. I, 238. Conjeceram, *nunquam læta profundo Cura mero*, id est, *lætata* et *læta facta;*

ut apud Petronium, carm. de Bell. Civ. v. 156, « Juppiter omnipotens, et tu, Saturnia tellus, Armis læta meis. » Sed *cura* hic non pro *angore* et *sollicitudine* animi, sed pro ἐπιμελείᾳ et fide quam Domino et Imperatori debebat; ut alibi, *vigilesque suo pro Cæsare curæ;* et ita passim: recte igitur *nunquam læsa* nimio mero hæc *cura* dicitur: et nihil mutandum.

109. *Et mentem vincire toris.* Scio quidem istud Propertii, Eleg. III, 4, « Me juvat et multo mentem vincire Lyæo. » Sed hoc loco, si quid video, scripsit Statius, « Et mentem mulcere toris; » id est *solari*, et *delectare*. Supra, Silv. II, 1, « Quis tua colloquiis hilaris mulcebit amatis Pectora? » infra, V, 3, « Qualis eras Latios quoties ego carmine Patres Mulcerem! » Valer. Flacc. II, 139: « longo mulcens insomnia penso; » idem IV, 443: « hoc animum solamine mulcens; » et ita passim apud eumdem. Ovidius, Remed. Amor. v. 197; et Metam. X, 301; Arnobius, VII, p. 240: « putant et cælitum mentes ludorum delectatione mulceri. » *Levamen mentis* appellat Vitellius, apud Tacit. Annal. XII: « Quid porro honestius censoriæ mentis levamen quam assumere conjugem prosperis dubiisque sociam? » *Mulcere* etiam absolute Noster, carm. V, 15, ad Uxorem, « nec aut rapidi mulcent te prælia Circi. » Pro *jura genialia*, versu præcedente, quære an non scribendum sit *genitalia;* ut per *jura genitalia* designet *matrimonium*. Vide quæ de his vocibus dixi ad Arb. Ated. v. 62. *Carmen genitale* idem quod *genethliacon*, Epiced. Pueri, v. 70.

113. *Sed* pro *tamen* ut apud Ovid. Met. V, 54:

> Ille quidem jaculo quamvis distantia misso
> Figere doctus erat, sed tendere doctior arcus;

et alios passim. Horatius, carm. II, 19, vs. 25:

> Quamquam choreis aptior et jocis
> Ludoque dictus, non sat idoneus
> Pugnæ ferebaris, sed idem
> Pacis eras mediusque belli.

Noster, Achilleid. I, init. « Quanquam acta viri multum inclyta cantu Mœonio, sed plura vacant. » Symposius, Ænigm. XCIV, cujus lemma, *Funambulus:* « Semita si brevis est, pedibus sed sufficit ipsis; » ita legendum; vulgo, « sed brevis est, pedibus nec sufficit; » inepte et contra mentem ænigmatis: *licet* semita sit brevis, *tamen* pedibus sufficit. Juvenalis, Sat. I, 103:

> .... quamvis
> Natus ad Euphratem (molles quod in aure fenestræ
> Arguerint, licet ipse negem) sed quinque tabernæ
> Quadringenta parant.

Voces vero *decus* et *genus* in MSS. commutantur. Ita apud Ovidium, Heroid. XVII, v. 54, pro « Tantalidæ Pelopis Tyndareique genus, » codex Puteanus habet *decus:* recte; nam *genus* paulo ante præcesserat,

notante Heinsio. Vide cl. Burmannum ad Val. Flaccum, VI, 594. Male autem Gronovius, qui monet distinctionem ponendam esse post *imago*, non post *vultibus*. Constructio est, « sed par vultibus imago reddit eximium decus formæ. »

151. Hic rem miram tibi narro, lector; per versus continuos triginta quatuor, a v. 145 ad 180, Statium integrum te habere puto, et nullo mendo fœdatum; quod alibi in his Silvis, nisi unico tantum loco, Lyric. ad Max. Junium, a v. 11 ad 51, frustra, opinor, quæsiveris: de hoc et tibi et mihi gratulor. Variantes quidem lectiones sunt tres vel quatuor in Parmensi, sed non magni momenti.

171. *Sauromatas Latio non est dignata triumpho.* Domitianus de Sarmatis a se devictis triumphare recusavit, et lauream tantum Jovi Capitolino intulit, teste Sueton. Huc oculos habuit Noster, Silv. IV, Consul. Domitiani: « Mille tropæa feres, tantum permitte triumphos. » Martial. Epigr. VIII, xv, vs. 4, ubi de Victoria Sarmatica:

Hos quoque secretos memorabit Roma triumphos,
Nec minor ista tuæ laurea pacis erit.

GEVART.

198. *Ego rite minor, semperque secundus*, etc. *Minor*, id est, ut *ministrum* decet, *inferiorem* se ferendo et fatendo; Horatius, Od. III, 6, vs. 5: « Diis te minorem quod geris, imperas; » Tacitus, de Morib. Germ. cap. 39: « Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor, et potestatem numinis præ se ferens. »

201. *Te similem doctæ*, etc. Heinsius in ora sui exemplaris corrigebat *ductæ* pro *doctæ*, referente cl. Burmanno ad Ovid. Heroid. XX, 210; ubi recte putat nihil hoc loco innovandum esse. *Doctum* bene dicitur quicquid suo modo *ingeniosum* est, et id quod velit efficit. Propert. II, 15,

Illic assidue tauros spectabis arantes,
Et vitem docta ponere falce comas;

docta falx, ut *docta cera*. Vide eruditissimum Burmann. ad Val. Flacc. I, 122; et ad memoratum Ovidii locum.

203. *Inde viam morum, longæque examina vitæ*, etc. Multo melius fecisset Etruscus, si a patre poposcisset *viam morum sanctæque examina vitæ*, potius quam *longæ*. *Examinà vitæ*, ut *legum examina* Ovidio, Met. IX, 550:

Jura senes norint, et, quid liceatque, nefasque,
Fasque sit, inquirant; legumque examina servent.

208. *Genitor mitissime patrum*. Gronovius, Diatr. c. 33, conjecerat *senior mitissime patrum*; recte: Statius enim jam loquitur, non Etruscus; et in MS. Florent. invenit *senior*. Hæ voces sæpe commutantur.

Ita supra, v. 77, pro *senior dimissus in axem*, Parm. habet *genitor*. Dixi supra, ad Glauc. Atedii, v. 90, ubi pro *senior Peleus*, probavi legendum esse *genitor Peleus*.

213. *Hic sacra litabit Manibus; eque tua tumulum tellure levabit.* Lege, « *inque* tua tumulum, etc. » Sensus est: hic, in Italia, litabit Manibus tuis; et cenotaphium tibi exstruet *in tua tellure*, Smyrna, tuo gentili solo. Notus veterum mos cenotaphia constituendi amicis defunctis; ita Æneas Deiphobo, Virgil. Æn. VI, 505: « Tunc egomet tumulum Rhœteo in litore inanem Constitui; » Andromache Hectori, Æn. III, 304; Procne Philomelæ, Ovid. Metam. VI, 568:

> Ut lacrimæ fecere fidem, velamina Procne
> Deripit ex humeris auro fulgentia lato,
> Induiturque atras vestes, et inane sepulcrum
> Constituit, falsisque piacula Manibus infert:

ita legendum et distinguendum; vulgo, « Et lacrimæ fecere fidem: velamina, etc. » sed jam video Heinsium curis secundis hoc occupasse: Priamus Æsaco, Met. XII, 2. Vide Nostrum, Theb. XII, 160. Elegans in hanc rem Epigramma exstat Anthologia, III, 12: Ναὶ λίτομαι σαφοδίτα, etc.

215. *Nostra quoque exemplo meritis tibi carmina sancit.* Nullus in his sensus. Gronovius, Diatr. c. 33, conjecerat, *exemplo meritus*, id est, carmina quæ exemplo pietatis suæ meruit, a nobis elicuit; recte: et ita inveni in Parmensi. Sic in Phileto Ursi, v. 97, « Eximius licet ille animi, meritusque dolorem, Solvisti. » Pro *sancit*, ego conjeceram *sanxit*, ut ejusdem sit temporis quo τὸ *donasse* versu sequenti; et hoc quoque confirmat Parmensis, quæ clare habet *sanxit*. Si scripsisset *sancit*, debuit etiam *donare*, non *donasse*. *Hoc sepulcro*, id est, *hoc honore sepulcrali*. *Sepulcrum* vocat Statius quicquid in honorem mortui perficitur; ita Theb. IX, 563:

> .... veniet cineri decus, et suus ordo
> Manibus: interea justos dum reddimus ignes,
> Hoc uitor Capaneus operit tua membra sepulcro;

ubi hoc *sepulcrum* nihil aliud fuit quam arma Hypseos quæ Capaneus tenebat super occisum Hippomedonta. Sic Geneth. Lucan. v. 70:

> Tu Pelusiaci scelus Canopi
> Deflebis pius, et Pharo cruenta
> Pompeio dabis altius sepulcrum;

Lucani *Pharsaliam* vocat *sepulcrum* Pompeii. Claudian. Epist. ad Adrian. v. 17, de Alexandro:

> .... Darium famulis manibus doluisse peremtum
> Fertur, et ingenti solatus fata sepulcro.

CARMEN IV.

CAPILLI FLAVII EARINI.*

Ite, comæ, facilemque, precor, transcurrite pontum:
Ite, coronato recubantes molliter auro:
Ite, dabit cursus mitis Cytherea secundos,
Placabitque Notos: fors et de puppe timenda
Transferet, inque sua ducet super æquora concha.
Accipe laudatos, juvenis Phœbeïe, crines
Quos tibi Cæsareus donat puer: accipe lætus,
Intonsoque ostende patri: sine dulce nitentes
Comparet, atque diu fratris putet esse Lyæi.
Forsan et ipse comæ nunquam labentis honorem

VARIÆ LECTIONES.

* Vulgo, *Coma Earini*. Suspicatus eram epigraphen hujus carminis fuisse *Capilli Earini*, ut Præfat. seu Epist. ad Pollium: « Earinus præterea, Germanici nostri libertus, scit quamdiu desiderium ejus moratus sim, quum petiisset ut Capillos suos.... versibus dedicarem; » solet enim Statius in epistolis præfatoriis alludere titulis cujusque carminis. Et ita in MSS. invenit Gronovius: codex enim Rhodianus habuit, « Capilli Flavii Ierini; » Saltzburgensis, « Capilli Flavi Ierini. » In Parmensi ego inveni aliquanto auctius, « Capilli Flavii Earini Domitiani Liberti. » Edidi igitur, « Capilli Flavii Earini. » Nec me movet locus Sidon. Apollinaris, ubi titulos nonnullorum carminum recensens, ait, « istum liquido patet neque Balneum Etrusci, neque Herculem Surrentinum, neque Comas Flavii Earini, neque Tibur Vopisci..... lectitasse; » (ita enim recte emendant viri docti pro *Cunas Fl. Sabini*) quippe Sidonius sensum potius tituli quam verba respexit; ita *Tibur Vopisci* vocat, quod esse debuit *Tiburtinum* seu *Villa Tiburtina Manlii Vopisci*: sic enim omnia exemplaria, et ipse Statius, epist. ad Stellam; sed Sidonius allusit primo versui istius carminis, « Cernere facundi Tibur glaciale Vopisci, etc. » — Cod.

Proferet, atque alio clausum tibi ponet in auro.
Pergame, pinifera multum felicior Ida!
Illa licet sacræ placeat sibi laude rapinæ;
(Nempe dedit Superis illum, quem turbida semper
Juno videt, refugitque manum, nectarque recusat)
At tu grata Deis, pulchroque insignis alumno,
Misisti Latio, placida quem fronte ministrum
Juppiter Ausonius pariter, Romanaque Juno
Aspiciunt, et uterque probant. Nec tanta potenti
Terrarum domino Divum sine mente voluptas.
Dicitur Idalios Erycis de vertice lucos
Dum petit, et molles agitat Venus aurea cycnos,
Pergameas intrasse domos, ubi maximus ægris
Auxiliator adest, et festinantia sistens
Fata salutifero mitis Deus incubat angui.
Hic puerum egregiæ præclarum sidere formæ
Ipsius ante Dei ludentem conspicit aram.
Ac primum subita paulum decepta figura
Natorum de plebe putat: sed non erat illi
Arcus, et ex humeris nullæ fulgentibus umbræ.
Miratur puerile decus; vultumque comasque
Aspiciens, « Tune Ausonias, ait, ibis ad arces,
Neglectus Veneri? tu sordida tecta, jugumque
Servitii vulgare feres? procul absit: ego isti

Par. et edit. princ. *Coma Earini.* A.

11. *Clausum.* Cod. Paris. et ed. pr. *clusum.* A.

13. *Laude rapinæ:* vulgo *nube rap.* — Cod. Paris. et edit. princ. *nube;* et pro *sibi, tibi;* Par. tamen cod. ex emendatione, *sibi.* Vide not. A.

15. *Juno videt:* edit. pr. *dedit;* cod. Paris. *dedit*, et ad marg. *videt.* A.

27. *Aram.* Ita omnes quas vidi editiones præter Parmensem, quæ *aras* habet, non *aram:* recte. Sic infra, v. 81, « patrias nunc vertex solus ad aras Naviget; » et 95: « patriis nec gratius ullum Munus erit templis. » Majus et augustius aliquid in plurali numero: et hoc pacto vitatur ambiguitas compositionis in τοῖς *ludentem aram.* — Cod. Paris. et ed. pr. *aram.* A.

Quem meruit, formæ dominum dabo. Vade age mecum,
Vade, puer; ducam volucri per sidera curru
Donum immane duci: nec te plebeia manebunt
Jura; Palatino famulus deberis amori.
Nil ego, nil, fateor, toto tam dulce sub orbe
Aut vidi, aut genui. Cedat tibi Latmius ultro
Sangariusque puer; quemque irrita fontis imago
Et sterilis consumpsit amor: te cærula Nais
Mallet, et apprensa traxisset fortius urna.
Tu, puer, ante omnes; solus formosior ille
Cui daberis. » Sic orsa, leves secum ipsa per auras
Tollit, olorinaque jubet considere biga.
Nec mora: jam Latii montes, veterisque penates
Evandri, quos mole nova pater inclytus urbis
Excolit, et summis æquat Germanicus astris.
Tunc propior jam cura Deæ, quæ forma capillis
Optima, quæ vestis roseos accendere vultus

38. *Deberis.* Cod. Paris. *debebis;* ed. pr. *deberis.* A.

39. *Jam dulce.* Hic quoque optima Parmensis *tam dulce*, non *jam;* vere. Perperam eadem *cedet* pro *cedat*, versu proxime sequenti; verum est *cedat*, ut v. 84, « Huic et purpurei cedat coma saucia Nisi; » et Eq. Maxim. vers. 84: « Cedat equus, Latiæ qui contra templa Dionæ, etc.; » et ita passim. — Cod. Paris. et ed. pr. *jam* pro *tam* retinent; versu sequenti, hæc et ille *cedat.* A.

46. *Considere.* Ed. pr. *consedere;* cod. Paris. ex emendatione, *considere.* A.

47. *Veteresque Penates Evandri.* Lege *veterisque Penates Evandri;* suavius hoc, et magis poeticum, et usitatius. Horatius, Carm. II, 12, 9; Virgilius, VII, 254; Valer. Flaccus, II, 473 et 581. Hoc etiam modo vitatur concursus trium vocum in *es* exeuntium, *montes veteres penates.* Seq. vers. pro *Evandri, quos,* etc. Parm. habet *Evandris quo;* et pro *pater urbis,* eadem *orbis,* ut lib. IV, 1, « Salve, magne parens mundi; » et Euchar. v. 14, « Tene ego, regnator terrarum, orbisque subacti Magne parens; » et ita passim poetis. Sed verius hoc loco *urbis,* id est, *Romæ;* agit enim Statius de ædificiis quibus Romam excoluerat Domitianus; et *Palatium* intelligit. Notum istud Horatii, Carm. III, 24: « Si quæret Pater urbium Subscribi statuis. » — Cod. Paris. edit. pr. Cruc. Gronov. *veteres.* Deinde, cod. Par. et edit. pr. *pater urbis.* A.

Apta; quod in digitis, collo quod dignius aurum.
Norat cælestes oculos ducis, ipsaque tædas
Junxerat, et plena dederat connubia dextra.
Sic ornat crines, Tyrios sic fundit amictus;
Dat radios, ignemque suum. Cessere priores
Deliciæ, famulûmque greges : hic pocula magno
Prima duci, murrasque graves, crystallaque portat
Candidiore manu : crescit nova gratia Baccho.
Care puer, Superis qui prælibare verendum
Nectar, et ingentem toties contingere dextram
Electus, quam nosse Getæ, quam tangere Persæ,
Armeniique, Indique petunt! o sidere dextro
Edite, multa tibi Divûm indulgentia favit!
Olim etiam, ne prima genas lanugo nitentes
Spargeret, et pulchræ fuscaret gratia formæ,
Ipse Deus patriæ, celsam trans æquora liquit
Pergamon : haud ulli puerum mollire potestas
Credita; sed tacita juvenis Phœbeïus arte
Leniter, haud ullo concussum vulnere corpus

52. Pro *dignius*, Rom. *pinguius*; male : *dignius* est *aptius*, *convenientius*. Auct. Ætn. v. 262 : « hæc herbis dignissima tellus; » quem locum non nunc vacat excutere. Parm. omittit *in* ante *digitis*. — Ed. princ. *quid pignius* : cod. Paris. in textu, *pinguius*; ad margin. *dignius*. A.

55. *Fundit amictus*. Veneta, *fugit amictus* : an voluit, *fingit amictus?* — Cod. Paris. edit. princ. *fundit*. A.

58. Lege, *murrasque puer*. — Et *puer* pro *graves* habent cod. Paris. et ed. pr. A. — Male Parm. *portet*. — Cod. Par. ed. pr. *portat*. Vide not. A.

60. *Care puer, Superis* etc. Immo potius *Clare puer*, utpote cui permissum est *prælibare nectar verendum Superis* (non autem *prælibare Superis*), et *dextram Domini contingere* : ita Silvar. V, 2 : « Sic te, clare puer; » supra, eodem carm. v. 8, « Quod si militiæ jam te, puer inclite, etc. » Recte igitur *clare* : istud alterum nimis familiare. Hæ vero voces perpetuo confunduntur. Vide Bentleium ad Horat. carm. III, 14, v. 7.

66. *Spargeret*. Vulgo, *Carperet*; ita quoque cod. Paris. et edit. pr. Vide not. A. — Mox forte legendum *gaudia formæ*, pro *gratia*. Cf. not.

70. *Haud ullo concussum*. Ven.

De sexu transire jubet. Tamen anxia curis
Mordetur, puerique timet Cytherea dolores.
Nondum pulchra ducis clementia cœperat ortu
Intactos servare mares; nunc frangere sexum,
Atque hominem mutare nefas; gavisaque solos
Quos genuit Natura videt; nec lege sinistra
Ferre timent famulæ natorum pondera matres.
Tu quoque, nunc juvenis, genitus si tardius esses,
Umbratusque genas, et adultos fortior artus,
Non unum gaudens Phœbea ad limina munus
Misisses: patrias nunc vertex solus ad aras
Naviget; hunc multo Paphie saturabat amomo,
Hunc nova tergemina repetebat Gratia dextra.

aut nullo. Scribe: « Leniter, et nullo concussum vulnere corpus. » Pro *corpus*, Rom. *torpens*; quod Domitius interpretatur satis ridicule. — Cod. Par. in contextu *torpens*; ad marg. *corpus*; ed. pr. *torpens*. A.

74. Pro *frangere sexum*, omnes Domitii codices habebant *saxo*: perperam. Nimirum in auribus librarii qui primus corrupit, tinniebat istud Virgil. Æn. I, 183: « Et torrere parant flammis, et frangere saxo. » Parmensis quoque *saxo*. *Ista*, *nunc frangere sexum*, etc. pulcherrima sunt: nemo poetarum potuit melius. — Cod. Par. *sexum*; ed. pr. *serum*. A.

81. Pro *vertex solus*, in omnibus Domitii codd. erat *solus victor*: unde ille gloriatur se vulgatam fecisse *vertex solus*. Parmensis quoque *solus victor ad aras*. Bernartius notat in MS. fuisse *nunc crinis*: quod glossa seu explicatio videtur τοῦ *vertex*. Veram puto Domitii emendationem *vertex solus*; certe magis figuratum et poeticum est *vertex* quam *crinis*; licet hoc malit Politian. Epist. VI, 1, forte ex scriptis. — Cod. Paris. in textu *vertex solus*, et ad marg. pro *vertex*, *cyrrus*; mox, ad finem vers. *oras* a sec. manu. Ed. pr. *vertex solus ad aras*.

83. *Tergemina pectebat Gratia dextra*. Rom. et Venet. editiones *repetebat*, probante Gronov. Diatr. cap. 34, recte. Ovid. Met. VI, 20, « repetita vellera; » Noster, Theb. VI, 541: « chlamys repetita murice; » Ovid. Metam. V, 473: « Et repetita suis percussit pectora palmis; » eleganter idem, Amor. III, 6, de tauro, « revocatas ruminat herbas; » *revocatas* ibi idem quod *repetitas*; quem locum imitatur Calpurn. eclog. III, 17, de tauro: « gelidaque jacet spatiatus in umbra, Et matutinas revocat palearibus herbas. » Probum quidem suo loco *pectebat*; sed hic multo elegantius et magis poeticum *repetebat*, vel propter ista *tergemina dextra*. — Cod. Paris. et edit. princ. *repetebat*. A.

Huic et purpurei cedat coma saucia Nisi,
Et quam Sperchio tumidus servabat Achilles.
Ipsi, quum primum niveam præcerpere frontem
Decretum est, humerosque manu nudare nitentes,
Accurrunt teneri Paphia cum matre volucres,
Expediuntque comas, et serica pectore ponunt
Pallia : tunc junctis crinem incidere sagittis,
Atque auro, gemmisque locant : rapit ipsa cadentes
Mater, et arcanos iterat Cytherea liquores.
Tunc puer e turba, manibus qui forte supinis
Nobile gemmato speculum portaverat auro,
« Hoc quoque demus, ait; patriis nec gratius ullum
Munus erit templis, ipsoque potentius auro.
Tu modo fige aciem, et vultus hos usque relinque. »

84. Pro *cedat*, Parmens. *cedet* : mendose. — Cod. Par. edit. princ. *cedat*. A.

87. *Humerosque modo nudare nitentes.* Dan. Heinsius, Crepundiis Silianis ad XV, 674, ex eo quod erat in editionibus « humerosque modo nudare nitentes, » transponit et legit « nodoque humeros nudare nitentes. » Sed non opus est; veram enim lectionem servant Parm. Rom. et Venet. editt. « humerosque manu nudare; » ita carm. præcedente, v. 127 : « florentesque manu scidit Atropos annos; » vide Theb. IV, v. 189; III, 248 : « Ipse manu Thebas correptaque mœnia fundo Excutiam, versasque solo super Inacha tecta Effundam turres, ac stagna in cærula vertam, etc.; » ubi displicet *versas* et *vertam*; lege, *stagna in cærula mergam*, ut infra eodem libro, v. 302 : « prius in patrui deus infera mergar Stagna; » XI, 628 : « occulte telum, nisi nata vetaret, Quærebat; sed cauta manu subduxerat enses Antigone; » ita legendum; vulgo, *casta* Antigone, epitheto huic loco alieno. Claudianus, de Bell. Getic. v. 274, « Nunc instare manu, toto nunc robore niti Communi pro puppe decet; » ita legendum esse apparet ex præcedentibus et sequentibus : vulgo, *communi pro luce*, frigide : vide locum. *Niveam frontem* ut apud Sil. Italic. VII, 446 : « Ast alius nivea comebat fronte capillos; » ubi tamen, nisi omnia me fallunt, scripsit Silius *niveo dente*. — Cod. Par. ed. pr. *manu*. A.

88. *Teneri.* Forte legendum, *pueri*. — Cod. Par. ed. pr. Cruc. Gronov. *teneri*. Vide not. A.

90. Pro *sagittis*, Parm. *lacertis*; et pro *tunc*, *cum*; verior vulgata. — Cod. Paris. edit. princ. *tunc... sagittis*. A.

97. *Vultus hos usque relinque.* Vulgo, *huc usque*; et sic etiam ed.

Sic ait, et speculum seclusit imagine rapta.
At puer egregias tendens ad sidera palmas,
« His mihi pro donis, hominum mitissime custos,
Si merui, longa dominum renovare juventa,
Atque orbi servare velis! hoc sidera mecum,
Hoc undæ, terræque rogant: eat, oro, per annos
Iliacos, Pyliosque situs; propriosque penates
Gaudeat, et secum Tarpeia senescere templa. »
Sic ait, et motas miratur Pergamos aras.

princ. et cod. Paris. Vide not. A.

98. Pro *reclusit*, recte Gronovius *seclusit; recludere* enim est *aperire;* quod sensui hujus loci contrarium est. Deinde pro *egregius*, aures poeticæ exigunt *egregias*, ut Virg. Æn. II, « geminas tendens ad sidera palmas. » — Cod. Paris. edit. princ. *reclusit;* et seq. vers. *egregius;* quod vulgo scribitur. A.

104. *Situs.* Vulgo, *simul.* Cod. Paris. edit. pr. *simul.* Vide not. ad vs. 103. Mox *penatis* pro *penates*, in iisdem. A.

NOTÆ

IN CARMEN QUARTUM LIBRI TERTII

SILVARUM.

CAPILLI FLAVII EARINI. Antiquis mos fuit, ut, quum primam barbam deponerent, et tonderent crines, numini dicarent, exhilararentque diem sacris et conviviis; et, ut ex Tranquillo discimus, « Nero barbam primam conditam in aurea pixide, et pretiosissimis margaritis adornatam Jovi Capitolino consecravit. » Et alibi: « Caius princeps barbam deposuit sine ullo honore. » Eodem instituto Earinus, Domitiani libertus, jam formæ gratia languente, crines dicat Æsculapio Pergameo; nam Pergamon habuit patriam in Asia, imperatorique Domitiano pocula miscuit. Nomen a vere sumsit, quod numeris Latinis comprehendi non posse jocatur Martialis. DOMIT.

VERS. 13. *Sacræ placeat sibi nube rapinæ.* Quis mihi explicabit quid sit *nubes rapinæ?* et scio quidem hunc locum adduci a doctissimo Heinsio, ad Val. Flacci I, 706: « Nube nova linquente domos; » sed alia ratio istius ac hujus loci: ut enim Dædalus et Icarus poetice vocari possent *Nubes*, non tamen explicari potest ex sensu communi, quomodo Ida *sibi placere* potuit *nube rapinæ*. Ne dubites quin scripserit Statius, « sacræ placeat sibi laude rapinæ; » Val. Flacc. II, 148: « non laude pudoris Par tibi; » Noster, Theb. IX, 704, de Parthenopæo, « Nec formæ sibi laude placet; » et VI, 574, de eodem: « Ipse tamen formæ laudem aspernatur; » Mamertin. Grat. Act. pro Consulatu, cap. 25: « Si quis præstat virtutibus bellicis et laude militiæ, in amicis habetur; » Arnobius, III: « Quum enim in singulis singulos anteire interioris contenditis scientiæ laude, etc. » Thebaid. II, v. 203: « Egregiam Argiam, nec formæ laude secundam Deiphilen; » Priscianus, Perieg. 446: « Ætolæ gentis sunt belli laude potentis Campi. » Eutropius, lib. IX, de Quintilio Imperatore: « Vir unica moderationis et civilitatis laude æquandus fratri, vel præponendus; » Aurelius Victor, in Cicerone: « post, Rhodum petiit, ubi Molonem Græcum, rhetorum tum disertissimum, magistrum habuit; qui flesse dicitur, quod per hunc Græcia eloquentiæ laude privaretur; » quo loco mallem, « ubi Molonem, Græcorum rhetorum tum disertissimum, etc. » quod verum est. Val. Flacc. VI, 594: « Nec nunc

laude prior generis. » *Laude ingenii, laude eloquentiæ florere* passim apud Ciceronem. Nemo conjiciat *labe rapinæ* pro *nube; laude* enim verum est.

18. *Romanaque Juno.* Domitiam intelligit, ex qua secundo consulatu filium suscepit Domitianus. Altero anno salutavit ut Augustam. Eamdem Paridis histrionis amore deperditam repudiavit; intraque breve tempus discidii impatiens reduxit. DOMIT.

40. *Latmius puer.* Endymion, qui obdormivit in Latmo monte Ioniæ, a Lunaque ob formæ præstantiam amatus; sed (ut historia habet) primus Lunæ cursum percepit, unde fabulæ locus datus est. — *Sangarius puer;* Atis, dilectus Cybele. Sangarus, Phrygiæ fluvius. DOMIT.

42. *Te cærula Nais Mallet, et apprensa traxisset fortius urna.* De Hyla puero intellige, a Nymphis rapto, dum pronus aquam haurire parat. Fabulam adfert Propertius, Eleg. I, 20, ubi vide nos. ED.

48. *Quos mole nova pater inclytus urbis Excolit.* Domitianus plurima et amplissima opera incendio absumpta restituit, et Capitolium quod rursus arserat: præterea novam ædem Jovi Capitolino erexit: forum transitorium, Isium et Serapicum stadium, Micam auream, Flaviæ gentis templum, Minervam Chalcidicam, Metodium forum, quod postea Trajani dictum est. Hæc autem omnia decimo sui imperii anno, ut Eusebius colligit, confecit. DOMIT.

53. *Norat cælestes oculos Ducis.* Id est, *judicium* et ἀκρίβειαν Domitiani novit, et quam elegans formarum spectator ille esset; hoc enim vult per *oculos.* Ita Herc. Epitrap. v. 22, « quis namque oculis certaverit usquam Vindicis, artificum veteres cognoscere ductus? » Et eodem carm. vers. ult. « certe tu muneris auctor Non aliis malles oculis, Lysippe, probari. » Inde *judicium oculorum* Plin. Epist. I, 21: « Ut animi tui judicio, sic oculorum plurimum tribuo; » et III, 6: « Talia denique omnia, ut possint artificum etiam oculos tenere, delectare imperitorum. » Quæ præcedunt in Statio, « quæ vestis roseos accendere vultus Apta, etc. » ex Ovidio sumta sunt, Heroid. XXI, 89:

> Ipsa dedit gemmas digitis, et crinibus aurum,
> Et vestes humeris induit ipsa meis.

54. *Plena dextra*, ut apud Sil. Italic. XV, 56, « plenaque dedit bona gaudia dextra; » Valer. Flaccus, VII, 608: « Plena sic semina dextra Spargere gaudet agris. » Vide Broukhus. ad Tibull. I, 6, v. 32. Sed ut verum fatear, non recte capio quo sensu *connubia* dici possint dari *plena dextra;* et aliquid ὕποπτον suspicor latere. Forte legendum *prona*, id est, facili, favente.

58. *Myrrhasque graves crystallaque portat.* Pro *myrrhas*, Salmasius,

Plinian. Exercit. p. 143, probat scribendum esse *murras*, a Græca voce μύρρα; ea erat lapis ex quo vasa *murrina* conficiebantur; et ita semper scribi vult hanc vocem, *murra*, non *myrrha*. Verum videtur quod dicit vir maximus, et ideo in contextu meo secutus sum; sed parum apte *puero* dantur *graves murræ*, quæ robustiori ætati magis convenirent. Huic incommodo subveniunt Parm. et Rom. quæ habent, « myrrhasque puer crystallaque; » quod quum expressum fuerit ex diversis et nonnullis eorum optimis codicibus, nescio sane quare mutarint in *graves;* forte ex eo quod versu abhinc secundo sequitur *Care puer, Superis* etc. quod quidem me moveret, nisi scirem hoc carm. pæne extemporaneum fuisse, et minimum temporis ei impensum esse, prout ipse, Præfat. testatur; præterea, etiam exactissimi poetæ interdum hoc sibi permittunt, ut eadem voce utantur non longe dissita, quando sensus et sententia nova orditur, ut in hoc loco: quod pluribus testimoniis, si opus esset, probare possem. In contextum itaque recipiatur « murrasque puer crystallaque portat. »

65. *Olim etiam ne prima genas lanugo nitentes Carperet.* Non intelligo quo sensu lanugo *carpit* genas; *vestit* quidem et *obumbrat* genas; sed *carpere genas* alia omnino res est, et *febris* vel *pthisios* potius quam *lanuginis*. Noster, II, 6: « jacenti Injecit nexus, carpsitque immitis adunca Ora verenda manu; » Lucan. IX, 744: « Ecce subit virus tacitum carpitque medullas Ignis edax; » Prudentius, Hymn. in Exseq. defunct. v. 101,

Nam nulla deinde senectus
Frontis decus invida carpet.

Sic *carpere vires* pro *imminuere* et *exhaurire*, apud Virg. Georg. III, et alios. Scripsit Statius, « ne prima genas lanugo nitentes Spargeret; » nihil certius. Conf. Sil. Ital. VII, 691, et XVI, 469. *Spargere* proprium in hac re verbum; vid. Ovid. Metam. VIII, 567; Art. Amat. III, 76; Epist. ex Ponto, I, 4, 1; Val. Flacc. IV, 233. *Pingere* malas eodem sensu Auctor Panegyrici ad Calp. Pisonem, v. 248; et Ausonius in Epitaph. Glauciæ:

Læta bis octono tibi jam sub consule pubes
Pingebat teneras, Glaucia adulte, genas:

ita legendum; vulgo *cingebat;* licet alibi eamdem vocem usurpet eodem sensu, nempe Parental. XXIII:

Tu tener et primo, nove flos, decerperis ævo,
Nondum purpureas cinctus, Ephebe, genas:

ubi vulgo, *Quam tener;* sine sensu. Apuleius, Miles. V, « Jam medium cursum ætatis agere, interspersum rara canitie. » Mox pro *fuscaret gratia formæ*, Gronovius mavult *gaudia formæ;* bene; Ovid. Met. XIV, 652:

Denique per multas aditum sibi sæpe figuras
Repperit, ut caperet speratæ gaudia formæ;

Noster, Thebaid. X, 628: « Nunc age quis stimulos et pulchræ gaudia

mortis Addiderit juveni, etc. » Silv. IV, 7: « Tentat audaci fide Mantuanæ Gaudia famæ; » et carm. IV ejusd. lib. « ventosaque gaudia famæ Quærimus. » *Fuscaret gaudia :* Symmach. Epist. edita a Lud. Carrione, Emendat. lib. I, cap. 11: « Baiis remotus ab arbitris otiabar. Eo postquam rumor allatus est terræ filios convenire, oppido cavemus ne sobriam solitudinem nostram solitas plebeia fuscaret; » ubi pro *solitas*, Carrio conjicit *ebrietas*, longe nimis a vulgatæ scriptura : legendum clare, *sodalitas plebeia;* ut opponatur *solitudini*. Lucan. X, 134: « stat contra fortior ætas Vix ulla fuscante tamen lanugine malas. » Quomodo huic hirsutiæ obviam ibant mangones disce ex Plinio, Hist. Nat. XXX, 5: « Ne sint malæ hirsutæ, formicarum ova pueris infricata præstant; item mangonibus, ut lanugo tardior sit pubescentium, sanguis e testiculis agnorum qui castrantur. » Recte vero *pulchræ formæ*, ut Via Dom. v. 15. Sueton. Vita Persii poetæ : « Fuit morum lenissimorum, verecundiæ virginalis, formæ pulchræ. »

74. *Nunc frangere sexum, Atque hominem mutare nefas.* Domitianus legem tulit, qua castrari mares prohibuit. Tranquillus: « Castrare mares vetuit: spadonum pretia, quæ apud Mangones erant, moderatus est. » Martialis:

Non puer avari sectus arte Mangonis
Virilitatis damna mœret ereptæ.

DOMIT.

— Quibus obstitit Domitianus crimina nunc per Divinæ Religionis Pontifices licent; neque in Italia sua laus theatro, quin feminea voce aures demulceant isti (an istæ dicam, nescio) cantatores, quibus ab ignominia sua nomen inditum. A.

84. *Huic et purpurei cedat coma saucia Nisi.* Gronov. Diatr. cap. 34: « *Sauciam comam* interpretatur Domitius quæ decerpta a filia erat. Sed *saucia* nihil aliud est quam *purpurea, sanguinea, saucii colorem referens.* » Hanc Gronovii explicationem merito rejicit Salm. Epist. 108, quum ob alias rationes, tum quia si *saucia* accipiamus pro *purpurea*, erit *purpurea* coma Nisi *purpurei*. Ipse nihil statuit, sed aliam interpretationem quærendam putat. Et quærenti in promptu est; quippe *coma saucia purpurei Nisi* est *coma purpurea saucii Nisi;* qua hypallage nihil frequentius omnibus poetis, et exempla dabimus ad Silvar. IV, 1, v. 45. *Coma purpurea*, ut Virg. Georg. I, 405: « Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo. » Hyginus, Fab. 198, « Nisus Martis filius, sive, ut alii dicunt, Deïonis filius, rex Megarensium, in capite crinem purpureum habuisse dicitur; » unde *purpureus senex* dicitur Nostro, Theb. I, 334.

88. *Accurrunt teneri Paphia cum matre volucres.* Per *teneros volucres* intelligit *Cupidines;* sed mihi vix credibile est Statium duo adjectiva sine substantivo adhibuisse. Vide quibus rationibus inductus lego *pueri*,

non *teneri* volucres. Ovid. Epist. ex Pont. III, 3: « Hæc ego visus eram puero dixisse volucri; » Amor. II, 7: « Per Venerem juro puerique volatilis arcus; » i. e. *volucris*. Idem, Metam. V, 364: « videt hunc Erycina vagantem Monte suo residens; natumque amplexa volûcrem; » Claudian. Epithal. Pallad. et Celer. v. 9, « Pennati passim pueri, quo quemque vocavit Umbra, jacent; » Noster, infra, carm. V, 68, « Nonne leves pueros, non te, Cytherea, pudebat Hoc cessare decus? » id est, *pueros volueres*. Thebaid. IV, 794: « Sic tener Odrysia Mavors nive, sic puer ales Vertice Mænalio, etc. » Dudum, opinor, agnoscis *pueros* volucres; ales *puer* Horat. Carm. III, 12.

94. *Nobile gemmato speculum portaverat auro.* Modo dixerat, « Atque auro gemmisque locant; » statim dicturus est, « ipsoque potentius auro; » hæc mendi suspicionem incutiunt. Lego, « Nobile gemmato speculum portaverat orbe; » « speculum nobile gemmato orbe. » Martial. Epigr. IX, XVIII, de hac re:

> Hos tibi laudatos domino, sua vota, capillos
> Ille tuus Latia misit ab urbe puer;
> Addidit et nitidum sacratis crinibus orbem,
> Quo felix facies judice culta fuit;

ita legit Heins. ad Ovid. Amor. I, 14, pro *tota* fuit. Vide plura ejusdem argumenti apud Martialem, loco indicato. *Orbis gemmatus* est περιφέρια speculi, *gemmis* interstincta. Senec. Nat. Qu. I, 17: « et mox proprius huic ministerio præparatus est orbis; » de speculis.

97. *Et vultus huc usque relinque.* Barthius gloriatur neminem ante se vidisse legendum esse *hic usque*. Ego lippus video Statium scripsisse, « Et vultus hos usque relinque; » dicit Cupido: speculum quoque una cum Comis demus: nec ullum munus gratius erit Æsculapio; immo gratius erit aurea pyxide, modo tu in illo figas aciem, et relinquas illic in perpetuum hos vultus, *tales* vultus, talem formam, qualem nunc habes: elegantissime: scriptum erat pro *hos*, *hoc;* unde fecerunt *huc*. *Hos* est *tales*, ut Herc. Surrent. v. 140: « hos nec Pisæus honores Juppiter, aut Cirrhæ pater aspernetur opacæ. » Herc. Epitrap. v. 106, « nec barbarus unquam Annibal, aut sævi posset vox horrida Sullæ His celebrare modis; » id est *tales* honores, *talibus* modis. Thebaid. III, 229: « talis mihi, nate, per Argos Talis abi; sic ense madens, hac nubilus ira; » ita legendum; vulgo *ac nubilus; hac* ira est *tali* ira. Epithal. Stell. v. 162, « Quonam hic usque sopor, vacuique modestia lecti? » Venus Violantillam alloquitur: Quousque *talis* sopor, *viduus* et sine conjuge? ubi male conjectabam *pudor* pro *sopor*, non tunc percipiens significationem τοῦ *hic* in isto loco. Dele igitur *pudor* in ima pagina, et totam notam p. 79, nisi ob levem Lucani emendationem servari velis.

103. *Eat, oro, per annos Iliacos Pyliosque simul.* Stultum nimis et

puerile hoc votum tuum, o Earine; si enim aliquis erat per *annos Iliacos*, seu ætatem Tithoni, quodnam opus ut *simul* eat per annos Nestoris? voluisti, opinor, dicere, jungat ætatem Nestoris ætati Tithoni; ut apud Martialem, epigr. VIII, 2, in re simili,

> Terrarum Domino Deoque nostro
> Promisit Pyliam quater senectam:
> Addas, Jane pater, tuam rogamus.

Sed hoc non est *simul* ire per annos Pylios, sed *postea;* eat primum per annos Tithoni, *deinde* vel *postea* (non *simul!*) per annos Nestoris: si enim *simul* eat, nihil annis Domitiani per hoc votum tuum addetur. Hoc modo optasti, « eat, oro, per annos Iliacos Pyliosque situs; » i. e. *senectutem;* probo hoc ex Silvar. I, 4, v. 125: « Tu Troica dignus Sæcula, et Euboici transcendere pulveris annos, Nestoreosque situs; » hæc est res ipsa. Virg. Æn. VII, 440, « Sed te victa situ verique effœta senectus; » ad quæ Servius: « *Victa situ senectus.* Temporis longinquitate, ex qua nascitur situs. » Hunc locum imitatur Statius, Silv. III, 3: « Tu, seu tarda situ, rebusque exhausta senectus Erravit, seu, etc. » Thebaid. VII, 744:

> Sic ubi nubiferi montis latus aut nova ventis
> Solvit hiems, aut victa situ non pertulit ætas;

ita legendum; vulgo, *nubiferum*. Seneca, OEdip. v. 818, « prima languescit senum Memoria, longo lassa sublabens situ. » Ovid. Metam. VII, 285, de Æsone recocto, « abeunt pallorque situsque; » et mox v. 302, « Dumque refert inter meritorum maxima demtos Æsonis esse situs. » *Pylios dies* Ovidius, Trist. V, 5. Virgilius, Catalectis:

> Carmina, quæ Pylium, sæclis accepta futuris,
> Carmina, quæ Pylium vincere digna senem;

quis ferre potest *Pylium* et *Pylium senem?* lege, « Carmina quæ Phrygium, sæclis accepta futuris; » *Phrygius senex* seu *Priamus*, et *Pylius*, sæpissime conjunguntur, ut in loco Statii jam citando, et passim his Silvis, et alibi. *Pyliæ senectæ* Noster, Theb. V, 751: « Pyliæ nec fata senectæ Maluerit, Phrygiis aut degere longius annis; » ad quæ Lutatius vetus Scholiastes: « Pylias senex, jam annos Nestoris dicit; » lege, « Pyliam senectam annos Nestoris dicit. » Pari modo depravatus forte Ovid. locus, Metam. IX, 253: « æternum est a me quod traxit, et expers Atque immune necis, nullique domabile flammæ; » ubi pro *necis*, codex habet *simul*, notante Heinsio; qui conjicit, « Atque immune situs: » bene. *Verborum situs* Senec. Epist. 58; *veterem ætatem* verborum vocat Horatius, Art. Poet. Est vero *situs* « proprie lanugo quædam ex humore procreata, » ut ait Servius, ad Virg. Æn. VI, 462: pro *ætate* simpliciter eam usurpat Serenus Sammonicus, lib. de Medicina, c. 36:

> Præterea quascunque voles avertere setas,
> Atque in perpetuum rediviva occludere tela,
> Corporibus vulsis saniem perducito ranæ,
> Sed quæ parva situ est, et ranco garrula questu.

De Nestoris *situ* seu ætate insignis est Propertii locus, Eleg. II, 10, insigniter depravatus. Loquitur poeta de incommodis longæ vitæ, et quanto melius Nestori fuisset, si communem et usitatum vivendi terminum non excessisset:

Nam quo tam dubiæ servetur spiritus horæ?
Nestoris est visus post tria sæcla cinis.
Quis tam longævæ meminisset fata senectæ
Gallicus Iliacis miles in aggeribus?
Non ille Antilochi vidisset corpus humati;
Diceret aut, O Mors, cur mihi sera venis?

Ita ediderunt Scaliger et Broukhusius; et piget sane referre eorum explicationes falsas, quum adeo in propinquo sit veritas:

Nestoris est visus post tria sæcla cinis;
Qui si tam longæ minuisset fata senectæ
Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
Non ille Antilochi vidisset corpus humati:

explicatione non eget locus jam facillimus. Simile est istud Vell. Paterculi, II, 48, de Pompeio: « Qui si ante biennium quam ad arma itum est, gravissima tentatus valetudine decessisset in Campania, defuisset Fortunæ destruendi (f. destituendi) ejus locus; et quam apud superos habuerat magnitudinem, inlibatam detulisset ad inferos. » Et eod. lib. cap. 7, de Gracchis: « Qui si civilem dignitatis concupissent modum, quicquid tumultuando adipisci gestierunt, quietis obtulisset respublica. » Restat scrupulus, quare Nestor vocatur *Gallicus miles*: vide, si tanti est, Scaliger. et Broukhus.: ego vero conjicio:

Qui si tam longæ minuisset fata senectæ
Saucius Iliacis miles in aggeribus,
Non ille Antilochi, etc.

Si vitam, inquit, finisset eo tempore quo vulneratus erat pugnans ad Trojam, non vidisset funus Antilochi. Haurio hoc ex sensu, et simili loco lib. I, 21: « Miles ab Etruscis saucius aggeribus. » Possem tibi dicere parum differentiæ esse in scriptura vocum *Saucius* et *Gallicus* in minuto charactere; sed satis hæc.

CARMEN V.

AD CLAUDIAM UXOREM.*

Quid mihi mæsta die, sociis quid noctibus, uxor,
Anxia, pervigili ducis suspiria cura?
Non metuo ne læsa fides, aut pectore in isto
Alter amor: nullis in te datur ire sagittis,
Audiat infesto licet hæc Rhamnusia vultu,
Non datur; et si egomet patrio de litore raptus
Quatuor emeritis per bella, per æquora, lustris
Errarem, tu mille procos intacta fugares;
Non intersectas commenta retexere telas,
Sed sine fraude palam, thalamisque orbata negasses.

VARIÆ LECTIONES.

* *Ad Claudiam uxorem.* Parmensis addit, *ut secum Neapolim secedat.* Iterum ex Præfat. « summa est Ecloga, qua mecum secedere Neapolim Claudiam meam exhortor. » — Cod. Par. ed. pr. nil mutant. A.

3. *Ne.* Cod. Par. a manu prima *nec;* ex emend. *ne.* Ed. pr. *nec.* A.

9. Vulgo: *Non intertextas.* Cod. Paris. edit. princ. *non intersectas.* Conf. not. A.

10. *Thalamosque armata negasses.* Non video quem locum hic habere potest vox *armata;* nisi virtutis adeo Amazonicæ fuerit Claudia, ut ad depellendos procos *arma* sumeret: certe hoc non voluit Statius; lege *orbata:* etiamsi marito *orbata* et desolata esses, tamen tantæ es fidei et probitatis, ut nullos procos, nullas novas conditiones admitteres. Bene vero *orbata*, ut apud Claudian. de Bello Gildon. « Orbatas jubet ire nurus, nuperque peremtis Arridere viris; » Noster, Glauc. Melior. vs. 8: « citius me tigris abactis Fœtibus, orbatæque velint audire leænæ: » ubi vide quæ notavi. Est autem Græcæ elegantiæ quod verbum *nego* dativum casum post se trahit. Noster, Silv. III, 1, 124: « saxa negantia ferro, » id est, *non admittentia* ferrum; sic Theb. IV, 124, *Cereri negat Dyme,*

Dic tamen unde alia mihi fronte, et nubila vultu?
Anne quod Euboïcos fessus remeare penates
Auguror, et patria senium componere terra?
Cur hoc tríste tibi? certe lascivia cordi
Nulla, nec aut rapidi mulcent te prælia Circi,
Aut intrat sensus clamosi turba theatri:
Sed probitas, et opaca quies, et sordida nunquam
Gaudia. Quas autem comitem te rapto per undas?
Quamquam, et si gelidas irem mansurus ad Arctos,
Vel super Hesperiæ vada caligantia Thules,
Aut septemgemini caput haud penetrabile Nili,
Hortarere vias: etenim tua, (nempe benigna

id est, *infœcunda est frugibus*, ut bene scholiastes. Thebaid. III, 69: « jamque ut mihi prodiga vitæ Pectora et extremam nihil horrescentia sortem Aspicias, bellum infandum, ominibusque negantem Movisti, funeste, aciem; » ita legendum, vulgo, *extremam mortem* et *ominibus negatam*; IV, 457, « jam tum pavidis maculosa bidentum Corda negant, diraque nefas minitantia vena; » ita etiam passim apud hunc et alios; vide ad Herc. Surr. v. 123. Lege igitur, « thalamisque orbata negasses; » non admitteres novas nuptias. — Cod. Paris. edit. princ. *thalamosque armata*. A.

11. Pro *alia fronte*, Parm. *alta*; et pro *vultu*, Rom. *vultus*; bene; ut *mitis vultus* Herc. Epitrap. v. 55; ubi intelligitur *quoad*; ut et Eucharist. v. 41, « Tranquillum vultus et majestate serena Mulcentem radios; » ubi pariter erat *vultu*, *sed*. — Cod. Par. ed. pr. *alta fronte.... vultus*. A.

16. *Clamosi turba theatri*. Suspicor Statium scripsisse *cura theatri*; ex Propertio, II, 16, 33 (Collect. nost. Ed.): « Tot jam abiere dies, quum me nec cura theatri Nec tetigit Campi; nec mea Musa juvat. » Vide ad II, 2, v. 70, ubi hæ voces commutantur.

21. *Haud penetrabile*. Sic edit. pr. et cod. Paris. qui ex emendatione habet *inpenetrabile*. A.

22. *Hæc mens tua nempe benigna Quam mihi sorte Venus junctam florentibus annis Servat et in senium*. Hæc est editionum plerarumque lectio et distinctio, sine sensu aut exitu. Gronovius vero, Reliq. ad Silv. monet se in membranis Salisburg. invenisse *at enim tua*; in MS. Rhod. et editt. Venet. *etenim tua*; et ita ego in editt. Parmensi; Romana enim, *est mens tua*; quam lectionem a mala manu Domitii esse opinor, et inde in sequentes editiones propagatam, mutata voce *est* in *hæc*. Omnino verum est *etenim tua*, etc. cum interpunctione quam in contextu meo habes; sine qua nullus esset sensus. Politianus quoque, Epist. VI, 1, si verba ejus

Quam mihi sorte Venus junctam florentibus annis
Servet et in senium ;) tua , (quæ me vulnere primo
Intactum thalamis , et adhuc juvenile vagantem
Fixisti) tua frena libens , docilisque recepi ;
Et semel insertas non mutaturus habenas
Usque premo. Ter me nitidis Albana ferentem
Dona comis , sanctoque indutum Cæsaris auro
Visceribus complexa tuis ; sertisque dedisti
Oscula anhela meis : tu , quum Capitolia nostræ

recte capio , legit *etenim tua*, non *est mens tua*. Pro *sorte*, nonnullæ editiones , et inter eas Parmensis, habent *forte ;* perperam ; *sors* proprium in hac re verbum ; vide quæ dixi ad Epithal. Stell. v. 32. Deinde, *servat et in senium ;* ita Parm. Rom. et Venet. non *servet ;* sed *servet* verius est et elegantius ; certe enim tenerioris est affectus *optare* ut Venus istud conjugium servaret in senium utriusque , quam *narrare* tantum hoc ita esse : præsertim quum ista *narratio* non adeo vera sit ; quippe Statius non erat *senex* quando hæc scripsit, prout discere possis , si inspicias Dodwelli Annal. Statian. cap. 47. Alibi quidem dicit , « nos fortior ætas jam fugit ; » et alibi, « nos facta aliena canendo vergimur in senium ; » sed non in *senium servatus* fuit , qui *vergit in senium* tantum. Et quod summum est , probabile admodum est Stat. non excessisse tricesimum sextum vitæ annum : quomodo igitur dicere potuit Venerem illum *servare in senium ?* Fallatur igitur necesse est summus Gronovius , qui Diatrib. cap. 35 , præfert *servat*, et Statium jam *senem* facit ex eo quod v. 12 dixerat , « Anne quod Euboïcos fessus remeare penates Auguror, et patria senium componere terra ? » Atqui Statius non ibi dicit se *jam* compositurum esse senium patria terra , sed *auguratur* se *olim* facturum esse. Aliter si sumas , ineptum erit istud *Auguror :* non enim de *præsentibus*, sed *futuris* solemus *augurari*. Recte igitur *servet ;* ut sit optantis ; et ita postea edidit Gronovius. Gevartius et Isaacus Pontanus hunc locum infeliciter tentarunt, ut necesse erat nescientibus antiquam et veram lectionem *et enim* pro *hæc mens*. — Edit. pr. *est mens tua*, etc. et mox *servat*. Idem apud cod. Par. a manu prima; a secunda , *etenim... servat*. Hic autem et illa , *sorte*. A.

27. *Insertas*. Cod. Paris. a prima manu *incertas ;* ex emendatione *insertas*. Ed. pr. *incertas*. A.

28. *Ter me nitidis* , etc. Cod. Par. a manu prima , *nitidis... Dono comis :* a secunda , *nitidas... Dona comas*. Edit. pr. *nitidis... Dono comis*. Gron. *nitidas... Dona comas ;* Cruc. *nitidis.... Dona comes*. Vide not. A.

30. *Visceribus*. Sic ed. princ. et cod. Paris. qui ad marginem , *pectoribus*. A.

Inficiata lyræ, sævum ingratumque dolebas
Mecum victa Jovem : tu procurrentia primis
Carmina nostra sonis, motasque in murmura voces
Aure rapis vigili : longi tu sola laboris
Conscia, cumque tuis crevit mea Thebaïs annis.
Qualem te nuper Stygias prope raptus ad undas,

32. Pro *sævum* et *dolebas*, Parm. *sæum* et *dolores;* Rom. *scævum*. — Cod. Par. ed. pr. *sævum ingratumque dolebas*. A.

34. *Totasque in murmure noctes Aure rapis vigili.* Heinsius, ad Claudianum, in Rufin. I, 152, legit *motasque in murmura voces;* verissime : alterum absurdum est. Quid enim est *rapere noctes aure?* « Sciolus aliquis, inquit Heinsius, qui ignorabat *aurem vigilem* poetis pro *attenta* frequenter poni, illic loci refinxit, *totasque in carmine noctes;* quomodo nunc legitur : quasi Statius totis noctibus aliud nihil egisset. » Iterum mala memoria viro eximio imponit : non enim vulgo legitur, *totasque in carmine noctes*, sed *in murmure;* quod omnes quas ego vidi editiones habent. Sed hoc nihil est. Similiter depravatum locum restitui supra, Glaucia Melior. v. 104, « Tu tamen et motas etiam tum in murmura voces, etc. » ubi ante erat, *mutas etiam tum murmure voces;* quod miror effugisse Heinsium, vel ab eo ferri potuisse; ita enim citantem video ad dictum Claudiani locum; quem omnino adeas; ibi enim multa invenies hunc Statii locum illustrantia; et ego aliquid dixi ad locum Glauciæ; cui addas licet hoc Auctor. Consol. ad Liviam, v. 307, « Te moriens per verba novissima questus abesse, Et mota in nomen frigida lingua tuum est; » Sabin. Epist. II, v. 37, « Sæpe abitura tuo ponentem brachia collo, Gavisum in fluctus æquora mota truces; » Propertius, I, 10, v. 5 : « Quum te complexa morientem, Galle, puella Vidimus in longam ducere verba moram; » ita omnino legendum, vel *longas moras;* non, ut edidit Broukhusius, « et longa ducere verba mora; » quod præ altero inficetum puto. *Nox* vero et *vox* in libris sæpe commutantur; ita Sil. Ital. VIII, 210 : « Anxia ducebat vigili suspiria voce; » Heinsius maluit *nocte;* quod verum videtur; vide Drakenborch. ad locum. Valer. Flacc. II, 218, ubi narraturus est scelus Lemnidum : « o qui me vera canentem Sistat, et hac nostras exsolvat imagine voces! » ita omnino legendum; vulgo *noctes. Quis*, inquit Flaccus, *exsolvat nostras voces hac imagine*, id est, excusabit me a necessitate narrandi hoc crudele facinus, « liberabit vocem meam ab hac descriptione. » Nihil certius. — Cod. Paris. edit. pr. « totasque in murmure noctes. » A.

37. *Nuper Stygias modo raptus ad undas.* Quid est hoc, *nuper modo raptus?* nonne *nuper* et *modo* idem sunt? Vide supra, Lacrim. Etrusc. vs. 170; et mox, vs. 183, « modo numina magni Præsidis, atque bre-

Quum jam Lethæos audirem comminus amnes,
Aspexi, tenuique oculos jam morte cadentes.
Scilicet exhausti Lachesis mihi tempora fati
Te tantum miserata dedit, Superique potentes
Invidiam timuere tuam. Post ista, propinquum
Nunc iter, optatosque sinus comes ire moraris?
Heu! ubi nota fides, totque explorata per usus,
Qua veteres Latias, Graiasque Heroidas æquas?

ves Superum pacavimus iras; » id est, *nuper pacavimus*. Sed pudet hoc probare velle. Bene notat Bernartius veterem codicem pro *modo* habere *prope;* quod verissimum est. Horat. Carm. III, 8, 6, « Voveram dulces epulas, et album Libero caprum, prope funeratus Arboris ictu. » — Cod. Par. in textu, *modo;* ad marg. *prope*. Ed. pr. *modo*. A.

42. *Timuere*. Sic edit. princ. et cod. Par. qui ad marg. habet *metuere*. A.

43. Pro *optatos sinus*, quanto melius (inquit Bernart.) scriptus, *optandos?* Non melius, sed pejus; verum est *optatos sinus*, ut *optata conjux*, non *optanda*, Epithal. Stellæ; et *petita conjux*, ibidem, non *petenda*.

45. *Qua veteres Latias*, etc. Suspectus mendi versus propter tot voces in *as* exeuntes, quæ vitiosum ac ingratum sonant, ut bene notat Heins. ad Ovid. Trist. V, 5, v. 43: unde, inquit, Statius reliquisse possit videri, « Qua veteris Latii, Graiisque Heroisin æqua es. » Satis caute agit vir magnus. Singula videamus. Probum est *veteres Heroidas*, ut Pietat. Abasc. v. 255; et Ovid. Art. Am. I, 713. *Veteres Heroidas æquas* est ex Ovid. Amor. II, 4, v. 33: « Tu, quia tam longa es, veteres Heroidas æquas. » Nihil igitur in his vocibus innovandum, quum satis clara sit Ovidii imitatio. De ceteris, mihi videtur legendum, « Qua veteres Latias, Graiumque Heroidas æquas. » *Graium Heroidas*, ut *Graium murus Achilles*, Ov. Metam. XIII, 281; *Graium poetæ*, Lucretius, II, 600. *Latias Graiumque Heroidas*, pro *Graias*, ut Noster, Thebaid. X, 838, « exhaustis olim Graiumque suisque Missilibus, » pro *Graiis;* et similia passim. Sic *puellas Libyæ* pro *Libycas*, Herc. Epitrap. vs. 105. Jam vero tres voces in *as* desinentes ferri possunt, ex his exemplis; Propemp. Met. Celer. v. 120, « Acti*as* Ausoni*as* fugit Cleopatra caten*as;* » Propertius, II, 2, 7, « Aut quum Munichi*as* Pall*as* spatiatur ad ar*as;* » ita omnino legendum puto pro *Dulichias*. Auctor Consolat. ad Liv. Aug. vs. 419, « Vix etiam fuer*as* pauc*as* vitalis in hor*as*. » Et plura talia inveniri possunt. Insignis hujusmodi terminatio per quinque voces continuas, in Epigrammate Antipatri, citato ab Heins. ad Ov. Amor. II, 18, v. 26, de Sapphone: τὴν μετὰ Μοῦσαν Ἀθανάταν θνατὰν Μοῦσαν ἀειδομέναν· sed ibi omnino

Isset ad Iliacas (quid enim deterret amantes?)
Penelope gavisa domos, si passus Ulixes.
Questa est Ægiale, questa est Melibœa relinqui,
Et quamquam sævi fecerunt Mænada planctus.
Nec minor his tu nosse fidem, firmamque maritis
Reddere : sic certe cineres, umbramque priorem
Quæris adhuc; sic exsequias amplexa canori
Conjugis, ingentes iteras de pectore planctus,
Jam mea : nec pietas alia est tibi, curaque natæ :
Sic ut mater amas, sic nunquam corde recedit
Nata tuo; fixamque animi penetralibus imis
Nocte, dieque tenes : non sic Trachinia nidos

scribendum, τὴν μετὰ Μοῦσας Ἀθανάτας, ex sensu.

49. Corruptus versus, de quo vid. not. Cod. Paris. a manu prima vulgatam habuit; nunc autem ex emendatione aliud innuit, sed vix perspicuum; ni fallor, « Et quam quæ sævi, etc. » vel, « Et quæ quam. » A.

50. Pro *firmam*, Parm. *fictam;* et pro *Reddere*, *Dedere*. — Pro *nosse*, ed. pr. *nosce*. Mox Par. cod. in textu *firmam*que et ad marg. *vitam;* idem, seq. versu, *Reddere*, et ad marg. *Dedere*.

53. Vulgo : *iterasti pectore :* et sic edit. pr. et cod. Paris. qui ad marg. reponit *iteras in*. Pro *ingentes*, ed. pr. *ingentis*. Vide not. ad vs. 52. A.

54. Pro *natæ*, Venet. *note;* et mox *Nota* pro *Nata*. — Cod. Par. ed. pr. vulgatam exhibent. A.

55. Pro *ut*, Parm. et Rom. *et*. — Cod. Paris. ed. pr. *et*. A.

56. *Nata tuo*. Forte legendum, *Illa tuo*. Conf. not.

57. *Non sic Trachinia nidos Alcyone vernos*, ut plurimi. Quinam autem hi *verni* Halcyones nidi? Plin. Hist. Nat. X, 32 s. 47, « faciunt autem septem ante brumam diebus nidos, et totidem sequentibus pariunt. » Ovid. Met. XI, 745, de iisdem : « Perque dies placidos, hiberno tempore, septem Incubat Halcyone pendentibus æquore nidis. » Lactantius, vetus scholiastes ad Stat. Thebaid. IX, 361, « aves marinæ, quæ hieme in mari nidificant, et pullos nutrire dicuntur qui dies septem tranquillissimum faciunt pelagus. » Vide et Hygin. Fab. 65, et Servium ad Virg. Georg. I, 399. Non igitur *verni* Halcyones nidi; et si essent, nihil hoc ad rem, nisi probari posset Halcyonen *vernos* magis quam *brumales* nidos diligere et amplecti solere. Lege, « non sic Trachinia nidos Halcyone veros, etc. » *nidi* sunt *pulli;* vid. Claud. Præf. de III Cons. Hon. v. 5; Virgil. Æn. XII, 475, et Georg. IV, 17; et ita passim apud poetas. Hoc non intellectum errori ansam dedit. Vides jam quamobrem *veros*

Alcyone veros, non sic Philomela penates
Circuit amplectens, animamque in pignora transfert.
Et nunc illa terit viduo quod sola cubili,
Otia tam pulchræ terit infecunda juventæ:
Sed venient plenis, venient connubia, tædis.
Sic certe, formæque bonis, animique meretur:
Sive chelyn complexa ferit; seu voce paterna
Discendum Musis sonat, et mea carmina flectit;
Candida seu molli diducit brachia motu;

pullos seu *nidos;* quasi dixisset, Alcyone non magis fovet *suos, proprios,* et *veros pullos,* quam tu hanc defuncti mariti filiam; quæ quidem sanguine non *vere* tua est, *inductitia* scilicet, et ab aliena quasi manu; tu tamen, qua es pietate, eam velut *veram* tuam sobolem amore et cura prosequeris. Bene autem *veros nidos;* sic Ovid. Met. II, 38, *vera propago;* et mox, *veros ortus.* Virg. Æn. VIII, 301, « salve, vera Jovis proles. » Hujus contrarium *dubius partus,* Lucan. IX, 902, de Psyllis; *dubia soboles,* Sil. Ital. I, 413, de iisdem; et infinita ejusmodi. — Cod. Paris. edit. princ. *vernos.* A.

59. *Amplectens, animamque in pignora transfert.* Parm. *amplectensque animamque;* Venet. *amplexusque animam in pignora.* Certissima emendatio, *amplexusque animamque in pignora transfert.* — Cod. Paris. edit. pr. vulgatam retinent. A.

60. Vulgo, *Heu nunc;* etiam in cod. Paris. et ed. pr. Vers. seq. hæc et ille, *jam* pro *tam.* Vide not. A.

62. *Sed venient plenis, venient connubia, tædis.* Non intelligo has *plenas tædas;* forte scriptum erat *phestis,* id est, *festis, ph* pro *f,* ut in libris MSS. millies fit: hoc non intellectum in *plenis* degeneravit. Ita apud Symposium, Ænigm. 83; *Malum:* « Est mihi nomen ovis, contentio magna Dearum, Fraus juvenis Phrygii, pulchrarum cura sororum, Excidium Trojæ; » vulgo legitur *juvenis functi* pro *Phrygii;* quæ vox in libris MSS. scribitur *frigii;* inde *functi;* et pro *pulchrarum* vulgo male *multarum. Juvenis Phrygius* est *Paris;* nota historia aurei *mali; pulchræ sorores,* Juno, Venus, Minerva. Bene autem *festis tædis,* ut mox v. 70, « festasque accendere tædas; » conf. et Claudian. de Rapt. Pros. II, 347; idem, de Nupt. Hon. et Mar. « Tu festas, Hymenæe faces, tu, Gratia, flores Elige; » et IV Cons. Honor. « Quum tibi prodiderit festas nox pronuba tædas. »

64. *Ferit.* Vulgo *petit;* quod et habent cod. Paris. et edit. pr. Vid. not. A.

66. Pro *diducit* brachia, Heins. ad Ovid. Rem. Amor. v. 334, legit *deducit,* quod idem esse ait ac *movet;* et ita Parm. Male: quippe *dispansio* illa brachiorum, quæ in saltatione fit, non est *deductio* bra-

Ingenium probitas, artemque modestia vincit.
Nonne leves pueros, non te, Cytherea, pudebat
Hoc cessare decus? Nec tantum Roma jugales
Conciliare toros, festasque accendere tædas
Fertilis; et nostra generi tellure dabuntur.
Non adeo Vesuvinus apex, et flammea diri
Montis hiems trepidas exhausit civibus urbes:
Stant, populisque vigent: hic auspice condita Phœbo
Tecta, Dicarchei portus, et litora mundi
Hospita; et hic magnæ tractus imitantia Romæ
Quæ Capys advectis implevit mœnia Teucris.
Nostra quoque haud propriis tenuis, nec rara colonis
Parthenope; cui mite solum trans æquora vectæ
Ipse Dionæa monstravit Apollo columba.
Has ego te sedes (nam nec mihi barbara Thrace
Nec Libye natale solum) transferre laboro;
Quas et mollis hiems, et frigida temperat æstas;
Quas imbelle fretum torpentibus alluit undis.
Pax secura locis, et desidis otia vitæ,

chiorum, sed *diductio;* et ita legendum, isto quem adducit loco Propert. II, 18, ex quo hoc Stat. mutuatus est, « Sive aliquis molli diducit candida gestu Brachia, seu varios incinit ore modos. » Ita *diducet palmas*, de natatore, apud Manil. V, 422; ubi vulgo male legitur *deducet*. Nollem Broukhusius defendisset τὸ *deducet* in loco Propertii. Pro *Candida* Parm. *Grandia;* absurde. — Ed. pr. *Grandia diducit*. Idem apud cod. Paris. qui ad marg. reponit *Candida*. A.

76. Vulgo: *at hic*. Cod. Paris. a manu prima, *at hic;* a secunda, *ac hīc*. Ed. pr. *at hic*. Vide not. ad vers. 75. A.

78. Vulgo, *et propriis;* quod et habent cod. Paris. edit. pr. Conf. not. A.

80. Pro *Dionææ columbæ*, quæ est omnium editionum inepta lectio, recte Gevartius *Dionæa columba;* quod confirmavit simili loco ex Theb. VII, 663, « hæc omine dextro Mœnia Cirrhæa monstravit Apollo juvenca. » Addas locum Vell. Paterculi, I, 4: « Hujus classis cursum esse directum alii columbæ antecedentis volatu ferunt; alii nocturno æris sono, qualis Cerealibus sacris cieri solet; pars horum civium magno post intervallo Neapolim condidit. » — Cod. Par. ed. pr. *Dionææ columbæ*. A.

Et nunquam turbata quies, somnique peracti.
Nulla foro rabies, aut strictæ jurgia leges
Norunt : jura viris solum, et sine fascibus, æquum.
Quid nunc magnificas species, cultusque locorum,
Templaque, et innumeris spatia interstincta columnis ;
Et geminam molem nudi tectique theatri,
Et Capitolinis Quinquennia proxima lustris ;
Quid laudem risus, libertatemque Menandri,
Quam Romanus honos et Graia licentia miscent?

86. Pro *peracti*, Rom. *parati* : non male ; sed alterum melius. — Cod. Paris. et edit. pr. *parati*. A.

87. In ed. Parm. pro *strictæ jurgia*, invenio *scita Lycurgia ;* et *leges* non *legis ;* et ita se invenisse testatur Heinsius ad Claudian. p. 552, nisi quod pro *aut* citat *nec*, memoriæ culpa. Rom. *scita Licugia.* — Gronov. « aut strictæ jurgia legis. » Cruc. « Nulla foro rabies, aut scita Lycurgia : leges Morum jura viris, etc. » (vide not. ad v. 88). Cod. Paris. « aut scita Lycurgia leges ; » qui ad marg. reponit, « aut scriptæ in jurgia leges. » Edit. pr. « aut scita lycugia leges. » A.

88. *Norunt : jura viris*, etc. Vulgo : « Morum jura viris ; » ut et cod. Par. et ed. pr. Conf. not. A.

93. *Quid laudem risus libertatemque Menandri.* N. Heinsius ad Sil. Italic. XII, 31, pro *risus* legit *ritus ;* et ita editiones nonnullæ : bene ; licet alterum defendi possit. Parm. et Rom. *litus ;* unde Heins. *ritus.* Silius, loco notato, de Neapoli loquens : « Nunc molles urbi ritus, atque hospita Musis Otia, et exemtum curis gravioribus ævum. » Tacit. Hist. V, 5 : « Quippe Liber festos lætosque ritus posuit ; Judæorum mos absurdus sordidusque. » Deinde pro *Menandri* legit *theatri ;* et ita olim ego conjeceram : non bene : quippe præcedit vox *theatri*, v. 91 ; præterea, non adeo sui oblitus esse potuit Statius, ut uxorem ad Neapolim allicere tentaret mentione facta *libertatis theatralis ;* quandoquidem ipse, supra, v. 16, ait illam ex his ludicris nullam capere voluptatem : « certe lascivia cordi Nulla ; nec aut rapidi mulcent te prælia Circi, etc. » nam quod memorat *geminam molem nudi tectique theatri*, non istud facit *ludorum* qui in iis fiebant, sed solummodo *ædificiorum* causa, et ut Neapolin commendaret ob *magnificas species cultusque locorum ;* ut ex sensu patet. Non igitur *theatri* huic loco convenit ; multo minus *Menandri*, ob easdem et alias rationes. Latet gerundium aliquod, ut dicunt grammatici ; quale est, *libertatemque jocandi*, vel tale aliquid. Statianum hoc esse non puto, vel potius scio : placuit tamen ideo proferre, ut ad hanc formam acutiores vocem veram eruant sub τῷ *Menandri* latentem. — Cod. Paris. ed. pr. *littus Menandri.* A.

94. Pro *grata licentia* bene Ber-

Nec desunt variæ circum oblectamina vitæ:
Sive vaporiferas, blandissima litora, Baias,
Enthea fatidicæ seu visere tecta Sibyllæ
Dulce sit, Iliacoque jugum memorabile remo;
Seu tibi Bacchei vineta madentia Gauri
Teleboumque domos, trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula lunæ;
Caraque non molli juga Surrentina Lyæo,
Quæ meus ante alios habitator Pollius auget;
Ænariæque lacus medicos, Statinasque renatas.
Mille tibi nostræ referam telluris amores:
Sed satis hoc, conjux, satis hoc dixisse, creavit
Me tibi, me socium longos adstrinxit in annos:
Nonne hæc amborum genitrix, altrixque videri
Digna? sed ingratus qui plura adnecto, tuisque
Moribus indubito: venies, carissima conjux,
Præveniesque etiam: sine me tibi ductor aquarum
Tybris, et armiferi sordebunt tecta Quirini.

nartius *Graia;* patet ex oppositione. Similiter Sidon. Apollinaris, carm. XXIII, 99, « rigorque Romanus fuit Attico in lepore. » De commutatione harum vocum dixi aliquid ad Silv. II, 2, v. 96, ubi par error, supra, pag. 218. — Cod. Par. edit. princ. *grata licentia miscet.* A.

104. Pro *Ænariæque*, Domitii cod. habebant *Tanarumque;* Parm. *Denarumque.* Emendationem Domitii confirmat Plinius, Hist. Nat. XXX, 2: « In Ænaria insula calculosis mederi produntur aquæ. » Bene igitur *lacus medicos.* Auctor tamen Ætnæ, v. 428, producit secundam *Ænariæ* syllabam: « Dicitur indiciis flagrans Ænaria quondam. » — Cod. Paris. in contextu, *Ænariæque*, et ad marg. *Termarum.* Edit. pr. *Ænariæque.* A.

106. *Sed satis hoc, conjux, satis hoc dixisse.* Ita vulgo legitur. Parm. « Sed satis hæc conjux satis est dixisse. » Rom. « Sed satis hoc conjux satis dixisse. » Vulgata optima est; ita, Propemp. Celer. v. 129, « Hoc nos, hoc iterum stantes in litore versos Cernemus fluctus; » ubi vide quæ notavi. — Cod. Par. ed. pr. « Sed satis hæc conjunx satis est. » A.

110. Pro *carissima*, cod. Paris. et ed. pr. *gratissima.* A.

111. Pro *præveniesque etiam; sine me*, etc. Parm. *pervenies et sine me;* Rom. *pervenies.* — Cod. Par. et ed. pr. *Perveniesque e. s. m.* A.

NOTÆ

IN CARMEN QUINTUM LIBRI TERTII

SILVARUM.

---

* Ad Claudiam uxorem. Ægrotaverat Papinius in urbe: jamque convalescens de secessu in patriam cogitabat, affectus rerum urbanarum satietate et tædio. Claudia uxor invita migrabat, desertura urbem et suos: eam hortatur et rogat, ut secum discedat; amœnitatem Campaniæ proponit, denique nullam manendi causam esse docet, quum ipse proficiscatur. Domit.

7. *Quattuor emeritis per bella, per æquora lustris.* Ita editiones; et forte defendi potest; mihi tamen verius videtur, *Quattuor* emensis *per bella;* certe multo usitatius est. Ovid. Met. XV, 226: « et, emeritis medii quoque temporis annis, etc. » ubi in tribus exemplaribus Heinsius invenit *emensis;* quod illi placuit; (et ita edidimus. A.) Eodem libro, vers. 186, « Cernis et emensas in lucem tendere noctes; » quo tamen loco major est diversitas; viginti enim circiter libri habent *emeritas;* octo *immensas;* ut difficile sit aliquid certi statuere. Heinsio placuit *emersas,* et ita edidit; non probante Burmanno, qui videtur maluisse *emeritas.* Videamus igitur an aliis exemplis rem conficere possimus. Virgilius, Georg. I, 450, de sole: « Hoc etiam emenso quum jam decedet Olympo, Profuerit meminisse magis; » Claudian. XXIX Laud. Serenæ, v. 26, de Ulixe: « terræ pelagique labores, Et totidem sævi bellis quot fluctibus anni Conjugii docuere fidem; » ubi *anni sævi bellis* frigidum est, et longe infra Claudianum: dixisse debuit *anni exacti* vel *exhausti bellis;* ex syllabis *em sævi* lego, « Et totidem emensi bellis quot fluctibus anni; » Sil. Italic. III, 398, de Arganthonio, « Ter denos decies emensus belliger annos; » Tibullus, III, 4:

> Jam nox ætherium nigris emensa quadrigis
> Mundum, cæruleas laverat amne rotas;

Claudian. IV Cons. Honor. v. 372, « necdum decimas emensus aristas Aggrederis metuenda viris; » licet tribus his exemplis active, non passive sumatur vox; ut et hoc Sabini, Epist. I, v. 95, Ulixis Penelopæ:

> Et terra, et pelago, quidquid mihi triste canebat,
> Emensus fato jam meliore vagor;

Alcim. Avitus, IV, 585, « Integer emensum vertebat circinus annum; » Manil. IV, 51, de Pompeio,

> Post victas Mithridatis opes, pelagusque receptum,
> Et tres emenso meritos ex orbe triumphos.

9. *Non intertextas commenta retexere telas.* Ita omnes editiones, vetustissimis exceptis: perperam; quippe deest aliquid cui *intertextæ* sint hæ telæ, *auro* puta vel *argento*, vel tale quidpiam: τὸ *intertextas* enim *duas* res postulat: nec potes dicere *tela intertexitur*, sensu salvo, nisi simul dicas rem *cui* intertexatur tela. Et vide quam facile sit criticum agere, et quam multis conjecturis pateat hic locus. Potes enim legere, « Non imperfectas commenta retexere telas, » ex Claudian. de Rapt. Pros. I, 269, in re simili: « Sensit adesse Deas, imperfectumque laborem Deserit; » potes quoque *interceptas*, ex eodem, lib. II, 156; et ibi quoque in re simili, « Atque interceptas agnoscit pectinis artes; » potes etiam *impertextas* telas, *non pertextas*, non ad finem perductas; et hoc Barthio placuit; potes adhuc *intercisas;* ut Theb. II, 184, *lux intercisa:* « Non fugeret diras lux intercisa Mycenas; » ne quidquam dicam de τῷ Beroaldi *interfectas*. Sed bene quod nulla harum egemus; quippe Parmensis et Romana editt. clare habent, « Non intersectas commenta retexere telas; » « non commenta retexere intersectas telas, sed, etc. » *retexere* hoc loco est *iterum texere*, ut Ovidio, Met. X, 31: « Eurydices, oro, properata retexite fila; » ubi Heinsius memoriæ lapsu hunc Statii locum de *Parcis* interpretatur. *Retexere intersectas telas* est *iterum nere, redordiri telas*, quas noctu *intersecuisset*. Elegantissime Propertius, II, 9, 5 (Editionis nost. pag. 168, Ed.), de Penelope,

> Conjugium falsa poterat differre Minerva,
> Nocturno solvens texta diurna dolo.

Telam hanc *fallacem* vocat Sil. Italic. II, 181; *tardam* Sidon. Apollin. Carm. XV, 160; *mendacem* Sabinus, Epist. I, v. 53. Si τὸ *retexere* sumas pro *dissolvere*, ἀναλύειν, omnino legendum est *imperfectas* pro *intersectas;* sed vetustissimarum lectioni tutius est adhærere. Atque hinc de misera Statii in his Silvis sorte æstimationem facere potes; quippe ex quatuor vel quinque vocibus, quarum quævis si ex conjectura librarii contextui inserta fuisset, ferri posset; sola locum obtinuit pessima, et nullo modo toleranda.

28. *Ter me vidisti Albana ferentem Dona comes.* N. Heinsius, Not. ad Claudian. in Rufin. I, 37, hæc habet: « Apud Statium, Silv. lib. III, ad Uxorem, « ter me victrici Albana ferentem Serta coma, sanctoque indutum Cæsaris auro Visceribus complexa tuis; » quomodo restituendus ille locus. Vulgo scribitur, « ter me vidisti Albana ferentem Serta comes; » in aliis codicibus est *nitidis comes;* sed *victrici coma* Statium scripsisse sum certus. » Huic Heinsii conjecturæ favet Noster, Epiced. Patr. v. 144,

Quum toties lassata, tamen nusquam avia frondes
Abstulit, aut alium tetigit Victoria crinem :

et plura hujusmodi colligi possent. Sed prima editio Parmensis habet *nitidas comas;* Romana, *nitidis comis.* Quæ quum MSS. sint lectiones, nec absurdi aliquid aut falsi in se habeant, non audeo mutare. *Nitidæ comæ* satis usitata locutio ; Ovid. Fastor. III, 2 : « Mars ades, et nitidas casside solve comas ; » conf. et Heroid. XXI, 166 : *nitido capillo* Tibull. I, 8, 51 : adde Horat. Epist. I, 14, 32. Et ita passim poetæ, ne omnia exempla corradam. Retineo igitur,

. . . . ter me nitidis Albana ferentem
Dona comis, sanctoque indutum Cæsaris auro
Visceribus complexa tuis ; sertisque dedisti
Oscula anhela meis.

Quicunque primus mutavit *nitidis* in *vidisti*, non intellexit, opinor, verbum substantivum subaudiri, *complexa es;* cui respondet *dedisti.* Scio quidem *nitidas comas* plerumque significare *unguento delibutas;* sed non semper ita esse evincit primus ex Ovidio citatus locus. Faveo quidem conjecturæ Heinsianæ, et vulgata elegantiorem puto : sed non audeo in contextum recipere. Quod vero pro *dona* citat *serta*, lapsui memoriæ imputo. — *Ter me nitidis*, etc. Ter Papinius coronatus est in certamine Albano, instituto a Domitiano : id erat ubi poetæ certatim Minervæ laudes canebant : auctor Sueton. Victus autem idem est, ut hic fatetur, in certamine Capitolino, ubi Jovis Capitolini laudes perpetua certantium erat materia et argumentum. DOMIT.

39. *Tenuique oculos jam morte cadentes.* Usitatius est, *oculos morte natantes* quam *cadentes;* Auctor Consolat. ad Liv. Aug. v. 92 sq. ; Ovid. Metam. V, 71 ; Noster, Theb. II, 638, « ille oculos etiamnum luce natantes Sistit ; » ubi forte scripsit *extrema luce natantes*, i. e. *morte;* ut *parva luce natantes* apud Sil. Ital. II, 122. Et sane oculi *luce natantes* sine ullo epitheto vix *mortem* denotant. Nost. Theb. XI, 557 : « Cerno graves oculos atque ora natantia leto ; » alibi, Theb. VIII, 757, vocat *lumina dubitantia figi*, id est, *natantia*, et *trahi oculos*, de re eadem Theb. VIII, ad finem. Plura e poetis possem afferre, nisi sanam putarem vulgatam lectionem. Virgil. Æneid. XI, 818 : « Labitur exsanguis ; labuntur frigida leto Lumina ; » Ovid. Trist. III, 3, 44, « Labentes oculos condet amica manus ; » ita pro *languentes* ex MSS. edidit Heinsius, qui hunc Statii locum adducit ; eum vide. Senec. Epist. VIII, « oculos vigilia fatigatos cadentesque ; » Lucan. II, 25 : « Vultusque exanimes oculosque in morte jacentes ; » ubi tamen dubito, an non scripserit Lucanus *cadentes.* Hæc igitur adnoto, ne quis diligentiam meam desideret, aut putet se veram lectionem invenisse, his et aliis poetarum locis inductus. Ob hanc rationem porro moneo versum proximum, « Scilicet exhausti Lachesis mihi tempora fati, » mihi sanum videri ; argutari enim potes *exacto filo*, ut Silv. V, 1, « exacti superest pars ultima fili ; » vel, « exhaustæ tempora vitæ ; » quæ phrasis sæpenumero apud poetas occurrit. Sed

tempora fati præstat Valer. Flacc. III, 379: « Sortitusque breves, et parvi tempora fati Perpetimur. »

49. *Et quanquam sævi fecerunt Mænada planctus.* Hic est unus ex locis de quibus in Præfat. questus sum; adeo immaniter, si quid video, depravatus, ut sine codicis alicujus vel variantis lectionis adminiculo impossibile sit eum in sanitatem asserere. Loquitur Statius de fidis uxoribus, et quæ conjuges suos per omnes casus comitari vellent: Ægiale, inquit, *questa est relinqui*, mallet comitari maritum suum Diomedem ad bellum Trojanum; et ita Melibœa Philoctetem: *et planctus, quanquam sævi, fecerunt Mænada. Quam* fecerunt Mænada? et *quare*, et *quomodo*, et *quando?* Et si hæc omnia probaveris, quænam connexio inter hunc et præcedentem versum? quid enim *Mænas* aliqua Bacchi furiosa cum *uxoribus* Ægiale et Melibœa? quare tam emphatice *planctus quanquam sævi?* quasi hæc, quæcunque sit, de qua sermo est, *magis Mænas* facta fuisset, si planctus ejus *minus sævi* fuissent. Sed tempus est audire Gronovium, Diatr. c. 35, ubi post citatos duos hos versus, ita loquitur: « Varie posteriorem versum torserunt interpretes. Gevartius disjungit τὸ *quamquam*: *Et quam quam sævi;* uti et Domitius, quando notat inusitate τὸ *quam* cum positivo junctum; frequentius addi particulam *per*, ut sit *perquam sævi.* Quem merito reprehendit ille, quod hæc ad Laodamiam referat. Cruceus supponit: *Et quam tam sævi.* Nugæ. Vera est vulgata, et ita explicanda; Ægiale relinqui se questa est: questa est etiam Melibœa: et *planctus* ob desertionem, *quamquam* tristes *sævique* (quia illa impia, immerita, iniqua; non quales istæ quas causa publica et dignitas Græciæ decusque regium imperabat, juncta spe reditus) *fecerunt Mænada* aliquam, nempe Ariadnen. Inter planctus et lugubrem ejulatum deprehensa a Libero patre Coossis *Mænas facta est*, hoc est, in comitatum et torum Liberi adscita; hoc evenit inter istiusmodi flebiles ritus et doloris insaniam; ideo *planctus id fecisse* dicuntur, more familiarissimo poetis fingendi αἴτιον τὸ μὴ αἴτιον. » Hucusque Gronovius; et defendit hanc explicationem, Elench. Antidiatr. cap. 5; ubi dicit de nulla alia quam de Ariadne Statium capi posse. Nescio quomodo tecum agatur, lector; ego quidem nihilo magis adhuc video, quo sensu hæc connecti possint. Quid enim si Ariadne *inter planctus* recepta fuerit in torum et comitatum Bacchi? quid hoc ad exempla uxorum, quæ conjuges amarunt, et pro illis et cum illis quidvis perpeti paratæ fuerunt? de talibus enim agit Statius; non ex fabulis, sed historia. Mitto quod Ariadne non dici potuit *facta esse Mænas*, ex eo quod in *torum* Bacchi (illudit enim vir doctus addendo, *et comitatum*) recepta fuit; alia enim res est *Mænas.* Sed ut compendii faciam (multo enim plura contra hanc interpretationem adferri possunt), corruptissimus est locus, et forte mutilus; supra enim, v. 45, dixit, « Qua veteres Latias, Graiasque Heroidas æquas; » et de *Graiis* tribus exemplis absolvit: æquum erat ut uno saltem *Latias* demereretur. Utcunque sit, sine dubio scripsit *Et quam: Ægiale, Melibœa, et* illa *quam*, etc.

ut Capill. Ear. « cedat coma saucia Nisi, Et quam Sperchio tumidus servabat Achilles ; » et ita passim ; sed ultra non possum. Editiones vetustæ nihil mutant hoc loco : nisi quod pro *sævi* Rom. *scævi*.

In Addendis autem postea aliud hoc subjecit eruditissimus Markland. : Diu suspicatus eram partem hujus versus formatam esse ex Senec. Herc. Œt. v. 1886 : « Feriantque graves Mænala planctus. » Obstupui quum in Venet. pro *Mænada* inveni plane *Menala ;* unde pronum fuit facere, « questa est Melibœa relinqui, Et cujus sævi ferierunt Mænala planctus ; » *Ægiale, Melibœa, et* illa *cujus planctus ferierunt Mœnala.* Quænam fuerit hæc Herois Arcadica memoriæ non nunc occurrit, nec vacat disquirere : non tamen dubito quin aliqua sit, cujus maritus ad bellum Trojanum profectus est. A.

52. *Sic exsequias amplexa canori Conjugis, ingentes iterasti pectore planctus, Jam mea.* Ita distinxi : male τέλεια στίγμη in vulgatis ponitur post *planctus,* et sententia nova orditur ab istis : « Jam mea, nec pietas, etc. » qua re oppositionis elegantia perditur. Nemo vero mutet vocem *exsequias* in *relliquias,* utcunque adblandiatur. *Exsequias amplecti* est idem quod alibi vocat *colere exsequias,* Pietat. Abasc. v. 39 : « lectique arcana ministri Hinc etiam documenta capit, quod diligis umbram Et colis exsequias ; » *funus amare* Theb. XII, 193, de Argia, Polynicis uxore : « his anxia mentem Ægrescit curis, et, qui castissimus ardor, Funus amat ; » Herc. Epitrap. v. 95, de Vindice colente amicum suum Vestinum, etiam post mortem : « quem nocte dieque Spirat, et in caræ vivit complexibus umbræ. » Similis hujus vocis significatio apud Eutropium, lib. VII, de Vitellio : « Hic quum Neroni similis esse vellet, atque id adeo præ se ferret, ut etiam exsequias Neronis, quæ humiliter sepultæ fuerant, honoraret, a Vespasiani ducibus occisus est. » Et ita loquitur, lib. IX, de Gordiano : « miles ei tumulum XX milliario a Circesso, quod castrum nunc Romanorum est Euphrati imminens, ædificavit ; exsequias Romam revexit ; ipsum Divum appellavit. » Quibus in locis Tan. Faber, nova vocis notione offensus, utrobique errorem esse arbitratur, et pro *exsequias* reponi vult *reliquias ;* quæ, inquit, sunt ossa seu cineres : at *exsequiæ* longe aliud ; neque ita loqui mos est. Atqui Statius ita loquitur, *Et colis exsequias ;* ubi nihil mutari patitur versus. Immo ipse Eutropius pariter loquitur, lib. VII, ad fin. de Domitiano : « Funus ejus cum ingenti dedecore per vespillones exportatum, et ignobiliter est sepultum. » Eodem sensu vocem *funus* usurpat Ausonius, Epitaph. de Priamo ; nempe pro *corpore defuncti. Bustum* vocat Noster, Theb. XII, 248 : « egena sepulcri busta. » Nihil igitur aut in Eutropio aut Statio mutandum. Sequitur, « ingentes iterasti pectore planctus. » Ante dixit *quæris* et *adhuc ;* infra, *amas* et *tenes,* in præsenti tempore ; quare igitur *iterasti ?* mitto quod parum Latine dictum videtur *iterasti pectore.* Lege, « ingentes iteras de pectore planctus Jam mea ; » adhuc, jam mea, tamen fidem servas memoriæ prioris mariti, et quando ille in mentem venit, *repetis* planctus, non fictos, sed ex animo, *de pectore ;*

ut Surrent. Poll. vs. 143, « Vivite securi! quorum de pectore mixtæ In longum coiere faces; » Herc. Epitrap. v. 55, « Sic mitis vultus veluti de pectore gaudens Hortetur mensas; » *de pectore gaudens*, non *simulato*, sed *vero* et *ex imo corde* gaudio. Eleganter vero, v. 52, *Quæris adhuc; quærere* enim dicimur defunctos, quorum *desiderio* tenemur. Noster, Theb. XI, 263:

. . . . ardens
Ecce aderat luctu, dicturusque omnia belli
Libertate, Creon: urit fera corda Menœceus:
Nulla patri requies: illum quæritque tenetque;

Menœceus enim, Creontis filius, seipsum occiderat. Martial. X, LXXI, de Rabirio qui parentes composuerat:

Hos tamen ut primis raptos sibi quærit in annis:
Improbius nihil his fletibus esse potest.

Distinguit Plinius, Epist. VI, 2, « Soleo nonnunquam in judiciis quærere M. Regulum; nolo enim dicere desiderare. Cur ergo quæro? Habebat studiis honorem, timebat, pallebat, scribebat. »

56. *Nata tuo.* Totus locus sic habet: « Nec pietas alia est tibi curaque natæ; Sic ut mater amas, sic nunquam corde recedit Nata tuo. » Sed quis ferre potest hanc barbaram positionem vocum *natæ* et *nata*? Conjicio, « sic nunquam corde recedit Illa tuo; » τὸ *nata* videtur esse explicatio marginalis τοῦ *illa*, in contextum, ut sæpe fit, postea admissa; nisi sub voce *Nata* lateat proprium nomen hujus puellæ, *Caia*, vel tale quidpiam. Sed hoc incertissimum est; certius illud, hanc *natam* non esse ipsius Claudiæ filiam, sed filiam prioris mariti Claudiæ ex priore uxore; adeo ut Claudia *noverca* tantum huic puellæ fuerit. Quum igitur Statius dicit, « Nec pietas alia est tibi curaque natæ, » intellige natæ *illius*, seu *prioris mariti*, de quo loquebatur verbis præcedentibus; patet hoc ex istis, « Sic ut mater amas; » quidnam enim eximium esset, si Claudia amaret *suam* filiam *ut mater?* nonne omnes matres hoc faciunt? Sed dicit Statius, Tu, licet *noverca* tantum, amas filiam prioris mariti *ut mater*, quasi *mater* esses, non *noverca*. Ita Plinius, Epist. IV, 19: « Quum sis pietatis exemplum, fratremque optimum et amantissimum tui pari caritate dilexeris, filiamque ejus ut tuam diligas, etc. » Clarius hoc apparebit ex nota subsequente (vide etiam Var. Lect. vs. 57); et notandum erat, quia a nemine adhuc observatum, aut intellectum.

60. *Heu nunc illa terit viduo quod sola cubili Otia, jam pulchræ terit infecunda juventæ!* Mendosissimus locus, quem Gevartius, Papin. Lection. III, 14, ita refingebat,

Heu nunc illa terit viduum quod sola cubile!
Otia tam pulchræ terit infecunda juventæ.

Gruterus in Schedis, quibus utebatur Gronovius, « terit viduo quod sola cubili Otia tam pulchræ vere infecunda juventæ. » Gronov. Diatr. c. 35, et Elench. Antidiatr. c. 5, legit,

Heu ! nunc illa terit viduo quod sola cubili
Otia ! tam pulchræ perit infecunda juventæ :

et non dubitat Papinium ita reliquisse. Postquam tamen inspexisset codd. Rhod. et Salisb. et edit. Venet. qui omnes in priori versu pro *terit* habent *tenet* (et ita Parmensis quoque), in Reliq. ad Silv. ambigit an fuerit,

Heu nunc illa tenens viduum quod sola cubile
Otia tam pulchræ terit infecunda juventæ !

Et sane hoc speciosum satis videtur : et secundus versus, « Otia tam pulchræ terit infecunda juventæ, » sine dubio ita a Statio profectus est : licet ibi quoque Parmensis habeat *tenet;* quod librarius a priore versu, ut sæpe fit, repetivit. *Tam pulchræ juventæ* ut *tam tenero collo* Protrept. Crispini, v. 130. *Otia terit,* ut Herc. Epitrap. v. 2, « quum patulis tererem vagus otia Septis; » Virgil. Æn. IV, 271 : « Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris? » Tacit. Hist. II, 34 : « transitum Padi simulantes, adversus oppositam gladiatorum manum, ac ne ipsorum miles segne otium tereret; » Senec. Epist. 113, « Hac subtilitate efficimus, Lucili carissime, ut exercere ingenium inter irrita videamur, et disputationibus nihil profuturis otium terere; » Lucan. II, 488 : « hac hostis lenta terat otia ripa. » Recte igitur *terit otia;* et *otia pulchræ juventæ* ut infra, vers. 85, *otia desidis vitæ.* In priore versu paullum addubito an *tenere cubile* bene dici posset hæc Claudiæ filia, quæ *sola* cubabat, et munia comparis nondum sustinuerat; aliam enim notionem veteribus videtur expressisse hæc phrasis *tenere thalamum* seu *cubile;* nempe de ea quæ, alia expulsa, ipsa in locum ejus successerat. Ovid. Metam. IX, 145 :

Quæ quoniam adventat, properandum aliquidque novandum est,
Dum licet, et nondum thalamos tenet altera nostros.

Val. Flacc. II, 159 : « sed me quoque pulsam Fama viro : nostrosque toros virgata tenebit Et plaustro derepta nurus. » Nescio an suspicionibus nimium inquieter, quum credam a Statio fuisse,

Heu nunc illa jacens viduo quod sola cubili
Otia tam pulchræ terit infecunda juventæ !

Vide tamen quibus auctoritatibus me defendam. Ovidius, Heroid. III, 117 : « Tutius est jacuisse toro, tenuisse puellam; » V, 106 : « Nunc jacet in viduo credulus ille toro; » XVI, 315, ex quo loco hic Statii forte expressus,

Sola jaces viduo tam longa nocte cubili;
In viduo jaceo solus et ipse toro;

Art. Amat. II, 370, « Et timet in vacuo sola cubare toro; » Remed. Amor. v. 770, « Inque suo solam crede jacere toro; » Martial. XI, LXXXII : « Et jacet in medio sicca puella toro; » Lucan. VIII, 404, de Parthis : « jacuere sorores In fratrum thalamis, sacrataque pectora matrum; » ita legendum pro *pignora matrum;* patet ex sensu et sequentibus. Se-

neca, Hippol. v. 447, « cur toro viduo jaces? » Noster, Epithal. Stell. v. 59, « Fusa jacet stratis ubi quondam, etc. » Pluribus possem; sed hæc satis de suspicione tantum.

Deinde autem quum pro *Heu terit* Venet. et Parm. habere *Et tenet* comperisset Marklandus, nulla pæne mutatione legit:

> Et nunc illa, tenet viduum quod sola cubile,
> Otia tam pulchræ terit infecunda juventæ:
> Sed venient, etc.

et sic, ait ille, clarescit locus ante obscurissimus. Ed.

64. *Sive chelyn complexa petit, seu voce paterna Discendum Musis sonat.* Suspectum mihi istud *petit.* Si enim *complexa* est chelyn, jam *in manibus* habet; ergo quodnam opus est ut *petat?* nisi dicatur *petere* idem esse quod *pulsare;* quod, opinor, vix concedetur. Lege, « Sive chelyn complexa ferit; » vides jam statum τῆς παιζούσης· *ferire* et *pulsare chelyn* tralaticium. Sil. Italic. V, 463: « Œagrios pulsabat pectine nervos; » Juvenal. Sat. VI, 382: « crispo pulsantur pectine chordæ, Quo tener Hedymeles operam dedit; » ita legendum puto istum locum; vulgo *numerantur,* sine sensu; et *operas;* nisi mavis *vibrantur,* propter cognationem literarum *m* et *b.* Senec. Hero. Œt. v. 1062, de Orpheo:

> Manes quum tacitos adiit
> Mœrentem ferieus chelyn;

Propert. II, 1: « Sive lyræ carmen digitis percussit eburnis; » Catalecta Scaligeri, « melius personet icta chelys; » Virgil. VI, 647: « Jamque fidem digitis, jam pectine pulsat eburno; » ita legendum; vulgo sine sensu, *eadem digitis:* (Vid. nost. Virgil. Edit. vol. III, p. 175. Ed.) Hunc Virgilii locum exscribit Auctor Paneg. ad Pisonem, v. 154, « Sive chelyn digitis et eburno verbere pulsas; » unde adstruitur nostra emendatio, per se satis manifesta. Auctor Eleg. in Obit. Mæcenat. v. 51, « Actius ipse lyram plectro percussit eburno; » Senec. Troad. v. 834, « Tinnulas plectro feriente chordas; » Ovid. Trist. II, de Horat. « Dum ferit Ausonia carmina culta lyra; » i. e. dum *feriendo lyram* exprimit carmina. Exempla ubique. Iterum forte scriptum fuit *pherit* pro *ferit;* inde *petit.* Ita apud Val. Fl. II, 272, pro *scyphus* codex Burmanni habet *scyfus.* Vide Lucan. IX, 865; ubi voces *ferit* et *petit* commutantur. Sequitur, *seu voce paterna sonat; vox paterna* est *vox patris,* ut *vox paterna* apud Horat. Art. Poet. v. 366, et Silv. IV, 4, et *monita paterna* Ovid. Met. II, 126, sunt *vox* et *monita patris;* hoc vero subabsurdum videtur; non enim *patris* voce, sed sua cantavit. Suspicor Statium scripsisse, *seu voce canora,* ut Epiced. patris, v. 80, « Non ego quas fati certus sibi voce canora Inferias præmittit olor; » Petron. Satir. « Ipse Trimalchio in pulvino consedit; et quum Homeristæ Græcis versibus colloquerentur, ille canora voce Latine legebat librum; » idem: « servus qui ad pedes Habinnæ sedebat, jussus, credo, a domino suo, proclamavit subito canora voce, etc. » Plinius, Hist. Nat. XXXIV, ad fin. de Sandaracha: « vocem

limpidam et canoram facit. » Vid. et Ovid. Art. Amat. III, 311; Plaut. Prolog. Pœnul. v. 34. Sed nihil temere mutandum; *vox* enim *paterna* est *quam a patre habuit;* ita *angustiæ paternæ* apud Tacit. Annal. I; et *spiritus paterni*, Ann. II; similes iis, quos pater habuit. Sequitur, *Discendum Musis sonat;* fieri potest ut ita scripserit Statius; sed non credo; est enim nimis frigidum, et humile, et genio Statiano inferius. Erigo hoc modo, « Livendum Musis sonat; » id est, *invidendum;* Horat. Sat. I, 9, 25: « Invideat quod et Hermogenes ego canto; » *Phœbo miranda loquetur* Sil. Italic. III, 621, de Domitiano. *Livere* pro *invidere* Statio familiare; conf. Epithal. Stell. et Violant. v. 151; Theb. XI, 211; Tacit. Ann. XIII, « Simul studiis inertibus et juvenum imperitiæ suetum, livore iis qui vividam et incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercerent. » Nisi mavis, *Dicendum Musis sonat;* ex Horat. Carm. IV, 9, 21. Sed hoc nequaquam placet. Omnino verum puto *livendum Musis*, quod elegantissimum est.

68. *Nonne leves pueros, non te, Cytherea, pudebat Hoc cessare decus?* Elegans exclamatio ad Amores et Venerem: nonne vos pudet, o Venus et Amores, tam formosam et decoram virginem otiosam esse et florem ætatis perdere? Simili expostulatione Virgil. Georg. I, 491:

> Nec fuit indignum, Superi, bis sanguine nostro
> Emathiam, et latos Hæmi pinguescere campos?

ita legendum et distinguendum; vulgo, « Nec fuit indignum Superis, etc. » sine interrogatione; quo nihil frigidius. Ita etiam legebat Servius, ut ex adnotatione ejus patet: « *Nec fuit indignum superis;* quasi exclamatio esset ad Deos. » Atqui nulla, ne quidem quasi-exclamatio est in vulgata; lege verba Servii hoc modo: » *Nec fuit indignum, superi, bis.* Exclamatio est ad Deos. » Utcumque verba Servii disponenda sint, patet illum legisse *Superi*, vel ex sola mentione *exclamationis*: (Vid. nost. Virgil. Edit. vol. I, pag 327. Ed.) Pariter Lucan. VII, 58:

> Hoc placet, o Superi, quum vobis vertere cuncta
> Propositum, nostris erroribus addere crimen?

vulgo et ibi deest interrogationis nota. Infra, v. 301,

> Quono poli motu, quo cœli sidera verso
> Thessalicæ tantum, Superi, permittitis oræ?

Tibull. I, 4, v. 31:

> Crudeles Divi! serpens novus exuat annos,
> Formæ non ullam Fata dedere moram?

æquumne est, o dii, serpentes quotannis exsuere senectam, formosis pejorem esse conditionem?

72. *Non adeo Vesuvinus apex, et flammea diri Montis hiems.* Elegantissime *flammeam hiemem* appellavit incendium ejus montis. Totidem verbis Valer. Flacc. IV, 507:

Sic ubi prærupti tonuit quum forte Vesevi
Hesperiæ lethalis apex, vix dum ignea montem
Torsit hiems, jamque Eoas cinis induit urbes.

GEVART.

75. *Dicarchei portus, et litora mundi Hospita.* Noster potius scripsisset *mundo*, ut vitaret ambiguitatem constructionis; *mundo hospita*, quæ excipiunt totum mundum; potius quam *litora mundi*. Ita Thebaid. XII, vers. 618:

Mittit in arma manus, genialibus hospita divis
Icarii Celeique domus, viridesque Melænæ.

Conf. et Achilleid. I, 206 sq.; Valer. Flacc. IV, 145; Propert. III, 21, 37. Bene igitur et melius *mundo hospita*, quam *mundi*. Præterea *mundo hospita* est quæ *recipit mundum;* at *mundi hospita* esset quæ *recipitur a mundo;* quod priori contrarium est, et hoc loco absurdum. Prudentius, Apotheos. de Natur. Animæ, v. 47, « limique recentis Hospita; » id est, « quæ excipitur limo recente; » de anima loquitur. Martialis, Epigr. X, XXV:

At nunc, Ausonio frustra promisse Quirino,
Hospita Lagæi litoris umbra jaces:

Ovid. Fast. VI, 529: « Hospita Carmentis fidos intrasse penates Diceris; » licet ibi construere possis *penates Carmentis* non *Hospita Carmentis*. Noster, Epiced. Patr. v. 168, « Ausonii pridem laris hospita Cyme; » id est, Cyme quæ *excipiebatur Ausonio lare*. Si hæc observatio vera sit (et vera mihi adhuc videtur) non potuit scribere *mundi hospita*. Sed vide porro: quippe lector suspiciosus et sagax turbatum aliquid hic odorabit. Inspice enim totam Χωρογραφίαν hujus loci; Vesuvius, inquit Statius, licet plurimum damni nobis intulerit, non tamen exhausit *urbes* civibus suis; stant enim adhuc, florent, et populis vigent; hic enim sunt *urbes* florentes et populo refertæ, *Cumæ* et *Puteoli*, et *litora mundo hospita*, et *Capua* et nostra *Neapolis*. Vides, opinor, quam parum apte *litora mundo hospita* inserantur inter tot propria nomina locorum; quippe *litora*, utcunque *mundo hospita*, nullo pacto referri possunt inter *urbes;* de quibus hoc loco agit Statius. Diu itaque suspicatus sum proprium *urbis* alicujus nomen hic delitescere; et Campaniæ oram et urbes peragranti occurrebat, vix fieri posse quin *Baiæ* sit locus quem quærimus, ita appellatæ a *Baio*, Ulixis gubernatore, illic sepulto; unde Βαίου τάφον *Baias* vocat Lycophron, Cassandra, v. 694:

Βαίου δ' ἀμείψας τοῦ κυβερνήτου τάφον·
« Præterens vero Baii gubernatoris sepulcrum: »

comitem Ulixis vocat Servius ad Æn. III, 441, et IX, 710; et Sil. Ital. XII, 114. Idem, VIII, 540: « Misenus, et ardens Ore giganteo sedes Ithacesia Baïi; » id est *sepulcrum Baii*, i. e. *Baiæ*. Strabo, lib. V, p. 169: Τὰς δὲ Βαίας ἐπωνύμους εἶναι λέγουσι Βαίου τοῦ Ὀδυσσέως ἑταίρου τινός· ὃς καὶ

Μισηνοῦ τὸ Μισηνόν· « Baias nomen habere perhibent a Baio quodam, uno ex Ulixis sociis; sicut Misenum a Miseno. » Ita legendus iste Strabonis locus; vulgo, τινός· καὶ..... τῶν Μισηνῶν: unde male supplet Casaubonus, καὶ τὸ Μισηνὸν ἀπὸ Μισηνοῦ· quippe ἐπώνυμος ἀπὸ Μισηνοῦ non Græcum est, sed ἐπώνυμος Μισηνοῦ· excidit particula ὡς, quam reposui, absorpta a præcedenti syllaba ος. Sed hoc obiter. Hunc igitur Statii locum sic lego: « hic auspice condita Phœbo, Tecta, Dicarchei portus, et litora Baii Hospita. » Pro *baii* scriptum erat *maii*, perpetua vice literarum *b* et *m*; unde ex *maii* fecerunt *mundi*, quod sensum aliquem habere videbatur. Huic simillimus locus, Epiced. Patr. v. 167:

> Quos propiore sinu lituo remoque notatus
> Collis, et Ausonii pridem laris hospita Cyme:
> Quosque Dicarchei portus, Baianaque mittunt
> Litora.

Vides eumdem locorum ordinem, et eadem verba in utroque loco; et nobilitas *Baiarum* facit ut in recensendis celebribus Campaniæ urbibus, hæ omitti non possint. Bene autem *hospita litora* propter concursum hominum qui voluptatis et valetudinis causa illuc confluebant. Nescio quomodo hanc conjecturam excepturi sint viri eruditi; mihi quidem, forte utpote mea, maxime placet. Hoc saltem, opinor, obtinebo, Statium non scripsisse *mundi hospita*, sed *mundo*; quam differentiam non ante observatam memini. Sequitur, *at hic magnæ*, etc. nulla oppositio inter hanc et priorem sententiæ partem; quare igitur adversativa *at*? lege, *et hic magnæ*; etc. sed constanter retinent *at* editiones; ut forte scripserit Statius: *hinc auspice condita Phœbo tecta... at hinc magnæ*, etc. non *hic auspice*, et, *hic magnæ*.

78. *Nostra quoque et propriis tenuis, nec rara colonis Parthenope.* Absurdum hoc; si enim Parthenope seu Neapolis esset *tenuis* seu angusta *propriis* incolis, quomodo potuit eadem esse *non rara* seu frequens *colonis* et advenis? Dices forte Statium voluisse, paucos esse indigenas, multos advenas. Atqui hoc contrariatur proposito ejus, quod fuit laudare Neapolim ob *frequentiam* civium: *Stat, populisque viget*; ut inscitissime fecerit, si *paucitatem* indigenarum memoraverit, ubi ob contrarium urbem laudare voluerit. Quo magis miror, quando video Gronov. Elench. Antidiatr. c. 3, culpantem Cruceum quod hunc locum (quem *elegantem* vocat) depravarat; et vulgatam « Nostra quoque et propriis etc. » sic explicantem: « Hoc est, et nostra Neapolis quæ *et* indigenis angusta est, et non paucos habet advenas seu colonos; ubi iste (Cruceus) absurdissime, *et propriis tenuit quæ rura*; vel, *tenuit nec rara colonis.* » Verum, ut ante dixi, si *angusta* esset *indigenis*, unde locus esse potuit *alienigenis*? si *civibus referta*, quod voluit Statius, unde *propriis tenuis*? mollire quidem potuisset, si dixisset, « Nostra quoque ut propriis tenuis, non rara colonis Parthenope; » *licet* propriis tenuis sit, *tamen* multos habet advenas; sed utroque genere abundantem

monstrare debuit et voluit Statius; et scripsit, « Nostra quoque haud propriis tenuis, nec rara colonis Parthenope; » quod explicatione non indiget. Apuleius, Floridis, de Samo insula: « Ceterum et incolis frequens, et hospitibus celebrata. » Scriptum erat *aut* pro *haut* vel *haud;* unde istud *et*. Omnes fere editiones ita distinguunt, « Nostra quoque et propriis, tenuis nec rara colonis Parthenope; » quod altero, si fieri potest, absurdius est.

88. *Morum jura viris: solum et sine fascibus æquum.* Tuam opem, o grammatica, ut hæc intelligam! Sensum quidem teneo, nempe, bonos mores pro legibus esse; sed eo casu scribi oportet *Mores jura viris*, non *Morum; jura* enim *morum* absurdum est. Putavi aliquando verum esse *morum cura viris*, ut *cura pudoris* apud Ausonium, Idyll. VII, 25; *cura juris*, Senec. Thyest. II, v. 216; *cura legum*, Lucan. VIII, 75; ubi pari modo corrupte legitur *jura legum*. Sed nec hoc satisfacit; quippe sequentia, « solum et sine fascibus æquum, » postulant aliquid cui adjungantur, utpote per se sententiam non efficientia. His omnibus incommodis tandem subvenio mutatione unius literulæ et distinctionis; ecce,

> Nulla foro rabies, aut strictæ jurgia leges
> Norunt: jura viris solum et sine fascibus æquum;

egregia et perspicua sententia: « leges non norunt jurgia, » ut Silv. IV, 4, « Certæ jam Latiæ non miscent jurgia leges. » *Noscere* hoc sensu perquam vulgare: Noster, Silv. IV, 4: « fluctus an sueta minores Nosse ratis, nondum Ioniis credenda periclis? » Senec. Thyeste, v. 594, ubi chorus senum Mycenæorum loquitur:

> Obscuro positus loco
> Leni perfruar otio;
> Nullis notaque litibus
> Ætas per tacitum fluat!

ita legendum; vulgo absurde, *nota Quiritibus*. Propert. I, 6, 1:

> Non ego nunc Hadriæ vereor mare noscere tecum,
> Tulle, neque Ægæo ducere vela salo;

Theb. VII, 168:

> Adde, quod imbellis, rarisque exercita castris
> Turba meas acies, mea tantum prælia norunt,

Virgil. Ciri: « Nulla colum novit, carum nec respicit aurum; » frustra est N. Heinsius, qui ad Claudian. in Eutrop. I, 274, voluit *nevit*. Sic alibi passim. *Strictæ leges*, metaphora a *gladiis* sumta. Deinde, « jura viris solum et sine fascibus æquum, » id est, « æquitas nuda et sola sine ope fori et tribunalis est idem quod jura et leges alibi; » ut de suis prædicat Latinus, apud Virgil. VII, 202:

> Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos,
> Saturni gentem, haud vinclo nec legibus æquam,

Sponte sua, veterisque Dei se more tenentem.

Ubi Servius hæc interpretatur quasi legisset *veterisque ævi* pro *dei*. Auson. Epiced. vs. 34, « Atque bonos mores legibus antetuli; » Curtius, IX, 1, 24 : « Gens, ut barbari, sapientia excellit, bonisque moribus regitur. » *Æquum est jura*, hoc est, *idem quod jura;* ut apud Plin. Epist. IV, 27, 4 : « Unus Plinius est mihi priores; » id est, *idem quod* priores, seu *pro prioribus*. Antholog. III, Ἓις ἰμοὶ ἄνθρωπος ΤΡΙΣΜΥΡΙΟΙ; id est, *ἀντὶ τρισμυρίων*.

98. *Ilïacoque jugum memorabile remo*. Intelligit promontorium Campaniæ, in quo Misenus, magister navis Æneæ sepultus est, sepulcroque ejus remus tubaque insculpta. Virg. Æneid. VI, 232 :

> At pius Æneas ingenti mole sepulcrum
> Imponit, suaque arma viro, *remumque*, tubamque,
> Monte sub aerio, qui nunc Misenus ab illo
> Dicitur, æternumque tenet per sæcula nomen.

Nec mirum est Papinium toties Miseni, ut loci amœnissimi mentionem facere. In eo enim adhuc apparent lavationum solia, balnea, lacus et ad cœnas faciendas triclinia; nam cryptis, viis, ædificiisque fornicatis intus plenus est, quas crebris hinc et inde columnis incumbunt, partim lateritiis, partim ex ipso montis saxo cæsis. Vide Cyprianum Lichovium, in Deliciis Italiæ. Quin et Miseni classis collocata ad tutelam inferi maris, ut et altera Ravennæ ad tutelam superi maris.

101. *Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula lunæ*. Papinione mens aut manus aberravit, an Suetonio? qui exerte inter omina Tiberianæ mortis « Et ante paucos, inquit, quam obiret dies, turris Phari terræ motu Capreis concidit. » Si concidit Tiberio imperante, qui sub Domitiano dirigere nautas potuit? iterumne exstructa? magis est ut hoc credamus. Bernart.

102. *Caraque non molli juga Surrentina Lyæo*. Heinsius ad Sil. Ital. VIII, 380, pro *molli* legit *soli*. *Cara non soli Lyæo*, quia illic Minerva et Hercules et Neptunus (addere etiam ex Strabone potuisset *Sirenes*) colebantur. Non sine ratione de voce *molli* dubitat vir acutissimus : quippe *non mollia* vina sunt *austera*, *fortia;* atqui Surrentinum erat « tenue et lene, et convalescentibus maxime probatum propter tenuitatem salubritatemque, » ut ait Plin. Hist. Nat. XIV, 6; unde ille apud Persium, Sat. III, 93 :

> . . . . postquam
> Tertia compositas vidit nox currere venas,
> . . . . . .
> Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.

Tiberius quidem Cæsar, referente Plinio, ibidem, vocare consuevit *ge-*

nerosum acetum; et Caligula *nobilem vappam;* sed hæc illi non quia *austerum* erat, sed quia *tenue*, et consequenter cito *acescebat* et *evanescebat;* licet hoc vinum ætatem quoque ferre, et id nuper experimentis inventum scribat Strabo, lib. V, p. 168. Sil. Ital. V, 465, « felicia Baccho Æquana, et Zephyro Surrentum molle salubri; » Ovid. Metam. XV, 710: « Et Surrentino generosos palmite colles. » Vides *Surrentum molle Zephyro salubri,* et *generosos colles: generosum* vero et *lene* conjungit Horat. Epist. I, de vino loquens: « Ad mare quum venio, generosum et lene requiro. » Ex his apparet, verius fore si Statius dixisset, *juga Surrentina cara molli Lyæo* potius quam *non molli.* Et, quod præcipuum est, si legas *non molli,* necesse est ut τὸ *Lyæo* sumas non pro *Deo Baccho,* sed pro *vino;* et tunc erit, *juga Surrentina cara* non molli *vino;* quod absurdum erit; quo enim sensu dici possunt juga esse *cara vino,* et *non molli vino?* Adhæreo igitur Heinsianæ conjecturæ, donec melius aliquid contingat et auctius. Similis est locus Silv. IV, 8: « necnon plaga cara madenti Surrentina Deo, sertis altaria cingat; » *madenti Deo,* Baccho; ut hic, *cara Lyæo, Baccho,* non *vino.*

104. *Statinasque renatas.* Statina insula in litore Campano. *Renatas;* nam uno terræ motu oppidum haustum est, altero Statina emersit. Plin. Hist. Nat. II, 88: « In eadem (Campania) et oppidum haustum profundo, alioque motu terræ Statinas emersisse. » Domit.

FINIS LIBRI TERTII.

SILVARUM

LIBER QUARTUS.

AD MARCELLUM.

INVENI librum, Marcelle carissime, quem pietati tuæ dedicarem. Reor equidem aliter quam invocato numine maximi Imperatoris nullum opusculum meum cœpisse. Sed hic liber tres habet. Sequitur quarta, quæ ad honorem tuum pertinet. Primo autem septimum decimum Germa-

VARIÆ LECTIONES.

2. *Reor quidem aliter quam.* Ita plures. Parmens. « Reor equidem aliter quam, etc. » quod admisi.— Cod. Paris. a prima manu *quidem;* ex emendatione, *equidem;* edit. pr. *quidem.* A.

3. *Nullum opusculum meum cœpisse.* Ita omnes editt. præter Parm. et Rom. quæ habent, « opusculum inveniri cœpisse. » Atqui utrumvis falsum continet; quippe nec liber secundus nec tertius nec quintus Silvarum *incipiunt* ab invocatione numinis imperatorii; nisi per *opusculum* intelligat totum systema librorum quinque Silvarum; quo quidem sensu verum est; incipit enim ab Equo Max. Domitiani; et ita in Thebaid. et Achill. Sed vix est, ut hos Silvarum libros, nedum Thebaida et Achilleida, *opusculi* nomine diminutum iret. Latet aliquid quod non possum eruere. — Cod. Par. ed. pr. *nullum opusculum inveniri cœpisse.* A.

4. *Sed his liber tres habet.* Tres quas? nihil enim præcedit cui jungi possit vox *tres.* Patet quid velit Statius, nempe *tres Eclogas.* Sed quis hoc audebit substituere sine libris? Barthius aliquid notat in hunc locum; sed obscure et minus vere, ut facile possem ostendere, si vacaret.

5. *Primo autem septimum decimum,* etc. immo *prima,* sc. *Ecloga;* et præcessit, « quarta, quæ ad honorem tuum pertinet. » Eode

nici nostri consulatum adoravi : secundo, gratias egi sacratissimis ejus Epulis honoratus : tertio, Viam Domitianam miratus sum, qua gravissimam arenarum moram exemit; cujus beneficio tu quoque maturius epistolam eam accipies, quam tibi in hoc libro a Neapoli scribo. Proximum est Lyricum carmen ad Septimium Severum, juvenem, uti scis, inter ornatissimos secundi ordinis, tuum quidem etiam condiscipulum; sed mihi contra hoc quoque jus, arctissime carum : nam Vindicis nostri Herculem Epitrapezion, secundum honorem quem de me, et de ipsis studiis meretur, imputare etiam tibi possum. Maximum Junium dignitatis et eloquentiæ nomine a nobis diligi, satis eram testatus epistola, quam ad illum de

modo *secunda* et *tertia*, non *secundo* et *tertio;* nisi aliud quid lateat. — Cod. Par. et edit. pr. cum cæteris, *primo*. A.

7. Pro *epulis*, Domitius notat in omnibus aliis codicibus legi *epistolis :* perperam ; Parmensis clare *epulis;* unde patet Domitium non vidisse istam editionem. — Cod. Par. ed. pr. *epulis*. A.

8. Pro *moram arenarum*, Rom. *molem*. Just. I, 9, 3 : « Ad Hammonis quoque nobilissimum templum expugnandum exercitum mittit; qui tempestatibus et arenarum molibus oppressus interiit; » et IV, 1, 6 : « ubi acrior per spiramenta cavernarum ventus incubuit, arenarum moles egeruntur. » Et ita alibi idem, et alii. Sed perperam istud *molem;* dixisse enim debuit *moles arenarum;* non enim *unus* erat arenæ cumulus, sed per totam viam continuata. Recte *moram arenarum*, id est, *arenas* quæ *morabantur* et impediebant iter facientes; ita *veprum nemorumque moras*, Protrep. Crispin. v. 44; *portarum moras*, Thebaid. XI; *fossarum moræ*, ap. Virgil. Æneid. IX, vers. 143. — Cod. Paris. *molem ;* edit. princ. male, *mollem*. A.

10. *Epistolam meam accipies* etc. *epistola mea quam tibi scribo* ineptum est; scribe *epistolam eam accipies;* per te vides causam mendi, et lectionis veritatem. — Cod. Par. ed. pr. *meam*. A.

14. Pro *nam*, vulgo *jam;* quod et habent cod. Paris. et ed. princ. Vid. not. A.

15. Pro *quem de me et de ipsis studiis meretur*, Parm. *quum me et ipsis studiis miratur*. Rom. omittit ultimum *de;* ut et cod. Paris. et edit. princ. A.

17. Pro *Maximum Junium*, etc. Parm. « Maximum virum et dignitatis eloquentiæ nomine ; » lege, « et dignitatis et eloquentiæ nomine. » — Cod. Paris. ed. pr. « et dignitatis et el. » A.

editione Thebaidos meæ publicavi; sed nunc quoque eum reverti maturius e Dalmatia rogo. Juncta est Ecloga ad municipem meum Julium Menecratem, splendidum juvenem, et Pollii mei generum; cui gratulor quod Neapolim nostram numero liberorum honestaverit. Plotio Grypho, majoris gradus juveni, dignius opusculum reddam: sed interim Hendecasyllabos, quos Saturnalibus una risimus, huic volumini inserui. Quare ergo plura in quarto Silvarum, quam in prioribus? Ne se putent aliquid egisse, qui reprehenderunt, ut audio, quod hoc stili genus edidissem. Primum, supervacuum est dissuadere rem factam: deinde, multa ex illis jam Domino Cæsari dederam; et quanto hoc plus est, quam edere? Exercere autem jocos non licet? si secreto; inquit. Sed et sphæromachias spectamus, et pilaris lusio admittitur: novissime, quisquis ex meis invidus aliquid legit, statim se profitetur adversum: itaque consilio ejus accedam? In summa, nempe ego sum qui traducor: taceat, et gaudeat. Hunc tamen librum tu, Marcelle, defendes. Et, si videtur, hactenus: sin minus, reprehendemur.

19. *Thebaidos meæ*. Cod. Paris. ed. princ. *meæ Thebaidos*. A.

20. Pro *maturius*, etc. Parm. *maturim e Dalmatia*; voluit, opinor, *matur rime*. — Cod. Par. ed. pr. *maturius*. A.

24. Pro *dignius*, Parm. *dignum*. — Cod. Paris. edit. pr. *dignius*. A.

28. Pro *qui reprehenderunt*, Parm. *aut reprehēderē*. — Cod. Par. edit. pr. vulgatam retinent. A.

30. *Domino*. Cod. Par. in textu, *dn̄o*; ad marg. *domitiano*; edit. pr. *domīo*. A. — Pro *et quanto*, potes legere *at*.

32. Vulgo, *sic secreto*; hoc etiam habent cod. Paris. et ed. pr. Vide not. A.

34. *Quisquis ex meis invitus aliquid legit*, etc. Quare *invitus*? quis enim eos *cogeret*? lege, *invidus*; per se patet. — Cod. Par. ed. pr. *invitus*. A. — Pro *profitetur* Parm. *profiteatur*; quod ferri forte potest. — Cod. Paris. ed. pr. *profiteatur*. A. — Sequentia, *itaque consilio ejus accedam* interrogationis nota animavi; Parm. et Rom. *ita quare*, eodem sensu. — Cod. Par. ed. pr. *ita quare*. A.

NOTÆ

IN EPISTOLAM P. P. STATII

AD MARCELLUM.

Linea 7. Tertio, *Viam Domitianam miratus sum, qua gravissimam arenarum moram exemit.* Nemo legat *veneratus sum*, inductus isto Virg. Æn. III, 84, « Templa Dei saxo venerabar structa vetusto, » et similibus; verum enim est *miratus; mirari* est *cum admiratione canere*, vel *admiratione prosequi.* Tiburt. Vopisc. v. 57, « Quid nunc ingentia mirer Atria? » Achilleid. II, 442 :

.... nec major in istis
Sudor, Apollineo quam fila sonantia plectro
Quum quaterem, priscosque virum mirarer honores.

Virgilius, Georg. I, 38, « Quamvis Elysios miretur Græcia campos; » Auctor Ætnæ, v. 639, de piis fratribus, « illos mirantur carmina vatum; » Ausonius, Mosella, v. 51, « Naturæ mirabor opus; » conjungit Plinius, Panegyrico : « Quasi vero jam satis veneratus miratusque sim quod tantam pecuniam profudisti ! »

14. *Jam Vindicis nostri Herculem*, etc. Domitius notat inemendatos codices habere *nam;* sed male, inquit; immo, optime; et ita Parmensis. Quis vero nescit hanc particulam res dissimillimas sæpe connectere? Ita Præf. lib. I, « De quo nihil dico, ne videar defuncti testis occasione mentiri : nam cl. Etrusci testimonium exstat. » Epithal. Stell. v. 171 :

.... unam omnes inter miratur amatque
Nec formæ, nec stirpis egens : nam docta per urbem
Carmina qui juvenes, quæ non didicere puellæ?

Plin. Hist. Nat. XIV, 1, ad fin. « Necnon vineæ oppugnationum dedere rationem : nam in medicaminibus adeo magnum obtinent locum, ut per se vina ipsa remedia sint. » In quibus locis τὸ *nam* non est *causale*, nec rationem reddit præcedentium; sed orationem transfert ad rem omnino diversam. O quantas turbas dedit commutatio harum vocum in loco Flori, IV, 3 : « Quippe dum Sextus paterna repetit, trepidatum toto mari; dum Octavius mortem patris ulciscitur, iterum fuit movenda Thessalia; dum Antonius varius ingenio, aut successorem Cæsaris in-

dignatur Octavium, aut amore Cleopatræ desciscit in regem: nam aliter salvus esse non potuit, nisi confugisset ad servitutem. » Ita edidit doctissimus Dukerus, in nitida editione Lugd. Bat. 1722. Freinshemius mancum locum putat, et quatuor verba inserit; Grævius ejicit *nam;* et ita Lipsius et Gronovius. Anna Fabri pro *nam* legit *p. rom.* Rupertus et Bœclerus cum Freinshemio sentiunt; Salmasius, Ryckius et Perizonius delent *nam;* et huc propendet ipse cl. Dukerus. Vides quanti fluctus in hoc simpulo excitentur; simul vide quam facile sit hos sedare: « dum Antonius varius ingenio, aut successorem Cæsaris indignatur Octavium, aut amore Cleopatra desciscit in regem, jam aliter salvus esse non potuit nisi confugisset ad servitutem. » Per se patet: *jam salvus esse non potuit,* scil. *Pop. Romanus,* ab initio sententiæ repetendus; ut bene vidit Grævius.

31. *Exercere autem jocos non licet? sic secreto, inquit.* In priore sententiæ parte loquitur Statius; in posteriore respondet Mævius, vel Titius, vel quemcunque alium velis. Pro *sic* legendum est *si:* immo licet, inquit adversarius, modo id secreto fiat: cur enim res ludicras et leves orbi exhiberes? Atqui, pergit Statius, refellens hanc objectionem, non pudet nos in publico spectare etiam levissimos lusus.

35. *In summa, nempe ego sum qui traducor: taceat, et gaudeat.* Ita distinxi, et sic interpretor; *Denique,* si reprehensione dignus sum ob hoc leve genus scriptionis, quid hoc ad illum? quum *ego sim, qui traducor,* non ille; quum hoc periculo meo fiat, non illius; itaque ille *taceat,* utpote in re quæ ad eum minime pertineat; *et gaudeat* meo dedecore, si ita velit. Hic est sensus hujus loci. *In summa* est *denique;* Manilius, IV, « Italia in summa, quam rerum maxima Roma Imposuit terris, etc. » Calpurnius Flaccus, Declam. XI, p. 805 edit. Burmann. « In summa, pernicies, vel velle ad me redire, vel nolle. » Vide Justin. XXXVI, 1.

37. *Et, si videtur, hactenus: sin minus, reprehendemur.* Sensus est: *Et, si* ita tibi *videbitur, hactenus,* nec ultra, hujusmodi scripta edam: *sin minus,* id est, si volueris me pergere, *reprehendamur* (ita enim legendum, non *reprehendemur*), non ego invidos et malevolos curabo; reprehendant, si velint; ego pergam. Vide Præfat. lib. II ad finem.

CARMEN I.

XVII CONSULATUS IMP. AUG. GERMANICI DOMITIANI.*

Læta bis octonis accedit purpura fastis
Cæsaris, insignemque aperit Germanicus annum,
Atque oritur cum sole novo, cum grandibus astris,
Clarius ipse nitens, et primo major Eoo.
Exsultent leges Latiæ: gaudete, curules;
Et septemgemino jactantior æthera pulset
Roma jugo; plusque ante alias Evandrius arces
Collis ovet. Subiere novi Palatia fasces,
Et requiem bis sextus honos, precibusque receptis
Curia Cæsareum gaudet vicisse pudorem.
Ipse etiam immensi reparator maximus ævi
Attollit vultus, et utroque a limine grates
Janus agit; quem tu, vicina Pace ligatum,

VARIÆ LECTIONES.

* *XVII Consulatus Imp.* Ita vulgatæ. Gronovius ex MSS. plenius; *XVII Consulatus Imp. Aug. Germanici.* Cui ex Parm. addidi *Domitiani.* — Cod. Par. et ed. pr. *Germanici Consulatus.* A.

5. *Gaudete, curules.* Nihil muto: legi tamen posset, *gaudete, Quirites,* ut in vet. lapide Albæ Juliæ reperto. ASPICE, ROMULI. PATER. GAUDETE. QUIRITES. VESTRA. ISTA. EST. GLORIA. Citatur a Johann. Livineio, not. ad Mamertini Panegyr. Maximiano Aug. cap. 13.

9. *Et requiem,* etc. Forte legendum: « Et rediit bis sextus honos. » Vide not.

13. *Janus agit.* Cod. Paris. in textu, *ait:* ad marg. *agit.* Ed. pr. *ait.* A.

Omnia jussisti componere bella, novique
In leges jurare fori : levat ecce supinas
Hinc atque inde manus, geminaque hac voce profatur :
« Salve, magne parens mundi ; qui sæcula mecum
Instaurare paras : talem te cernere semper
Mense meo tua Roma cupit ; sic tempora nasci,
Sic annos intrare decet : da gaudia fastis
Continua ; hos humeros multo sinus ambiat ostro,
Et properata tuæ manibus prætexta Minervæ.
Aspicis ut templis alius nitor, altior aris
Ignis, et ipsa meæ tepeant tibi sidera brumæ.
Moribus atque tuis gaudent turmæque, tribusque,

16. Pro *hac*, cod. Paris. et edit. pr. *hæc*. A.

19. *Mense meo tua Roma cupit.* Pro *meo*, MS. Flor. editt. Rom. et Venet. habent *novo* ; quod non improbat Gronov. Diatr. c. 36, prolato hoc Claudiani loco, « Jamque novum fastis aperit felicibus annum. » Judicio tamen cujusque liberum relinquit. Utor permisso, et hoc fretus dico Statium scripsisse, « Mense meo tua Roma cupit ; » non *novo ; mense meo* id est *Januario*, qui Jano sacer, ut pueris notum. Martialis Epigr. VIII, VIII, 5, de reditu Cæsaris, ad Janum, « Tu tamen hoc mavis, Latiæ quod contigit urbi, Mense tuo reducem, Jane, videre Deum ; » qui locus movit Gronovium ut de τῷ *novo* dubitaret. Magis movisset virum egregium, si considerasset *mensem novum* nihil esse præter *initium mensis*, et de quovis mense dici posse ; hoc vero loco requiritur mensis *Januarius* ; ut jam omnino falsum sit *Mense novo*. Martial. Epigr. X, XLI, 1 : « Mense novo Jani veterem, Proculeia, maritum Deseris ; atque jubes res sibi habere suas ; » clare vides *Mensem novum Jani* denotare *initium Januarii* ; ita *annus novus*, *initium anni*, seu kalendæ Januariæ, in isto loco Claudiani a Gronovio citato, et Suetonio, Tiber. c. 61, et alibi passim. Recte igitur *Mense meo* ; et ita Parmensis, et plurimæ aliæ. — Cod. Par. in textu, *Mense novo*, et ad marg. *meo* ; ed. pr. *novo*. A.

23. *Aris.* Ita cod. Paris. in contextu ; qui ad marg. *astris*. Ed. pr. *aris* ; et initio versus, *Apicis* pro *Aspicis*. A.

24. Pro *tibi*, cod. Paris. et edit. pr. *mihi*. A.

25. *Moribus atque tuis*, etc. Corruptus locus, quidquid contra dicat Gronovius, Diatr. c. 37. Quid enim est istud *atque ; Moribus atque tuis?* quis unquam hoc modo collocavit τὸ *atque?* præsertim quum nulla sit connexio inter hanc et præcedentem sententiam, neque hæc ab illa aliquatenus pendeat. Pro *atque* non dubito quin Statius

Purpureique Patres; lucemque a consule ducit
Omnis honos. Quid tale, precor, prior annus habebat?
Dic age, Roma potens, et mecum, longa Vetustas,
Dinumera fastos; nec parva exempla recense,
Sed quæ sola meus dignetur vincere Cæsar.
Ter Latio deciesque tulit, labentibus annis,
Augustus fasces; sed cœpit sero mereri:
Tu juvenis prægressus avos. En! quanta recusas,
Quanta vetas! flectere tamen; precibusque senatus
Permittes hanc sæpe diem: manet insuper ordo
Longior, et totidem felix tibi Roma curules
Terque quaterque dabit: mecum altera sæcula condes,

scripserit *ecce; Moribus ecce tuis;* et hæ voces alias a librariis commutatæ fuerunt. Sed nec *Moribus* sanior videtur; nullus enim hic *Moribus* locus, quum per totum carmen de *Consulatu* tantum, non de *vita privata*, aut *Censorio officio* Domitiani agat Statius. Dixisse potius debuit *Honoribus* tuis, si per versum licuisset, quam *Moribus*. Verum puto, « Fascibus ecce tuis gaudent turmæque, tribusque. » Sensus hoc postulat; et evincunt sequentia, « lucemque a Consule ducit Omnis honos. » *Fasces* pro *Consulatu* poni omnibus notum, et bis in hoc carmine occurrit. Natus error ex omissa prima versus litera, *ascibus, oribus*. Nec melius explicat Gronovius ista *lucem ducit*, per, *omnes Magistratus vivunt sanctis moribus principis*. Non istud voluit Statius, sed hoc: « Omnes magistratus et honores illustrantur a Consulatu tuo; » hoc enim est *lucem ducere* seu accipere ab aliquo; nempe *illustrari* ab illo, quemadmodum luna et stellæ minores a sole. Hæc est Statii metaphora, hoc artificium in adulando. — Cod. Par. et ed. pr. vulgatam tuentur. A.

28. Forte legendum: *Roma parens*. Vide not.

29. *Fastos*. Cod. Paris. in textu, *fasces;* ad marg. *fastos*. Ed. princ. *fasces*. A.

31. *Ter Latio deciesque tulit, labentibus annis, Augustus fasces*. Hæc est omnium editionum lectio: prava, quacumque constructione ponas. Gronovius quærit, quidni *Latios?* non aliter scribere potuit Statius. Lucan. VII, 427, de die Pharsalico: « hac luce cruenta Effectum, ut Latios non horreat India fasces. »

33. *Tu juvenis prægressus avos. En! quanta recusas, Quanta vetas! flectere tamen, precibusque* etc. ita legendum et distinguendum; non, *et quanta recusas*. — Cod. Par. ed. pr. *et quanta*. A.

35. Pro *Permittes*, Parm. *Promittes*. — Cod. Par. a manu prima *Permittes;* ex emendatione *Promittes*. Ed. pr. *Permittes*. A.

Et tibi longævi revocabitur ara Terenti.
Mille trophæa feres; tantum permitte triumphos.
Restat Bactra novis, restat Babylona tributis
Frenari: nondum in gremio Jovis Indica laurus,
Nondum Arabes, Seresque rogant; nondum omnis honorem
Annus habet, cupiuntque decem tua nomina menses.»
Sic Janus, clausoque libens se poste recepit.
Tunc omnes patuere fores, lætoque dederunt
Signa polo; longamque tibi, dux magne, juventam
Annuit, atque suos promisit Juppiter annos.

38. Pro *Terenti*, editt. *parentis;* perperam. Emendavit primus Turnebus in ora codicis sui; deinde delevit, et aliter hunc locum explicavit, dubitante Morello cui lectioni adhæreat. Omnem scrupulum adimit Gevartius, Papin. Lect. IV, 2; ubi optime explicat, et probat ex simili loco Soter. Gall. v. 18, « Aut instaurati peccaverit ara Terenti; » ita enim scribenda hæc vox, non *Tarenti;* vide Heinsium ad Ovid. Fast. I, 501; ubi etiam notat lectionem edit. Parmensis, quæ pro *revocabitur* habet *renovabitur;* quod defendi potest ex voce *instaurati* in loco modo citato; et multis aliis exemplis. Vide not. — Cod. Paris. et ed. pr. *revocabitur.... parentis.* A.

40. Pro *Restat Bactra*, Parm. et Rom. *Restăt.* — Idem apud cod. Paris. qui ex emendatione, *Restat.* Edit. pr. *Restant.* A.

41. Pro *nondum gremio Jovis*, recte Livineius et Barthius, *nondum* in *gremio Jovis.* — Cod. Par. ed. pr. præpositionem omittunt. A.

45. Lege: *Tunc omen plausere fores.* — Ed. pr. vulgatam retinet, ut et cod. Paris. qui ad marg. scribit, *plausere dei.* Conf. not. A.

46. Vulgo, *rex magne;* quod et habent cod. Paris. et edit. princ. Vide not. A.

NOTÆ

IN CARMEN PRIMUM LIBRI QUARTI

SILVARUM.

* XVII CONS. etc. DOMITIANUS decem et septem accepit consulatus, quod ante eum nemo : ex quibus septem medios continuavit : omnes autem pæne titulo tenus gessit; nec quemquam ultra Kal. Maii, plures ad Idus usque Januarii. DOMIT.

VERS. 9. *Et requiem bis sextus honos; precibusque receptis Curia Cæsareum gaudet vicisse pudorem.* Constructio est : « Et bis sextus honos gaudet vicisse requiem; et Curia, precibus receptis, gaudet vicisse Cæsareum pudorem. » *Bis sextus honos gaudet vicisse requiem*, est, *consulatus vicit requiem.* Sed *cujus requiem* vicit? *Cæsaream*, opinor, dicent, repetendam ex versu proximo. Durum quidem hoc, nec tolerabile iis qui numeros et compositionem Statianam callent; secundum quam sententia perfecta esse debet post vocem *honos;* et ita quidem est : ausim enim polliceri Statium scripsisse,

> . . . . subiere novi palatia fasces,
> Et rediit bis sextus honos : precibusque receptis
> Curia Cæsareum gaudet vicisse pudorem.

Vides quam plena et rotunda omnia, et quam emphaticum istud *rediit;* quasi dixisset, prioris quidem anni consulatus vix *consulatus* dici meruit; jam vero postquam Cæsar fasces suscepit, *rediit* tibi, o Roma, *verus consulatus.* Martial. Epigr. VIII, LXV, de Consulatu filii Sil. Italici :

> Bissenos jubet en redire fasces,
> Nato Consule, nobilique virga
> Vatis Castaliam domum sonare.

Hunc Statii locum sublegit Claudian. de IV Consulatu Honorii, v. 4, « Exsultant reduces Augusto consule fasces. » Literæ *d* et *q* sæpe inter se commutantur; quippe *q* est *d* inversa : hinc natus error; *requiē* pro *rediit;* ut apud Valer. Flaccum, IV, 525, *quærent* pro *deerunt* : « Harpyiis nunquam nova pabula deerunt; » ita legendum (non *Harpyiæ quærent*), ex Ovid. Metam. VIII, 875, de Erisicthone :

Vis tamen illa mali postquam consumserat omnem
Materiam, deerantque gravi nova pabula morbo:

sic et ibi legendum; vulgo ineptissime, *dederatque;* sed hoc a Burmanno jam video occupatum. Multa de hoc Statii loco Gronov. Diatr. c. 36, ut probet a manu poetæ fuisse *bis textus honos*, id est, *toga prætexta*, consulum indumentum; *bis textus*, quia duplicem texturam habuit, *lanæ* qua *toga*, *purpuræ* qua prætexta; is *honos bis textus* gaudet, inquit, quod *requiem vicerit*, quod de Palatinis pressoriis prolatus et Cæsari injectus sit. Et hanc interpretationem multis defendit et nimis acriter, Elench. Antidiatr. cap. 5. Postea tamen, in Reliquiis ad Stat. Silv. quas una cum Statio edidit circiter quatuordecim annis post, resipuit, et errorem suum agnovit his verbis; « Pudet in re facili tantopere sudasse. *Bis sextus honos* est duodecim fascium et lictorum honos, proprium consulatus insigne; ut quum Juvenalis: « quum jam sexta cervice feratur, » i. e. sex lecticariorum cervicibus. Is honos requievit Imperatori, quamdiu eum non usurpavit, admisso consulatu; *requiem* apud illum *vicit*, postquam adhibitus est suscepto consulatu. »

14. *Omnia jussisti componere bella.* Inutile et nullius pretii istud *omnia:* dubito etiam an verum; non enim legimus Domitianum clausisse templum Jani: quo solo sensu vere dici posset *composuisse omnia bella.* Lego, « Orrida jussisti, etc. » i. e. *horrida.* Vides causam erroris, omissa scil. prima litera. *Horrida* perpetuum *bellorum* epitheton; vix opus est poetarum loca exscribere; vide, si velis, Nostr. Silv. III, 3, v. 170; Theb. VI, 457 et 865; Virgil. Æneid. VII, 41; Sil. Ital. I, 630, et XIII, 451; Auctorem Octaviæ, v. 776; Ausonium, Epigram. I; Juvenal. XIV, 242; et alios passim. Commutantur interdum hæ voces; Noster, Thebaid. X, 94, de antro Somni, « non hic pelagi, licet omnia clament Litora, non illic cæli fragor; » pro *omnia* MS. Petrensis habet *horrida:* pro *non illic cæli*, lege, *non ullus cæli.* Iterum, Theb. VIII, 44, ubi Pluto post obitum Amphiarai, de Jove ita queritur et minatur,

. . . . quid me otia mœsta
Sævus, et implacidam prohibet perferre quietem?
Amissumque odisse diem? pandam omnia regna,
Si placet, et Stygio prætexam Hyperiona cælo:

quænam hæc *omnia regna?* ex sensu manifestum est Plutona de *Tartaro* hic loqui; lege igitur *orrida*, i. e. *horrida regna*: *pallida regna* vocat Virgil. Æneid. VIII, 245; *regna opaca* Noster, Theb. I, 294; *horrifera regna* Seneca, Hippol. v. 932; vel saltem *invia* regna, pro *omnia.* Hunc Statii locum *Omnia jussisti*, etc. pessime interpretatur Gronovius, Diatr. cap. 37; post lectam illius expositionem, vide hujus libri carm. III, v. 9, 10 et 17. Hunc etiam locum tacite sublegit Claudian. in pr. Cons. Stilich. II, 286: « cecidit Maurus, Germania cessit, Et Janum pax alta ligat. »

28. *Dic age, Roma potens, et mecum, longa Vetustas, Dinumera*

fastos. Probum suo loco *Roma potens;* Horatius, Epist. II, 1, vs. 60: « hos arcto stipata theatro Spectat Roma potens; » Auson. Mosella, v. 378, « Da veniam mihi, Roma potens: » Sic de Atina Virgil. Æneid. VII, 630: « Tela novant, Atina potens, Tiburque superbum; » et aliis urbibus donatum hoc epitheton invenias. Non igitur de voce, sed de sensu vocis quærendum; utrum scil. huic loco aptus sit: quod negamus; nihil enim facit *potentia* Romæ ad istud de quo hoc loco agit poeta, scil. ad recensionem Fastorum ut inde repetantur exempla eorum qui multos consulatus gesserunt, et qui cum Domitiano in hac re comparentur: nihil, inquam, huc facit *Roma potens*, sed *Roma antiqua*, et *longa vetustas:* non enim ex eo quod *potens* sit, proferre apta exempla potest, sed quod *antiqua* et *longæva* et multorum sæculorum exemplis et experimentis erudita et instructa. Lege, « Dic age, Roma parens, et mecum, longa Vetustas, Dinumera fastos; » quæ vox honorem et reverentiam et antiquitatem simul denotat; adeo ut bene conjungatur cum *longa vetustas.* Quintilian. Declam. III, 2: « Sed neque hoc Roma parens, nec signa militaria aquilæque victrices, nec tua, summe Imperator, divina virtus sinat; » Sidonius Apollinaris, Carm. VII, 594: « prisca Deorum Roma parens, attolle genas; » Sil. Italic. IV, 811: « quæ præmia digna Inveniam, Carthago parens? » Voces vero *potens* et *parens* commutantur a librariis; ita Senec. Herc. Fur. v. 300, pro *frugum parens*, optimi codices habent *potens;* quod admisit Gronovius; sic Claudian. in pr. Cons. Stilich. lib. II, 442: « Accurrit Natura potens, seniorque superbis Canitiem inclinat radiis; » pro *potens*, Moreti codex *parens.* Vide autem in quantam sui oblivionem induxerit Statium calor extemporaneus; invocat enim *longam vetustatem* ut Fastos excutiat et exempla digna proferat; putares statim cum Fabriciis et Coruncaniis te rem habiturum esse; horum oblitus, immani saltu descendit ad *Augustum*, qui mentibus hominum pæne recens, et memoria nonnullorum hærere potuit; et post tantam invocationis pompam, et petitionem ut recenseret Vetustas *non parva exempla*, *unius* tantum mentionem facit. O judicium, quale te dicam bonum!

38. *Revocabitur ara Terenti.* Domitianus paullo ante ludos sæculares celebraverat. Janus hic adhuc altero toto sæculo Domitianum victurum spondet, ita ut denuo ludos sæculares in Terento sit celebraturus: ideo enim dicit: « Mecum altera sæcula condes. » Martialis eodem modo locutus est lib. IV, Epigr. 1:

> Hic colat ingenti redeuntia sæcula lustro,
> Et quæ Romuleus sacra Terentus habet.

Valde miror, esse quosdam qui, inventis frugibus, adhuc malunt βαλανοφαγίαν, et vulgatam lectionem retinent, et de templo Flaviæ gentis quod Domitianus Vespasiano parenti suo, etc. erexerat, intelligendum putant. At illos refutat, vel solum verbum *revocabitur.* Nam illa sacra dicuntur tantum solemni verbo *revocari*, quæ jam diu instituta et inter-

missa fuerunt : unde Noster Achill. I, 594, de Orgiis Bacchi : « .... hujus in umbra Alternum revocare pia Trieterica matres Consuerant. » Et constat illam Ditis et Proserpinæ *aram*, quæ in campo Martio, in eo loco qui *Terentus* dicebatur, sub terra latebat, singulis centum annis effodi, novisque sacrificis coli solitam. Consule Valer. Maximum lib. II, cap. 4 ; Politianum Miscel. cap. 58 ; D. Augustinum de Civit. Dei lib. IV, cap. 18 ; et Censorinum de Die Natali. GEVART.

43. *Decem tua nomina menses.* Nam duo menses jam sortiti erant nomina Domitiani : septembrem enim Germanicum nominaverat, quia eo suscepisset imperium ; et Octobrem Domitianum, quia eo esset natus. Utrumque nomen abolitum est eo mortuo ; tanta illius invidia, ut postea nullus mensis nomen Imperatoris acceperit. DOMIT.

45. *Tunc omnes patuere fores, lætoque dederunt Signa polo.* Non intelligo quænam fuerint hæ *fores* quæ *patuere ;* non *Jani ;* ille enim *clauso se poste recepit :* « Deorum fores, inquiunt, quæ in singulas Deorum domos ducebant. » Atqui *omnes fores* sunt tam *hominum* quam *Deorum* fores. Præterea, quomodo *omnes* fores *patent* quum Jani *clausæ* sint ? Deinde, *cui bono* patuerunt ? quippe fores sua sponte patere *mali* erat et infausti *ominis*, ut ex pluribus antiquorum locis quos ante oculos jam habeo, probare possem ; vide Sueton. Jul. c. 81 ; Ner. c. 46 ; Tit. c. 24 ; Tacitum, Hist. V, 13 ; Vopiscum in Floriano, cap. 4. Piget his absurditatibus immorari. Bonis avibus criticæ litavi quum hunc locum ita restitui : « Tunc omen plausere fores, lætique dederunt Signa poli ; » dicit Jani fores *plangore* dedisse signum et *omen* hæc quæ prædixerat eventura esse. Claudian. de Rapt. Pros. « ter cardine verso Præsagum cecinere fores ; » Ovidius, Metam. IX, 782 : « Et templi tremuere fores ; » præsentis scilicet numinis signum. Virgilius, Æneid. III, 90 :

> Vix ea fatus eram ; tremere omnia visa repente,
> Liminaque, laurusque Dei ; totusque moveri
> Mons circum,

Vide Illustr. Ezech. Spanhemium, ad Callimach. Hymn. in Apollinem. Bene vero *omen plausere*, id est, *plaudendo dedere ;* Theb. III, 502 :

> Nonne sub excelso spirantis limite cæli,
> Amphiarae, vides, cursus ut nulla serenos
> Ales agat ? liquidoque polum complexa meatu
> Pendeat ? aut fugiens placabile plauserit omen ?

ubi tamen codices habent *planxerit omen ;* quod eodem recidit. Claudian. de Bello Getic. « lætisque Quirites Vocibus auspicium certi plausere triumphi ; » Noster, Thebaid. III, vers. 493 : « tunc omnis in astris Consonet arcana volucris bona murmura lingua ; » id est, *consonando* et plaudendo *det* bona murmura seu *omina*. Sic *sternuit omen Amor*, et, *dextram sternuit approbationem*, apud Propertium et Catullum, est *sternuendo dedit* omen et approbationem. Claudian. de Cons. Prob. et Olyb.

v. 207, « Prospera vibrati tonuerunt omina nimbi. » Vide præcedentia. Propert. III, « Et manibus faustos ter crepuere sonos. » Sed jam video alium esse et elegantiorem in his Statii verbis sensum. Versu præcedenti dixerat, « Sic Janus : clausoque libens se poste recepit ; » hæc dixit Janus, et finita oratione recessit et *fores clausit*. Scis vero quid denotent *clausæ* Jani *fores*, scil. *pacem ;* addit igitur, « Tunc omen plausere fores ; » hoc Jani factum, utpote *omen* pacis, comprobarunt fores, ingenti plausu verberantes postes, et, ut ait Claudianus (ex hoc forte Statii loco), *præsagum canentes*. Vides proprietatem verbi *plaudere*, quod est *comprobantium ;* ex *sonitu* vero omina captandi mos notior quam ut exemplis adstrui necesse sit. Elegantissimus est hic locus, et verba sensibus referta. Deinde, *lætique dederunt Signa poli*. Ovid. Fast. IV, 833,

> Ille precabatur : tonitru dedit omina lævo
> Juppiter, et lævo fulmina missa polo ;

Statius, loco supra citato,

> Si datur et duris sedet hæc sententia Parcis
> Solvere Echionias Lernæa cuspide portas,
> Signa feras, lævusque tones.

Sed hæc nota satis ; ut et istud, *læti poli dederunt signa*, pro, *poli dederunt læta signa ;* qua epitheti transpositione nihil frequentius. Horat. Epist. I, 1 : « cui si vitiosa libido Fecerit auspicium ; » id est, si libido fecerit *vitiosum auspicium :* nec enim opus est ut legamus *ventosa libido*, prout ego alio Opusculo legendum olim putavi ; ita Noster, Silv. IV, 6, *pocula marcentia fratris* pro *pocula marcentis fratris*, id est, *Bacchi*, qui proprie *marcidus* dicitur ; Theb. IV, 652 : « Marcidus Edono bellum referebat ab Æmo Liber ; » ita legendum pro *edomito*. Sic Capill. Earin. « Huic et purpurei cedat coma saucia Nisi, » pro *purpurea coma saucii Nisi*, seu Nisi qui a filia sauciabatur et capillo spoliabatur. Virgil. Æneid. VIII, 526, « Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor, » i. e. clangor *Tyrrhenæ tubæ*. Sic et *veteres ductus artificum*, pro *veterum artificum*, carm. VI hujus libri. Stare tamen potest *læto polo ;* ut dicat, fores dedisse signa *polo*, quæ *polus* sequeretur, et *fulmine* comprobaret ; unde statim sequitur, *Jovem annuisse* et hoc Jani votum et omen confirmasse et sanxisse ; et verum est *læto polo*. *Dederunt signa polo* ut apud Virgilium, Culice, v. 344, « Nereides undis Signa dabant ; » quæ est verissima emendatio magni Scaligeri, pro *Nereis ad undas*. Ovidius, Heroid. VII, 96, « Eumenides fatis signa dedere meis ; » si ea vera scriptura sit.

46. *Longamque tibi, rex magne, juventam Annuit, atque suos promisit Juppiter annos*. Notabilis hic locus, utpote ex quo, si sana sit vulgata lectio, pendeat insignis innovatio in consuetudine Romana. Quid enim audimus ? Domitianus *rex magnus ?* certe hoc non paterentur Romani, quibus *nomen regium* post exactos Tarquinios odiosum et abominandum semper fuit : « *Regium nomen*, alibi magnum, Romæ

intolerandum est, » inquit Scipio, apud Livium, XXVII, 19. Nec quisquam eorum qui imperatoribus maxime adulati sunt, hoc nomen iis unquam serio impegit: unde Quintilian. Instit. III, 7, ubi satis artificiose et adulatorie Domitiani gratiam captat, non *regem* eum audet vocare, sed *principem*. Nam quod de Tiberio prædictum fuit, « regnabit sanguine multo Ad regnum quisquis venit ab exsilio, » non de *regno* aut *regio nomine* proprie dicto intelligendum est, sed de *summa potestate*, quocunque nomine distincta: plane ut apud Suetonium, in Vita ejus, c. 14, « Ac de infante Scribonius mathematicus præclara spopondit; etiam regnaturum quandoque, sed sine regio insigni; ignota scilicet tunc adhuc Cæsarum potestate. » Ita Cæsarem et Pompeium *reges* vocat Val. Flacc. VI, 402, « Romanas veluti sævissima quum legiones Tisiphone regesque movet; » licet alii de *regibus auxiliaribus* hoc capiant. Et hoc sensu abusivo frequenter occurrit vox *regnum*, tam ante, quam sub imperatoribus; ut de Syllæ imperio Martialis, IX, 44, « Jusserat hic Syllam ponere *regna* trucem; » Sallust. Catilin. « At Lentulum dissimulantem coarguunt præter literas, sermonibus, quos ille habere solitus erat ex Libris Sibyllinis, *regnum* Romæ tribus Corneliis portendi: Cinnam atque Syllam antea; se tertium esse cui fatum foret urbis potiri. » Notum vero est, nec Cinnam nec Syllam *Reges* Romæ fuisse; unde non *regnum*, sed *dominationem* potestatem hanc vocat Quintil. V, 10, de his tribus Corneliis loquens. Ita Cæsar, apud Lucanum, I, 334, « ex hoc jam te, improbe, *regno* Ille tuus saltem doceat decedere Sylla: » artificiose ambigua voce utitur Cæsar ad invidiam Pompeio faciendam. Ausonius, de XII Cæsaribus,

> Cæsareos proceres, in quorum *regna* secundis
> Consulibus, dudum Romana potentia cessit,
> Accipe bis senos.

Hinc Eutropius, lib. I, affirmat « Julium et Octavianum Cæsares sub Dictaturæ nomine et honore *regnasse;* » falso, nisi de *potestate summa* tantum accipias; quum ipse, lib. VI, clare dicat hanc necis Julio causam fuisse, quod *regia et pæne tyrannica faceret*, unde lib. IX, de Diocletiano, distinguit inter « *regiam consuetudinem et Romanam libertatem* : « Diligentissimus tamen et solertissimus princeps; et qui in Imperio Romano primus *regiæ* consuetudinis formam, magis quam Romanæ libertatis, invexit; adorarique se jussit, quum ante eum cuncti salutarentur. » Quam distinctionem servat Plinius, Epist. X, 58, Trajano: « Sed hoc ipso (feres enim me ambitiosum pro tua gloria) incitor et accendor, ut cupiam peragi a te quæ tantum cœperant *reges*. » Idem, Panegyrico: « Visuntur eadem e materia Cæsaris statuæ, qua Brutorum, qua Camillorum nec discrepat causa: illi enim *reges* hostemque victorem mœnibus depulerunt: hic *regnum* ipsum, quæque alia captivitas gignit, arcet ac submovet, sedemque obtinet principis, ne sit domino locus. » Vides quam cautus sit Plinius in amoliendo invidioso nomine *regis* a Trajano suo, et assignando *principis;* quo titulo gaudebant im-

peratores usque ab Augusto, « qui cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit, » ut de eo Tacitus, initio Annal. I. Marullus quidem Epidius et Flavus Cæsetius tribuni plebis in eo arguebant *regni* voluntatem, ut narrat Vell. Patercul. II, 68; sed immerito, ut videtur; et hac tantum causa ut invidiam illi conflarent. Nec quidquam, quod ad nomen *regium* attinet, in hac parte innovatum, ante insanum Caligulæ conatum, de quo Suetonius, cap. 22: « Quum audiret forte *reges*, qui officii causa in urbem advenerant, concertantes apud se super cœnam de nobilitate generis, exclamavit, Εἷς κοίρανος ἔστω, Εἷς βασιλεύς· nec multum abfuit, quin statim diadema sumeret, speciemque principatus in *regni* formam converteret. Verum admonitus et principum et *regum* se excessisse fastigium, divinam ex eo majestatem asserere sibi cœpit. » Nec ab insequentibus imperatoribus quidquam mutatum fuit usque ad Domitianum; nec ab ipso Domitiano; qui licet *Dominus et Deus noster* appellari voluerit, nusquam tamen legimus eum *regis* nomen affectasse: nec in tota antiquitate testimonium aliud hujusce appellationis Domitianeæ inveniri posse puto, præter hunc Statii locum; hunc quoque corruptum: scripsit enim Statius, « longamque tibi, dux magne, juventam Annuit. » Familiaris hæc et frequens Romanis imperatoribus appellatio. Horatius, ad Augustum: « Lucem redde tuæ, dux bone, patriæ; » luculenter Noster, Lacrim. Etrusc. v. 50: « propriis sub *regibus* omnis Terra; premit *regum* felix diademata Roma; Hanc ducibus frenare datum. » Vides quam clare distinguat inter *reges* aliarum gentium, et *duces* Romæ. Phædrus, Fab. II, 5, de Tiberio, « Tunc sic jocata est tanti majestas ducis. » *Magnus* vero *dux* Domitianus in his Silvis non semel vocatur. Herc. Surrent. v. 62; Capill. Earin. v. 57 sq.; Protrept. Crispini, v. 125. Ita Juvenal. IV, 145, de Domitiano, ironice illudens huic titulo, « quos Albanam dux magnus in arcem Traxerat attonitos et festinare coactos; » *summus dux*, idem. Martialis, Epigr. I, 72: « Plurima qua summi fulget imago ducis; » et VI, 91. « Sancta ducis summi prohibet censura vetatque Mœchari. » Ita *sanctus dux*, de eodem, IV, 2; *Ausonius dux*, VIII, 21, et alibi. Non igitur *rex magnus* Domitianus, sed *dux magnus:* quorum nominum differentiam scire potes ex Justino, II, 15: « Ducem suo suorumque exercitui deligunt Pausaniam; qui pro ducatu *regnum* Græciæ affectans, proditionis præmium cum Xerxe nuptias filiæ ejus pacisciatur. » Corn. Nepos: « Hi fere fuerunt Græciæ gentis duces, qui memoria digni videantur, præter *reges*. » Clare et apposite Tacit. Annal. XII, 23, de augendo pomœrio urbis loquens: « Nec tamen duces Romani, quanquam magnis nationibus subactis, usurpaverant, nisi L. Sulla, et Divus Augustus: *regum* in eo ambitio vel gloria varie vulgata. » Sæpe vero voces *rex* et *dux* a librariis invicem commutatæ fuerunt; ita Ovid. Fastor. IV, 884, pro *dux Thuscus*, Moreti codex habuit *rex*. Contra, Horat. Carm. IV, 5, v. 37, pro « Longas o utinam, dux bone, ferias Præstes Hesperiæ, » nonnulli codices optimæ notæ habent *rex bone;*

quod tamen si admittatur, non *potentiæ*, sed *familiaritatis* esse appellationem censet summus Bentleius; quemadmodum Mæcenatem alibi *regem* vocat Flaccus; sed omnino non admittendum videtur; non enim fieri potest ut tam ambigua et suspicionibus obnoxia voce uteretur Horatius; nec permitteret Augustus, memor scilicet offensionum in hac re et necis Divi Julii. Ex his exemplis et rationibus cuivis, opinor, patet legendum esse *dux magne* in hoc Statii loco; et consequenter falsum esse Gronovium, qui *Oratione de Lege Regia*, habita Lugd. Batav. ann. 1671, sic loquitur: « Et initium quidem imperatores numero *regum* habendi facile crediderim a Græcis manasse: mox adsueverunt et Latini; quorum primus P. Papinius Statius in carmine quo septimum decimum Consulatum Domitiani decoravit, honoris eum causa *regem magnum* salutat. » Et Diatr. c. 3: « Nec puduit eum (Statium) in XVII Consulatu Domitiani, Cæsarem titulo *regis magni* incidere: in invidiam scilicet Barbarorum *regum*, qui proprie *reges magni* et *reges regum* salutabantur. » Atqui, præter rationes modo adductas, quare aliis in locis semper *ducem* et *magnum ducem*, nunquam *regem* appellat? præsertim quum ibi multo aptius facere potuisset quam hic: certe enim incongruum est vocare aliquem *regem* eo loco ubi illum laudare institueris ex eo quod sit *consul*. Et, quod non minimum est, *reges* et *regium nomen* passim in Thebaide perstringit; ita II, 486, de Eteocle τῷ Tydei insidiaturo: « sanctum populis per sæcula nomen Legatum insidiis tacitoque invadere ferro (Quid *regnis* non vile?) cupit; » id est, *regibus*. Vide et Theb. XII, 505 et 591. Non igitur ausus esset *regem* Domitianum appellare, quum de *regio nomine* tam libere sentiret et locutus esset; quod et faciunt ceteri istius ævi scriptores, Sil. Italicus, Tacitus, Suetonius et alii: minime ausuri hoc facere, si sensissent imperatores hoc nomen affectasse. Notabilis est locus Silii, XVI, 534:

> Hos inter gemini (quid jam non regibus ausum?
> Aut quod jam regnis restat scelus?) impia Circo
> Innumero fratres, cavea damnante furorem,
> Pro sceptro armatis inierunt prælia dextris.

Hic tamen Silius inter Domitiani adulatores erat; istius Domitiani, quem *regem* vocat Statius.

CARMEN II.

EUCHARISTICON

AD

IMP. AUGUST. GERMANICUM DOMITIANUM.*

REGIA Sidoniæ convivia laudat Elisæ
Qui magnum Æneam Laurentibus intulit arvis;
Alcinoique dapes mansuro carmine monstrat
Æquore qui multo reducem consumpsit Ulixen;
Ast ego, cui sacræ Cæsar nova gaudia cœnæ
Nunc primum, dominaque dedit consurgere mensa,

VARIÆ LECTIONES.

* *Epulum Domitiani Eucharisticon.* Ita editiones; duplici lemmate; quorum utrumvis satis esset. Sed verum est *Eucharisticon;* quippe materia hujus carminis non est *Epulum Domitiani*, sed sua *Gratiarum Actio*, ut ex Præfat. discimus: « secunda Gratias egi, sacratissimis ejus epulis honoratus. » Bene igitur Gronovius, et ex libris, opinor, edidit « Eucharisticon ad Imp. Aug. Germanicum Domitianum. » In Parmensi erat angustius, « Eucharisticon ad Domitianum; » nimis familiariter et sine honore verborum. — Cod. Paris. edit. pr. « Gratias agit Domitiano epulis ejus honoratus. » A.

4. *Multo.* Cod. Paris. in textu, *lento;* ad marg. *multo:* edit. princ. *lento.* Vide not. A.

6. *Dominaque dedit consurgere mensa.* Supra, ad Eq. Max. v. 82, monui forte legendum esse *non surgere mensa*, i. e. *assidere mensæ*, ut mox, v. 17, « datur hæc juxta, datur ora tueri Vina inter mensasque, et non assurgere fas est? » *datur mihi* sedere, *præsente Imperatore?* Vide quæ annotavi ad istum locum Eq. Max. ubi exemplis hoc loquendi genus illustravi. Eodem modo *non tacta* Bentleius restituit Horatio, Epist. II, 2, v. 80, pro *contacta.* Sed verius forte est, « dominaque dedit considere mensa; »

Qua celebrem mea vota lyra? quas solvere grates
Sufficiam? non, si pariter mihi vertice læto
Nectat adoratas et Smyrna et Mantua lauros,
Digna loquar. Mediis videor discumbere in astris
Cum Jove, et Iliaca porrectum sumere dextra
Immortale merum. Steriles transmisimus annos;
Hæc ævi mihi prima dies, hæc limina vitæ.
Tene ego, regnator terrarum orbisque subacti
Magne parens, te, spes hominum, te, cura Deorum,
Cerno jacens? datur hac juxta, datur ora tueri
Vina inter, mensasque, et non assurgere fas est?
Tectum augustum, ingens, non centum insigne columnis,
Sed quantæ Superos cælumque, Atlante remisso,
Sustentare queant: stupet hoc vicina Tonantis
Regia, teque pari lætantur sede locatum

ut apud Virgil. Æneid. VII, 176: « Perpetuis soliti patres considere mensis. » Sic *considere scamnis* Ovidius, Fast. VI, 305.

9. Pro *adoratas*, Parm. *odoratas*. — Cod. Paris. *odoratas;* ed. princ. *adoratas;* mox hæc et ille *laurus* pro *lauros*. A.

10. *Loquar*. Cod. Paris. et edit. pr. *loquor*. A.

12. Pro *transmisimus*, Ven. *transivimus*. — Cod. Paris. *transmisimus;* qui ad marg. *transivimus*. Ed. pr. *transmissimus*. A.

13. Pro *hæc limina*, Ven. Parm. et Rom. *hic*. — Cod. Par. *hæc;* ed. pr. *hic*. A.

15. *Te, spes* hominum, *te, cura Deorum;* Parm. omittit vocem *hominum;* Rom. *te spes* et *te cura Deorum*. Latetne aliquid? non, opinor; vix enim aliter scribere potuit quam vulgo legitur; *hominum* et *Deorum* millies opponuntur: Theb. I, 230: « Erroresque feros hominum, et reticenda Deorum Crimina; » ubi vulgo inepte legitur *nemorum* pro *hominum;* Thebaid. III, 641: « Vidi hominum, Divumque nefas, tristemque Megæram; » qui locus emendationem meam in altero confirmat. — Cod. Par. ed. pr. versum ita concipiunt; *M. p. et te spes et te cura d*. A.

16. Pro *hac*, cod. Par. edit. pr. *hæc*. A.

19. Pro *quantæ*, Rom. *quam te*. — Cod. Par. edit. princ. vulgatam exhibent. A.

20. Pro *stupet*, Parm. et Rom *super:* perperam; *stupet* est *miratur, veneratur;* vide ad Arb. Ated. v. 41. — Cod. Paris. in contextu, *super;* ad marg. *stupet*. Ed. princ. *super*. A.

21. *Lætantur*. Sic ed. princ. et cod. Paris. qui ad marg. scribit, *mirantur*. A.

Numina, ne magnum properes escendere cælum :
Tanta patet moles, effusæque impetus aulæ
Liberior campi, multumque amplexus aperti
Ætheros, et tantum domino minor : ille penates
Implet, et ingenti Genio juvat. Æmulus illic
Mons Libys, Iliacusque nitent, et multa Syene,
Et Chios, et glauca certantia Doride saxa,
Lunaque portandis tantum suffecta columnis.
Longa super species : fessis vix culmina prendas
Visibus, auratique putes laquearia cæli.
Hic quum Romuleos proceres trabeataque Cæsar

22. *Ne magnum properes ascendere cælum.* Gronovius, Reliq. ad Stat. Silv. notat MSS. Rhod. et Salisb. habere *excedere;* ergo, inquit, *escendere.* Verissime : et ita Parm. et Rom. quæ etiam *nec* pro *ne* exhibent. Cicer. Tusculan. Disput. I, 29, de Socrate, « .... locutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in cælum videtur escendere. » Seneca, Herc. Fur. v. 21, « escendat licet Meumque victrix teneat Alcmene locum; » ita optimus Codex Etruscus, non *ascendat.* Idem, Phœniss. v. 111, « in altos ipse me immittam rogos, Erepam ad ignes, funebrem escendam struem; » ut bene conjicit Gronovius, pro *erectam;* quem vide ad Livium, II, 28, de voce *escendere* fuse agentem; et Muret. Var. Lect. XIV, 3, ubi Ciceronis locum in hac voce depravatum emendat. *Magnum* vero *cælum* adulatorie; innuit enim hac oppositione Domitiani palatium esse alterum et *parvum quasi cælum;* quomodo vocat Templum Flaviæ gentis a Domitiano conditum, Pietat Abasc. « æternæ modo qui sacraria genti Condidit, inque alio posuit sua sidera cælo. » Nimirum, « Invicta quidquid condidit manus, cælum est, » ut de hoc Templo Martialis, IX, 2. — Cod. Par. ed. pr. *nec magnum properes* (cod. Paris. a manu secunda, *properas*) *excedere cælum.* A.

23. *Impetus.* Ita cod. Paris. qui ad marg. *ambitus.* Ed. pr. vulgatam retinet, sed pro *moles,* male scribit *molles.* A.

24. Forte legendum, *Liberior spatii.* — Cod. Paris. *campi;* ex emendat. *campis.* Pro *aperti,* edit. pr. *operti;* et ita cod. Paris. qui a manu secunda, *aperti.* Seq. vers. edit. pr. *Æthereos tantum,* et sic etiam cod. Paris. qui ad marg. reponit, *Ætheris et t.* Conf. not. ad h. l. A.

27. Pro *nitent,* Parm. *nitet.* — Cod. Par. edit. pr. *nitet.* Mox ille in contextu, *et multa S.;* ad marg. autem *stat* pro *et.* A.

30. Pro *Longa super,* Parm. *Longaque super.* — Cod. Paris. *Longa super,* et ad marg. *supra.* Edit. pr. *super.* A.

Agmina mille simul jussit discumbere mensis,
Ipsa sinus accincta Ceres, Bacchusque laborant
Sufficere : ætherei felix sic orbita fluxit
Triptolemi ; sic vitifero sub palmite nudos
Umbravit colles, et sobria rura Lyæus.
Sed mihi non epulas, Indisve innixa columnis
Robora Maurorum, famulasve ex ordine turmas ;
Ipsum, ipsum cupido tantum spectare vacavit
Tranquillum vultus, et majestate serena
Mulcentem radios, summittentemque modeste
Fortunæ vexilla suæ ; tamen ore nitebat
Dissimulatus honos : talem quoque barbarus hostis
Posset, et ignotæ conspectum agnoscere gentes.
Non aliter gelida Rhodopes in valle recumbit
Dimissis Gradivus equis : sic lubrica ponit

38. *Indisque innixa columnis.* Clare legendum *Indisve; epulæ* enim et *robora Maurorum innixa Indis columnis* nihil simile habent ; disjungenda igitur, non conjungenda. Sic Lacrim. Etrusc. v. 129, restitui *pubentesve rosæ* pro *pubentesque ;* et Herc. Surrent. ad fin. *priscumve* et *Solisve* pro *priscumque* et *Solisque.* Juvenal. Sat. XV, 124 : « Qua nec terribiles Cimbri, nec Britones unquam, Sauromataeve truces, aut immanes Agathyrsi ; » ita legendum pro *Sauromataeque ;* et versu primo pro *Britones* lege *Teutones. Cimbri* et *Teutones* perpetuo conjunguntur ; vide Vell. Patercul. II, 8 et 12 ; Florum, III, 3, et alios passim. — Cod. Par. ed. pr. *Indisque,* et seq. vers. *famulasque.* A.

41. *Tranquillum vultu, sed majestate serena Mulcentem radios.* Olim emendaveram « Tranquillum vultus et majestate, etc. » et ita Behotius, testante Gronov. Diatr. cap. 38. *Vultus* vero est accusativus pluralis ; quo numero fere utitur Statius quando de numine aliquo aut illustriori persona sermo sit : ita mox, v. 52, « Nec dum æquo tuos, Germanice, vultus ; » carm. VI, v. 55, de Hercule, « Sic mitis vultus, etc. » Silv. III, 3 : « Sed decus eximium formæ par reddit imago Vultibus ; » V, 1, v. 189, « Da Capitolinis æternum sedibus aurum Quo niteant sacri centeno pondere vultus Cæsaris ; » ita legendum puto ; vulgo *niteat.* Vide quæ mox annotabimus ad vers. 54. Claudianus, de Laud. Stilicon. II, vers. 135, « Blanda quidem vultus ; sed qua non tetrius ulla ; » ita bene ex libb. edidit Heinsius pro *vultu ;* vide eum ad locum.

43. Pro *tamen*, Parm. *tātū*, id est, *tantum ;* perperam. — Cod. Paris. ed. pr. *tamen.* A.

Membra Therapnæa resolutus gymnade Pollux:
Sic jacet ad Gangen, Indis ululantibus, Evan:
Sic gravis Alcides, post horrida jussa novercæ,
Gaudebat strato latus acclinare leoni.

Parva loquor, nec dum æquo tuos, Germanice, vultus:
Talis ubi Oceani finem, mensasque revisit
Æthiopum, sacros diffusus nectare vultus
Dux superum, secreta jubet dare carmina Musas,
Et Pallenæos Phœbum laudare triumphos.

49. *Evan.* Cod. Par. edit. princ. *euhan.* A.

50. *Sic gravis Alcides, post horrida jussa reversus*, etc. *Reversus quo?* aut *post cujus horrida jussa?* hæc enim dicta fuisse oportuit; multorum quippe *jussa* patiebatur Hercules. Lege, ut supra monui ad III, 3, v. 56, « post horrida jussa novercæ; » nihil verius. Cf. Achilleid. I, 189; Ovid. Metam. IX, 15; Sil. Ital. II, 478; Auctor Octaviæ, v. 22. Sed hæc satis; quippe pueri sciunt *Junonem* Alcidis *novercam. Gaudebat acclinare latus* est *acclinabat latus;* de qua phrasi plenius in superioribus. Notandum vero vocem *sic* in his comparationibus idem esse ac *talis;* de quo etiam supra. Pro *gravis*, Parm. *graius.* — Cod. Paris. edit. pr. *gravis.... reversus.* A.

52. Pro *nec dum*, Parm. *nondum.* — Cod. Paris. edit. pr. *nec dum.* A.

54. *Sacro diffusus nectare vultus.* Modo præcessit, « nec dum æquo tuos, Germanice vultus; » nec tamen quidquam mutare audeo: optime enim utrique loco convenit *vultus*, nec in melius reformare potes: nisi mavis in loco superiore, « necdum æquo tuos, Germanice, visus; » ut Thebaid. IX, 879, de Parthenopæo, « cecidit laxata cassidi vultus, Ægraque per trepidos exspirat gratia visus; » et hoc verum puto: *visus* est *species*, et de *toto homine*, non *facie* solum, sumendus. Vell. Paterculus, II, 94, de Tiberio: « qui protenus quantus est sperari potuerat, vistuque prætulerat principem; » ita legendum; non *visusque.* Porro, scribendum hoc loco *sacros vultus*, non *sacro nectare.* Martial. Epigr. VIII, 24: « Qui fingit sacros auro vel marmore vultus, etc. » Nemesian. Cyneget. v. 76; Lucan. VIII, 669. Mamertin. Geneth. Maxim. c. 11: « quale pietas vestra spectaculum dedit, quum... admissis qui sacros vultus adoraturi erant, etc. » et ita passim. *Diffusus vultus nectare*, ut Achilleid. I, 53: « æquoreo diffusus nectare vultus; » Ovid. Metam. III, 318: « Forte Jovem memorant diffusum nectare, curas Seposuisse graves. » *Oceani finem* est ex Virgil. Æneid. IV, 480. — Cod. Par. ed. pr. *sacro... vultus.* A.

55. *Musas.* Edit. pr. *mensis;* et hoc in textu habet cod. Paris. qui ad marg. *Musas.* A.

Di tibi, namque animas sæpe exaudire minores
Dicuntur, patriæ bis terque exire senectæ
Annuerint fines! rata numina miseris astris,
Templaque des, habilesque domos! sæpe annua pandas
Limina; sæpe novo Janum lictore salutes;
Sæpe coronatis iteres Quinquennia lustris!
Qua mihi felices epulas mensæque dedisti
Sacra tuæ, talis longo post tempore venit
Lux mihi, Trojanæ qualis sub collibus Albæ
Quum modo Germanas acies, modo Daca sonantem
Prælia, Palladio tua me manus induit auro.

58. *Patriæ bis terque exire senectæ Annuerint fines!* Nihil audeo mutare, licet mire adblandiatur *Pyliæ senectæ* pro *patriæ;* ad hanc enim formam fere semper vota sua concipit, quando longævitatem cuipiam optat; ut III, 4: « eat, oro, per annos Iliacos Pyliosque situs; » I, 4: « Euboici transcendere pulveris annos Nestoreosque situs; » et ita alibi his Silvis. *Pyliæ senectæ* ut Theb. V, 751; Martial. Epigr. VIII, 2; Sil. Ital. XV, 456, et alios. Ita apud Ovidium, Met. XV, 836, pro eo quod erat in MSS. *patrios annos*, restituit Heinsius *Pylios*. Sed hoc loco nihil mutare audeo: Vespasianus enim, Domitiani pater, vixit annis sexaginta novem.

60. Pro *habitesque domos*, recte Barthius *habilesque*. Nemesianus, Cyneget. vs. 148, « Quin et flammato ducatur linea longe Circuitu, signetque habilem vapor igneus orbem. » — Cod. Paris. edit. princ. *habitesque*. A.

61. Pro *Limina*, Parm. *Lumina;* et pro *lictore*, Rom. *littore*. — Cod. Par. ed. pr. *Limina... littore*. A.

63. Pro *Qua*, Parm. *Quas;* male. Constructio est: « Lux ea, qua dedisti mihi felices epulas et sacra mensæ tuæ, talis mihi longo post tempore venit, qualis ea fuit quum tua manus induit Palladio auro me sonantem modo Germanas acies, modo Daca prælia. » — Cod. Par. ed. pr. *Qua*. A.

65. Pro *Trojanæ Albæ*, nonnulli *Romanæ;* perperam. — Cod. Par. ed. princ. *Romanæ;* ille tamen ad marg. *Troyanæ*. A.

NOTÆ

IN CARMEN SECUNDUM LIBRI QUARTI SILVARUM.

---

* Eucharisticon, etc. Domitianus epulum largissimum dedit senatoribus et equitibus : in quo laudando Martialis et epigramma exstat, et hæc Papinii Silva, ubi gratias agit imperatori, quod illic fuerit ipse quoque acceptus tam honorifice. Domit.

Vers. 4. *Æquore qui multo reducem consumsit Ulixem.* Id est, Homerus, qui *consumsit*, vel *exhausit*, vel *fatigavit* Ulixem (hoc est, *consumtum* et *exhaustum descripsit*) *reducem multo æquore, per multum æquor.* Poetæ *facere* dicuntur quæ *facta describunt*, ut alibi notavi : ita Virgilius *intulit Æneam Laurentibus arvis*, hoc est, *illatum arvis Laurentibus descripsit* vel *cecinit.* Exempla obvia. Potes etiam construere, *qui multo æquore consumsit reducem Ulixem.* Utcunque sumas, hæc lectio est omnium editionum præter Romanam, quæ pro *multo* habet *lento*, hypallage forte non contemnenda, ut *lentum æquor* vocetur, in quo *Ulixes lentus* vagabatur. Notus ille Ovidii versus, « Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulixe ; » et huic forte alludit Statius, ut et Sabinus, Epist. 1, seu Ulixis Penelopæ, « Arguis ut lentum : mallem quoque forsitan esse. » Ovid. Rem. Amor. v. 773,

> Quid, Menelae, doles ? ibas sine conjuge Creten :
> Et poteras nupta lentus abesse tua.

Potes etiam legere, *lente reducem consumsit Ulixem*, ut Glauc. Melior. v. 118, « casus tarde remeantis Ulixei : » et Genethl. Lucan. v. 49, « et tarde reducis vias Ulixis. » Sed hoc non placet quia deerit epitheton τῷ *æquore.* Nisi ferri posset *multo*, in contextum admisissem *lento*, quod admodum arridet, et Statianum esse fere persuadeor.

In Addendis Markland. postea subjecit : « Quemadmodum Rom. ita Venet. habet *lento* pro *multo* : quod in contextum statim admittatur. » Ed.

23. *Effusæque impetus aulæ.* Gronovius, Diatr. c. 38 : « Scribe, *effusæ* qua *impetus aulæ* : notandus ἰδιωτισμὸς Statii, qui molem illam ædificii

Cæsarei alte assurgentem, lateque se efferentem extendentemque, *impetum* dixit. » Sed primum, quare mutandum est τὸ *que* in *qua*, quum *que* multo præstet, sive sensui sive numeris consulas? *qua* est *ubi*: dicit igitur Statius, secundum Gronovium, « tanta patet moles ubi aula est. » Quonam alio, quæso, loco patere potuit nisi eo *ubi* esset? *moles* enim et *aula* idem exprimunt, diversis tantum verbis: adeo ut hæc emendatio dicat, *tanta patet aula* ubi *aula est*. Deinde: nullus hic ἰδιωτισμὸς Statii: habuit enim ex Lucretio, lib. V, « quantum cæli tegit impetus ingens; » ubi *impetus cæli* est *cælum*, ut hic, *impetus aulæ* est *aula*; cum tacita significatione *magnitudinis* vel *immanitatis*.

24. *Liberior campi, multumque amplexus aperti, Æthereo et tantum domino minor.* Iterum Gronovius: « Non prætereundum, Rom. et Venet. editt. legere et distinguere, « Liberior campi, multumque amplexus operti, » pro *aperti*, et sane ita scripsit Statius. *Liberior campi*, id est, *quod ad campum*. Dicit domum Domitiani cinctam esse longo æquore seu capacissimo atrio, et vastum tectum continere: *opertum*, quod tecto inclusum est. » Hæc nihilo saniora: primum enim, quis unquam dixit *campum* pro *atrio?* præsertim ubi de ædificio *urbano*, non *rustico* sermo sit. Unde *campus* in urbe? *Martius* enim *campus* locum hic nullum habet, ubi de *Palatio* loquitur. Martialis, Epigr. III, LVIII,

> Baiana nostri villa, Basse, Faustini
> Ingrata lati spatia detinet campi:

an ibi quoque *campi* explicabis *atrii?* ne feceris: non enim ita voluit Martialis: sed spatia *campi* dicit, quia de *villa*, non de ædificio *urbano* loquitur. Deinde, si recte dici posset *campi* pro *atrii*, non tamen sensui satisfactum esset; quippe quælibet, etiam *parva* domus, habere potest liberum et magnum *campum*; id est, sensu Gronoviano *atrium*; Statius vero domum hanc a *magnitudine* commendat, et dicit eam in liberam et magnam *laxitudinem* porrectam esse, et multum, soli structionibus suis detinere: hoc vero non est *Liberior campi*, sed *Liberior spatii*; et ita Statium scripsisse minime dubito: « Tanta patet moles, effusæque impetus aulæ Liberior spatii. » Q. Curtius, VII, 4, « protenus certe recesserunt dato libero spatio; » Seneca, Natur. Quæst. V, 15, « deinde longa via fatigatos, vidisse flumina ingentia et conceptus aquarum inertium vastos, pares nostris; nec compressos quidem terra supereminente (l. superimminente), sed liberæ laxitatis; » Quintilianus, Instit. II, 6, de avibus loquens, « tum expertas vires libero cælo, etc. » Lucanus, IX, 453, de vento: « petit omne solum; liberque meatu Æoliam rabiem totis exercet arenis: » ita legendum: vulgo, *patet omne solum*: perperam. Liv. XXIII, 47, « Dein libero spatio inter se ludificantes sine vulnere pugnam extrahebant. » Notus vero Græcismus *Liberior spatii*. Ita *liber terræ hostis* apud Lucan. VI, 106,

> At liber terræ spatiosis collibus hostis
> Aere non pigro, nec inertibus angitur undis:

licet Gronovius, Diatr. c. 2, τὸ *terræ* non ad *liber*, sed ad *collibus* pertinere dicat : « hostis liber, collibus spatiosis terræ : » et hoc persuasit cl. Drakenborchio (ad Sil. Italicum, II, 441); mihi nunquam, modo suum cuique in his rebus sit judicium. Silius, eo loco : « It liber campi pastor, etc. » *liber campi pastor* est qui libertatem habet quoquo velit per campum evagandi. Nec Statii *Liberior campi* ex hoc Silii loco defendi potest : immo evertitur; Silius enim de *rure* loquitur, *It liber campi pastor*, Statius in media *urbe* versatur : differentia inter scripturam *cāpi* et *spatii* non adeo magna est, literis transpositis. Sequitur, « Ætherio et tantum domino minor. » Male Domitianus dicitur *ætherius* dominus; hoc enim est epitheton *Jovis*, quem supra, Herc. Surrent. 108, vocat *ætherium patrem* : et ita Martialis, Epigr. IX, XXXVI et XXXVII; et Noster, Theb. XI, 207. Recte quidem Triptolemus, infra, v. 35, dicitur *ætherius* ob notam ejus per æthera expeditionem : hoc vero nullo modo congruit Domitiano. Mutatione unius literæ tota hæc res expeditur : lege modo :

> Liberior spatii, multumque amplexus aperti
> Ætheros, et tantum Domino minor;

ita ex auribus et intellectis numeris Statianis olim emendaveram; memor etiam istius loci in Phileto Ursi, v. 34,

> Qualis erat procul (heu) cunctis puerisque virisque
> Pulchrior, et tantum domino minor;

ubi idem hemistichion, et eadem versus modulatio : confirmat edit. Parm. quæ vocem *Ætheros* clare exhibet; Rom. *æthereos*. Bene vero *aperti ætheros* : conf. Virgilius, Æneid. I, 591; Seneca, Hippol. v. 499; Noster, Theb. II, 403, « et te jam tempus aperto Sub Jove ferre dies : » id est, *æthere aperto*. *Ætheros* vero (non *Ætheris*) terminatione Græca, quam, utpote sonantiorem, amat Statius : vide Theb. II, 693; et III, 525; VI, 389, « Et jam sortitus Prothoos versarat ahena Casside; » ita legendum pro *Prothous*, quod ingratum auribus accidit propter præcedens *sortitus* : auribus, inquam, quarum in his rebus magna habenda est ratio. Et jam tandem Domitiani domum habes *latam* et *altam*, quod voluit Statius : *latam*, utpote quæ *Liberior spatii*; *altam*, et *magnam* simul, quia *multum aperti ætherum complexa*, hoc est, *implens*, *ambitu suo occupans*, ut ad Eq. Max. v. 2, annotavi. N. Heinsius ad Claudian. Rapt. Pros. I, 172, legit *operti Ætheros* ex edit. Parmensi; et ex conjectura *campis* pro *campi* : quæ, quando intelligo, facile possum refutare. Verum est *aperti Ætheros* contra centum Codices : et ita conjecisse jam video eruditissimum Petrum Scriverium.

27. *Multa Syene*. Non admodum placet τὸ *multa*; et latere sub ea voce puto epitheton aliquod marmori Syeniti proprium, et quod colorem ejus denotet; ut versu proxime seq. *glauca certantia Doride saxa*, de Carystio marmore. De Syenite lapide vide Plin. XXXVI, 8.

31. *Auratique putes laquearia cæli.* Recte omnia; nec quidquam mutandum : *aurati cæli*, ut apud Claudian. III Cons. Honor. « auratas astrorum panderet arces; » Manilius, V, 235 : « Crater auratis surgit cælatus ab astris. » *Laquearia cæli*, bene : unde Manilius, lib. I, 532 :

Hæc igitur texunt æquali sidera tractu
Ignibus in varias cælum laqueantia formas.

Cœnacula maxima cæli vocat Ennius, in Fragm. pag. 146; *cæli ingentes fornices*, alibi, (quam metaphoram exagitat Cicero, de Orator. III, 40) et *cæli palatum*, pag. 327; convexitatem scilicet respiciens. De hac voce *laquearia* insignis est locus Servii ad Virgil. Æneid. VIII, 25, « summique ferit laquearia tecti. » « *Laquearia;* multi *lacunaria* legunt : nam lacus dicuntur; unde est in Hor. Od. II, 18, 2, *mea renidet in domo lacunar.* Non enim a laqueis dicitur, sed ab eo quod sunt lacus. » Ubi miratur Pierius Servium non neglexisse eos qui *lacunaria* legunt, quum vel ex Horatii exemplo, quod apposuit, syllabæ repugnantiam viderit. Recte hæc Pierius, si ita scripserit Servius; sed aliter scripsit, nempe, *Multi lacuaria legunt.* Dicit Servius multos legere *lacuaria* hoc loco, a *lacu;* unde et *lacunar:* clarum ex alio loco Æneid. I, 730, « dependent lychni laquearibus aureis; » ad quem Servius : *Legitur et lacuaribus.* Tota annotatio sic habet : « Principaliter lacus dicitur, ut Lucilius : *resultant ædesque lacusque.* Diminutio *lacunar* facit; Horatius : *Nec mea renidet in domo lacunar.* Inde fit alia diminutio *lacunarium*, et per antistœchon *laquearium.* Legitur et lacuaribus. » Fallitur vero grammaticus : non enim per antistœchon fit *laquearium* pro *lacunarium*, sed *laquearium* ponitur pro *lacuarium*, hoc pro *lacunarium*, elisa litera *n*, et promiscuo usu literarum *qu* et *c*, de quo plus semel monui. Progressus hoc modo fit; *lacus, lacunar, lacunarium, lacuarium, laquearium.* Hanc vero domum Domitiani struxit Rabirius quidam, ut ex Martiali disco, Epigr. VII, LVI,

Astra polumque tua cepisti mente, Rabiri,
Parrhasiam mira qui struis arte domum :

qui locus egregie illustrat hunc Papinii; et pro *tua mente* legendum forte *pia mente.*

35. *Ætherii felix sic orbita fluxit Triptolemi.* N. Heinsius ad Val. Flacc. IV, 654, pro *ætherii* vult *Actæi* Triptolemi, sine causa : immo perperam; *ætherii* enim hoc loco necessario requiritur : talis, inquit Statius, fuit Triptolemus, qui *per æthera volans* orbem terrarum frugibus obseruit, ut ait Servius, ad Georg. I, 19. Vides quare *fluxit;* nisi enim *ætherius* fuisset Triptolemus, orbita ejus *fluere* non adeo recte dici potuit : *fluere* enim de rebus quæ a loco *superiore* veniunt, ut Eq. Max. v. 2, « cælone peractum Fluxit opus? » hic vero vox *fluxit* alludit ad sparsionem seminis quod e curru ætherio in terras subjacentes dejecit Triptolemus : et verba hoc ordine ponenda sunt, « sic orbita ætherii Triptolemi fluxit fe-

lix. » *Felix* est *frugifera*; ut *felix annus*, qui *largos frugum proventus adfert*, poetis passim. Nihil igitur mutandum. Eodem modo Perseus *aerius* vocatur Val. Flacco, I, 67; ob eamdem fere rationem. Sic Plato *ætherius* apud Manilium, I, 771, utpote qui *aerias* tentavit *domos* animoque rotundum percucurrit polum, « Ætheriusque Platon, et qui fabricaverat illum; » *qui fabricaverat illum* est Socrates, ex cujus quasi *officina* prodiit Plato : unde intelligitur istud D. Pauli, ad Ephes. II, 10, Αὐτοῦ γάρ ἐσμεν ΠΟΙΗΜΑ. Pari sensu Plautus *parentes* vocat *liberorum fabros*.

53. *Talis ubi oceani finem, mensasque revisit Æthiopum*, etc. Nihil hoc loco sollicitandum esset, nisi novam lectionem præbuisset Parmensis, *mensasque reliquit Æthiopum*; cui favet simillimus locus Achilleid. I, 52, de Neptuno, « Oceano veniebat ab hospite, mensis Lætus, et æquoreo diffusus nectare vultus. » De hac igitur cogitandum censeo : lectiones enim primæ editionis non temere abjiciendæ sunt, nisi manifesto vitiosæ et absurdæ; ut v. 55, ubi pro *Dux* eadem habet *Dum* : eodem versu pro *Musas* Rom. *mensis*. De Jove ad ἀμύμονας Æthiopas proficiscente videndus Homerus, Iliad. α, 423, et Arnobius, VI, p. 192, ubi consulas Observat. Elmenhorstii.

55. *Secreta carmina* sunt carmina reconditiora, non quotidiani cantus; ut *vestis sepositа* apud Tibullum. Deinde, pro *laudare triumphos*, potes legere *cantare*, ut Theb. VI, 359; Horatius, Carm. II, 9, 19. Sed *laudare* recte habet : idem enim est quod *cum laude cantare*. Cf. Theb. VIII, 234; Silv. IV, 2, 1; Calpurnius, Eclog. VI, 75 : Sidon. Appollin. Carm. IV, de Virgilio et Augusto,

> Sed rus concessum dum largo in principe laudat,
> Cælum pro terris rustica musa dedit.

62. *Sæpe coronatis iteres Quinquennia lustris!* Intelligit quinquennale certamen institutum Jovi Capitolino, ubi musica, equestri, cursu, gymnicis ludis certabatur, et plures aliquanto erant coronati, ut ait Sueton. quam nunc sunt. DOMIT.

CARMEN III.

VIA DOMITIANA.

Quis duri silicis gravisque ferri
Immanis sonus æquori propinquum
Saxosæ latus Appiæ replevit?
Certe non Libycæ sonant catervæ,
Nec dux advena, pejerate bello,
Campanos quatis inquietus agros;
Nec frangit vada, montibusque cæsis

VARIÆ LECTIONES.

2. Pro *Immanis*, Parm. *Immani;* et pro *æquori*, Parm. et Rom. *æquoris*: frustra. — Cod. Paris. ed. pr. *Immanis.... æquoris.* A.

5. *Nec dux advena pejerante bello Campanos quatit inquietus agros.* Quid est *pejerante bello?* an bellum *pejerare* dicitur? Non certe; sed *dux*, qui contra fœdera et pacem juratam bellum infert, *pejerat* seu *pejeratus est.* Lege et distingue, « Nec dux advena, pejerate bello, Campanos quatis inquietus agros; » apostrophe poetis usitatissima; ut infra, v. 137, « Largis, India, nubibus maderes; » ubi plura exempla proferam; Domitius *ducem* hunc *advenam* Spartacum interpretatur, qui erat, inquit, Thracius; sed non dicit quo sensu bellum Spartaci *pejerans* dici potuit. Cruceus de *Annibale* hæc capit, non obstante mentione *Libycarum catervarum* versu superiore; est enim, inquit, dilatatio poetis et oratoribus usitatissima. Certe notissimum est Annibalis *perjurium;* unde Noster, Herc. Epitrapez. « perjuroque ense superbus Annibal: » et Martialis, Epigr. VI, XIX: « perjuria Punici furoris Magna voce sonas. » Sed disjunctivum *nec* aliam interpretationem videtur postulare, et diversum a priore bellum innuere. Quidquid sit, certissima puto *pejerate*, et *quatis*, quod absolute ponitur, ut Protr. Crispin. v. 135, « An juga Pannoniæ, mutatoresque domorum Sauromatas quaties? » id est, *bello quaties, turbabis.* Exempla obvia. — Cod. Par. et ed. pr. *pejerante... quatit.* A.

Inducit Nero sordidas paludes.
Sed qui limina bellicosa Jani
Justis legibus, et foro coronat;
Qui castæ Cereri diu negata
Reddit jugera, sobriasque terras;
Qui fortem vetat interire sexum,
Et Censor prohibet mares adultos
Pulchræ supplicium timere formæ;
Qui reddit Capitolio Tonantem,
Et Pacem propria domo reponit;
Qui genti patriæ futura semper
Sancit limina, Flaviumque culmen;
Hic, cœno bibulo viam gravante,
Et campis iter amne detinente,
Longos eximit ambitus, novoque

11. *Qui.* Cod. Par. a prima manu *Quis;* ex emendatione *Qui.* Ed. pr. *Quis*, et *cæteri* pro *Cereri.* A.

13. *Qui.* Iterum cod. Par. a manu prima *Quis;* ex emendatione *Qui;* ed. pr. *Quis.* A.

19. *Flaviumque culmen.* Cod. Paris. ed. pr. *flæviumque calvum.* Vide not. A.

20. Vulgo: « Hic scenis populi vias gravatas, Et campis iter omne detinentes. » Cod. Paris. *Corno hic populeo* (pro quo ad marg. *Hic segnis populi*) *vias gravatas Et* (in marg. *Hic*) *campis iter omne detinentes.* Edit. princ. juxta codicem: « Corno hic populeo v. g. Et c. i. o. d. » Vid. not. A.

22. *Novoque Injectu solidat graves arenas.* Theod. Gorallus, seu Joannes Clericus, not. ad Auctorem Ætnæ, vers. 206, « Congeries operis saxorum et putris arenæ, » citat hunc Statii locum; et pro *graves arenas* ex antiquis editionibus reponit *putres arenas.* Sane omnes quas ego inspexi retinent *graves;* neque hanc discrepantiam a quoquam alio notatam invenio: ex quacunque vero editione hauserit vir doctus, verissimam puto, et sensui necessariam; quippe si *graves* sint *arenæ*, parum opus est ut *solidentur, gravitate* sua pæne jam *solidæ;* Ovid. Met. XI, 232: « Litus habet solidum, quod nec vestigia servet, Nec remoretur iter; » et contrarium dixisse debuit Statius, « novoque Injectu solidat leves arenas, » hoc est *molles, putres, ὑδαλίτους*, ut infra v. 126; Auctor Ætnæ, v. 423, « In cinerem, putresque jacet dilapsus arenas. » Vides quid sit *putris arena*, nempe *cedens, sorbens rotas,* ut mox dicit. Hanc lectionem clare confirmat locus carminis proxime sequentis, vers. 2, « Hac ingressa vias, qua nobilis Appia crescit In

Injectu solidat graves arenas;
Gaudens Euboicæ domum Sibyllæ,
Gauranosque sinus, et æstuantes
Septem montibus admovere Baias.
Hic quondam piger axe vectus udo
Nutabat cruce pendula viator,
Sorbebatque rotas maligna tellus;
Et plebs in mediis Latina campis
Horrebat mala navigationis;
Nec cursus agiles, et impeditum
Tardabant iter orbitæ tacentes,

latus, et molles solidus premit agger arenas;» *agger solidus premit molles arenas*, non *graves arenas*. Scio quid objici possit ex Epist. Præfat. hujus libri: « Tertio, viam Domitianam miratus sum, quæ gravissimam arenarum moram exemit. » Illic vero *gravissimam* est *molestissimam*. Pro *injectu* optime legi posset *ingestu;* cui contrarium *egestus* v. 42; et ita Theb. VI, 873: « ægroque effœtus hiatu Exsuit ingestas fluvio sudoris arenas; » et sic poetæ passim. Sed nihil mutandum contra editiones: præsertim quum Livius, VII, 16, dixerit *conjectus terræ*, eodem sensu. Versu prox. seq. *gaudens admovere* est *admovens;* de quo alibi dixi. — Cod. Paris. edit. pr. vulgatam tuentur. Paulo ante, cod. Par. in textu *eximit;* ad marg. *exuit*. Edit. pr. *eximit*. A.

27. *Axe vectus uno*. N. Heinsius ad Val. Flaccum, VII, 229, pro *uno* recte legit *udo*. Vide quæ notavi ad II, 2, v. 15, ubi pro *unum litus* restitui *udum*. — Cod. Paris. edit. pr. *uno*. A.

29. Pro *sorbebat*, multæ editiones *rodebat:* inepte. Restituit Bernartius ex libris, ut ille ait; ita certe inveni in Parm. et Rom. Vere sine dubio. — Cod. Par. *Sordebat;* ed. pr. *Sorbebat*. A.

30. *Latina*. Ita cod. Paris. in textu; ad marg. *Larina*, cum nota: « Larinates in Campania sunt. » Ed. pr. *Latina*. A.

32. *Nec cursus agiles, sed impeditum Tardabant iter orbitæ tacentes*. Primo legendum: « Nec cursus agiles; et impeditum etc. » ita I, 4: « Reddere jura foro; nec proturbare curules, Et ferrum mulcere toga; » infra, hoc libro, carm. VII, v. 10: « Nunc ab intonsa capienda myrto Serta: nec major sitis; et bibendus Castior amnis; » ita legendum esse ad locum probabo; ubi fusius agam. Deinde, pro *orbitæ tacentes*, malim *jacentes*, id est, *depressæ* et *profundæ*. Martialis quidem, Epig. IV, LXIV: « essedo tacente Ne blando rota sit molesta somno; » nihilominus tamen verius puto *jacentes;* alterum enim *omnem* hujus tarditatis non exprimit;

Dum pondus nimium querens sub alta
Repit languida quadrupes statera;
At nunc, quæ solidum diem terebat,
Horarum via facta vix duarum:
Non tensæ volucrum per astra pennæ,
Nec velocius ibitis, carinæ.
Hic primus labor inchoare sulcos,
Et rescindere limites, et alto
Egestu penitus cavare terras:
Mox, haustas aliter replere fossas,
Et summo gremium parare dorso,
Ne nutent sola, ne maligna sedes,
Et pressis dubium cubile saxis:
Tunc umbonibus hinc et hinc coactis,
Et crebris iter alligare gomphis.
O quantæ pariter manus laborant!
Hi cædunt nemus, exsuuntque montes,
Hi ferro scopulos trabesque levant;

quippe *orbitæ* non *tardabant iter* ex eo quod *tacentes* erant, sed quia *jacentes*, et *depressæ*. De commutatione harum vocum dixi supra, I, 3, v. 40, ubi vide. — Cod. Paris. ed. pr. *sed... tacentes*. A.

35. *Repit*. Ita cod. Par. in contextu; ad marg. *Perit*. Edit. princ. *Repit*. A.

36. Pro *At*, Parm. *Et;* male. *Diem terebat;* recte; Apulei. Apolog. « Sed non est operæ in istis diem terere, ut sit mihi tempus aggredi ad cetera. » Sic *otium* et *tempus terere*, passim. Hæc noto, ne cui adblandiatur *diem tenebat*. — Cod. Par. ed. pr. *At*. A.

45. Cod. Par. edit. pr. « Ne nutent sola: maligna sedes; » altero *ne* omisso. A.

48. Pro *crebris*, Rom. *cribris*. — Cod. Par. ed. pr. *crebris*. A.

50. *Exsuuntque montes; Hi ferro scopulos trabesque cædunt*. Heinsius ad Ovid. Fast. IV, 912, pro *exsuunt* rescribi vult *eruunt*, quia agitur de saxis ad viam sternendam effossis. Non opus est: agit enim Statius de *silva* seu *materia* et *trabibus*, quæ decisæ et levigatæ et in terram depactæ continebant cæmentum, et firmitatem operi addebant; prout quotidie factum videmus. Recte igitur *exsuunt*, id est, *nudant*. Noster, Achill. I, 427: « exsuti viderunt aera montes. » Huic contrarium *amicire* et *induere* et *vestire colles* seu *agros*, passim poetis. Rectius idem pro *trabesque cædunt*, ex Parmensi monet legendum esse *levant* (ita enim

Illi saxa ligant, opusque texunt
Cocto pulvere sordidoque topho;
Hi siccant bibulas manu lacunas,
Et longe fluvios agunt minores.
Hæ possent et Athon cavare dextræ,
Et mœstum pelagus gementis Helles
Intercludere ponte non natanti:
His parvus, Lechio nihil vetante,
Inous freta miscuisset Isthmos.
Fervent litora, mobilesque silvæ;

scribendam esse hanc vocem, non *lævant*, quum sit a Græca λεῖος, docet Burmannus); quod et ex Romana edit. ante notaverat Gronovius, Diatr. cap. 40. Noster, Herc. Surrent, vs. 118, loco simillimo: « his cædere silvas Et levare trabes, etc. » ubi vide notas. — Cod. Par. ed. pr. « Hii cedunt n. exuuntque m. Hii f. s. t. levant. » A.

53. *Cocto pulvere, sordidoque topho.* Idem Heinsius ad Ovid. Fast. II, 24, pro *sordido topho* legit *torrido;* admodum probabile hoc, sive pro *arido* sive pro *tosto* sumas; sed de hoc potius, propter τὸ *cocto pulvere*. Hujus significationis vocis *torridus* vide multa exempla isto loco. Certe *sordido topho* nihili est. Verissimam puto hanc Heinsii emendationem, et quæ in contextum tuto recipi possit. Nam quod mox dicit, posse etiam legi *lurido topho*, quum Vitruvius tria tophi genera recenseat, album, rubrum, et nigrum; possemus hac conjectura carere. — Cod. Par. ed. pr. nihil mutant. A.

54. *Hi.* Cod. Paris. edit. princ. *Hii.* A.

56. Pro *possent*, Parm. *possunt;* et pro *Athon*, Parm. et Rom. *atos*. — Cod. Paris. edit. pr. vulgatam tuentur. A.

59. Vulgo: *H. p. Lechiæ nisi vetarent;* et pro *vetarent*, Parm. *natarent*. — Cod. Paris. edit. pr. *H. p. nisi lechiæ vetarent;* sed pro *lechiæ*, cod. in marg. *deviæ*. Conf. not. A.

61. *Nobilesque silvæ.* Horatius, carm. I, 14: « Quamvis Pontica pinus Silvæ filia nobilis Jactes et genus et nomen inutile; » recte ibi *Silva nobilis;* sed hoc loco ridiculum est epitheton; quid enim silvæ *nobilitas* ad *echo* quam remittit? quasi *nobiles* tantum silvæ, non *ignobiles* etiam (si quæ sint) sonitum remittant. Pronum erat, « Fervent litora mobilesque silvæ. » Et ita postea inveni in Parmensi; et ex ea Heinsius ad Ovid. Fast. II, 24, ubi ait, « *Mobiles;* quia loco moventur incisæ. » Ego non hoc sensu capio hunc locum; sed puto τὸ *mobiles* esse generale epitheton omnium nemorum et *silvarum* (non harum tantum quas Domitiani manus cædebant) quæ magno quopiam *fragore*, vel etiam *vento* concussæ, agitantur et *moventur*. Virg.

It longus medias fragor per urbes;
Atque Echo simul hinc et inde fractam
Gauro Massicus uvifer remittit.
Miratur sonitum quieta Cyme,
Et Literna palus, pigerque Savo.
At flavum caput, uvidumque late
Crinem mollibus impeditus ulvis

Æn. V, 148: « Tum plausu fremituque virûm, studiisque faventum Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant Litora; » Auson. Mosell. v. 167, « adstrepit ollis Et rupes, et silva tremens; » Seneca, Troad. v. 173, « Movere silvæ capita, et excelsum nemus Fragore vasto tonuit; » et Hippol. v. 507, « Ramique ventis lene percussi tremunt; » Ausonius, Epist. XXIV, 93: « tum nemus umbris Mobilibus, etc. » Ovidius, Amor. III, 5: « Quem tu mobilibus foliis vitare volebas. » Sic *tremulæ arundines* idem, Met. XI, 190; et passim. — Cod. Par. ed. pr. *nobilesque*. A.

62. Pro *It*, Parm. *Et*. — Cod. Paris. ed. pr. *It*. A.

63. *Atque Echo simul hinc et inde fractam*. Pro *Echo*, in Parm. est *Echon*. Sic Ovid. Amor. II, 16, v. 31, « Sæpe petens Hero juvenis tranaverat undas, » codex Puteanus et omnes fere scripti, cum prima edit. habent *Heron*, monente Burmanno. Sic et Heroid. VII, 133, « Forsitan et gravidam Dido, scelerate, relinquas, » in multis codicibus erat *Didon;* ut et *Argon*, non *Argo*, Epist. XII, 9. — Cod. Par. ed. pr. *echo*. A.

65. Pro *Cyme*, Domitii codd. *Grine;* Parm. *cyrne*. Verum est *Cyme* (id est, *Cumæ*), ut Epiced. Patr. v. 168. — Cod. Par. ed. pr. *Cyme*. A.

66. *Et Linterna palus, pigerque Savo*. Nic. Heinsius ad Sil. Italic. VI, 654, et ad Ovid. Metam. XV, 714, legendum esse docet *Literna* non *Linterna;* quia Græcis est Λίτερνον, non Λίντερνον. Et ita Cluver. Italia, lib. IV, 2; Silius, VII, 277, « A tergo rupes, undosis squallida terris Hinc Literna palus; » ubi pro *undosis terris*, forte legendum *ulvosis ripis*. Pro *Savo*, Domitius in suis codicibus invenit *Sason;* unde vulgatam fecit, *Savo*; bene: Plin. Hist. Nat. III, 5, de Campania loquens, « In ora Savo fluvius; Vulturnum oppidum cum amne; Liternum; Cumæ Chalcidensium. » — Cod. Par. *Linterna... Savo;* et ad marg. *Sason*. Ed. pr. *Linterna... Savo*. A.

67. Vulgo: *humidumque*: hoc et habent cod. Par. et ed. pr. Tum pro *At flavum*, hæc et ille *Et*. A.

68. *Crinem mollibus impeditus ulmis*. Eust. Swartius, Analect. II, 2, recte legit *ulvis:* alterum absurdum; Noster, Theb. IX, 419, de Ismeno flumine, « nexa virentibus ulvis Cornua concutiens; » ubi codex Petrensis habet *ulmis*. *Ulva* proprie fluviorum. Propertius, I, 14, 1: « Tu licet abjectus Tiberina molliter ulva; » ita legendum esse,

Vulturnus levat ora, maximoque
Pontis Cæsarei reclinis arcu
Raucis talia faucibus redundat:
« Camporum bone conditor meorum,
Qui me vallibus aviis refusum
Et ripas habitare nescientem
Recti legibus alvei ligasti;
Et nunc ille ego turbidus, minaxque,
Vix passus dubias prius carinas,
Jam pontem fero, perviusque calcor;
Qui terras rapere, et rotare silvas
Assueram (pudet), Amnis esse cœpi;
Et grates ago, servitusque tanti est,

non *unda*, supra, ni fallor, monui. Pro *mollibus*, Parm. *collibus*. — Cod. Par. in textu, *ulmis*; ad marg. *ulnis*. Ed. princ. *ulmis*. Hæc et ille *mollibus*. A.

70. Pro *reclinis*, cod. Paris. ed. pr. *reclivis*. A.

71. *Pandis talia faucibus redundat*. Olim conjeceram, *Blandis faucibus*, quod optime convenit Vulturno *adblandienti*, adulanti, et gratiam Imperatoris captanti. Sed Parmens. habet *paucis*; unde Heinsius ad Ovid. Met. XV, 397, conjicit *raucis*; ne dubites quin vere; hæc enim vox *aquis* et *Diis fluvialibus* optime convenit. Virgil. Æn. IX, 125; Ovid. Metam. V, 600; idem, Fast. V, 638; Amor. III, 6, 52. Elegans istud *redundat*, de *Amne* locuturo. Ut vero *raucas fauces* Vulturno attribuit Noster, ita *siccam faucem* Terræ Ovidius, Met. II, 278, in incendio Phaethonteo, « siccaque ita fauce locuta est; » ubi vulgo perperam *sicca voce*. — Cod. Paris. a manu prima *Pandis*; ex emendat. *Pansis*, superscript. *apertis*. Ed. pr. *Pandis*. A.

73. Ed. princ. « Quis me vallis aviibus refusum. » Et sic etiam cod. Par. qui ex emendatione vulgatam restituit. A.

74. Pro *Et ripas*, Parm. *In ripis*; et ita Rom. — Cod. Par. ed. princ. *In ripis*. A.

76. Lege, *At nunc*, vel *En nunc*, etc. et conf. not. A.

81. *Sed grates ago strictus, atque tanti est*. Ita edit. Romana. Parm. « Sed grates ago structus quia tanti est. » Veneta, *strictus atque*; quod Gronovio placuit, Diatr. c. 40; et firmat ex versu 75, *Recti legibus alvei ligasti*. Lege primum, *Et grates ago*: deinde, mihi nunquam arrisit scabrities ista versus, *strictus atque*. Et bene quod in suis exemplaribus Politianus invenit, « Sed grates ago, servitusque tanti est; » humillime et serviliter adulatur Vulturnus, et quasi *bello* captus Do-

Quod sub te duce, te jubente, cessi;
Quod tu maximus arbiter, meæque
Victor perpetuus legere ripæ.
Et nunc limite me colis beato,
Nec sordere sinis, malumque late
Deterges sterilis soli pudorem,
Nec me pulvereum gravemque cœno
Tyrrheni sinus obruet profundi;
Qualis Cinyphius tacente ripa
Pœnos Bagrada serpit inter agros;
Sed talis ferar, ut nitente cursu
Tranquillum mare proximumque possim
Puro gurgite provocare Lirim. »
Hæc Amnis; pariterque se levabat

mitiano se submittit. Clare confirmant hoc ista, « Quod sub te duce; » et, « Victor perpetuus legere ripæ; » sumta a *re bellica*. Ipsi numeri et modulatio versus probant hanc esse manum Statii. — Ed. pr. « Sed g. a. strictus tanti est; » ita etiam cod. Par. qui ad marg. *fortiusque tanto*, pro *strictus t. e.* A.

82. Parmens. omittit priorem *te;* Romana, « Quod sub te duce jam jubente cessi; » non *nunc jubente*, quemadmodum scribi voluit Gronovius; minus concinne. Verum est: « Quod sub te duce, te jubente, cessi. » — Ed. pr. *jam jubente;* ita etiam cod. Paris. qui ex emendatione, *te j.* A.

87. *Sterilis soli putorem*. Ita Romana, Aldi, Bernartii, et aliæ editiones: perperam. In Parmensi inveni *pudorem;* et ita edidit Gevartius, et post eum Gronovius: cui lectioni commentarii vicem præstabit locus Nostri, Herc. Surrent. vs. 167, « Qui rigidas rupes, infecundæque pudenda Naturæ deserta domas; etc. » — Cod. Par. et ed. pr. *putorem*. A.

88. *Ne me pulvereum.... obruat profundi*. Lege, posita τελείᾳ στιγμῇ post *pudorem*, « Nec me pulvereum gravemque cœno Tyrrheni sinus obruet profundi, etc. Sed talis ferar, ut, etc. » Et hoc sensus postulat, et adversativum *sed*. Certe Veneta habet, *Nec obruit*. De Bagrade *tacente ripa* luculenter Silius Italic. VI, 140 sqq. *Tacente ripa, quieta;* utpote qui *lento pede* sulcat arenas, et *cum pace*, ut de flumine Horatius. Non opus igitur ut legamus *jacente ripa*. — Cod. Par. edit. pr. *Ne.... obruat*. A.

94. Pro *Puro*, Parm. *Duro*. — Cod. Paris. et edit. princ. recte *Puro*. A.

95. *Pariterque se levarat*. In Parmens. et Roman. invenio *levabat;* quod quare mutarunt? Ita etiam

Ingenti plaga marmorata dorso:
Hujus janua, prosperumque limen
Arcus, belligeri Ducis trophæis
Et totis Ligurum nitens metallis,
Quantus nubila qui coronat imbri.
Illic flectitur exitus viarum;
Illic Appia se dolet relinqui:
Tunc velocior acriorque cursus,
Tunc ipsos juvat impetus jugales,
Ceu fessis ubi remigum lacertis
Primæ, carbasa ventilatis, auræ.
Ergo omnes, age, quæ sub axe primo
Romani colitis fidem parentis,
Prono limite commeate gentes:
Eoæ citius venite laurus,
Nil obstat cupidis, nihil moratur.
[Qui primo Tyberim reliquit ortu,
Primo vespere navigat Lucrinum.]
Sed quam fine viæ recentis imo,
Qua monstrat veteres Apollo Cumas,
Albam crinibus, infulisque cerno?

edidit Cruceus. — Cod. Paris. ed. pr. *levarat*. A.

100. Lege, *quo coronat Iris*, et vide not. ad vs. 99.

101. *Exitus viarum*. Vulgo, *excitus viator*; Heins. *exitus viarum*: Veneta, *exitus viator*. — Cod. Par. ed. pr. *excitus viator*. Conf. not. ad vs. 99. A.

105. *Fessis*. Cod. Paris. a manu prima, *fessus*; ex emendatione *fessis*: hoc habet ed. pr. A.

106. *Prima carbasa ventilantur aura*. Ita edidit seu corrupit Domitius, quum in suis codicibus invenisset, « Primæ carbasa ventilantis auræ. » Et ita est in Parmensi, et in MS. Rhod.; vidit Gronov.; unde, Reliq. ad Stat. Silv. legit, « Primæ, carbasa ventilatis, auræ; » ut plane cod. Salisb. et excerpta Lindenbr. Nihil verius. Sensus idem est, sed versus multo melior, quam si tot voces in *a* exissent. — Edit. princ. *Prima.... ventilantur aura*; et sic, ni fallor, cod. Par. a manu prima; qui ex emendatione vulgatam exhibet. A.

112. De hoc et sequenti versu conf. not. A.

Visu fallimur? an sacris ab antris
Profert Chalcidicas Sibylla laurus?
Cedamus; chely, jam repone cantus;
Vates sanctior incipit; tacendum est.
En! et colla rotat, novisque late
Bacchatur spatiis, viamque replet.
Tunc sic virgineo profatur ore:
« Dicebam, veniet (manete campi
Atque amnis) veniet, favente cælo,
Qui fœdum nemus et putres arenas
Celsis pontibus, et via levabit.
En! hic est Deus; hunc jubet beatis
Pro se Juppiter imperare terris:
Quo non dignior has subit habenas
Ex quo, me duce, præscios Averni
Æneas avide futura quærens
Lucos et penetravit, et reliquit.
Hic paci bonus, hic timendus armis,
Natura melior, potentiorque:
Hic si flammiferos teneret axes,
Largis, India, nubibus maderes,
Undaret Libye, teperet Æmus.
« Salve, dux hominum, et parens Deorum,

125. Pro *amnis*, cod. Par. qui hoc ipsum a manu prima habuit, a secunda scribit *annos;* pro quo ad marg. *annus*. Ed. pr. *amnis*. A.

126. *Qui*. Cod. Paris. a prima manu *Quis;* ex emendatione, *Qui*. Ed. pr. *Quis*. A.

132. *Quærens*. Cod. Par. ed. pr. *querens*. A.

137. *Largis India nubibus maderet*. Gronov. Reliq. ad Silv. monet se in MSS. Rhod. et Salisb. invenisse « Largis, India, nubibus maderes; » et ita in Parmensi concipitur; verissime, et elegantius quam ut a librario indocto proficisceretur. — Edit. princ. *maderet;* et sic etiam cod. Paris. qui juxta literam *t* addidisse videtur *s*, ut sit *maderes*. A.

139. Mallem, « Salve, dux hominum, parens Deorum, » omissa conjunctione *et*, quæ ingratam versui moram injicit.

Prævisum mihi, cognitumque numen.
Nec jam putribus evoluta chartis
Solemni prece Quindecim virorum
Perlustra mea dicta; sed canentem
Ipsam cominus, ut mereris, audi:
« Vidi quam seriem morantis ævi
Pronectant tibi candidæ sorores:
Magnus te manet ordo sæculorum:
Natis longior abnepotibusque,
Annos perpetua geres juventa,
Quos fertur placidos obisse Nestor,
Quos Tithonia computat senectus,
Et quantos ego Delium poposci.
« Juravit tibi jam nivalis Arctos;
Nunc magnos Oriens dabit triumphos:
Ibis qua vagus Hercules, et Evan,
Ultra sidera, flammeumque solem,
Et Nili caput, et nives Atlantis;
Et laudum cumulo beatus omni
Scandes belliger, abnuesque currus;

140. *Prævisum.* Ita cod. Paris. ex emendatione; a manu prima, *Provisum;* quod habet etiam edit. princ. A.

145. Pro *morantis,* Parm. *merentis;* et seq. versu, *Provectant* pro *Pronectant:* utrumque perperam. — Cod. Par. ed. pr. *merentis... Pronectant.* A.

150. Lege, *Quot fertur... Quot Tithonia;* et vide not. Pro *placidos obisse,* Parm. *placidus odisse;* et pro *computat,* Rom. *competat.* — Cod. Paris. *placidos odisse,* et in marg. *obisse.* Edit. princ. *placidos odisse.* Hæc et ille *computat.* A.

153. *Jam.* Cod. Paris. in textu *nam* (ut et edit. princ.); ad marg. *jam.* A.

159. *Scandes belliger obviosque currus.* Ita plures editiones. Parm. tamen *obviusque;* cod. Salisb. *abimesque;* edit. Venet. *annuesque;* quod amplexus est Heinsius, ad Sil. Ital. VI, 545. Mihi magis placet, cum Gronovio, *abnuesque;* propter loca quæ ille adduxit ex Nostro, Lacrim. Etrusc. vs. 170, « Quæ modo Marcomanos post horrida bella, vagosque Sauromatas Latio non est dignata triumpho; » sc. *clementia;* et in XVII Consulat. v. 39, « Mille tropæa feres, tantum permitte triumphos. »

Donec Troïcus ignis, et renatæ
Tarpeius Pater intonabit aulæ;
Hæc donec via, te regente terras,
Annosa magis Appia senescat. »

Nam, ut notat Gronovius, et hoc in laudem trahebat Domitianus, fastidisse, quum posset jure triumphare; unde istud Martial. Epigr. IX, CII, v. 19, « Sæpe recusatos parcus duxisse triumphos Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit. » *Currus* pro *triumphis* poni notum est: vide Græv. ad Cic. Ep. Fam. XV, 6, et Heins. ad dictum Silii locum. — Cod. Par. *obviusque c.* ad marg. *adnues.* Ed. pr. *obviusque c.* A.

NOTÆ

IN CARMEN TERTIUM LIBRI QUARTI

SILVARUM.

Via Domitiana. Appia Via ex Urbe Brundusium usque strata erat; juxta Theracinam vero ad latus fossæ erant palustribus aquis repletæ: per quas qui primis tenebris navem conscenderat reliquum Appiæ spatium ea nocte conficiebat. Temporis vetustate fossis fere repletis, navigatio incommodissima erat, nec minor difficultas, si curru per Appiam viatores uterentur; donec Domitianus arenis congestis fossas replevit, et silice viam sternere aggressus est. Bernart.

11. *Qui castæ Cereri diu negata*, etc. Respicit ad edictum Domitiani de exscindendis vineis. Sueton. Domitian. cap. 7: « Ad summam quondam ubertatem vini, frumenti vero inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arva, edixit ne quis in Italia novellaret; atque in provinciis vineta succiderentur, relicta, ubi plurimum, dimidia parte. » Bernart.

16. *Qui reddit Capitolio Tonantem.* Idem fere est ac *Capitolium Tonanti;* nec opus est mutatione : qui enim reddit Capitolium *Jovi*, ille reddit *Jovem* Capitolio: ut apud Aurel. Victorem, in Camillo: « sic et oppidum civibus, et cives oppido reddidit; » ita versu prox. seq. « Pacem propria domo reponit. » Usitatior forte altera loquendi forma: Tacitus, Hist. III, 84, « Urbem Senatui ac Populo Romano, templa Diis reddita; » licet alterius non desint exempla : Annal. I, « multas illic utrinque lacrimas et signa caritatis, spemque ex eo, fore, ut juvenis penatibus avi redderetur; » de Agrippa, Augusti nepote. Noster, Thebaid. XI, 280, « Redde arvis domibusque viros. » Et sane majus est reddere *Jovem Capitolio*, quam *Capitolium Jovi*, si propius inspicias: in priore enim casu, *Jupiter* est, Deorum Pater, de quo deliberatur seu statuitur: in altero, *templum* tantum prædicatur: tanto igitur istud majus hoc, quanto *Jupiter* major est *templo*. Sequitur, « Et Pacem propria domo reponit. » Vespasianus exstruxit Templum *Pacis*, testibus Sueton. Vespas. c. 9; Plin. Hist. Nat. XXXIV, 8; et aliis. Quæritur ita-

que quid Domitiano cum hoc templo? Ego censeo per *Pacem* hic intelligi debere *statuam* hujus Deæ, quam in templo a patre exstructo forte reposuit Domitianus.

19. *Sancit limina, Flaviumque culmen.* Hæc per editiones regnat lectio; et quasi nulla esset diversitas in libris, ab omnibus transmittitur hic locus. Atqui Domitius in codicibus suis invenit et edidit, « Sancit limina, Flaviumque calvum; » quod ita exponit: « Alludit ad Domitianum qui *calvus* erat: immo et calvitio offendebatur, quamvis librum scripsit de Cura Capillorum ad amicum. Illum seque consolans Juvenalis, *Et calvo serviret Roma Neroni.* » Vix vidi quidquam magis ridiculum. Hanc etiam lectionem in prima edit. Parm. inveni, *calvum*, non *culmen*; unde patet diversorum codicum hanc esse scripturam; unde etiam patet Statium scripsisse,

> Qui genti patriæ futura semper
> Sancit limina, Flaviumque cælum:

ita alibi vocat hoc templum Flaviæ gentis; Pietat. Abasc.

> . . . . est hic, agnosco, minister
> Illius, æternæ modo qui sacraria genti
> Condidit, inque alio posuit sua sidera cælo.

Et ita Martialis, Epigr. IX, II, de eodem templo,

> Manebit altum Flaviæ decus gentis
> Cum Sole et astris, cumque luce Romana.
> Invicta quidquid condidit manus, cælum est;

et IV ejusdem lib. de operibus Domitiani,

> Quid loquar Alciden, Phœbumque, piosque Laconas?
> Addita quid Latio Flavia templa polo?

et ita forte capiendum istud Eq. Max. v. 94, « huc et sub nocte silenti Quum Superis terrena placent, tua turba relicto Labetur cælo: » nempe *relicto suo cælo*, seu isto quod tu illis fecisti. Ne dubites de hac restitutione: et ita in Turnebi exemplari adnotatum erat, Morello teste.

20. *Hic scenis populi vias gravatas Et campis iter omne detinentes Longos eximit ambitus.* In scriptis veterum vix locum vidi hoc inquinatiorem; ex *decem* enim vocibus quæ duos priores versiculos efficiunt, *sex*, et in nonnullis editionibus *septem* depravatas puto. Historiam et rationem hujus carminis paucis habe, ut de ἐπανορθώσει nostra melius judicium feras. *Via publica* ad Cumas, sinum Gauranum, et Baias, pessime affecta erat; quippe obsessa profunda et gravi arena; adeo ut « piger axe vectus udo nutaret cruce pendula viator, sorberetque rotas maligna tellus. » Nec quidquam proficeres, si *viam publicam* evitare velles, et per *campos* circumjacentes iter facere: quippe Vulturnus amnis eos tenebat; adeo ut « plebs in mediis Latina *campis* horreret mala navigationis. » Duplici huic incommodo occurrebat Domitianus; nam-

que, effossa veteri materia, cæmentis et *novo injectu viam solidabat: campos* vero restituit *siccando lacunas,* et, *ponte* facto, Vulturnum in ordinem et alveum suum redigendo. Hæc est historiola hujus carminis, ex Statii verbis collecta : jam vero verba ipsa videamus, quibus (quod post Gevartii et Gronovii conatus mireris) sensus nullus subest. Et primo, (transeo enim Domitii *Cœno hic populeo,* et Crucei, *Hic cœno populi vias gravatas*) Gevartius, Papin. Lect. IV, 5, non dubitat quin rem ipsam repererit (verba ipsius sunt) legendo, « Hic scœnis populi vias gravatas, etc. » *scœnis* id est *juncis*, a Græco σχοῖνος; et hac voce utuntur Plautus, Cato, et Columella. Quomodo vero *junci* in *via publica?* hac præsertim, quæ *gravi arena* oppleta fuit : in qua si *junci* omnino nascuntur, certe non possunt *viam gravare* in tantum, ut opus sit *novo injectu* et *penitus cavare terras.* Sed et si admittas Gevartii *scœnis*, quid fiet de hujus loci constructione? quæ aut nulla est, aut sensum nullum reddit; prout mox dicemus contra Gronovium, qui, Diatr. c. 40, legit :

Hic scenis populi vias gravatas
Et campis iter omne detinentes
Longos eximit ambitus ;

ubi *scenæ,* inquit, *sunt arbusta implicata immissis in alios ramis.* Et hoc defendit, Elench. Antidiatr. c. 5; ita tamen quasi eruditioni potius quam veritati istius explicationis confideret : nam, Reliq. ad Silv. quas longo post tempore edidit, legit, « Hic cœnis populi vias gravatas, etc. » ex eo quod edit. Venet. et MS. Rhod. habuerunt *sœvis* et *senis;* quod et ego in Parmensi invenio. De his igitur διωτήραις φροντίσι jam videamus. Et primum, constructio hæc est : « Hic (Domitianus) eximit vias populi, gravatas *cœnis;* et eximit longos ambitus detinentes iter omne campis, seu per campos. » Atqui Domitianus non *exemit vias :* immo contrarium, *redonavit* et *restituit;* tantum abest ut *exemerit.* Nec melius procedit alterum sententiæ membrum, « et eximit longos ambitus detinentes iter omne campis, » si istud quoque examini subjicere velis. Sed quare *vias*, in plurali? *una* enim tantum erat, et ita semper dicitur, *via Domitiana,* non *viæ Domitianæ;* ut in præfat. hujus libri : « Tertio viam Domitianam miratus sum : » et ita quinquies in hoc carmine, v. 37, 114, 122, 127, 162; nunquam vero *vias.* Deinde, quænam sunt hæ *viæ populi?* anne alia est *via populi*, alia *pecoris* et *jumentorum?* inepta hæc distinctio, et superflua vox *populi :* omnis enim *via* est via *populi,* sine *populi* mentione facta; ut omnes *urbes* sunt *hominum,* licet non opus sit ut dicamus *urbes hominum :* nam locus ille Sulpitiæ, in Satira, v. 39, ubi hæc locutio occurrit, « Quid facimus? Graios, hominumque reliquimus urbes, » corruptissimus est. Gronovius quidem veterem lapidem ad parles suas vocat; in quo erat, *redonatori viæ populi :* et ita citat cl. Salmasius, Epist. de Region. et Eccles. Suburbicariis, p. 4; et ita apud Gruterum invenio, p. 1095, 8. Sed exscriptorem hujus inscriptionis minime dubito errasse, et pro *populo* legisse *populi : redonatori viæ populo,* est, *qui redonavit viam populo.* Sed et hoc Gronovio donabimus :

quid vero faciet τῷ *cœnis? cœnum* enim plurali numero caret. Phocas, Arte, p. 1708, « præter hæc, alia sunt quæ plurali numero deficiunt? generis neutri, hoc *cœnum*, fœnum, jus, lutum, etc. » Adeo ut vera esse non possit hæc Gronovii emendatio; nec Gevartii, ob eásdem fere rationes. Pro *gravàtas* MSS. habuerunt *gravantes:* ita enim editt. Parm. et Rom. ex MSS. expressæ: et ita ediderunt Bernartius, Aldus, Grasserus, et alii. Attende igitur sensui, et verba facili negotio ad veritatem ducent; memineris modo, *duo* fuisse incommoda quæ sustulit Domitianus, nempe, profundam *arenam* ex *via* publica, et *inundationem* Vulturni *amnis* èx *campis* circumjacentibus. Hæc duo hoc modo extulit Statius:

> Hic, cœno bibulo viam gravante,
> Et campis iter amne detinente,
> Longos eximit ambitus;

« Hic (Domitianus) quum arena viam gravaret, et Vulturnus detineret iter per campos, eximit longos ambitus: » nihil facilius, aut verius puto; et hanc restitutionem confirmat totius carminis tenor, et verba. Eleganter vero *arena* dicitur *cœnum bĭbulum;* cui diversum est *cœnum tenax* seu *lutum*, apud Claudian. in Eutrop. II, 443. *Bibula arena* poetis frequentissimum est. Minimum mihi permisi pro *populi* scribens *bibulo*, quum sensus et literæ eo ducerent: *b* enim et *p* sæpissime invicem commutantur in libris. *Iter campis* est *per campos:* Nóster, Achill. I, 154, « campis semet fluviisque fugari; » id est, *per campos* et *fluvios.* Silius Italicus, XV, 562, « Tellurem Noctemque et cælo sparsa precatur Astra; » Ovidius, Amor. III, 6,

> Quid? non Alpheon diversis currere terris
> Virginis Arcadiæ certus adegit amor?

licet ibi quidem legendum sit, *diversas quærere terras*, ex sensu, et Virgilio, Æn. III, 4, « Diversa exsilia, et diversas quærere terras. » Servius, ad Æneid. XI, 142, post alia, sic scribit: « It nigrum *campis* agmen, pro, *per campos;* et, It *portis* jubare, *per portas.* » *Amne* vero pro *omne*, certissimum est. Pariter in his vocibus peccatum apud Sil. Italicum, III, 42, ubi pro *omnis Acarnan*, recte Heinsius *amnis* substituit. Vide Val. Flaccum, I, 23, ubi idem mendum. Contra Ovid. Pont. IV, 10, v. 57, pro *omnes*, Mureti codex habet *amnes. Amnis* est *Vulturnus;* et ita v. 80, 95 et 125. *Via* vero *Domitiana* (de qua re oblitus eram supra monere) recte dicitur; licet, si analogiam spectes, dicendum esset *Domitianea;* sed aliter usus obtinuit. Sic *Via Appia*, *Via Trajana*, *aqua Marcia*, et similia; de quibus vide Heinsium, ad Ovid. Fast. II, 491.

31. *Horrebat mala navigationis.* Ita Seneca, Epist. 57, initio: « Quum Baiis deberem Neapolim repetere, facile credidi tempestatem esse, ne iterum navem experirer. Sed tantum luti tota via fuit, ut possem videri nihilominus navigasse. »

56. *Athon cavare.* Alludit ad operas Xerxis, quibus mons Athos excavatus est, et discissus a continenti. DOMIT.

59. *His parvus, Lechiæ nisi vetarent, Inous freta miscuisset Isthmos.* Lectio vetustissimorum codicum, testante Domitio, erat; his parvus (nisi deviæ vetarent); unde ille fecit, *nisi Lechiæ vetarent.* Hoc Hermolao et Politiano improbatum, et pro eo lectum Scaligero, *nisi Cenchreæ vetarent.* Sed et hoc spongiæ incubuit, et successit M. Musuri, *nisi res novæ vetassent.* Cælius Rhodiginus scriptam lectionem retinuit, et per *devias* intelligi voluit *ambages*, quibus nautæ necessario circumagi debuerunt ad rapidum illum maris fluxum vitandum. Deinde Alciatus legit, *nisi Deliæ vetarent*, subintellecta voce *sortes;* Turnebus, *His palmis, nisi Delius vetaret;* Gevartius, trajectis verbis, *Lechiæ nisi vetarent.* Tandem Gronovius cum maxima omnium verisimilitudine, *His parvus* (*Lechiæ nihil vetarent*, etc.) Heinsius enim, Adversar. in Tibull. edit. Broukhus. infeliciter tentaverat, « His par vix (Lechiæ nihil vetarent) » vel, *His impar;* vel, *Vix par his;* omnia longe infra genium Heinsianum. Tentemus et nos. Primum igitur, *his parvus Inous Isthmos* probum est; Claudianus, IV Cons. Honor. v. 474,

> Gens, qua non Scythicos diffusior ulla Triones
> Incoluit, cui parvus Athos, angustaque Thrace;

Ovidius, Met. VIII, 699, « Illa vetus dominis etiam casa parva duobus Vertitur in templum; » sic, *locus exiguus populo;* Metam. IV, 442; *arctam civibus urbem*, Noster, Theb. XI, 273; *angustum tibi nemus*, IX, 718; *angusta Tartara pœnis*, I, 56; *Tityo jugera pauca novem*, Propertius, III, 5, 44 (ed. Kuin.); *numerus angustus dolori*, Seneca, Med. v. 1011; *Herculi angustum rogum*, idem, Herc. Œt. v. 1638. Nihil igitur hic mutandum. Jam ad alterum membrum, *Lechiæ nisi vitarent.* Hoc placuit Gevartio, Papin. Lect. IV, 6; sed absurditatem bene monstravit Gronovius, Diatr. c. 40 : « Quid enim? inquit : hæ tot manus perfodissent Isthmon, nisi illis obstaret idem quod anterioribus qui eamdem rem tentarunt? Quid ergo magnum hic de Domitiani manibus dicitur, si nihil eas supra priores potuisse audio? Apage tam ineptum sensum : majus dici debuit. Scripsit Papinius, si quid video,

> His parvus (Lechiæ nihil vetarent)
> Inous freta miscuisset Isthmos;

hoc est, si tu velles, Cæsar, hæ manus facile Isthmum, parvum jam, nec magni operis censendum, perfoderent; nec obstarent ipsis Lechiæ, quæ ceteris inexpugnabiles fuere, aut quæ maximum negotium facerent. Ortum vitium ex scribendi compendio, quod sæpissime in vett. libris *nisi* et *nihil* confudisse ipsi observavimus. » Optima quidem hæc, et Statio, et Gronovio digna; nec dubito quin ad hunc sensum scripserit Noster. Restat tamen mihi scrupulus non parvi momenti in voce *Lechiæ;* in qua retinenda video omnes consentire, præter unicum Marcum Musurum; qui in Orthographia Statiana, « Notandum, inquit, *Lechææ*

esse non posse propter metrum : *Le* enim brevis, et *chæ* longa, repugnant : tum non *Lechææ*, sed *Lechæa* neutro genere dicendum. » Et sane verum dicit : Græcis enim perpetuo vocatur hic portus, sive promontorium, Λέχαιον, non Λεχαιαὶ : ita Strabo, Ptolemæus, Philostratus, Lucianus, omnes. Sic etiam Latini *Lechæum*, non *Lechææ*, excepto Plinio, qui Nat. Hist. IV, 4, « *Lecheæ* hinc, Cenchreæ illinc, angustiarum termini ; » et c. 5, « primæ ibi quas diximus *Lecheæ*, Corinthiorum portus ; » quibus tamen in locis *Lechæum* est in margine editionis qua utor ; nescio an ex libris. Ceteri omnes, opinor, constanter *Lechæum* : ita certe Noster, Theb. II, 380, « irataque terræ Curva Palæmonio secluditur unda Lechæo ; » ne referam innumeros poetarum et historicorum locos, in quibus hæc vox *Lechæum* invenitur. Minime dubito quin Statius scripserit,

His parvus, Lecheo nihil vetante,
Inoas freta miscuisset Isthmos ;

Lecheo seu *Lechio*, (parum enim interest) quasi Græcum esset Λέχιον seu Λέχιος. Notum est quantum in his vocabulis Græcis sibi indulgeant poetæ Latini, elidendo literam vel syllabam, longam corripiendo, brevem producendo. Ita Kal. Decemb. v. 15, *Ebŏsea*, quum Græce sit Ἔβοια vel Ἴβοιος. Contra I, 4, v. 75, « Hunc Galatia vigens ausa est incessere bello ; » quasi esset Γαλάτεια, non Γαλατία. Iterum Achilleid. I, 408, « undisonæ quos continet umbo Maleæ : » at Silv. I, 3, v. 97, dicit, « Si Maleæ credenda ratis, Siculosque per æstus Sit via : » quasi utroque modo Græci dicerent Μαλία et Μάλεια. Sic apud Val. Flaccum, III, 36, Heinsius legit « fracta Scylaceon unda, » quum Græcum sit Σκυλλαικῖον. Et hac libertate excusari potest Noster, Silv. I, 3, v. 96, « Hæc per et Ægæas hiemes Pliadumque nivosum Sidus, etc. » quasi esset Πλιάδες vel Πλειάδες, non Πλειάδες : vide quæ ibi adnotavi. Ita Τρίκκη Homerus, Iliad. δ, v. 202, quam tamen catalogo navium, v. 236, vocat Τρίκκην. Contra Θεόφιλε pro Θεόφιλε Antholog. I, 25, p. 23, ubi vulgo male legitur θεῷ φίλε, voce divisa. *Marcomani* Nostro sunt, Laerim. Etrusc. v. 170, qui aliis *Marcomanni* ; vide Strabon. lib. VII, initio. *Mæander* prima correpta apud Prudentium, Cathem. VII, 124 ; et *Polyclitus* pro *Polycletus* iidem Peri Steph. X, 269 ; quibus locis vide Heinsium. Ovidius, Met. VIII, 324, « Hunc pariter vidit, pariter Calydonius heros Optavit : » recte : a Καλυδὼν enim fit Καλυδώνιος· at hoc non obstitit, quo minus Manilius, lib. V, 180, diceret, « Et Calydonea bellantem rupe puellam. » Silius Italicus, VIII, 580, « Leucosiæ e scopulis, etc. » quum Græcis sit Λευκωσία, non Λευκοσία : vid. cl. Drakenborchium. *Iona* pro *Ionia* Propertius, II, 21 ; *Polymestor* pro *Polymnestor* idem, III, 11 ; et Ovidius, Met. XIII, 430, ubi videndus Heinsius. *Syracŏsius* pro Συρακόσιος Virgilius ; *Theudosius* pro *Theodosius* Claudian. in Rufin. I, 51 ; *Cheragra*, prima correpta, Horatius et alii, quum Græcis sit χειράγρα. Ad hanc igitur formam Noster dixit, vel *Lechio*, Λεχίῳ, pro Λεχαίῳ, elisa alpha ; vel *Lecheo* pro *Lechæo*, elisa litera Latina *a* ; eodem prorsus modo, quo Senec. Troad. v. 932, « Altum

vadosos Sigeon spectans sinus; » pro *Sigæon;* quum Græce sit Σίγειον. Contextus itaque erraticus et fluctuans, et ventis criticis hinc illinc dispulsus, hoc modo tandem sistatur:

His parvus, Lecheo nihil vetante,
Inous freta miscuisset Isthmos;

ubi *nihil vetante* est *non vetante,* ut Lacrim. Etrusc. v. 142, « tenuesque nihil minuere parentes; » Pietat. Abasc. v. 229, « nil longior ætas Carpere, nil ævi poterunt vitiare labores Siccatam membris; » id est, *non poterunt carpere, non vitiare:* in quavis pagina occurrent exempla.

60. *Freta miscuisset;* utrumque mare, Ægæum et Ionium. Domit.

66. *Literna palus.* Liternum post Suessam ad mare, cum fluvio ejusdem nominis. Illic erat monumentum Scipionis Africani, qui ibi consumsit ultimam ætatem, quum seditiones et invidiam declinaret. Domit.

76. Pro *turbidus minaxque*, Heins. alicubi ad Fast. I, citat *turbidus minarum;* memoriæ, opinor, errore. Pro *Et nunc ille ego*, etc. Turnebus in ora codicis sui adnotarat *at nunc,* vel *en nunc;* quod ultimum approbat Morellus. Et sane nisi ita legas, vix video quomodo sententiæ ultima pars cohæreat priori. Alio ordine hos quinque versus exhibet edit. Rom. sed mendose.

94. *Lirim.* Liris Minturnas præterlabitur: ad eum Latii olim fines erant: antea Clanim dixerunt. Liris aquis, si Ciceroni credimus, nullæ sunt frigidiores. Domit.

99. *Et totis Ligurum nitens metallis.* Hunc et duos sequentes versus ita legit Heinsius, not. in Auctor. carminis de Phœnice, qui Claudiano subjungitur, p. 913:

Et totis Ligurum nitet metallis:
Quantus nubila quo coronat Iris.
Illic flectitur exitus viarum;

vulgo legitur *nitens*, et *qui coronat imbri*, et *exitus viator:* in primo versu nihil mutandum, modo præcedentes recte distinguas, hoc modo:

Hujus janua prosperumque limen
Arcus, belligeri Ducis tropæis
Et totis Ligurum nitens metallis;

Arcus nitens tropæis est *janua et limen hujus plagæ* seu *viæ*, etc. id est, per arcum triumphalem hæc via intratur. In secundo, omnino assentior Heinsianæ emendationi; et ita ego conjeceram longe priusquam notam Heinsii vidissem. Sensum quidem efficit, « tantus arcus quantus ille est qui coronat nubila imbri, » sed, *quum pluit;* sed sensum tantummodo, et frigidissimum, et poeta indignum, propter τὸ *imbri*, quod imbecillissimum est. Multo elegantius inducitur *Dea Iris* cingens et *coronans* nu-

bila, solito suo officio. Manilius, lib. I, « Utque suos arcus per nubila circinat Iris. » Vulgatam *imbri* ex multis poetarum locis defendere potest, si quis torpore delectatur. Memoriæ vero falsus fuit Heinsius, quum existimaret vulgatam Statii lectionem fuisse, « Quantus nubila qui coronat arcus : » ita enim illum existimasse ex nota ejus video. *Exitus* vero *viarum* pro *excitus viator* certissimum puto : patet ex sequenti versu, « Illic Appia se dolet relinqui; » et Epist. ad Marcell. v. 2, « Hac ingressa vias qua nobilis Appia crescit In latus; » et init. hujus carminis, v. 3, « Saxosæ latus Appiæ replevit. » Dicit igitur ab isto arcu initium sumpsisse *Viam Domitianam;* quæ per aliquod spatium continuabatur juxta *latus* viæ Appiæ.

110. *Eoæ laurus;* triumphi Orientales; nam Septemtrionales ei dati sunt, et ex Occidente. Supra, XVII Cons. carm. I huj. libri, vs. 41, « nondum gremio Jovis Indica laurus. » Domit.

112. *Qui primo Tiberim,* etc. Hunc et sequentem versum uncinis inclusi, certus eos non esse hujusce loci, aut ullo modo cum præcedentibus aut subsequentibus connectendos. Quid enim? anne hæc est ratio quare ultimi Orientis gentes venirent Romam, et se Domitiano submitterent, « quia aliquis qui Romam reliquit mane, vesperi navigat Lucrinum lacum? » Invitat eos ab *Oriente* ad *Romam;* deinde illis narrat omnia jam facilia esse a *Roma* ad *lacum Lucrinum;* contrario modo dictum oportuit, nempe, Omnia jam facilia esse a *Lucrino* ad *Romam*. Sed quid moramur? non sunt Statii, sed ludibundæ manus; ejusdem forte quæ semel in Kal. Decembr. v. 16, et bis in Genethliaco Lucani, v. 58, et 85—86, nobis palpum obtrusit. Neve hoc gratis dictum putes, recurras ad v. 36, hujus carminis,

> At nunc, quæ solidum diem terebat
> Horarum via facta vix duarum.

Jam igitur nebulonem obliviosum tenemus: si enim *duabus horis* hoc iter perfici posset, quodnam opus, ut *totum diem* huic assignaret, a *primo ortu* ad *primum vesperem?*

137. *Largis, India, nubibus maderes.* Hæ apostrophæ poetis usitatissimæ. Val. Flacc. V, 78, de Baccho, « hic resides thiasos, hic æra moventem, Udaque pampinea nectentem cornua mitra Nunc etiam meministis, aquæ; » ita legendum; vulgo, *cornua vitta;* Noster, Theb. IX, 818, qui locus a Gronovio quoque adducitur,

> Frena regam; cultus Triviæ pendebitis alto
> Limine; captivis matrem donabo pharetris;

ubi pro *Limine* mallem *Culmine*, ut eodem lib. vers. 194 *culmine est tholo;* Rutilius, Itinerar. I, 281 :

> Inde Graviscarum fastigia rara videmus,
> Quas premis æstivæ sæve paludis odor;

ita legendum; vulgo, *premit sæpe;* frigidissime. Observavi autem ha-

apostrophas frequentissimas esse, ubi de *fluviis* sermo est; et ob hanc, opinor, rationem, quia pro *numinibus* sive *personis* ii sumendi sunt; unde hæ *προσηγορίαι* illis aptissimæ sunt. Lucan. IV, 20:

. . . . camposque coerces,
Cinga rapax, vetitus fluctus et litora cursu
Oceani pepulisse tuo : nam gurgite mixto
Qui præstat terris aufert tibi nomen Iberus ;

ita legendum; vulgo *coercet* et *suo;* Virg. Æn. VII, 684: « quos divus Anagnia pascis, Quos, Amasene pater; » Ovid. Pontic. IV, 10, v. 51,

Et tu, feminææ, Thermodon, cognite turmæ,
Et quondam Graiis, Phasi, petita viris.

Plurimus in hujusmodi appellationibus Ovidius; sed et omnes pariter poetæ. Utuntur hac figura etiam oratores; vide Quintilian. Declamat. II, 17.

150. *Quos fertur placidos obisse Nestor.* Plane legendum, *Quot fertur; quos* est *quales,* ut sæpe; quum igitur jam dixerit *geres annos quales Nestor gessisse dicitur,* non opus est ut addatur, immo absurde adderetur *placidos;* hoc enim pacto *qualitas* annorum *bis* exprimeretur; quam satis denotat vox *placidos.* Sic et versu proxime sequenti, *Quot Tithonia computat senectus,* non *Quos.* Pariter commutabantur hæ voces apud Ovid. Amor. I, 13, v. 43, « Adspice quot somnos juveni donarit amico Luna; » ita ex libris Heinsius pro *quos;* et apud Propertium, I, 2, *quot colores* idem restituit pro *quos.* Conjunguntur vero *quot* et *quanta,* ut Valer. Flacc. II, 563: « Quot mihi post lacrimas, post quanta piacula patrum Serus ades ! » et alibi passim.

155. *Ibis qua vagus Hercules.* Herculem in India fuisse scribit Plin. quum de Macedonia ita ait. « Hæc est Indiæ victrix, per vestigia Liberi patris atque Herculis evagatæ. » Nisi malis Columnas Herculis intelligere; quod non placet. Domit.

163. *Annosa magis Appia senescat.* Hinc explicandus Propertii locus, lib. II, 23, v. 43:

Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur?
Appia cur toties te via ducit anum?

ubi intoleranda esset rusticitas Propertii, si amicam suam Cynthiam *anum* vocaret. Et hoc adeo offendebat politissimum Broukhusium, ut locum mendosum esse non sine ratione crederet. In libris omnibus invenitur vel *anum* vel *anus;* nimirum hic est quod quærimus, « Appia cur toties te via ducit anus? » *Appia via anus* Propertii, est *Appia annosa* Statii; *anus* pro *annosa,* ut *fama anus* apud Catullum; *testa anus* apud Martialem. Sic *antiqua Latina via,* carm. proxime sequenti, v. 60, ubi vulgo legitur *obliqua.*

CARMEN IV.

AD VICTORIUM MARCELLUM EPISTOLA.*

Curre per Euboicos non segnis, epistola, campos;
Hac ingressa vias, qua nobilis Appia crescit
In latus, et molles solidus premit agger arenas.
Atque ubi Romuleas velox penetraveris arces,
Continuo dextras flavi pete Tybridis oras,
Lydia qua penitus stagnum navale coercet
Ripa, suburbanisque vadum prætexitur hortis.
Illic egregium formaque animisque videbis
Marcellum, et celso præsignem vertice nosces:
Cui primum solito vulgi de more salutem,
Mox inclusa modis hæc reddere verba memento:
« Jam terras volucremque polum fuga veris aquosi
Laxat, et Icariis cælum latratibus urit;

VARIÆ LECTIONES.

* *Ad Marcellum.* Ita editiones. Gronov. in codd. Rhod. et Salisb. invenit *ad Victorium Marcellum;* quod et ego in Parmensi. Rhod. addit vocem *Epistola:* sine dubio recte; ita enim voluit Noster; et ita dixit Epist. ipsa, « Cujus beneficio tu quoque maturius Epistolam eam accipies, quam tibi in hoc libro a Neapoli scribo. » Edidi igitur *ad Victorium Marcellum Epistola.* Hic est ille Victorius Marcellus, cui Institutiones suas inscripsit Quintilian. ut bene observat Gronovius. — Cod. Paris. ed. pr. *Ad Marcellum.* A.

3. *Agger.* Cod. Paris. ed. princ. *ager;* sed male. A.

10. *Cui primum solito.* Pro *cui,* Parm. *Quoi,* antiquo more; Catullus, I, 1: « Quoi dono lepidum novum libellum? » *Primam,* scil. *salutem,* eadem et Rom. et Venet. non *primum;* sed verius hoc, propter sequens *mox.* — Cod. Paris. ed. pr. *Cui primam.* A.

Ardua jam densæ rarescunt mœnia Romæ:
Hos Præneste sacrum, nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuscula protegit umbra;
Tiburis hi lucos, Anienaque frigora captant.
« Te quoque clamosæ quænam plaga mitior urbi
Subtrahit? æstivos quo decipis aere soles?
Quid, tuus ante omnes, tua cura potissima Gallus,
Nec non noster amor, (dubium morumne probandus
Ingeniine bonis) Latiis æstivat in oris?
Anne metalliferæ repetit jam mœnia Lunæ,
Tyrrhenasque domos? quod si tibi proximus hæret,
Non ego nunc vestro procul a sermone recedo:
Certum est; inde sonus geminas mihi circuit aures.
Sed tu, dum nimio possessa Hyperione flagrat
Torva Cleonæi juba sideris, exsue curis
Pectus, et assiduo temet furare labori.
Et sontes operit pharetras, arcumque retendit
Parthus; et Eleos auriga, laboribus actis,

20. *Omnes.* Cod. Paris. ed. pr. *omnis.* A.

21. *Dubium, morumne probandus Ingeniive bonis.* Parvum hic mendum, emaculandum tamen. Lege, *Ingeniine bonis.* Ovid. Met. XV, 500: « Indiciine metu magis offensane repulsæ; » ubi eleganter reticetur vox *dubium;* Virg. Æneid. II, 738: « Heu misero conjux fatone erepta Creusa Substitit, erravitne via; » V, 95: « Incertus Geniumne loci famulumne parentis Esse putet; » Lucanus, VII, 172: « Jam, dubium monstrisne Deum, nimione pavori Crediderint; » Incertus apud Charis. lib. IV, p. 241, « Horum aliquis mavis stultusne malusne videri. » — Cod. Par. ed. pr. *Ingeniive.* A.

27. Pro *possessa*, edit. pr. *possesso;* et sic etiam cod. Paris. qui ex emendatione *possessa.* A.

30. *Operit.* Cod. Par. ed. princ. *aperit.* A.

31. *Et Eleis auriga laboribus actos Alpheo permulcet equos.* Constructio est, « et auriga Alpheo permulcet equos actos Eleis laboribus. » Intelligisne quid sit *equus actus laboribus?* Lege, « et Eleos auriga, laboribus actis, Alpheo permulcet equos; » *Eleos equos,* ut Lucanus, I, 293, « quantum clamore juvatur Eleus sonipes. » *Laboribus actis,* ut Virgil. Georg. I, 413, « juvat, imbribus actis, Progeniem parvam, etc. » vel, *Eleis laboribus actis,* ut Ovid. Metam. XIII, 753: « Octonis iterum nata-

Alpheo permulcet equos; et nostra fatiscit
Laxaturque chelys : vires instigat, alitque
Tempestiva quies; major post otia virtus.
Talis cantata Briseide venit Achilles
Acrior, et positis erupit in Hectora plectris.
Te quoque flammabit tacite repetita parumper
Desidia, et solitos novus exsultabis in actus.
Certe jam Latiæ non miscent jurgia leges,
Et pacem piger annus habet; messesque reversæ
Dimisere forum : nec jam tibi turba reorum
Vestibulo, querulive rogant exire clientes:
Cessat Centeni moderatrix Judicis hasta,
Qua tibi sublimi jam nunc celeberrima fama
Eminet, et juvenes facundia præterit annos.
« Felix curarum! cui non Heliconia cordi

libus actis, etc. » Sed prius verum est. Tacit. Annal. III, « fessamque ætatem et actos labores prætenderet. » Pro *Alpheo*, Parm. *Alpheos*. — Cod. Par. ed. pr. *eleis a. l. actos*. Hæc et ille *Alpheo*. A.

36. Pro *Hectora*, edit. princ. *æquora;* ita etiam cod. Paris. in textu, qui ad marg. *Hectora*. A.

37. *Te quoque flammabit tacite repetita parumper Desidia, et solidos novus exsultabis in actus*. Fieri potest, ut ita scripserit Statius; non tamen video, cujus usus sit istud *tacite*, et valde suspicor *Marcelli* nomen latere sub istis syllabis *mabit tacite re:* « Te quoque flammabit, Marcelle, petita parumper Desidia; » ut infra, v. 78, et 99. Sed hoc, utpote suspicionem tantum, dimitto; de illo certus, Statium scripsisse *solitos in actus*, non *solidos; novus* accedes ad *solita* munia. Seneca, Consol. ad Marciam, c. 14, « Bibulus tamen.... processit ad solita et publica officia. » *Solitos* hos actus *assiduum laborem* supra vocavit. Gratius Cyneget. v. 286, « Da requiem gravidæ, solitosque remitte labores; » Noster, Silv. V, 2, v. 160, « Hei mihi! sed cœtus solitos si forte ciebo. » Commutantur hæ voces in scriptis codicibus; ita Seneca, Medea, v. 97, pro *solitum orbem*, optimus Florentinus habet *solidum*. Vide ad Ovid. Fast. III, 442, et Trist. I, 2, v. 54. Gevartius quoque conjecerat *solitos*. Pro *novus*, Parm. *vomis*. — Cod. Paris. a manu prima, *solidos;* a secunda, *solitos*. Ed. pr. *solidos*. Hæc et ille, *novus*. A.

41. *Tibi*. Sic ed. princ. et cod. Paris. qui ad marg. reponit *te*. A.

42. Vulgo, *querulique;* quod et habent cod. Par. ed. pr. A.

45. Pro *juvenes*, cod. Paris. ed. pr. *juvenis*. A.

Serta, nec imbelles Parnasi e vertice laurus;
Sed viget ingenium, et magnos accinctus in usus
Fert animus quascumque vices : nos otia vitæ
Solamur cantu, ventosaque gaudia famæ
Quærimus. En egomet somnum, et geniale secutus
Litus, ubi Ausonio se condidit hospita portu
Parthenope, tenues ignavo pollice chordas
Pulso, Maroneique sedens in margine templi
Sumo animum, et magni tumulis adcanto magistri.
« At tu, si longi cursum dabit Atropos ævi,
Detque precor, Latiique ducis si numina pergent,
Quem tibi posthabito studium est coluisse Tonante,
Quique tuos alio subtexit munere fasces,
Et spatia antiquæ mandat renovare Latinæ,

47. *Parnasi e vertice.* Cod. Par. ed. pr. omittunt *e.* A.

48. Pro *accinctus in usus*, Parm. *accingit in visus.* — Cod. Par. ed. pr. vulgatam tuentur. A.

49. Lege, *otia miti S. c.* — Cod. Paris. edit. pr. cum cæteris, *vitæ.* Conf. not. A.

51. Pro *somnum et*, Rom. *somno. Somnum secutus* est ex Tibull. I, 1 : « Securum somnos imbre juvante sequi. » — Cod. Par. a manu prima, *somno geniales.*; a secunda, si bene video, *somnum g. s.* Edit. princ. *somno g.* A.

57. *Latiique ducis sic numina pergant.* Præcessit, « At tu, si longi cursum dabit Atropos ævi; » unde patet hic quoque legendum, « (Detque precor!) Latiique ducis si numina pergent, Forsitan Ausonias ibis frenare cohortes; » tribus mediis versibus parenthesi inclusis. *Si pergent*, ut respondeat τοῖς *si dabit.* Ita carm. VIII, 61 : « Si modo prona bonis invicti Cæsaris adsint Numina. » Scio quid objici possit ex Epithal. Stell. v. 174, « sic indulgentia pergat Præsidis Ausonii; » sed sensus hujus loci postulat has duas conditiones, « si vivas, et si Cæsar faveat, ibis frenare etc. » — Ed. pr. « Latiique ducis sic numina pergant. » Idem apud cod. Par. at ex emendatione, *nomina* pro *numina.* A.

60. *Et spatia obliquæ mandat renovare Latinæ.* Ita omnes præter Rom. quæ pro *obliquæ* habet *antiquæ*; et hoc in notis agnoscit Domitius. Non dubito quin hæc sit vera Statii manus : unde enim librario tam elegans lectio? quam etiam confirmat oppositio inter *antiquæ* et *renovare*; qualia antitheta perpetuo captat Statius; ita, Consulat. Domit. v. 38, « Et tibi longævi renovabitur ara Terenti; » quæ est lectio edit. Parm. non *revocabitur*; et veram puto. *Obliquæ La-*

Forsitan Ausonias ibis frenare cohortes,
Aut Rheni populos, aut nigræ litora Thules,
Aut Istrum servare latus, metuendaque portæ
Limina Caspiacæ: nec enim tibi sola potentis
Eloquii virtus; sunt membra accommoda bellis,
Quique gravem tardi subeant thoraca lacerti.
Seu campo pedes ire paras, est agmina supra
Nutaturus apex; seu frena sonantia flectes,
Serviet asper equus. Nos facta aliena canendo
Vergimur in senium: propriis tu pulcher in armis
Ipse canenda geres, patriæque exempla parabis.
Magna pater, dignosque etiamnum belliger actus
Poscit avus, præstatque domi novisse triumphos.
Surge agedum, juvenemque puer deprende parentem,
Stemmate materno felix, virtute paterna.
Jam te blanda sinu Tyrio sibi Curia felix

tinæ frigidum est. Eadem oppositio Propertio, III, 10, de Ulixe: « Et veteres arcus leto renovasse procorum; » et aliis passim. » *Antiqua Latina*, ut *annosa Appia* carm. præced. ubi vide. Sic *antiqua Calydon* et *antiqua Tyros* Virgilio; *antiquus Juppiter* Nostro, Kal. Dec.; *antiquam Tiryntha* Theb. IV; lucus *antiqui Helerni* Ovid. Fast. VI, 105; et similia innumera. — Cod. Par. ed. pr. *antiquæ*. A.

62. Pro *Thules*, Parm. *tiles*. — Cod. Par. *thiles*; ed. pr. *thyles*. A.

66. *Quique gravem tardi subeant thoraca lacerti*. Mirum *tardos* lacertos censeri inter membra *accommoda bellis*. Lege, « Quique gravem validi subeant thoraca lacerti. » Multi sunt in hoc epitheto poetæ; Ovidius, Heroid. III, 125; IV, 81; Sil. Ital. X, 532; Noster, Thebaid. V, 141. Multo plura exempla in parato habeo, si cui hæc non satisfaciant. Non audiendus Barthius cum suo *haud tarde subeant*, vel *intarde subeant*. Parm. et Rom. habent *tarde*. Potes etiam *fortes* pro *tardi*; ut Theb. VI, 708; Lucan. I, 364; et aliis. Sed alterum præstare puto. — Cod. Par. *tarde*; ed. pr. *tardæ*. A.

71. *Ipse*, etc. Cod. Paris. « Ipsa c. g. patriæque (ad marg. *parvoq.*) e. p. Magna gente es (ni es postea deletum fuisse videtur) dignos quem jam nunc b. a. Noscit (ad marg. *poscit*) avus. » Edit. princ. « Ipsa c. g. patriæq. e. p. Magna gente es dignus: quem jam nunc b. a. Noscit a. » A. — Vulgo, vs. 72, *Magna geres; dignosque*, etc. Vide not. ad vs. 70.

74. Cod. Paris. edit. princ. male *deprehende*. A.

76. *Curia*. Vulgo, *gloria*; quod

Educat, et cunctas gaudet spondere curules. »
Hæc ego Chalcidicis ad te, Marcelle, sonabam
Litoribus, fractas ubi Vesbius erigit iras,
Æmula Trinacriis volvens incendia flammis.
Mira fides! credetne virum ventura propago,
Quum segetes iterum, quum jam hæc deserta virebunt,
Infra urbes populosque premi, proavitaque toto
Rura abiisse mari? nec dum letale minari
Cessat apex: procul ista tuis, Tifata, Teate,
Nec Marrucinos agat hæc insania montes.
« Nunc si forte meis quæ sint exordia Musis
Scire petis, jam Sidonios emensa labores
Thebais optato collegit carbasa portu;
Parnasique jugis, silvaque Heliconide festis
Tura dedit flammis, et virginis exta juvencæ,
Votiferaque meas suspendit ab arbore vittas.
Nunc vacuos crines alio subit infula nexu:

et habent cod. Paris. ed. pr. Vide not. A.

79. *Fractas ubi Vesbius egerit iras.* Gronovius, Diatr. c. 41, ex Rom. Venetoque codd. legit *erigit iras*, ut Epiced. in patrem, vers. 207, « exemptum terris ad sidera montem Sustulit; » conf. et Virg. Æn. III, 576; et IX, 241; Sil. Italicus, II, 658; XIII, 198; Auct. Ætnæ, vers. 208, « orbis Erigitur, verrit saxa obvia vortice sævo; » ita legendum puto: vulgo, *omnis Exigitur, vertit vasa omnia;* vide præcedentia; Lucan. VI, 295. Probum etiam *egerit;* Sil. Italic. XIII, 837, « Fons rapidus furit, atque ustas sub gurgite cautes Egerit; » vide et XV, 225; Plinius, Hist. Nat. II, 106: « maximo tamen ardet incendio Theon Ochema dictum, Æthiopum jugum; torrentesque solis ardoribus flammas egerit. » Sed retinendum *erigit;* quod et in Parm. inveni. — Cod. Paris. edit. princ. *erigit.* A.

84. Pro *abiisse*, Ven. *deesse*. — Cod. Par. ed. pr. nil mutant. Vide not. ad vs. 83. A.

85. Forte: « procul ista tibi sint fata, Teate. » — Cod. Par. in textu: « p. i. tuis tiphata teate; » ad marg. « tuo sint fata. » Ed. pr. « p. i. tuis tiphata trate. » Vide not. A.

92. Pro *Votifera*, inepte legebatur *Pomifera*. Restituit ex MS. Bernartius, et illustravit Gevart. Papin. Lect. IV, 7. Venet. quoque *Votifera*. — Cod. Paris. in textu, *Pomifera;* ad marg. *Votifera*. Ed. pr. *Pomifera*. A.

93. Pro *vacuos crines*, Ven. *alios*

Troja quidem, magnusque mihi tentatur Achilles;
Sed vocat arcitenens alio pater, armaque monstrat
Ausonii majora ducis : trahit impetus illo
Jam pridem, retrahitque timor : stabuntne sub illa
Mole humeri? an magno vincetur pondere cervix?
Dic, Marcelle, feret? fluctus an sueta minores
Nosse ratis, nondum Ioniis credenda periclis?
Jamque vale, et penitus noti tibi vatis amorem
Corde exire veta : nec enim Tirynthius almæ
Pectus amicitiæ : cedit tibi gloria fidi
Theseos, et lacerum qui circa mœnia Trojæ
Priamidem, cæso solatia traxit amico.

cineres. — Cod. Par. et edit. pr. vulgatam tuentur. A.

94. Pro *tentatur,* Romana *cantatur*; frustra : *tentare* proprium proludentibus et experientibus. Thebaid. I, 33, *Nunc tento chelyn;* ut bene Gronovius pro *tendo;* vide eum. — Cod. Paris. et edit. princ. *cantatur.* A.

99. Vulgo : *ferat fluctus adsueta,* etc. — Cod. Paris. edit. princ. *feram... assueta.* Vide not. A.

101. *Et penitus noti tibi vatis amorem.* Ita invenio in omnibus, ante Gronovii, editionibus; *noti* non *voti;* nec uspiam, quod scio, monet ille quare mutaverit. Putarem esse errorem operarum; nisi quod in Erratis de hoc siletur; et tamen sic quoque inter Errata forte reponendum fuit. *Noti* probum est; Horatius, Epist. I, 18 : « At penitus notum si tentent crimina, serves; » alibi idem, « Si bene te novi, metues, liberrime Lolli; » Catull. carm. C, vs. 2 : « Cujus sit penitus nota fides animi. » Et ita passim alii. Pro *amorem,* Parm. *honorem,* solemni harum vocum mutatione. — Postea Markland. in Ven. comperit, *voti tibi vatis honorem.* Ed. princ. *noti... amorem;* hoc et habet cod. Par. qui ad marg. *voti... honorem.* A.

NOTÆ

IN CARMEN QUARTUM LIBRI QUARTI

SILVARUM.

* Ad V. Marcellum, etc. Ex Campania, quo per æstatem secesserat ludens, carmen ad Victorium Marcellum mittit, quem discedens in urbe reliquerat. Sed jam putat eum quoque secessisse aliquem in locum cum Gallo amico. Hic, imperatori Domitiano carus, Latinæ Viæ sternendæ curam susceperat. Papinius opes ejus laudat, et vires aptas bellis. Poetarum vero inertiam miseratur; cui facinora militaria longe anteponit, ut blandiatur Marcello: denique ait se pervenisse ad exitum Thebaidis, et meditari Achilleidem; sibi esse in animo scribere gesta Imperatoris; sed Marcellum consulit, an sit par tanto honori. Domit.

Vers. 1. *Euboicos campos.* Virgil. Æn. VI, 2; *Euboicis oris Cumarum*, quia Cumani ab Euboica Chalcide originem trahunt. Vid. tom. III, pag. 101, Editionis nostræ. Ed.

6. *Lydia ripa.* Designat domum Marcelli, quæ juxta naumachiam erat Domitiani: ea autem erat juxta Tiberim. Domit.

23. *Metalliferæ Lunæ.* Luna, Etruriæ oppidum, ingenti portu, in quo erat receptaculum omnium ferme qui mare Ligusticum navigabant; copia marmoris candidissimi, ingentibus saxis integris, unde tabulæ et columnæ solidæ fiebant. Domit.

26. *Inde sonus geminas mihi circuit aures.* Insignis hic locus de stulta veterum opinione, qua existimabant aures iis tinnire, de quibus alibi mentio fiebat. Vetus poeta inter Catalecta Virgilii:

> Garrula, quid totis resonas mihi noctibus auris?
> Nescio quem dicis nunc meminisse mei.
> Hic quis sit quæris? resonant tibi noctibus aures?
> Et resonant totis? Delia te loquitur.
>
> Gevart.

43. *Cessat Centeni moderatrix Judicis hasta, Qua tibi sublimi*, etc. Nam Marcellus fuit patronus in causis apud Centumviros, quorum ju-

dicia nunc cessabant. Hi hasta utebantur, erantque centum et quinque, ut docet Festus; sed tamen centum dicti. Domit.

49. *Nos otia vitæ Solamur cantu.* Ita omnes, opinor, editiones. Et hæc lectio forte se tueri possit loco carm. ad Uxor. v. 85,

> Pax secura locis, et desidis otia vitæ,
> Et nunquam turbata quies, somnique peracti:

ubi tamen non simpliciter *otia vitæ*, sed *otia desidis vitæ*, hoc est, *desidiosa vita*. Sic, *otium temporis oblectamus*, Plin. Epist. IV, 14; *otia Martis*, Noster, Theb. IV, pro, *tempus in quo a bello cessabatur;* quo sensu Claudianus quoque in Eutrop. II, 121, dixit *otia ferri; otia somni* idem, Laud. Seren. v. 145; et Noster, Theb. III, 3; *otia juventæ*, ad Uxor. v. 61. His, inquam, forte se tueri posset *otia vitæ*. Aliud tamen suadet poetarum mos fere perpetuus, qui *otia* simpliciter ponunt sine τῇ *vitæ*, minime necessario; notum istud Virgilii, « O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit; » Conf. Ovid. Trist. IV, 10, v. 40; et I, 1, v. 41; Horatius, Serm. II, 7, 107; et I, 4, v. 138, « ubi quid datur otî, Illudo chartis; » non dicit *ubi quid datur otii vitæ*, sed simpliciter *otii*. Sil. Italic. XII, 31, de Neapoli,

> Nunc molles urbi ritus, atque hospita Musis
> Otia, et exemtum curis gravioribus ævum.

Vitæ igitur minime necessarium. Sed nec artificii Statiani erat relinquere τὸ *cantu* sine epitheto. Scripsit: « nos otia miti Solamur cantu. » *Mitis* proprium *poetis*. Noster, Epithal. Stell. v. 98; Epiced. in Puer. v. 40; Manil. V, 465; Claudian. Nupt. Hon. et Mar. v. 236; Noster, Theb. V, 341; Ovidius, Pontic. II, 9, 50; *molle carmen* Noster, Baln. Etrusc. vs. 29, eodem sensu. Scriptum erat *viti* pro *miti;* inde istud *vitæ*. Sic *vilis* pro *mollis* Propert. III, 1,

> Reddite corpus humo; positumque in margine ripæ
> Pætum sponte tua, mollis arena, tegas:

ita legendum esse pro *positaque in gurgite vita*, et *vilis arena*, in notis ad istum auctorem brevi probabo.

58. *Quem tibi posthabito studium est coluisse Tonante.* Notabilis hæc erga Jovem libertas, quam etiam apud alios observare licet. Ovidius, Pontic. II, 2,

> Verbaque nostra favens Romana ad numina perfer,
> Non tibi Tarpeio culta Tonante minus;

Plautus, Pseudolo, I, 3,

> Pseudole, arcesse hostias,
> Victimas, lanios, ut ego huic sacrificem summo Jovi;
> Nam hic mihi nunc est multo potior Juppiter, quam Juppiter.

Hic tamen *summus Juppiter* erat Ballio, *leno*.

62. *Nigræ Thules;* caligantis. Domitianus habuit Orcadas insulas

Oceani Britannici in ditione, quarum ultima est Thule. Vespasianus pater expeditione sua temporibus Claudii eas devicerat, redacta Vecte, una ex illis, in potestatem. Juven. sat. II, vs. 161, « et modo captas Orcadas. » DOMIT.

63. *Metuendaque portæ Limina Caspiacæ.* « Caspiæ portæ in Ponto sunt quædam angustiæ, ita appellatæ a mari Caspio proximo : populi illic sunt Caspii : » quo loco multos redarguit Plin. qui Caspias portas putarunt esse easdem, quæ sunt in Hiberia Ponti provincia proxima Caspiis : nam hæ aliæ sunt, emittuntque in Sarmatas. Vix ullo aditur propter appositos montes; et quum Nero ad Hiberiæ portas parasset expeditionem, per errorem multorum dicebatur petere Caspias. Portæ Hiberiæ eædem Caucasiæ dicuntur. DOMIT.

70. *Propriis tu pulcher in armis Ipse canenda geres, patriæque exempla parabis. Magna geres, dignosque etiamnum belliger actus Poscit avus.* Quum dixerat, *Ipse canenda geres*, cur statim idem ingerit, *Magna geres?* Deinde qualisnam hæc connexio, « Magna geres, et avus etiamnum poscit dignos actus? » Parmensis habet : « Magna Getæ dignos quem jam nunc belliger actus Noscit avos. » Romana : « Magna gente es dignus quem jam belliger actus Noscit avus : » monstrosa hæc. Lege ex sensu et vestigiis Parmensis, « Magna pater, dignosque etiamnum belliger actus Poscit avus; » prima syllaba in *pater* absorpta erat in ultima vocis præcedentis; hoc modo, *magna ter* pro *magna pater;* hoc non intellecto, librarii arcessiverunt vocem *geres* ex versu præcedenti. Nihil verius puto hac emendatione. Ita infra carm. VII, v. 41 :

> Duret in longum generosus infans :
> Perque non multis iter expeditum
> Crescat in mores patrios, avumque
> Provocet actis ;

et VIII, v. 57, « His placidos genitor mores largumque nitorem Monstret avus; » Sil. Italic. III, 70, « amplior, oro, Sis patrio decore, et factis tibi nomina condas Queis superes bellator avum; » Senec. Troad. vers. 703, « Ætate avum transcendat, ingenio patrem. » Mallem etiam *magnosque actus* pro *dignosque;* has enim voces sæpe confundi scio. Hunc locum videtur Statius expressisse ex Val. Flacc. I, 769, « magnos obitus natumque, domumque, Et genus Æolidæ, pugnataque poscere bella. » Sequitur in Statio, « præstatque domi novisse triumphos; » quæ equidem non intelligo. An scripsit, « veterisque domus renovare triumphos? » id est, « avus te poscit renovare triumphos antiquæ vestræ familiæ. » Sed hoc non placet; et tamen tale aliquid latere suspicor. Deinde : « juvenemque puer deprende parentem; » ita Thebaid. XI, 35, « juvenemque patrem puer æquat Alatreus. »

76. *Jam te blanda sinu Tyrio sibi gloria felix Educat.* Probum quidem et usitatum *gloriæ* epitheton *felix;* sed huic loco non congruit;

ut enim satis poetice dicere possis *Gloria aliquem sibi educat*, vix tamen *felix* ob hoc *gloria;* sed ille potius quem educat Gloria, *felix* dici meretur. Sed et si hoc concedatur, tamen quod sequitur non verum est, « et cunctas gaudet spondere curules, » (i. e. *spondet curules*); quippe *spondere curules* non est *Gloriæ;* sed *Fortunæ* potius vel *Imperatoris;* et hoc sequitur Gloria, non antecedit. Verba ista *sinu Tyrio*, quæ ad *Gloriam* non possunt pertinere, veram indigitant hujus loci lectionem: « Jam te blanda sinu Tyrio sibi curia felix Educat; » *curiam* pro *summo ordine* sive *senatu* poni, nemo, qui aliquem ex veteribus semel legerit, est docendus. Dicit igitur Marcellum *curiæ alumnum* esse, ut de Crispino, infra, V, 2:

Sic te, clare puer, genitum sibi curia sensit
Primaque patricia clausit vestigia Luna:
Mox Tyrios ex more sinus tunicamque potentem
Agnovere humeri:

Vides omnia eadem; ita carm. proxime sequenti, ad Sept. Sever. v. 41,

Hic parvus inter pignora curiæ
Contentus arcto lumine purpuræ
Crescis;

Claudian. de VI Cons. Honor. ad fin. « cujus cunabula fovit Curia. » Recte vero *felix curia;* hoc enim videtur perpetuum *curiæ* epitheton; unde explicandus locus ille Silv. I, 4, v. 41,

Non labente Numa timuit sic curia felix,
Pompeio nec celsus Eques, nec femina Bruto;

qui torsit Gevartium; quomodo enim, quærit ille, « felix curia, labente Numa? » et ego itidem quæro, quomodo « celsus Eques, labente Pompeio? » Nimirum epithetorum alia (ut ait Servius) sunt *perpetua*, alia *ad tempus;* prioris generis est istud *felix;* nec si *curia* amittat egregium aliquem senatorem, ideo non est *felix*, non magis quam si Eques aliquis *exiguæ* sit *staturæ* ideo non est *celsus*. Ita *felix purpura*, *consulatus*, apud Martialem, Epigr. VIII, LXVI; licet fieri possit ut ille qui hanc *felicem purpuram* nactus est, *infelicem* annum agat; non minus tamen *felix purpura*. Huic *curiæ* epitheto alludere puto Senecam, de Tranquill. An. c. 3, de triginta tyrannis Atheniens.: « coibat quotidie carnificum triste collegium, et infelix curia tyrannis angusta; » et Calpurn. Ecl. I, 61, « nec carcere pleno Infelix raros numerabit curia patres. »

83. *Proavitaque toto Rura abiisse mari.* Gronovius, Diatr. cap. 41, notat in MS. Flor. pro *abiisse*, inveniri *deesse;* « quod, inquit, sive quis probabit, sive retinebit vulgatum (ut faciendum putamus) hic sensus est: Mirabitur posteritas et vix credet omnia illa proavita rura, quæ tunc forte restituta erunt et arabuntur, mari Vesuvioque adjacentia, periisse, abiisse, invisa nostro ævo facta esse. Quomodo? nempe quæ cineribus lapidibusque et aliis reliquiis incendii obtecta, latissimum veluti et perpetuum bustum erant, non rura. » Et hic quidem est sen-

sus verborum *proavita rura abiisse;* sed quis explicabit ista, *toto mari?* quod enim ait Gronovius, *mari Vesuvioque adjacentia,* et his verbis nunquam effici potest. Hoc monere nec neglexi; nihil enim aliud potui. Corruptissima esse suspicor.

85. *Procul ista tuis Tifata, Teate, Nec Marrucinos agat hæc insania montes.* Ita pleræque editiones: nec quidquam mutandum censet Gevartius, Pap. Lect. IV, 7. Videamus quo jure hæc se tueantur. « Ista tam gravia procul sint tuis, o Tifata, o Teate. » Quid? *tuis?* immo certe *vestris;* ita enim postulant duo nomina *Tifata* et *Teate.* Ob hanc, opinor, rationem alii legunt, « procul ista tuis sint fata, Teate; » melius hoc quam illud; nec tamen ex toto probum; quippe τὸ αὐτὸ bis dicit: « ista insania sit procul a tuis montibus, o Teate; nec agat Marrucinos montes; » atqui *Teate* erat oppidum *Marrucinorum;* Sil. Ital. VIII, 519:

> Marrucina simul Frentanis æmula pubes
> Corfini populos, magnumque Teate trahebat:

adeo ut nihil promoveat sensum duplex ejusdem rei mentio. In Domitii codicibus erat *tumfata,* unde ille fecit *Tifata;* in Parmensi est, « tuos infata theane; » Venet. « procul ista tuos infata reate. » Lege, « procul ista tibi sint fata, Teate. » *Procul tibi* ut Theb. lib. III, v. 666, « procul hæc tibi mollis Infula, torrificique aberit dementia Phœbi; » Ausonius, Epist. XXIV, 60, « Romana procul tibi nomina sunto. » Bene autem observat Gevartius, Statium optare ut a *Marrucinis* potissimum campis hæc pestis avertatur, quia ibi Marcellus possessiones habuit. Colligit hoc ex Plinio, Hist. Nat. XVII, 25, ubi miram historiam refert, quam etiam narrat lib. II, c. 83, his verbis: « Non minus mirum ostentum et nostra cognovit ætas, anno Neronis principis supremo (sicut in rebus ejus exposuimus), pratis oleisque, intercedente via publica, in contrarias sedes transgressis, in agro Marrucino, prædiis Vectii Marcelli, Equitis Romani, res Neronis procurantis. » Jam alterum locum videamus lib. XVII, 25, « Super omnia quæ unquam audita sunt, erit prodigium in nostro ævo Neronis principis ruina factum in agro Marrucino; Vectii Marcelli e primis equestris ordinis oliveto universo viam publicam transgresso, arvisque inde e contrario in locum oliveti profectis. » Utrumque locum adduxi, ut alter inquinatissimus ex altero emendaretur: quippe pro, « in nostro ævo Neronis principis ruina factum, » quod nihili est, plane legendum, « in nostro ævo, anno Neronis principis supremo, factum in agro Marrucino. » Patet hoc ex sensu, et loco prius adducto; nimirum vox *anno* exciderat vel absorpta erat in præcedente *ævo;* et prima litera τοῦ *supremo* amittebatur in præcedente *principis;* unde ex *upremo* fecerunt absurdum istud *ruina.* Non bene vero, opinor, hunc Vectium Marcellum *patrem* Victorii Marcelli nostri facit Gevartius: quippe pater Victorii Marcelli *juvenis* erat quando hoc carmen scriptum fuit; v. 74, « Surge agedum, juvenemque puer deprende parentem; » atqui si Neronis procurator fuisset, temporis ratio

non patitur, ut ille jam juvenis diceretur. Verosimilius est *avum* fuisse Victorii Marcelli.

99. *Dic, Marcelle, ferat, fluctus adsueta minores Nosse ratis, nondum Ioniis credenda periclis?* Ita plurimæ editiones; Parm. tamen Venet. et Rom. pro *ferat, feram;* et ita conjecerat Gruterus in schedis: ego mallem, *feret;* scilic. *ratis.* (Postea resumi *feram* in contextum jussit Markland. Ed.). Idem Gruterus *an sueta* pro *adsueta:* vere; et ita edidi, sensu postulante. Similiter fere Propertius, II, 11, v. 29,

> Nunc ad te, mea lux: veniet mea litore navis
> Servata, an mediis sidet onusta vadis?

Ita legendum et distinguendum puto, vulgo *veniat* et *sidat*, sine interrogatione. Pro *Ioniis periclis* fere persuadeor Statium scripsisse *Ioniis procellis*, ut Theb. II, 728:

> Aurea tunc mediis urbis tibi templa dicabo
> Collibus, Ionias qua despectare procellas
> Dulce sit;

Claudian. Præfat. Rapt. Pros. v. 11,

> Jam vagus exsultat pelago, cælumque secutus
> Ægæas hiemes Ioniasque domat:

sic *procellæ vexant Caspium mare*, Horat. Carm. II, 9; et *Africis procellis*, III, 29; *Ægæis procellis*, Nost. Achill. I. Sed omnium maxime movet me locus Nemesiani, Cyneg. v. 59, ex hoc plane desumtus:

> Dum non magna ratis vicinis sueta moveri
> Litoribus, tutosque sinus percurrere remis,
> Nunc primum dat vela notis, portusque fideles
> Linquit, et Adriacas audet tentare procellas.

Scio *periclis* ferri posse; ut Pietat. Abasc. v. 68, « Fulmineosque ignes, mediique pericula ponti; » et Propert. IV, 1, v. 72, « Et maris, et terræ longa pericla canam; » quemadmodum nos istum locum edituri sumus; quum sit manifesta imitatio Virgilii, Æn. X, 57; sed nunc vulgo ineptissime legitur *longa sepulcra canam.* Hæc, inquam, scio: nihilominus tamen non dubito quin Statius scripserit *Ioniis procellis.* Recte vero *Nosse;* Propertius, I, 6, « Non ego nunc Adriæ vereor mare noscere tecum; » quod et *videre* dicebant antiqui; etiam de rebus quibus suberat *periculum* aliquod; ut fusius docebimus ad istud Propertii, I, 1, « Ibat et hirsutas ille videre feras; » ubi Broukhusius edidit in contextu Heinsii conjecturam *ferire feras.*

102. *Nec enim Tirynthius almæ Pectus amicitiæ: cedit tibi gloria fidi Thesei*, etc. Nihil mutant libri; et tamen, si recte auguror, aliquid mutandum est, antequam ad sensum hujus loci per hæc verba possimus venire. Aliter tamen sentit Gevartius, Papin. Lect. IV, 8, ubi hæc notat: « plane abrupta sunt; et suspicarer aliquid hic deesse, nisi morem

Papinii observassem exsilire aliquando, et, ubi minime quis exspectet, lectorem relinquere. » Refert deinde conjecturam viri amplissimi, qui pro *almæ* legebat *ad me;* et ingeniosissimam Hug. Grotii, « nec enim retinentius almæ Pectus amicitiæ; » cui inquit se accessurum esse, nisi vulgata lectio commode explicari posset. Et ita etiam sensit Gronov. Diatr. c. 41: « Vulgata sanissima est, tantum obscurior defectu verbi substantivi; quem frequentem Nostro alibi quoque notamus. Summos viros impedivit, quod non videbant, cur Statius Herculem a *pectore amicitiæ* excluderet, quum intelligerent *absolute* dicta verba illa, *nec enim Tirynthius almæ pectus amicitiæ*, quæ *comparate* accipienda sunt. » Et mox: « Optime omnia sibi respondent: Vale, et nostri amorem corde exire veta, neque enim Tirynthius jam fama amicitiæ est, postquam tecum comparari cœpit; Theseos quoque cedit tibi gloria, etc. » Si ita scripsisset Statius, nihil hærerem; sed ubinam est in Statii verbis *fama amicitiæ*, et, *postquam tecum comparari cœpit?* video quidem *pectus amicitiæ;* sed de ceteris, nec vola nec vestigium; ut de suo nimis liberalis fuisse videatur vir magnus. Si enim hoc, quia sensui necessarium est, intelligi possit; quidvis ubivis intelligi potest. Variis conjecturis hunc locum possem sollicitare; veluti hac, « mihi enim Tirynthius, almæ Pectus amicitiæ, cedit; tibi, gloria fidi Theseos, etc. » et hoc verum esset, nisi nimis arrogans videretur seipsum comparare Herculi, Marcellum minori, Theseo; minima enim est differentia inter *michi* (sic enim in MSS. sæpissime concipitur) et *nec*. Si minus placet *almæ pectus amicitiæ*, nulla pæne mutatione legere potes *alma Victus amicitia:* « mihi enim Tirynthius alma Victus amicitia cedit; tibi, gloria, etc. » Sed omnino optime procederet sensus, si pro *nec* codex aliquis exhiberet *tibi;* quod si faceret, statim in contextum admitterem, « tibi enim Tirynthius, almæ Pectus amicitiæ, cedit; tibi, gloria fidi Theseos, etc. » Interea mutilum locum puto, et versu uno defectum; (et ideo asteriscum apposuerat Markl. Ed.) quem libenter tollam quando aliquis certiora docuerit. De hoc loco video Heinsium dubitantem, not. ad Ovid. Heroid. III, 60, ubi post citata verba *Tirynthius almæ pectus amicitiæ*, addit, « si locus sanus est. » *Pectus* vero *amicitiæ* est idem quod *amicus*, ut ex locis Martialis et Manilii monuit Gevartius. Idem Manil. lib. II,

> Hæc ad amicitias imitantes jura gradumque
> Sanguinis, atque animis hærentia pectora ducunt;

ubi tamen opinor Manilium scripsisse *fœdera* non *pectora: fœdus* de *amicitia* usitatissimum est. Crucei conjectura, « nec enim te rectius almæ, etc. » oblivione tantum digna est.

CARMEN V.

CARMEN LYRICUM

AD SEPT. SEVERUM.*

PARVI beatus ruris honoribus,
Qua prisca Teucros Alba colit lares,
Fortem atque facundum Severum
Non solitis fidibus saluto.
Jam trux ad Arctos Parrhasias hiems
Concessit altis obruta solibus;
Jam pontus, ac tellus renident;
Jam Zephyris Aquilo refractus.
Nunc cuncta vernans frondibus annuis

VARIÆ LECTIONES.

* *Lyricum ad Sept. Severum.* Sic omnes editiones; et ita hac voce *Lyricum* utitur Plinius, in epistolis; et alii. Parmensis tamen habet *carmen Lyricum*, quod confirmat Præfat. hujus libri: « Proximum est Lyricum carmen ad Septimium Severum, juvenem etc. » et ita edidi. — Cod. Par. et edit. pr. vulgatam tuentur. A.

6. *Obruta.* Cod. Paris. edit. pr. *obrupta.* A.

8. Pro *Zephyris Aquilo refractus*, Parmens. et Rom. *Zephyrus Aquilone fractus.* — Edit. pr. *zephyrus Aquilone fractus:* sic etiam cod. Paris. a manu prima, qui ex emendatione, *zephiris* (superscript. *spirantibus*) *aquilone fracto.* A.

9. *Nunc cuncta veris frondibus annuis*, etc. *Frondibus annuis veris* ferri non potest; quum satis fuisset dixisse *frondibus annuis crinitur arbos*, omisso τῷ *veris. Vernis frondibus* optimum esset; ut *vernæ rosæ*, Ovid. Fast. V, 194; *verna silva*, Valer. Flacc. IV, 403; sed quid tunc fieret τῷ *annuis?* ita hac urget lupus, hac canis. Lege: « Nunc cuncta vernans frondibus annuis Crinitur arbos. » Scriptum erat per compendium *verās;* inde,

Crinitur arbos; nunc volucrum novi
Questus, inexpertumque carmen,
Quod tacita statuere bruma.
Nos parca tellus, pervigil et focus,
Culmenque multo lumine sordidum
Solantur, exemptusque testa
Qua modo ferbuerat Lyæus.
Non mille balant lanigeri greges,
Nec vacca dulci mugit adultero:
Unique si quando canenti
Mutus ager domino reclamat.
Sed terra primis post patriam mihi
Dilecta curis: hic mea carmina
Regina bellorum virago
Cæsareo decoravit auro:
Quum tu sodalis dulce periculum
Connisus omni pectore tolleres;
Ut Castor ad cunctos tremebat
Bebryciæ strepitus arenæ.
Tene in remotis Syrtibus avia

amisso apice, *veris*. Conf. Prudentius, Psychom. v. 355; Ovid. Met. X, 166; Senec. Herc. Œt. v. 454; Florus, I, 16, de Campania: « Denique, bis floribus vernat. » — Cod. Paris. et edit. princ. cum cæteris, *veris*. A.

15. Pro *Solantur*, cod. Paris. et ed. pr. *solatur*. A.

16. Pro *Qua modo ferbuerat*, Parm. *Quomodo ferverit*; Rom. *Qui modo ferverat*. — Cod. Paris. ed. pr. *Qui m. ferverat*. A.

17. Pro *lanigeri*, Parm. et Rom. *Iapigeri*. — Edit. pr. *Iapigeri*; sic etiam cod. Paris. qui ad marg. *lanigeri*. A.

18. Pro *dulci*, Rom. *dulce*; et pro *canenti* (vs. 19) *camenti*; quæ omnia nihili sunt. — Cod. Paris. ed. pr. *dulci... canenti*. A.

22. Pro *hic*, vulgo *huic*; quod et habent cod. Par. edit. pr. Vide not. ad vs. 24. A.

24. Vulgo, *peraravit*. — Cod. Par. in textu, *perannavit*; ad marg. *peramavit*. Ed. princ. *perannavit*. Vide not. A.

26. Pro *Connisus*, Parm. *Connixus*. *Dulce periculum* est ex Horat. Carm. III, 25. — Cod. Paris. ed. pr. *Connisus*. A.

27. Cod. Par. et ed. pr. *tremabat*. A.

Leptis creavit? jam feret Indicas
Messes, odoratisque rara
Cinnama præripiet Sabæis.
Quis non in omni vertice Romuli
Reptasse dulcem Septimium putet?
Quis fonte Juturnæ, relictis
Uberibus, neget esse pastum?
Hæc mira virtus : protenus Ausonum
Portus, dolosæ nescius Africæ,
Intras, adoptatusque Tuscis
Gurgitibus puer innatasti.
Hic parvus, inter pignora Curiæ,
Contentus arcto lumine purpuræ,
Crescis; sed immensos labores
Indole patricia secutus.
Non sermo Pœnus, non habitus tibi,
Externa non mens : Italus, Italus.
Sunt Urbe Romanisque turmis

38. *Dolosæ.* Vulgo, *vadosæ;* etiam apud cod. Paris. et edit. pr. Vide not. A. — Pro *nescius*, Parm. *nesciet;* Rom. *nescilt.* — Cod. Paris. *nesciet*, et ad marg. *nescius.* Edit. pr. *nesciet.* A.

39. Pro *Intras*, quod erat in omnibus codicibus, Domitius fatetur se fecisse *Lutras;* ut *nesciit Lutras* sit, « oblitus erat immundarum aquarum Libyæ, et innatavit Tiberi. » Nihil vidi magis ridiculum aut spurcum. — Cod. Par. in textu, *Lutras;* ad marg. *Intras.* Ed. pr. *Lutras.* A.

41. Pro *Hic*, Ven. et Parm. *Hinc;* id est, postea, mox. — Cod. Par. *Hinc;* ed. pr. *Hic.* A.

42. *Contentus alto lumine purpuræ.* Ita plerœque editiones; pro quo recte Turnebus et Lipsius reposuerunt *arcto lumine;* id est, *angusto clavo : pauperem clavum* vocat, Protr. ad Crisp. v. 18; clavus nempe qui filiis Equitum qui non erant splendidi et illustres competebat. (Vid. Masson. Vit. Ovid. p. 138, vol. VIII, ed. nost. A.) Parm. omittit vocem *arto* vel *alto;* Roman. *raro.* — Ed. pr. *raro lumine p.* Ita etiam cod. Paris. a manu prima, qui ex emendat *C. ample lumina p.* A.

43. Pro *immensos*, cod. Par. et ed. pr. *universos.* A.

47. *Sunt urbe Romanisque turmis Qui Libyam deceant alumni.*

Qui Libyam decorant alumni.
Est et frequenti vox habilis foro,
Venale sed non eloquium tibi,
Ensisque vagina quiescit,
Stringere ni jubeant amici.
Sed rura cordi sæpius et quies,
Nunc in paternis sedibus et solo
Veiente, nunc frondosa supra
Hernica, nunc Curibus vetustis.
Hic plura pones vocibus et modis

Frigidum hoc : erigo, « Sunt Urbe Romanisque turmis Qui Libyam *decorant* alumni. » Nonne hoc mirum est, inter equites *Romanos* inventum esse aliquem qui *decori* et honori sit Africæ, illi veteri et perpetuo hosti Romani nominis; quis hoc unquam eventurum esse putaret? De verbo *decorare* supra, v. 22; Sidonius Apollinaris, Carm. XV, 46, « Tu meditans totum decoras, Periandre, Corinthon. » Pleræque recentiores editt. habent *deceant*, et ita voluit Politianus, Epist. VI, 1; Parm. vero et Rom. *doceant*, quod τῷ *decorant* propius est; et hoc sensus omnino postulat. Pro *urbe*, Rom. *turbæ*. — Ed. pr. *Sunt turbæ;* sic etiam cod. Paris. et ad marg. *urbe;* hic et illa seq. versu, *doceant*. A.

49. *Est et frementi vox hilaris foro*. Hic etiam peccatum : primo enim, pro *frementi foro*, legendum *frequenti : plenum forum* vocat Ovidius, Ponticor. III, 5, « Legimus, o juvenis, patrii non degener oris, Dicta tibi pleno verba diserta foro. » De harum vocum commutatione vide Bentleium ad Horat. Carm. I, 35. Pessima vero hoc loco vox *hilaris*, præsertim foro *frementi;* quidvis enim tunc temporis magis convenit quam vox *hilaris*. Hoc voluit Statius : *Apta* etiam est vox tua *foro* et causis agendis; non tamen ideo Deorum munera corrumpis, et vendis eloquentiam; non « clamosi rabiosa fori jurgia vendens improbus iras et verba locas, » ut eleganter Seneca, Herc. Fur. v. 172. Clare scribendum, « Est et frequenti vox habilis foro; » *habilis foro*, ut Theb. VII, 366, « thalamis habilem; » Virgilius, Georg. II, 92, « vites terris habiles. » Si sensum et oppositionem propius spectes, fateberis Statium non aliud scribere potuisse quam *frequenti* et *habilis*. — Cod. Paris. ed. pr. *frementi.... hilaris*. A.

57. Pro *pones*, Rom. *ponis*. Forte scripsit Statius *ponas*. *Ponere* vero idem quod *condere; struere* vocat, Soter. Gall. v. 29; *statuere*, supra, v. 12. Sequenti versu, pro *Passu*, vulgo *Passim*. — Cod. Paris. edit. pr. *ponis... Passim*. Vide not. A.

Passu solutis : sed memor interim
Nostri, verecundo latentem
Barbiton ingemina sub antro.

60. In plerisque editionibus, pro *ingemina*, perperam legitur *ingeminas;* litera prima vocis insequentis *sub* male adhæserat præcedenti. — Cod. Paris. et edit. princ. *ingeminas*. A.

NOTÆ

IN CARMEN QUINTUM LIBRI QUARTI

SILVARUM.

---

* Carmen Lyricum, etc. Ad Septimium Severum Libycum scribit ex prædio Albano; carmineque lyrico ei blanditur: nam et ille hoc genere poematis oblectabatur, ut in fine aperte scribit. Primum autem Veris adventum designat, et otium suum quo fruitur in Albano; admiraturque Septimium, quod peregrinus et natus in Libya, tam Romane loquatur et scribat. Domit.

18. *Nec vacca dulci mugit adultero.* Heinsius ad Ovid. Fast. V, 400, « Adgemit Alcides, Hæmoniusque puer, » vult hic quoque legi *admugit adultero;* ut alibi apud Nostrum *adstridere, adstupere, adsibilare, adtremere, adcantare,* etc. cum casu dativo. Et quidem optime ita scribi potuisse, et licentiam hanc cæsuræ excusari potuisse nemo neget, propter istud Horatii, Carm. II, 12, « Dum flagrantia de | torquet ad oscula; » de quo vide egregie docentem Bentleium, ad Carm. IV, 8, v. 17. Sed non opus est ulla mutatione: *mugit* enim idem est quod *admugit*, simplex pro composito. Ovidius, Art. Am. III, 513, « Spectantem specta; ridenti mollia ride: » quod plane est *adride.* Propertius, I, 12, vs. 15, « Felix qui potuit præsenti flere puellæ! » id est, *adflere;* idem, II, 11,

> Nec mihi jam fastus opponere quærit iniquos,
> Nec mihi ploranti lenta sedere potest;

id est, lenta *adsidere* mihi ploranti; ita alicubi Thebaide, *gremioque Palæmona pressit;* pro *adpressit gremio.* Sic *laturus* pro *adlaturus* Claudianus, in Rufin. I, 323, ubi vide Heinsium, et, *laturæ prospera catenæ* pro *adlaturæ*, de IV Cons. Honor. v. 117, ubi iterum videndus Heinsius. Apuleius, Apolog. « meminerat Homerum... vim omnem medicaminum non mari, sed terræ scripsisse. » Nigil igitur invitis libris mutandum.

24. *Cæsareo decoravit auro.* Venimus ad locum notabilem, et qui viros eruditos insigniter exercuit. Totus sic habet:

Sed terra primis post patriam mihi
Dilecta curis; huic mea carmina
Regina bellorum virago
Cæsareo peraravit auro.

Loquitur de Alba, in qua ter coronatus fuerat, victor in certamine quod in honorem Palladis Domitianus illic instituerat. Turbat autem vox *peraravit*, quæ nihil aliud esse potest quam *scripsit;* quo sensu ea utuntur Ovidius non semel, et Sidon. Apollinar. Carm. V, 243, et VII, 234. Jam vero, quomodo hæc carmina *scripta* essent *Cæsareo auro*, aut quo sensu Pallas *scribere* hæc carmina Cæsareo auro dicatur, nunquam concipi potuit. Bernartius quidem et Morellus desperant; Barthius vero, Adversar. XXVII, 7, autumat legendum esse, *hinc mea carmina*, i. e. *ab hac terra;* et, *Cæsareæ penetravit auri;* ex eo quod in libro suo invenerat *panetrabit auro*. Sed, ut bene notat Gronovius, Diatr. c. 42, antequam juvare locum aggrederetur Barthius, sententiam sibi finxit a mente poetæ alienissimam, et ad eam postea verba contorsit. Videamus quid ipse adferat Gronovius: « Sarta tecta, inquit, habenda est vulgaris lectio; hoc dixit Statius: Huic Albæ Pallas carmina mea auro, corona oleagina aurea *scripsit*, *pinxit*, *exornavit*. In verbo *peraravit* metalepsis difficilior est: *scribere* solemne est poni pro *pingere;* quia ergo *perarare* sæpe usurpatur pro *scribere* in significatione simplici, usus libertate sua Statius posuit *perarare* pro *scribere*, quod est *pingere: pingere* autem *ornare* est. Ergo, *huic* Albæ *carmina mea Pallas Cæsareo auro scripsit* seu *peraravit*, est, in hac, quinquatribus me propter victoriam in certamine poetarum Cæsar aurea corona induit. » Dolet sane hanc argumentationem a tanto viro profectam: *peraravit* est *scripsit; scripsit* est *pinxit; pinxit* est *ornavit:* ergo, *peraravit* est *ornavit*. Si mihi hanc licentiam parumper concedas, totam rem Latinam turbabo, et probabo *pingere* esse *fœdare* (ex Petronio: « ancilla totam faciem ejus fuligine longa perfricuit, et non sentientis labra humerosque... pinxit »), et ideo Statium dixisse, *In hac Alba Minerva mea carmina* dedecoravit, dehonestavit *Cæsareo auro;* quod proposito ejus ex diametro oppositum est. Non dico hanc meam interpretationem verbi *pingere* veram esse; sed æque vera est ac Gronovii interpretatio et argumentatio. Sed manedum, lector, et majora miracula tecum habe: ea sunt viri docti, qui, Annal. Statian. c. 49, hæc notat: « Pro voce *peraravit*, reponunt MSS. *peramavit*, nullo sensu. Crediderim ego Statium scripsisse *perarrhavit:* quod auro Cæsareo quasi *arrha* quadam *nuptiali* vel *lege pignoratitia*, loco illi devinctus fuerit; admodum eleganter: *carmina* sua, quum primo poeticam profiteretur, pro *sponsa* habet, cujus illa *arrha* fuerit; vel carminum nomine ipsam potius carminum conditricem poeticam. » Hæc sane sunt mirabilia. Lege cetera, his similia; in quibus contra leges metri, sensus, et Latinitatis, simul peccatur. Quid igitur faciendum? breviter dicam. Primo legendum, *hic mea carmina*, id est, *in hac terra*, ut sæpe; Lacrim. Etrusc. ad fin., *hic sacra litabit Mani-*

bus; id est, *hac terra;* Propempt. Met. Cel. vs. 123, « puer hic sudavit in armis, » et ita passim; ut mirer hoc tam parvum et obvium viros perspicaces fugisse; præsertim, quum in altero *hinc* vel *huic* nullus esset idoneus sensus. Deinde, pro *peraravit*, sensus necessario postulat aliquid quod idem sit quod *honoravit, ornavit;* ut bene vidit Gronovius, sed ex voce *peraravit* frustra efficere voluit. Literæ autem *d* et *p* infinitis numero locis commutantur, seu invertuntur; ita *poma* pro *dona* sæpe apud Ovidium; *pecus* et *decus; donat* pro *ponit* apud Horat. Epist. I, 18; *pinguius* pro *dignius* Nostro, Capill. Ear. v. 52; *duello defunctum* Ovid. Amor. II, 9, v. 23, ubi nunc vulgo legitur *puellæ:*

Me quoque qui toties merui sub Amore, duello
Defunctum placide vivere tempus erat;

ita scribendum, non, *sub amore puellæ;* et innumera ejusmodi quæ ubique occurrunt. Ita et hic factum pro *decoravit, pecoravit;* inde, *peraravit, peramavit,* quæ proxima erant, et sensum habere videbantur: mox *peramnavit, peramavit, panetrabit,* et cetera monstra, quæ abunde pullulant, ubi a recto semel deerratum est. Ne dubites igitur quin Statius scripserit,

Hic mea carmina
Regina bellorum virago
Cæsareo decoravit auro;

qua voce nihil aptius esse potuit. Ovid. Amor. III, 1, 63; Ausonius, Mosella, v. 451; Sil. Ital. XVII, 645, Priscian. Perieg. 934; et v. 1034,

Psittacus hic viridis decoratus torque rubenti
Nascitur, humanæ simulat qui murmura linguæ:

ita legendum; non *verbera linguæ,* quæ alind denotant. Plautus, Trinummo, I, 2, « Larem corona nostrum decorari volo; » Plinius, Hist. Nat. XXXIII, 1, « Necnon et servitia jam ferrum auro cingunt: alia per sese mero auro decorant; » et XXXVII, 8, de Callaidibus, gemmæ specie, « inclusæ decorantur auro, aurumque nullæ magis decent. » Pluribus possem; sed hæc satis sint in re, ut mihi videtur, certissima.

27. *Ut Castor ad cunctos tremebat Bebrycia strepitus arenæ.* Bebryx filiam Pyrenem habuit; a qua, compressa ab Hercule, Pyrenæos montes putat dictos Silius, qui dividunt Galliam ab Hispania. Diodorus filiam regis in montibus Pyrenæis ab Hercule compressam tradit; sed nec Bebrycem nominavit, nec Pyrenem. Bebryces item populi in Bithynia, qui veluti Leleges perierunt, ut tradit Eratosthenes. Apud hos erat Nicopolis, aula Amyci regis, qui cæstibus pugnavit cum Polluce et victus est; ut canitur apud Apollonium et Valer. Flacc. Domit. — Castor adstabat pugnæ metuens et fratri carissimo invigilans. Ed.

29. *Tene in remotis Syrtibus avia Leptis creavit?* Leptis, colonia Tyriorum ut Carthago; ut Utica in Libya est. (Vide Sil. Italic. III, 256, ibique not.; Ed. nostr. vol. I, p. 178. Ed.) Eadem Neapolis dicebatur, si

Straboni credimus : Plinius certo distinguit Leptim a Neapoli, quum tamen utramque fateatur esse inter Syrtes. Patria hæc fuit Septimii. DOMIT.

35. *Relictis Uberibus. Lacte depulsum* vocat Horatius, Carm. IV, 4; et Suetonius, Tiber. c. 43 ; et Prudentius, Peri Steph. martyrio Romani, v. 664 ; *lacte relicto* Sidon. Apollinar. Carm. II, 39 ; *matre relicta* Calpurnius, Eclog. VI, 51. De *fonte Juturnæ* vide Servium ad Virgil. Æn. XII, 139. Sequitur, v. 37, *hæc mira virtus;* hoc connectendum antecedentibus : « Quis neget Septimium esse vere Romanum? talis est mira ejus virtus. » Ita, Protrept. Crisp. v. 157, « quippe hæc concordia vobis, Hic amor est; » id est, *talis*. Aliter legere posses, « Nec mira virtus : protenus Ausonum Portus, etc. » *Nec* est, quod miremur hanc in te virtutem : quippe *protenus, statim* ab infantia Italiam intrasti, et Thuscis gurgitibus *puer* innatasti. Sed nihil variant editiones ; et tamen omnino verum puto *Nec*. (Quod Markland. conjecerat, postea in Ven. invenit, *Nec mira virtus*. ED.) *Pastum*, ut de Massico Silius, IV, 347, « Vitiferi sacro generatus vertice montis, Et Liris nutritus aquis. »

38. *Vadosæ nescius Africæ*. Quid est *vadosa Africa? vadosas* quidem *Syrtes* et *mare vadosum* apud Lucanum, Senecam et Tacitum invenio ; sed quid sit *regio vadosa* nunquam concipiam. Morellus hæc notat : « *vadosa Africa*, quia, ut Sallustius in Jugurth. de Syrtibus notat, *ubi mare magnum esse et sævire ventus cœpit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt.* » Atqui, o bone, hic *limus* et *saxa* faciunt forte *mare* Africum *vadosum*, sed non faciunt ipsam *Africam vadosam;* nisi *Africum mare* et *Africa terra* idem sint. Sed et si ita recte dici potuerit (quod certus sum non posse), quid hoc ad *virtutem* Septimii, quod nescius erat Africæ *vadosæ?* quid *vadis* cum *virtute?* æque bene dixisse potuit, nescius Africæ *quæ est tertia pars mundi*, vel *quæ serpentibus abundat*, vel quid aliud quod æque nihil est ad rem. Lege, « protenus Ausonum Portus, dolosæ nescius Africæ Intras. » Jam intelligis quare tam magna virtus in Septimio fuerit, utpote qui *Romam* in pueritia profectus esset, antequam *artes* et *astutias* et *dolosos* Africæ *mores* imbibisset. Nota omnibus *fides Punica*. Sil. Italic. I, 219, de Africa :

> Altrix bellorum bellatorumque virorum
> Tellus, nec fidens nudo sine fraudibus ensi ;

idem, III, 231 :

> Princeps signa tulit Tyria Carthagine pubes,
> Membra levis, celsique decus fraudata superbum
> Corporis ; at docilis fallendi, et nectere tectos
> Nunquam tarda dolos ;

Lucanus, IV, 735 : « multum frustraque rogatus Ut Libycas metuat fraudes, infectaque semper Punica bella dolis. » Exempla ubique. Appositissime ad sensum hujus loci Ausonius in Tetrast. de altero *Severo*, Pertinace,

Punica origo illi : sed qui virtute probaret
Non obstare locum, quum valet ingenium ;

ubi malim *cui valet*.

51. *Ensisque vagina quiescit, Stringere ni jubeant amici.* Vel princeps insignis pietate et servantissimus æqui, ut Trajanus strictum ensem coram proceribus Præfecto Prætorii tradens, « Cape hunc ensem, inquit, et, si quidem recte fecero, pro me ; sin minus, in me utitor. » MORELL.

57. *Hic plura pones vocibus et modis Passim solutis.* Sensus est : « Quando in rure fueris, panges, sat scio, multa prosa oratione ; interim vero, memor sodalis et amici tui Statii, sume lyram, et mihi in hoc genere rescribas. » Hinc patet pro *passim*, quod nihili est, legendum esse *passu. Modi passu soluti* sunt *prosa* oratio ; qui et absolute dicuntur *modi soluti* et *voces solutæ*. Noster, Soter. Gall. v. 28, elegantissime,

. . . . seu plana solutis
Qua struis orsa modis, seu qua tibi dulcis in artem
Frangitur, et nostras curat facundia leges ;

Geneth. Lucan. v. 21,

Dum qui vos geminas tulit per artes
Et vinctæ pede vocis, et solutæ,
Romani colitur chori sacerdos :

vox soluta pede est *soluta passu ;* Ovid. Trist. IV, 11 : « Scribere conabar verba soluta modis ; » quibus contraria *inclusa modis ;* ad Marcellum, v. 11, « Mox inclusa modis hæc reddere verba memento ; » Epiced. Patr. v. 101, « sive orsa libebat Aoniis vincire modis, seu voce soluta Spargere. » Unde patet in alio loco Epicedii istius, v. 161, legendum esse,

. . . . tu par assuetus Homero
Ferre jugum, senosque pedes æquare solutis
Vocibus, et nunquam passu breviore relinqui :

vulgo, *solutis Versibus*. Has *passu solutas voces* Apuleius vocat *passa verba*, Floridis, p. 231, ed. Colv. « Quinetiam Pherecydes, Syro ex insula oriundus, qui primus, versuum nexu repudiato, conscribere ausus est passis verbis, soluto locutu, libera oratione ; » ubi in MS. pro *passis*, erat, pariter ac in hoc Statii loco, *passim*. Tibullus (seu quisquis est Auctor Carm. ad Messalam), IV, 1, « Undique, quique canent vincto pede, quique soluto ; » Persius, Sat. I, 13, « Scribimus, inclusus numeris ille, hic pede liber, Grande aliquid ; » ita certissime legendum, non *inclusi ;* quod cum vulgatis voluit Gronovius, Diatr. cap. 27, hoc modo distinguens, « Scribimus inclusi numeros ille, hic pede liber ; » quo pacto nihil est quod respondeat τῷ *ille*, eo modo quo *liber* respondet τῷ *hic ; ille* igitur *inclusus numeris, hic liber pede*.

CARMEN VI.

HERCULES EPITRAPEZIOS

NONII VINDICIS.*

FORTE remittentem curas, Phœboque levatum
Pectora, quum patulis tererem vagus otia Septis
Jam moriente die, rapuit me cœna benigni
Vindicis : hæc imos animi perlapsa recessus
Inconsumpta manet; neque enim ludibria ventris
Hausimus, aut epulas diverso e sole petitas,
Vinaque perpetuis ævo certantia fastis.
Ah miseri! quos nosse juvat, quid Phasidis ales
Distet ab hiberna Rhodopes grue; quis magis anser
Exta ferat; cur Thuscus aper generosior Umbro;
Lubrica qua recubent conchylia mollius alga.

VARIÆ LECTIONES.

* *Vindicis Herculem Epitrapezios.* Sic editiones. Gronovius vero monet in cod. Salisb. fuisse, « Herculis ep. novi vindicis; » in Rhod. « Herc. Epitr. Nonii vindicis; » et ita edidi, illum secutus, licet in Præfat. Epist. sit tantum *Vindicis* sine τῷ Nonii: « Nam Vindicis nostri Herculem Epitrapezion, etc. » Parmensis, *Epitrapesion.* — Cod. Par. ed. pr. *Hercules Epitrapezios Vindicis.* A.

5. *Ventris.* Cod. Paris. in textu *ventis;* ad marg. *ventris.* Edit. pr. *ventis.* A.

6. *Petitas.* Cod. Paris. a manu prima *potitas;* ex emendat. *petitas.* Ed. pr. *potitas.* A.

7. *Perpetuis.* Forte legendum *centenis.* Vide not.

9. Pro *hiberna,* Venet. *hicterica;* forte, *Distet ab harctoa R. g.*, id est, *Arctoa.* — Cod. Par. edit. pr. *hyberna.* Mox, cod. Paris. a manu prima *grave;* ex emendat. *grue.* Ed. pr. *grave.* A.

Nobis verus amor, medioque Helicone petitus
Sermo, hilaresque joci brumalem absumere noctem
Suaserunt, mollemque oculis expellere somnum;
Donec ab Elysiis prospexit sedibus alter
Castor, et hesternas risit Tithonia mensas.
O bona nox! junctaque utinam Tirynthia luna!
Nox, et Erythrææ Thetidis signanda lapillis,
Et memoranda diu, geniumque habitura perennem.
Mille ibi tunc species ærisque eborisque vetusti,
Atque locuturas mentito corpore ceras
Edidici: quis namque oculis certaverit usquam
Vindicis, artificum veteres cognoscere ductus,

13. Pro *absumere*, Parm. *assumere*. — Cod. Paris. et ed. princ. *assumere*. A.

16. *Risit Titonia mensas*. Ita omnes, excepta Parmensi, pertinaci errore pro *Tithonia* seu *Aurora*; vide quæ notavi ad Epithal. Stell. v. 45. Parmensis vero habet *Tritonia*; quale mendum insedit Ausonium, Perioch. XVII Odyss. « Jam cælum roseis rutilat Tritonia bigis; » quum legendum sit *Tithonia*, seu *Aurora*; quemadmodum dixerat supra, Perioch. VIII Odyss. « Jam cælum rutilat roseis Aurora quadrigis; » et Perioch. Iliad. XI, « Tithoni croceum linquens Aurora cubile; » unde patet *Tithonia* semper legendum esse, ubi de *Aurora* sermo est; non *Titonia*, vel *Titania*, quæ est *Luna*. — Ed. pr. *ticonia*, et sic etiam cod. Par. qui ex emendat. *titonia*. A.

18. Vulgo *Erythræis*, quod et habent cod. Paris. ed. princ. Vide not. A.

19. Pro *habitura*, Parmens. et Romana *habitumque*. — Cod. Paris. et edit. princ. *habitumque*. A,

20. *Mille ubi tunc species*. Ita omnes editiones; perperam; plane enim legendum, « Mille *ibi* tunc species, » ut Balu. Etrusc. vers. 47, « Nil ibi plebeium: nusquam Temesæa notabis Æra, sed, etc. » inepte dixisset *Nil ubi plebeium*; nisi immediate præcesserat *locus* de quo agit; et ita hic. Pro *tunc*, Rom. *nunc*. — Cod. Par. et edit. pr. *ubi nunc*. A.

23. *Veteres agnoscere ductus*. Parum differentiæ in sensu; sed tamen Parm. et Rom. habent *cognoscere*; quod admisi. *Cognoscere* pro *agnoscere* usitatissimum est; vid. Sil. Italicus, IX, 162. Plautus, Pseudolo, « Cedo mihi epistolam: accipe, cognosce signum; » Ovidius, Fast. IV, 371, « Candidus elisæ misceatur caseus herbæ, Cognoscat priscos ut Dea prisca cibos; » id est, *agnoscat*, quod et in multis exemplaribus invenitur; et ita Fast. III, 795, pro *si vis cognoscere*, tres libri habent *agnoscere*; et ita centies Ovidio et aliis. Vide Gronov.

Et non inscriptis auctorem reddere signis?
Hic tibi quæ docto multum vigilata Myroni
Æra, laboriferi vivant quæ marmora cælo
Praxitelis, quod ebur Pisæo pollice rasum,
Quod Polycleteis jussum est spirare caminis,
Linea quæ veterem longe fateatur Apellem,
Monstrabit: namque hæc, quoties chelyn exsuit ille,
Desidia est; hic Aoniis amor avocat antris.
Hæc inter, castæ Genius tutelaque mensæ
Amphitryoniades, multo mea cepit amore
Pectora, nec longo satiavit lumina visu:
Tantus honos operi, finesque inclusa per arctos

Diatr. c. 1. — Cod. Par. ed. princ. *cognoscere*. A.

25. Pro *Hic*, Parm. *Hæc;* et pro *vigilata*, *laborata;* quod glossatoris est, in contextum postea admissum, metro reclamante. — Cod. Par. a manu prima *Hic;* ex emendat. *Hæc*. Ed. pr. *Hic*, et *vigilata* ut et cod. Paris. A.

26. Pro *vivant*, Parm. *juvant?* et pro *cælo*, Parm. et Rom. *cæli*. — Cod. Par. a manu prima, *juvant... cæli;* ex emendat. *vivant*. Edit. pr. *juvant... cæli*. A.

28. *Quod Polycleteis visum est spirare caminis*. Gevartius, Papin. Lect. IV, 9, pro *visum* legit *jussum;* ut ex MS. Senensi adnotarat in suo codice Scaliger. Recte: et hoc confirmat loco Surrent. Poll. vers. 67, prorsus simili, « Aut Polycleteo jussum est quod vivere cælo; » sic semper scribendum, non *Polycletæo*. Hoc etiam probat Gronovius, Diatr. c. 43, et ita ille invenerat in Rom. et Venet. et ego in Parm. Contra, apud Auctor. Consolat. ad Liviam August. v. 304, pro, *conjuge jussa Jovis*, viri docti reponunt *visa;* et hæ voces sæpissime commutantur. Gevartius tamen in sua editione retinuit *visum;* Gronovius in sua omisit *est:* neutrum factum oportuit. — Cod. Paris. et ed. pr. *jussum*. A.

29. Pro *veterem* Apellem, non male legi posset *verum;* sed vix opus.

30. Pro *monstrabit*, Parm. et Rom. *monstravit*, et ita omnes editiones; perperam. Gevartius, opinor, primus mutavit; sed monuisse oportuit. — Cod. Paris. et ed. pr. *Monstravit*. A.

31. *Desidia est*. Cod. Paris. edit. pr. omittunt *est*. A.

35. *Firmosque inclusa per artus Majestas*. Ita editiones ante Gronovium; qui, Reliq. ad Silv. notat in cod. Salisb. esse *finesque inclusa per artus;* in Excerpt. Lindenbrog. et prima Venet. *finesque inclusa peractos*. Sed si ista Excerpta sint tantum varietates editionis Romanæ, ut alibi monet Gronov. vereor ut Lindenbrogium oculi decepe-

Majestas! Deus ille, Deus; seseque videndum
Indulsit, Lysippe, tibi, parvusque videri
Sentirique ingens: et quum mirabilis intra
Stet mensura pedem, tamen exclamare libebit,
Si visus per membra feras, « Hoc pectore pressus
Vastator Nemees; hæc exitiale ferebant
Robur, et Argoos frangebant brachia remos.
Hoc spatio tam magna brevi mendacia formæ!
Quis modus in dextra, quanta experientia docti
Artificis curis, pariter gestamina mensæ
Fingere, et ingentes animo versare colossos!
Tale nec Idæis quidquam Telchines in antris,
Nec solidus Brontes, nec qui polit arma Deorum
Lemnius, exigua potuisset ludere massa. »
Nec torva effigies epulisque aliena remissis;
Sed qualem parci domus admirata Molorchi,

rint; quippe in Rom. clare legitur *firmos inclusa per arctus*, omisso τῷ *que*; Parm. *firmosque inclusa per arctus*. Verissima tamen et elegantissima Gronovii emendatio, « finesque inclusa per arctos Majestas; » *angusti*-illi *fines*, pes unus; unde mox, « et quum mirabilis intra Stet mensura pedem, tamen, etc. » (ubi Parm. *pedum*; et ita legebat Domitius, et satis male explicabat); et v. 43, « Hoc spatio tam magna brevi mendacia formæ! » et v. 49, *exigua massa*. — Cod. Par. a manu prima, *firmos inclusa per artus*; ex emendat. *fines i. p. artos*. Edit. pr. *firmos... artus*. A.

37. *Indulsit*. Sic cod. Paris. in textu; qui ad marg. *Inclusit*. Edit. pr. *Indulsit*. A.

39. *Pedem*. Ita ex emendatione cod. Paris. qui primum habuit *pedum*; posterius hoc retinet edit. princ. A.

40. Pro *feras*, Parm. *fores*. — Ed. pr. *feras*, et ita cod. Par. qui ex emendat. *feres*. A.

41. *Hæc*. Ed. pr. *hoc*; ut et cod. Paris. qui ex emendat. *hæc*. A.

42. Pro *frangebant*, Parmensis *frangebat*. — Cod. Paris. in textu, *frangebant*, et ad marginem, *stringebant*. Ed. princ. typorum vitio, *fragebant*. A.

43. Pro *Hoc spatio*, Parm. *Ac*; Rom. *An*: omnia male. — Cod. Par. et ed. pr. *An*. A.

45. Forte legendum, *Artificis, curiæ.... mensæ*. Vide not.

48. Pro *solidus*, Parm. et Rom. *stolidus*; *solidus* est *fortis, robustus*, ut *solidi tori* seu *lacerti* poetis passim. — Cod. Paris. et edit. princ. *stolidus*. A.

Aut Aleæ lucis vidit Tegeæa sacerdos :
Qualis ab Œtæis emissus in astra favillis
Nectar adhuc torva lætus Junone bibebat :
Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens
Hortetur mensas : tenet hæc marcentia fratris
Pocula, at hæc clavæ meminit manus : aspera sedes
Sustinet, occultum Nemeæo tegmine saxum.
Digna operi fortuna sacro : Pellæus habebat
Regnator lætis numen venerabile mensis,
Et comitem Occasus secum portabat et Ortus ;
Prensabatque libens, modo qua diademata dextra
Abstulerat dederatque, et magnas verterat urbes.
Semper ab hoc animos in crastina bella petebat,
Huic acies victor semper narrabat opimas,

52. Pro *Aleæ*, cod. Par. et ed. pr. *eleæ*. Vide not. A.

53. *Qualis et OEtæis*. Sensus requirit, *Qualis ab OEtæis*, id est, *post OEtæas favillas ;* ut Theb. IV, 841, « Ab Jove primus honos ; » post Jovem ; et ita passim ; vel simpliciter *emissus a favillis*, ut Epiced. Glauc. v. 227, « ades huc emissus ab atro Limine ; » ita enim legendum, non *Limite*. In animo videtur habuisse Propertium, I, 13, « Non sic cælesti flagrans amor Herculis Hebe Sensit ab OEtæis gaudia prima jugis ; » ita legendum esse alias probabo, non *cælestem Heben*. Gaudia prima *ab OEtæis jugis*, sunt, *post OEtæa juga*, postquam arsisset in monte OEta ; ita optime correxit Scaliger, pro *in OEtæis*. Pro *OEtæis*, Parmensis *OEtheis ;* Romana *Otheis*. — Cod. Paris. et editio princeps, *Qualis et OEtheis*. A.

56. *Hortetur*. Parm. *Hortatur*. — Cod. Paris. edit. pr. *Hortetur*. A.

57. Vulgo : « adhuc sævæ meminit manus altera cædis. » — Ipsum hoc habet edit. pr. ut et cod. Par. in textu ; qui ad marg. « Pocula : at hæc levæ meruit manus aspera sedis. » Vide not. ad versum 56. A.

58. *Occultum*. Sic ed. princ. et cod. Paris. a manu prima ; qui ex emendat. *et cultum*. A.

60. Pro *venerabile*, Parm. *memorabile*, frequenti errore. — Cod. Par. ed. pr. vulgatam tuentur. A.

61. *Portabat*. Edit. pr. *portabit ;* et sic a manu prima cod. Par. qui ex emendat. *occasu secum portabat et ortu*. Conf. not. A.

62. Pro *Prensabat*, Parm. *Præstabat*. — Cod. Paris. edit. princ. *Prensabat*. A.

64. Pro *ab hoc*, Parm. *ad hoc*. — Cod. Paris. ed. pr. *ab*. A.

65. Forte legendum, *referebat opimas*. — Cod. Paris. edit. princ.

Sive catenatos Bromio detraxerat Indos,
Seu clausam magna Babylona refregerat hasta,
Seu Pelopis terras libertatemque Pelasgam
Obruerat bello; magnoque ex agmine laudum
Fertur Thebanos tantum excusasse triumphos.
Ille etiam, magnos fatis rumpentibus actus,
Quum traheret letale merum, jam mortis opaca
Nube gravis, vultus alios in numine caro
Æraque supremis tenuit sudantia mensis.
Mox Nasamoniaco decus admirabile regi
Possessum; fortique Deo libavit honores
Semper atrox dextra, perjuroque ense superbus
Annibal. Italicæ perfusum sanguine gentis,
Diraque Romuleis portantem incendia tectis
Oderat, et quum epulas, et quum Lenæa dicaret

cum cæteris, *narrabat*. Vid. not. A.

66. *Sive catenatos Bromio detraxerat Indos.* Nescio quid sit *detrahere Indos*. Unde *detraxit?* hoc enim dictum fuisse oportuit. Conjicio: « Sive catenatos Bromio devicerat Indos. » Conf. Auctor Eleg. in Obit. Mæcen. v. 57; Ovid. Fast. III, 465 sq.; idem, Met. IV, 20, de Baccho, « Oriens tibi victus ad usque Decolor extremo quæ cingitur India Gange; » Justinus, XXVIII, 2, de Ætolis: « qui Alexandri Magni post Persas Indosque devictos, quum omnes nomen ejus horrerent, edicta spreverint. » Vide et Ovid. Art. Am. I, 189, et Ponticor. IV, 8, v. 61. Potes etiam legere *dejecerat;* ex Claudiano, de Bell. Get. vers. 164. Tale aliquod verbum requiritur; nisi proferri possint exempla hujusce significationis τοῦ *detrahere*; qualia non adhuc inveni.

69. *Magno.* Forte legendum, *longo*. Vide not.

74. *Æraque supremis timuit sudantia mensis.* Quid ais, Papini? *timuitne* Alexander Magnus? at hoc negabunt quotquot de eo scripserunt. Curtius (ne referam ceteros), X, 5, « mortis, cujus metus ceteros exanimat, perpetua contemptio. » Quod si alias *timere* potuit, certe *timori* locus non fuit eo tempore quum *jam mortis opaca nube gravis* fuit. Lege, « Æraque supremis tenuit sudantia mensis; » exprimitistud Tibulli, I, 1, 60: « Te teneam moriens deficiente manu; » quod imitatur Ovidius, in Epiced. Tibulli, « Me tenuit moriens deficiente manu. » Noster, Lacrim. Etrusc. v. 17, « tenet ecce seniles Leniter adplicitos vultus. » Perpetuo confunduntur hæ voces. Vide Protrep. Crisp. v. 74. — Cod. Par. ed. pr. *timuit*. A.

Dona, Deus castris mœrens comes isse nefandis;
Præcipue quum sacrilega face miscuit arces
Ipsius, immeritæque domos ac templa Sagunti
Polluit, et populis furias immisit honestas.
Nec post Sidonii lethum ducis ære potita
Egregio plebeia domus : convivia Syllæ

82. *Sacrilegus face.* In MS. Salisb. et Excerpt. Linden. erat *sacrilegas;* unde Gronovius, Reliq. ad Silv. legit *sacrilega;* verissime. Ita, Epiced. Patr. vs. 197, « sacrilegis lucent Capitolia tædis; » Sil. Italic. III, 610, de Domitiano, « Sacrilegas inter flammas servabere terris; » Tibull. III, 5, « Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes. » Mire vero concipitur hic et antecedens versus in Parmensi : « Dona decus mœrens comes esse nefandis. Præcipue castris sacrilegas face miscuit artes. » Vox *castris* e versu suo mota extrusit τὸ *cum.* Rom. pro *esse*, habet *isse;* potes legere *ire*, ut apud Horat. Serm. II, 5, « ne tamen illi Tu comes exterior, si postulet, ire recuses; » sed non opus est. — Cod. Paris. ed. princ. *sacrilegas.* De cæteris, hæc et ille vulgatam retinent. A.

83. *Ipsius, immeritasque domos ac templa Sagunti.* Idem codex Salisburgensis et Excerpt. Lindenbr. et ed. Ven. pro *immeritasque* habent *meritæque*, notante ibid. Gronovio (et ita Parmensis quoque); unde legit *immeritæ Sagunti*, non *immeritas;* et hoc recte, et pro more poetarum. *Immeritæ Sagunti*, ut *Graia Saguntos* Sil. Italic. : « Quod tanto cecidit molimine Graia Saguntos. » Pro *Sagunti*, Parm. et Rom. *tonantis;* quum tamen Domitius in notis agnoscat *Sagunti.* — Cod. Paris. et edit. princ. *immeritasque... tonantis.* A.

85. *Lethum.* Cod. Par. edit. pr. *lætum.* A. — Pro *potita*, Parm. *petita.* — Cod. Paris. edit. princ. *potita.* A.

86. Pro *Egregio... domus*, Parm. *Egregias domos.* — Cod. Par. edit. princ. *Egregio... domus.*—*Convivia Syllæ Ornabat.* In Parmensi est, *conviva sibyllæ Cœnabit;* et ita in suis invenerat Domitius, qui nugatur nescio quid de τῇ *Sibylla* pro *Sylla;* et gloriatur se fecisse *Cœnabat* pro *Cœnabit;* quasi ullo tolerabili sensu hæc icuncula dici posset *cœnare.* Gronovius, Diatr. cap. 27, notat in MS. Senensi legi *Canebat;* unde Scaliger fecit *Comebat;* quod ille probat, et exemplis confirmat : quibus addas hæc; Ausonius, Precat. v. 34, « Jam venit Augustus nostros ut comat honores; » Prudentius, Peri Steph. II, 307, « Hoc est monile Ecclesiæ; His illa gemmis comitur; » Noster, Theb. VIII, 166, « Nec laudavit equum, nitidæ nec cassidis altam Compsit adornavitque jubam. » Gronovius dicit τὸ *Ornabat* esse Aldi glossam; non mala illa quidem; notum istud Juvenalis, III, 203, « Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex Ornamentum abaci; » et Horatii, « Et nux ornabat mensas

Comebat, semper claros intrare penates
Assuetum, et felix dominorum stemmate signum.
Nunc quoque, si mores humanaque pectora curæ
Nosse Deis, non aula quidem, Tirynthie, nec te
Regius ambit honos; sed casta, ignaraque culpæ
Mens domini, cui prisca fides, cœptæque perenne
Fœdus amicitiæ: scit adhuc florente sub ævo
Par magnis Vestinus avis, quem nocte dieque
Spirat, et in caræ vivit complexibus umbræ.
Hic igitur tibi læta quies, fortissime Divûm,
Alcide; nec bella vides pugnasque feroces,
Sed chelyn, et vittas, et amantes carmina laurus.
Hic tibi solemni memorabit carmine, quantus
Iliacas Geticasque domos, quantusque nivalem
Stymphalon, quantusque jugis Erimanthon aquosis
Terrueris; quem te pecoris possessor Iberi,
Quem tulerit sævæ Mareoticus arbiter aræ.
Hic penetrata tibi spoliataque limina Mortis
Concinet, et flentes Libyæ, Scythiæque puellas.

cum duplice ficu. » Retineo tamen *Comebat*, quia Statio in deliciis ea vox. — Edit. pr. *conviva Sibyllæ Cœnabat;* et sic etiam cod. Paris. qui ad marg. *convivia Syllæ Ornavit.* A.

87. Pro *penates*, cod. Paris. et ed. pr. *penatis.* A.

90. Pro *Tirynthie*, Parm. *Tirynthia.* — Cod. Paris. ed. pr. *Tyrinthia.* A.

93. Pro *scit*, Parm. *sit.* — Cod. Par. ed. pr. *scit.* A.

94. Pro *par magnis avis*, Parm. *permagnis aquis.* Domitii libri, *per magnis aquas;* unde ille fecit *par magnis aquis;* quod explicat, « qui quamvis mergeretur, moriturus non cessit, nec victus est ut ullam vocem emiserit indignam viro. » Mirifice. — Edit. princ. *Par magnis V. aquis;* sic etiam cod. Par. qui ad marg. pro *aquis* reponit *avis.* A.

97. Pro *Alcide*, Parm. *Alcides.* — Cod. Par. ed. pr. *Alcides.* A.

98. Forte legendum, *amantes tempora laurus.* Vide not. — Pro *vittas*, cod. Par. ed. pr. *victas.* A.

101. Pro *Stymphalon*, Parm. *Stymphalion.* — Cod. Par. ed. pr. *Stymphalon.* A.

102. *Quem te pecoris.* Cod. Par. ed. pr. *quem et p.* A.

105. Pro *Concinet*, Parm. *Concitet;* et pro *Scythiæve*, *Scythiæque;* quod verum est: et ita edidi;

Nec te regnator Macetûm, nec barbarus unquam
Annibal, aut sævi posset vox horrida Syllæ
His celebrare modis. Certe tu muneris auctor
Non aliis malles oculis, Lysippe, probari.

ut et *Macetum* non *Macedum*, v. 106; de quo vide Drakenborch. ad Sil. Ital. XVII, 632, ubi invenies quos super hac re consulas.— Cod. Par. ed. pr. *Concinet... Scythiæve.* Sequenti versu, hæc et ille, *Macedum.* A.

108. *Certe tu.* Apud cod. Paris. et ed. pr. *tu certe*, vocibus transpositis. A.

NOTÆ

IN CARMEN SEXTUM LIBRI QUARTI

SILVARUM.

· Hercules Epitrapezios, etc. Nonius Vindex, imaginum antiquarum studiosus et spectator egregius, ad cœnam acceperat Papinium: ubi inter cætera signa præcipue admirationi fuit Hercules æreus a Lysippo effictus, dextra pateram sustinente, sinistra clavam: ipse sedebat substrata leonis pelle, supino ore in cælum. In quo id potissimum laudabatur, quod exigua mensura singula non minus spectabantur, quam si ingens fuisset. Epitrapezius dicitur, quod omnia vasa mensæ destinata ita appellantur: *ἐπὶ*, ad; *τράπεζα*, mensa. Domit.

2. *Quum patulis tererem vagus otia Septis.* Septa loca juxta Campum Martium; ubi signa antiquorum artificum erant venalia, et pueri, et res pretiosiores. Martial. Epigr. IX, lx, 1:

> In septis Mamurra diu, multumque vagatus,
> Hic ubi Roma suas aurea vexat opes.

Domit.

7. *Vinaque perpetuis ævo certantia fastis.* Probum quidem suo loco epitheton *perpetuis;* ut apud Sidon. Apollinarem, Carm. XIII,

> Quod si contuleris tuo poetæ,
> Mandem perpetuis legenda fastis
> Quæcumque egregiis geris triumphis;

et Claudianum, de Cons. Prob. et Olybr. vers. ult.

> .... Te variis scribent in floribus Horæ,
> Longaque perpetui ducent in sæcula fasti:

æternis fastis Ausonius. Recte hæc, inquam, quando de *æternitate* vel *perpetuitate* factorum laudabilium vel gloriæ sermo sit; ridicule vero, si ad *vinum* transferas. *Multis* quidem *fastis* (id est, *consulatibus* seu *annis*) vina certare possunt; *centum* puta, vel etiam *ducenis*, ut de vino Opimiano refert Plinius, Hist. Nat. XIV, 4; sed nimis absurdum est et falsum dicere, ea *certare posse perpetuis fastis.* Lege, « Vinaque centenis ævo certantia fastis: » *centenis fastis* est *centum fastis;* ita *centeno vulnere*, Theb. V, 533; *centenas manus*, X, 295; *centena mœnia*, XII, 667; *centena voce*, v. 797; *centena arbore*, Virgil. Æneid. X, 207; *cen-*

tenas voces, Silius Italicus, IV, 526; et innumera ejusmodi. Bene vero *fastis*, id est, *consulatibus* seu *annis* : a *consulibus* enim ætatem vinorum numerabant Romani, addito amphoræ consulis nomine, ut pueris notum ex Juvenale, Sat. V, 30, « Ipse capillato diffusum consule potat, » sc. *vinum;* et Horatio, « Vina bibes iterum Tauro diffusa : » unde istud Petronii in convivio Trimalchionis : « Falernum Opimianum centum annorum; » de quo vide observationem Vell. Paterculi, lib. II, 7; Martialis, Epigr. VIII, XLV, 4, « Amphora centeno consule facta minor; » id est, *centenis fastis*. Jamne placet hæc conjectura?

8. *Quid Phasidis ales Distet*. Huc pertinet Martialis ἐλεγεῖον ξένιον, XIII, LXXVI, cujus lemma, *Perdix;* quod sic emendandum diximus ex Cujacio :

Rustica sim an Perdix, quid refert, si sapor idem est?
Carior est perdix; hinc sapit illa magis.

MORELL.

— Plura de hoc loco vide apud Horat. Serm. II, VIII, 31 sqq.; 43 sqq. et passim. A.

17. *Junctaque utinam Tirynthia luna!* Utinam nox geminata fuisset! qualis fuit, quum Hercules conceptus est, compressa Alcmena a Jove; tunc enim nox geminata est, ut est apud Plautum. DOMIT. — Adde MOLIÈRE, *Amphitryon*, Prolog. ubi quærente Nocte, quid ab ipsa Jupiter poscat, respondet Mercurius :

« Que vos chevaux par vous au petit pas réduits,
« Pour satisfaire aux vœux de son âme amoureuse,
« D'une nuit si délicieuse
« Fassent la plus longue des nuits;
« Qu'à ses transports vous donniez plus d'espace;
« Et retardiez la naissance du jour
« Qui doit avancer le retour
« De celui dont il tient la place. »

Eodem sensu Nasonis æmulus, BERNARD, in Arte sua amatoria :

« Il faut un dieu pour une nuit d'Alcmène. »

ED.

18. *Nox et Erythræis Thetidis signanda lapillis*. Parvum mendum, et quod sibilus etiam prodit; legendum nempe, « Nox et Erythrææ Thetidis signanda lapillis; » *Erythrææ Thetidis*, non *Erythræis lapillis*. Avienus, Descr. Orb. 782, « fervent Erythræi marmora ponti Tota feris; » Noster, Theb. IV, 387, « Aut tumidum Gangen, aut claustra novissima rubræ Tethyos. » Sic *Erythrææ nebridis* Sid. Apoll. carm. V, 498. Propertius, III, 11, « Et venit e rubro concha Erycina salo; » ubi nemo conjiciat *Erythræa*. Parmensis habet *heritreis tethidis*. Immerito vero, ut mihi videtur, Gronovius, Diatr. c. 43, culpat Cruceum, qui versu antecedente τὸ *juncta luna* explicat *triplicata;* ipse voluit *duplicata*, quemadmodum etiam interpretatur hunc locum, not. ad Senec. Thyest.

v. 467, « Bacchoque nox jungenda pervigili datur. » Rectius hoc loco Cruceus, utpote secundum ipsius Statii sententiam, Thebaid. VI, 289, et XII, 301, a qua non opus est recedere, præsertim quum hanc explicationem passura sit vox *cuncta*, quæ significat *continuata*, in *quamvis longitudinem provecta* : ita II, 6, *junctum stemma*, longum, continuatum, *a proavis demissum*, ut alibi loquitur : vide ipsum Gronov. ad Senecæ locum. Et inde hæc nox Herculi impensa a quodam dicitur τριεΐλυος νὺξ· *novem noctes* huic operi assignat Arnobius, lib. IV, p. 145.

24. *Et non inscriptis auctorem reddere signis?* Refert Plin. in Præfat. Hist. Nat. pictores ac statuarios veteres operibus a se factis nomen suum inscripsisse, titulo appenso in hunc modum : *Apelles faciebat : Polycletus faciebat*, etc. Quin huic Herculi Epitrapezio, quem hic describit Statius, Lysippi nomen inscriptum erat. Martial. lib. IX, Epigr. XLV, de illo ipso :

> Alciden modo Vindicis, rogabam
> Esset cujus opus, laborque felix.
> Risit ; nam solet hoc, levique nutu,
> Græce numquid, ait, poeta, nescis ?
> Inscripta est basis, indicatque nomen.
> *Λυσίππου* lego ; Phidiæ putavi.

Ait vero Statius Vindicem amicum suum in picturis ac statuis veterum artificum dijudicandis adeo fuisse versatum, ut tametsi nomen auctoris non esset adscriptum, posset tamen ex ipsis ductibus ac colorum temperamentis auctores operis agnoscere. GEVART.

25. *Hic tibi quæ docto multum vigilata Myroni*, etc. Parodia est versus Cinnæ poetæ, « Hæc tibi Arateis multum vigilata lucernis Carmina, etc. » Citatur a Scaligero, Castig. in Catull. p. 14, Ed. Patisson.

27. *Pisæo pollice.* Phidiam intelligit, qui Jovem Pisæum seu Olympicum fecit. DOMIT.

29. *Linea quæ veterem*, etc. Hoc est ex historia ; nam Apelles cum Protogene certavit, ductis lineis subtilissimis in tabula, quæ postea in palatio diu fuit magna admiratione, præsertim aliis pictoribus. Consumta est priore incendio domus Cæsaris. Denique Apelles nullam diem egit tam occupatam, quin lineam duceret artem exercendo : inde natum ab eo proverbium. DOMIT.

30. *Namque hæc, quoties chelyn exsuit ille, Desidia est.* Gevartius mavult legi et distingui, « namque hæc, quoties chelyn exsuit, illi Desidia est, hic Aoniis, etc. » *namque hæc illi desidia est, quoties chelyn exsuit* seu *deponit* : parum interest ; sed tamen Gevartianam lectionem elegantiorem puto. Notabis vero vocem *Desidia* sensu bono, pro eo quod *requiem* dicit Horatius, Epist. I, 7, « Ac sibi dum requiem, dum risus undique quærit ; » et ita Claudianus, Rapt. Pros. III, 205 ; et Sil. Itali-

cus, III, 349, « Hæc requies ludusque viris; ea sacra voluptas; » et ita Cicero, de Senect. c. 15. (Gallice diceremus *diversion*. A.) Alibi Noster hac voce *desidia* sensu paullum diverso utitur, pro *quiete*, Præf. lib. II, « Ad Ursum quoque nostrum, juvenem candidissimum, et sine jactura desidiæ doctissimum, etc. » et ita, ad Marcellum, v. 38, « Te quoque flammabit, Marcelle, petita parumper Desidia; » ita enim omnino puto Nostrum scripsisse, non *flammabit tacite repetita*. Plin. Epist. VII, 13, « aut es tu super omnes beatus, si talia per *desidiam* et *otium* perficis. » Priore sensu vocis *desidia* sumenda est etiam *mora* apud Ovid. Amor. II, 11, v. 13,

Nec medius tenues conchas, pictosve lapillos
Pontus habet: bibuli litoris illa mora est;

id est, *ludus* et *requies;* nempe in colligendo istas conchas et lapillos litorales: et ita Propertius, IV, 8, v. 3,

Lanuvium annosi vetus est tutela draconis,
Hic ubi tam raræ non perit hora moræ;

ubi vide Broukhusium. Hæc noto, quia non alibi observata memini; et exempla hujus significationis τοῦ *mora* rariora esse credo.

32. *Hæc inter, castæ Genius tutelaque mensæ Amphitryoniades.* Parmensis, *castæque genus tutelaque mensæ*. Nimirum scriptum erat *castæ genus tutelaque* pro *genius;* unde aliquis metro metuens intrusit *que:* hoc aliis poetis accidisse monstrare possem; et ex insigni loco Virgilii alias docebo. Sed nunc vocat Statius. Et valde mihi suspecta est vox *castæ: casta* quidem *conjux*, et *castum cubile*, et *casta domus*, et similia ubique occurrunt, et bene intelliguntur; sed non video quid sit *casta mensa*, aut quid *mensæ* cum *castitate: casta* pro *religiosa* interdum ponitur (vide Grævium ad Cicer. Epist. Fam. XIV, 4): mensa autem *religiosa* habebatur; sed hæc interpretatio non congruit huic loco; quippe hic Hercules non erat genius *mensæ*, quatenus *religiosa* erat; sed *lautæ* et *epulis abundantis*, et *ferculis instructæ:* et ita describitur per totum carmen. Infra, v. 50, « Nec torva effigies, epulisve aliena remissis: » vide sequentes septem versus, in quibus dicitur eo esse vultu quo fuit, quum *bibebat nectar;* et statim,

Sic mitis vultus veluti de pectore gaudens
Hortetur mensas: tenet hæc marcentia fratris
Pocula, etc.

et v. 59, « Pellæus habebat Regnator lætis numen venerabile mensis. » Hæc omnia non depingunt Genium *castæ* mensæ, sed *festæ:* « Hæc inter, festæ Genius tutelaque mensæ Amphitryoniades. » Nota vero Herculis ἀδηφαγία, et quantus erat βούφαγος. Bene autem *festas mensas:* Noster, Thebaid. IV, 840; et II, 88; Martialis, Epigr XI, LXV, vs. 5:

Postera sed festæ reddes solemnia mensæ.

Val. Flaccus, III, 159; Ausonius, Epist. IX, 43,

Ut solitum, quoties festæ invitatio mensæ

Sollicitat lenem comi sermone Lyæum :

ita legendum puto pro *dextræ mensæ*. Ne omnia transcribam, vide plura exempla, si velis, apud Sil. Ital. VII, 198; VIII, 137; Ovid. Pontic. I, 2; Tibullum non semel, et Propertium. Confirmat hanc mihi conjecturam quod sæpissime observavi literas *c* et *f* inter se commutatas. Ita Ovid. Fast. V, 525, « Cara fuit conjux, primæ mihi cura juventæ Cognita, » pro *cura*, Burmannus conjicit *flore;* nec dubito quin ita scripserit Ovidius. Ecce aliud exemplum ex eodem, Trist. IV, 10, v. 19, ubi Naso loquitur de sua ad studium poetices, etiam a pueritia, propensitate :

At mihi jam puero cælestia sacra placebant,
Inque suum furtim Musa trahebat opus.

Vidit acutissimus Heinsius *cælestia* illa *sacra* non convenire huic loco ubi de poetica agitur : ideo notat, « An, *Permessia sacra?* tale aliquid latet. » Lege, « At mihi jam puero Phœbeia sacra placebant : » scriptum erat, ut sæpe in libris, *fœbeia;* unde *f* in *c* mutata, *cœbeia;* ex quo fecerunt *cælestia*.

45. *Artificis curis*. Totus locus ita habet :

Qui modus in dextra, quanta experientia docti
Artificis curis, pariter gestamina mensæ
Fingere, et ingentes animo versare colossos?

ubi *artificis curis* ut Pietat. Abasc. vs. 8, « curasque fatigat Artificum, inque omni te quærit amare metallo; » et Plin. Hist. Nat. XXXVI, 3, « quo majus periculum *curæ artificum* denuntiaret. » Nihilominus tamen vix fieri potest, ut ita scripserit Statius; quippe deest epitheton τῷ *mensæ* quod respondeat et opponatur τῷ *ingentes colossos* in altero sententiæ membro : hoc modo, « pariter fingere gestamina *parvæ* mensæ, et versare animo *ingentes* colossos : » ita postulat elegantia, et mos perpetuus Statii. Lege :

. . . . quanta experientia docti
Artificis, curtæ pariter gestamina mensæ
Fingere, et ingentes animo versare colossos?

ita supra, v. 37, *parvusque videri sentirique ingens;* et Martialis, IX, XLIV, 2, de hac statua, « Exiguo magnus in ære Deus. » *Curta mensa* est *parva mensa* : ut *curta supellex* Persio, IV, 52; *curta tabella* Ovid. Fast. II, 408, ubi vide Heinsium; *curta peculia* Amor. II, 2 : hæc enim vox non semper denotat rem *quæ aliqua parte deficit;* sed simpliciter *parvam :* ut *curtus mulus*, et *curtus lar* seu *parva domus* Horat. Epist. I, 7, ubi videndus Bentleius. Licet tamen certissimam puto hanc emendationem, in contextum non admisi, quia sensus sine illa constat.

46. *Ingentes animo versare colossos?* Nam Lysippus colossos cælavit; unum præcipue quadraginta cubitorum Tarenti, quem Fabius Verucosus Romam transferre non ausus est, ob difficultatem moliendi, quum tamen inde Herculem transtulerit. Domit.

52. *Aut Aleæ.* Domitius invenit in omnibus suis *Ut Tiliæ;* unde edidit, *Aut Eleæ*, reclamante Politiano, Epist. VI, 1, propter metrum violatum. In Parm. est, *Aut telæ;* verum est, *Aut Aleæ lucis:* intelligit *Augen*, *Alei* filiam, ab Hercule compressam; vide Hyginum, Fab. 99. Tangit hanc fabulam Noster, Herc. Surrent. v. 40, et hunc locum explicat alter, Theb. IV, 287,

> Non Tegea, non ipsa Deo vacat alite felix
> Cyllene, templumque Aleæ nemorale Minervæ.

Hinc vides quare *Tegea sacerdos* Auge, nempe quia *Arcadica* erat, et *sacerdos* Minervæ *Aleæ*: vides etiam quare *lucis*, quia templum hoc erat *nemorale*. *Mœnalis Auge* vocatur, Herc. Surrent. v. 40, id est, *Arcadica*. Hæc prætermiserunt interpretes.

56. *Tenet hæc marcentia fratris Pocula, adhuc sævæ meminit manus altera cædis.* Diu hunc locum suspectum habui; quippe *cædes* quas Hercules perpetrabat non *sævæ* fuerunt, sed generi humano *utiles* pleræque et *necessariæ*, et quidvis potius quam *sævæ*. Præterea, ex istis verbis, *adhuc sævæ meminit manus altera cædis*, non colligere potes quodnam fuit, quod in altera manu tenebat hæc statua; verba enim *gladio* vel *sagittæ*, vel cuivis alii mortis instrumento conveniunt: Dextra, inquit, tenet *poculum;* læva *instrumentum aliquod letale*. Magis signate loqui oportuit, quando descripturus erat Herculem istum, « Cujus læva calet robore, dextra mero, » ut de eo Martial. IX, XLIV, 4. In codicibus antiquis invenit Domitius, « Et hæc leve meruit manus aspera sedis; » pro qua, ut ipse fatetur, vulgatam dedit, « adhuc sævæ meminit manus altera cædis; » ingeniose quidem, si quadraret cum veritate; quam trium literarum mutatione en tibi, lector, exhibeo, « at hæc clavæ meminit manus: aspera sedes Sustinet, occultum Nemeæo tegmine saxum. » Prima litera in *clave* coaluit cum ultima vocis præcedentis; inde *lave*, et quia hoc non intelligebatur, *leve;* ad ultimum, Domitii *sævæ;* vides erroris originem et progressum. Eleganter vero *meminit clavæ*, id est, *tenet, in parato habet* clavam. Val. Flacc. V, 583:

> Quem rogitas, Carmeius, ait: mos comminus arma
> Semper habere viro, semper meminisse phareträ;

ubi vide doctissimum Burmannum hanc phrasin explicantem, et exempla proferentem. Noster, Theb. VI, 710, de disco in sublime magnis viribus misso, « fugit horrendo per inania saltu; Jamque procul meminit dextræ; » quod explicat verbis proxime sequentibus, « servatque tenorem Discus; » Manilius, V, 31, « Heniochusque memor currus, plaustrique Bootes. » Recte etiam et necessario *sedes;* habitu enim *sedentis* fingebatur hæc icuncula, prout illam describit Martial. IX, XLIV, jam sæpe citat.:

> Hic qui dura sedens porrecto saxa leone
> Mitigat, exiguo magnus in ære deus,
> . . . . . .
> Non est fama recens, nec nostri gloria cæli:

Nobile Lysippi munus opusque vides.

Vide reliqua hujus epigrammatis, et cum Nostro confer (Nost. Martial. vol. II, pag. 415. Ed.) omnia eadem in utroque invenies; ut necesse sit aut Statium ex Martiale, vel Martialem ex Statio mutuo sumsisse. Pro *et hæc*, feci *at hæc*, ut denotetur oppositio. Theb. I, 112: « hæc igne rogali Fulgurat, hæc vivo manus aera verberat hydro; » Auson. Cupid. cruc. v. 39, « Conjugis hæc, hæc patris, at hæc gerit hospitis ensem; » ita legendum pro *et hæc gerit*, simili depravatione. Propert. III, 2, v. 35:

Hæc hederas legit in thyrsos, hæc carmina nervis
Aptat, at illa manu texit utraque rosam:

vulgo etiam ibi *et illa manu. Aspera sedes; saxo* enim sedebat; unde Martial. *dura sedens saxa mitigat.* Parmensis habet: « at hæc lævæ meminit manus *aspa* setis, » virgula per caudam τοῦ *p* ducta. Certissima hæc emendatio.

61. *Et comitem occasus secum portabat et ortus.* Sagax lector interpolatricem manum hic deprehendet; vide enim constructionem: « Alexander secum portabat hanc statuam comitem occasus et ortus; » ergo hæc statua *comes* erat non *Alexandri* sed *occasus* et *ortus;* ergo *Brundisium comes aut Surrentum ductus amœnum*, ut loquitur Horatius, non est *tuus comes*, licet tu istuc illum ducas, sed *comes Brundisii* vel *Surrenti;* eodem prorsus loquendi genere quo hæc statua *comes* erat *occasus*, quia Alexandrum ad vel per *occasum comitabatur.* Dixisse debuit *comitem per occasum et ortum*, ut V, 1, « tecum gelidas comes illa per Arctos; » vel *ad occasum*, ut Sueton. Neron. c. 5, « comes ad orientem C. Cæsaris juvenis. » Diversa ratio est Silv. V, 2, v. 35, ubi Bolanus dicitur *comes belli* Corbuloni, id est, *in bello;* ibi enim *actio* denotatur; hic *locus* tantum. Ita *comes Rhodii secessus* apud Tacit. Annal. IV, id est, *in Rhodio secessu;* de Lucillio Longo: *comes omnium expeditionum*, Suetonius, de Illustr. Grammat. de Lenæo Pompeii liberto. Suspicor a Statio fuisse, « Et comitem casus secum portabat in omnes; » ex Virgil. IX, 277: « Et comitem casus complector in omnes; » quem imitatur Sil. Italicus, I, 76: « Et se participem casus sociarat in omnes; » et V, vers. 137:

Nobile Gargeni spolium, quod rege superbus
Boiorum cæso capiti illacerabile victor
Aptarat, pugnasque decus portabat in omnes.

Errore librarii scriptum erat, « Et comitem occasus secum, etc. » deinde, quia non intelligebatur *occasus in omnes*, pronum fuit facere *occasus et ortus.* Quemadmodum vero Alexander hunc Herculem, ita Nero Amazonem circumtulit: Plinius, Hist. Nat. XXXIV, 8: « circumtulit et Nero princeps Amazonem de qua dicemus, et paulo ante C. Cestius consularis signum, quod secum etiam in prælio habuit. Alexandri quoque Magni tabernaculum sustinere traduntur solitæ statuæ. » Heinsius, not. ad Ovid. Met. IV, 762, totum locum sic legit,

.... Pellæus habebat

Regnator lautis numen venerabile mensis,
Et comitem occasu secum portabat et ortu :

sed *lætis* retineri potest ex loco Sil. Italic. X, 375 : « Huic ductor lætas Tarpeio vertice mensas Spondenti, etc. » *Lætæ mensæ* sunt quæ celebrantur *post victoriam;* vide quæ notavi ad Surrent. Poll. v. 6; quibus addere possem innumera exempla vocis *lætus* hoc sensu. Alteri parti Heinsianæ emendationis assentior; ut *ortu* et *occasu* sit *per ortum* et *occasum;* de quo dixi ad Viam Domit. v. 20.

65. *Huic acies victor semper narrabat opimas.* Finge Alexandrum Magnum statuæ hujus auriculis insusurrantem, « Ego detraxi Indos, ego hasta refregi Babylona, etc. » Quam ridicula hæc repræsentatio Alexandri, surdo fabulam *narrantis!* Lege : « Huic acies semper victor referebat opimas; » *semper victor,* ita enim exhibet Parmensis; sensus est : « Ab hoc petebat animos in bella; et victor, huic referebat victorias, » huic imputabat quod vicerat. Mamertinus, Paneg. Maxim. c. 9, « adeo numini illius simpliciter amanterque quidquid pro hisce terris feceras retulisti; » ita bene emendavit Puteanus, pro *his ceteris.* Eumen. Orat. pro Restaur. Schol. c. 4, « Divinæ Imperatorum Cæsarumque nostrorum providentiæ, singularique in nos benevolentiæ, hujus quoque operis instauratio referenda est; » ita legendum; vulgo, *instauratione parendum est,* sine sensu. Exciderat, opinor, huic Statii loco prima syllaba *re :* deinde pro *ferebat,* quod metrum non pateretur, peritior aliquis intrusit *narrabat,* quod proximum erat. Bene vero *opimas acies;* ut *opima pax,* Sil. Ital. XVI, 683; *opima cædes,* IX, 430; *triumphus opimus,* Horat. Carm. IV, 4; et *segetes opimas,* I, 31; ubi minus concinne vulgo legitur *opimæ,* et ad τὸ *Sardiniæ* refertur; *victimæ opimæ,* Seneca, de Benef. I, 6; ubi male legitur *optimæ; spolia opima,* Virgilio et aliis. Si tamen codex aliquis addiceret, libenter hunc versum ita legerem : « Huic epulas semper victor sacrabat opimas; » ut infra, v. 80, « et quum epulas, et quum Lenæa dicaret Dona. » Sic *sacrare laribus diem,* Valer. Flacc. III, 175; *sacrare honorem,* Virgil. XII, 140, et Prudentius, Psychom. v. 891. Sed quum hæc conjectura a vulgatis nimis longe abeat, retineo in contextu *acies narrabat;* ita tamen ut maxime placeat *referebat.*

69. *Magnoque ex agmine laudum.* Præcessit, v. 63, « magnas verterat urbes; » v. 67, « magna Babylona refregerat hasta; » v. 71, « magnos fatis rumpentibus actus. » Hæc omnia tam brevi intervallo locata nauseam movent. Optime conveniret *tantoque ex agmine,* ut Theb. XI, 720 :

. . . . hic quondam solio sublimis et armis
Septus opem miseris et jura, potentibus æquus
Supplicibusque, dabat; cui nunc ex agmine tanto
Una comes :

ita legendum; vulgo, *petentibus æquus.* Optime, inquam, conveniret

tanto, nisi quod vox *tantum* sequitur versu proximo. Dispiciant acuti, quid reponendum sit pro *magno;* ibi enim latet depravatio. *Toto* nimis longe recedit a vulgata; propius est et meo judicio verius, « longoque ex agmine laudum. » Tacit. Annal. II, « fessas Gallias ministrandis equis: longum impedimentum agmen, opportunum ad insidias, defensantibus iniquum. » *Occupationum agmen* apud Plinium, Epist. II, 8. Ovidius, Met. VII, 624:

> Hic nos frugilegas adspeximus, agmine longo,
> Grande onus exiguo formicas ore gerentes.

Commutantur hæ voces apud eumdem, Met. XIV, 808, ubi pro *fundamine magno*, duo libri habent *longo*.

70. *Excusasse triumphos*, id est, *deprecari*, *veniam petere* ob victoriam Thebanam; quia Hercules Thebanus fuit. Hanc phrasin unice illustrat Ovid. Heroid. II, 77, ubi Phyllis Demophoonti dicit, « Quod solum excusat, solum miraris in illo; » quod solum pater tuus Theseus culpabile ducit, et ob quod *veniam petit* (sc. perfidiam), tu miraris et imitaris. — *Fertur Thebanos tantum excusasse triumphos.* Alexander Magnus veniam ab Hercule petiit, ob captas et eversas Thebas ἐπιφανεστάτους, quibus oriundus erat heros, earumque præsidium et decus. MORELL.

75. *Mox Nasamoniaco*, etc. Signum istud Herculis post Alexandrum tandem ad Annibalem venisse etiam Martialis tradit, dum de hac eadem statua scribit, IX, XLIV : « Hunc puer ad Libycas juraverat Annibal aras. » Nasamones Libyæ populi. BERNART.

91. *Sed casta ignaraque culpæ Mens domini, cui*, etc. Putavi aliquando Statium scripsisse *Mens Nonii cui*, etc. quia, in recensendis hujus statuæ possessoribus, vel certa descriptione vel propriis eorum nominibus utitur. Primum, inquit, *Pellæus regnator* hanc habuit; deinde *rex Nasamoniacus, Annibal;* post ejus letum, ornabat *Syllæ convivia;* nunc eam habet *Dominus, cui fides prisca*, etc. Nimis vaga esset hæc descriptio, nisi ex supradictis sciremus quemnam intelligit per hunc *Dominum*, quem nunquam *Nonium*, sed *Vindicem* appellat, ut v. 4, et 23; et ita Martial. IX, XLIV, 14, et XLV, 1. Utcumque sit hoc, *mens Domini*, est, *dominus*. Thebaid. I, 85:

> . . . . da, Tartarei regina barathri,
> Quod cupiam vidisse nefas; nec tarda sequetur
> Mens juvenum; modo digna veni, mea pignora noscas;

mens juvenum, id est, *juvenes*. Horatius, Carm. III, 5: « Hoc caverat mens provida Reguli; » id est, *Regulus*. Claudian. Laud. Serenæ, v. 19, « Anne aliud toto molitur carminis actu Mæonii mens alta senis? » id est, *Mæonius senex*, *Homerus*. Ausonius, Epigr. 129, « Medeam vellet quum pingere Timomachi mens; » id est, *Timomachus;* Virgil. Æneid. VIII, vers. 205:

At furis Caci mens effera, ne quid inausum
Aut intentatum scelerisve dolive fuisset,
Quatuor a stabulis præstanti corpore tauros
Avertit :

ita legendum, non *furiis. Mens Caci furis avertit*, id est, *Cacus fur avertit. Mens Cæsarea* pro *Cæsar*, Ovid. Pontic. II, 1, v. 17; ita *quorum menti* pro *quibus* apud Virgil. Æn. II, 35, « At Capys et quorum melior sententia menti, » id est, *quibus* melior sententia. Ita *illorum mentes* pro *illi* ap. Manilium, II, 626; *quibus mentibus* pro *quibus* apud Valer. Flaccum, VI, vers. 181. *Mens* enim simpliciter pro *persona;* Gratius, Cyneg. vers. 96,

.... Deus ille, an proxima Divis
Mens fuit, in cæcas aciem quæ magna tenebras
Egit, et ignarum perfudit lumine vulgus ?

Juvenal. VI, 316 : « O quantus tunc illis mentibus ardor Concubitus ! quæ vox saliente libidine ! » ita legendum; vulgo, *saltante libidine*. Manilius, II, « Aut quæ fessa sedent pigras referentia mentes; » ita legendum, non *Ut :* signa referentia *pigras mentes*, id est, quæ similia sunt desidiosis et *pigris hominibus*, quatenus *sedent*. Ovidius, Art. Am. III, 25 : « Nec tamen hæ mentes nostra poscuntur ab arte. » *Mens* igitur *domini* pro *dominus*, ut *cæli lumen* pro *cælum*, *Phœbi nomen* pro *Phœbus*.

94. *Vestinus*. Cui amicus fuit extrema etiam fortuna; et nunc illius nomen mortui recolit. Vestinus interfectus est jussu Neronis in consulatu : odium in eum conceperat princeps ob nimiam sodalitatem; nam Vestinus ejus ignaviam devinciebat; ille metuebat amici ferociam. Misit igitur Generatum tribunum cum cohorte, ut eum necaret; nam tunc epulabatur cum juventute delecta pari ætate. Primo adventu tribuni statim venæ abscissæ sunt, medico accito : vivens adhuc balneo mersatus est, nulla edita voce qua se miseraretur. Domit.

98. *Vittas, et amantes carmina laurus. Hic tibi solemni memorabit carmine, quantus*, etc. Inscita hæc repetitio vocum *carmina* et *carmine*, tam nullo intervallo, vix potuit a Statio proficisci; in secundo vero loco, τὸ *carmine* recte habere evincit locus Thebaid. VII, 289 : « Bellaque perpetuo memorabunt carmine Musæ. » Mihi non dubium est Statium scripsisse, « vittas, et amantes tempora laurus. » Vide quæ dixi Præfat. de commutatione vocum trisyllabarum. Ita Ovid. Art. Amat. II, 3, « Lætus amans donet viridi mea carmina palma; » in quatuordecim MSS. erat *tempora;* et in octo *lauro* pro *palma*. *Laurus* vero et *tempora* perpetuo conjunguntur; Auctor Eleg. in Mort. Drusi, v. 459, « Cingor Apollinea victricia tempora lauro; » Anonymus in Laud. Herculis,

Linque nemus, mollique exsutus tempora lauro
Populea mecum carmen luctare sub umbra;

Val. Flacc. IV, 334 : « viridi connectit tempora lauro ; » Tibull. III, 4 : « Hic juvenis casta redimitus tempora lauro ; » Ovid. Amor. II, 12 : « Ite triumphales circum mea tempora lauri ; » Virgil. V, 539, « Sic fatus, cingit viridanti tempora lauro ; » Noster, Epithal. Stell. v. 227, « hic enthea lauro Tempora, Minoa crinem premit ille corona. » Sed nullus esset exemplorum finis. Posset quidem in secundo versu legi *solemni pectine ;* sed alterum multo magis mihi placet.

99 sqq. Sequitur enumeratio laborum Herculis, obscurior fortasse, quam quæ ab omnibus primo intuitu possit agnosci. Scilicet τοὺς *Iliacas Geticasque domos* Statius intelligit, et Trojam quam Hercules vi expugnavit, et Diomedem, Thracum, sive Getarum regem, quem propriis equis quos ille humana carne alebat, epulandum tradidit.

101. Nihil dicam de Stymphalicis avibus, aut de apro Erymanthæo, quos memorat hic Noster ; sed. vid. Pausan. Arcad. pp. 239 et 253, Wech. ; Catull. LXIX, 112 ; Ovid. Fast. II, 273 ; Plin. II, 37. Ed.

102—103. *Pecoris possessor Iberi.* Geryo Hispaniæ rex, qui tricorpor fingitur, quia tribus insulis, Balearicæ majori et minori ac Ebusæ præfuit ; hujus victi et occisi boves abduxit Hercules. — *Sævæ Mareoticus arbiter aræ.* Busiris hic intelligitur ; *Mareoticus, Ægyptius*, a Mareotide, regione Ægypti. Super aras, quas advenarum sanguine fœdabat, ab Alcide fuit immolatus.

104. *Spoliata limina Mortis ;* abducto scilicet ab inferis Cerbero.

105. *Flentes Scythiæ Libyæque puellas. Scythiæ puellæ* sunt Amazones, quæ ab Alcide devictæ fuerunt. Hesperidas indicat τὸ *Libyæ ;* quia famosus ille Hesperidum hortus, cujus aurea poma abstulit Hercules, in Libya situs erat. Ed.

106. *Regnator Macetum.* Alexander rex Macedonum, qui dicebantur etiam *Macetæ.*

CARMEN VII.

LYRICUM

AD MAXIMUM JUNIUM.*

JAMDIU lato spatiata campo,
Fortis heroos Erato labores
Differ, atque ingens opus in minores
Contrahe gyros;
Tuque, regnator Lyricæ cohortis,
Da novi paulum mihi jura plectri,
Si tuas cantu Latio sacravi,
Pindare, Thebas.
Maximo carmen tenuare tento:
Nunc ab intonsa capienda myrto
Serta; nec major sitis; et bibendus
Castior amnis.

VARIÆ LECTIONES.

* Pro *Lyricum*, Parm. *Ode Lyrica*. — Cod. Paris. edit. princ. *Lyricum*. A.

1. *Jamdiu lato satiata campo*. Ita omnes vetustiores. Optime vero restituit Morellus *spatiata;* quod confirmat sensus, et vox *lato*, et *minores gyros*. — Cod. Paris. edit. pr. *saciata*. A.

2. Pro *heroos*, pleræque editt. *herois;* male; Ovid. Amor. II, 17, « Jungitur Herous cum breviore modo; » et ita alibi ille, et alii. — Cod. Par. edit. princ. *herois*. A.

9. Pro *Maximo*, Parm. *Maximum*. — Cod. Par. (a manu prima) et ed. pr. *Maximo*. A.

11. *Nunc major sitis et bibendus Castior amnis*. Sic alii; at si Maximo carmen *tenuare* tentat, quodnam opus, quæso, *siti majori?* si per versum licuisset, dixisse potius debuit *minor sitis*, ut *castior amnis*. *Nunc opus est* leviore *lyra*, Ovid. Met. X, 152; Martial. Epigr. VIII, LXX, 3, de Nerva: « Quum siccare sacram

Quando te dulci Latio remittent
Dalmatæ montes? ubi Dite viso
Pallidus fossor redit, erutoque
Concolor auro.
Ecce me natum propiore terra
Non tamen portu retinent amœno
Desides Baiæ, liticenve notus
Hectoris armis.
Torpor est nostris sine te Camœnis;
Tardius sueto venit ipse Thymbræ
Rector, et primis meus ecce metis
Hæret Achilles.
Quippe, te fido monitore, nostra
Thebais multa cruciata lima

largo Permessida posset Ore, verecundam maluit esse sitim. » *Magna* enim *sitis* locum habet, ubi de rebus *magnis* agendum est, non ubi carmen *tenuandum;* ita, Thebaid. VIII, 373, bella dicturus et prælia, *majorem* Apollinem optat: « Sed jam bella vocant: alias nova suggere vires Calliope, majorque chelyn mihi tendat Apollo; » Propert. II, 10: « Surge, anime, ex humili jam carmine sumite vires, Pierides, magni nunc erit oris opus; » et ita millies apud omnes poetas. Lege, « Nunc ab intonsa capienda myrto Serta; nec major sitis; et bibendus Castior amnis; » quasi dixisset, « nec opus est majori siti, et modicus haustus sufficiet. » Ita Silv. I, 4: « nec proturbare curules Et ferrum mulcere toga; » sic et carmine proximo, ad Menecr. vs. 6, « Nec solum festas secreta Neapolis aras Ambiat; et socii portus, etc. » Martial. Epigr. X, II, 11: « At chartis nec furta nocent, et secula prosunt; » idem, X, XIX, 1: « Nec doctum satis, et parum severum, etc. » Noster, Epiced. in Patrem, « Nec simplex patriæ decus; et natalis origo Pendet. » *Tenuare carmen* est ex Propertio, III, 1: « Dicite quo pariter carmen tenuastis in antro. » — Cod. Par. ed. pr. *nunc m. s.* A.

17. Pro *natum*, Parmensis *vatum*. — Cod. Paris. et edit. princ. *natum*. A.

19. Pro *liticen notus*, Parm. *laticen motus;* Rom. *laticem motus*. In Gronov. edit. male est *liricen;* et hoc sequitur Veenhusius. — Edit. pr. *laticumve motus*, ut et cod. Par. qui ex emendatione, *laticemve m*. Nulli *tibicen*, quod sit simplicius. A.

20. Pro *armis*, Parm. et Rom. *amnis*. — Cod. Paris. edit. princ. *amnis*. A.

22. Pro *Thymbræ*, Parm. *tymbræ*. — Cod. Paris. edit. pr. *tymbræ*. A.

Tentat audaci fide Mantuanæ
Gaudia famæ.
Sed damus lento veniam, quod alma
Prole fundasti vacuos penates.
O diem lætum! venit ecce nobis
Maximus alter.
Orbitas omni fugienda nisu,
Quam premit votis inimicus hæres,
Optimo poscens, pudet heu! propinquum
Funus amico.
Orbitas nullo tumulata fletu:
Stat domo capta cupidus superstes
Imminens leti spoliis, et ipsum
Computat ignem.
Duret in longum generosus infans;
Perque non multis iter expeditum
Crescat in mores patrios, avumque
Provocet actis!
Tu tuos parvo memorabis enses,
Quos ad Eoum tuleris Orontem,
Signa frenatæ moderatus alæ
Castore dextro:
Ille, ut invicti rapidum secutus

30. *Penates*. Cod. Paris. et ed. pr. *penatis*. A.

35. Pro *propinquum*, Parm. et Rom. *propinqui*; et pro *amico*, Parm. *amici*. — Cod. Par. *propinquo... amico*; at ex emendat. *amici*. Ed. pr. *propinquo... amico*. A.

37. Pro *tumulata*, Parm. *cumulata*; Rom. *timulata*. — Cod. Par. ex emendat. *cumulata*. Edit. princ. *tumulata*. A.

39. *Leti*. Cod. Paris. ed. princ. *læti*. A.

44. Pro *actis*, Parm. *artis*. — Ed. pr. *actis*, et sic etiam in textu cod. Paris. qui ad marg. *arte*. A.

46. Pro *tuleris*, Parm. et Rom. *tuleras*; perperam: metuebant, opinor, metro; sed non opus erat; vide Ovid. Fastor. I, 17, et passim. — Cod. Par. edit. princ. *tuleras*. A.

47. Pro *alæ*, Parm. et Rom. *aulæ*. Sed tædet harum ineptiarum. — Ed. pr. *aulæ*, et sic a manu prima cod. Paris. qui ex emendat. *alæ*. A.

Cæsaris fulmen, refugis amaram
Sarmatis legem dederit, sub uno
Vivere cælo.
Sed tuas artes puer ante discat,
Omne quis mundi senium remensus
Orsa Sallusti brevis, et Timavi
Reddis alumnum.

51. *Sub imo Vivere cælo.* Sic alii; sed Gron. Reliq. ad Silv. notat Petr. Scriverium legere *sub uno cælo;* quod verissimum est, et Parm. confirmatum. Ante hanc legem erant *mutatores domorum*, ut de iis Noster, Protrept. Crispini, vs. 135, « An juga Pannoniæ, mutatoresque domorum Sauromatas quaties? » *Vagos Sauromatas* vocat, Lacrim. Etrusc. v. 170; et Seneca, Hippol. v. 72, « Vacuisque vagus Sarmata campis; » idem, Troad. v. 12, « Et quæ vagos vicina prospiciens Scythas Ripam catervis Ponticam viduis terit; » ita legendum; vulgo *ferit.* Voces *imus* et *unus* perpetuo commutantur, quum calami ductus in utraque iidem sint. — Cod. Par. ex emendatione, *uno;* ed. pr. *imo.* A.

55. *Et Timavi Reddis alumnum.* Ita recte pleræque editiones; et intelligitur T. Livius, Patavinus. Parmens. tamen *torani;* Rom. *Trojani;* quod satis obscure explicat Domitius. *Timavi* quoque Politianus legit, Epist. VI, 1. — Edit. princ. *et torani.... alumne;* et sic a manu prima cod. Paris. qui ad marg. *timavi... alumnum.* A.

NOTÆ

IN CARMEN SEPTIMUM LIBRI QUARTI

SILVARUM.

• LYRICUM, etc. Maximum Junium absentem in Dalmatia revocat in urbem, eique congratulatur ob filium nuper susceptum. Quasi autem discedens ab Achilleide quam inchoaverat, musam rogat, ut numeros heroicos contrahat in minores gyros, et lyricos. DOMIT.

3. *Atque ingens opus in minores contrahe gyros.* Non male hic legas *ingens epos*, ut Epithal. Stell. v. 251, *nobile epos*, ubi vide quæ notavi. Non tamen omnino necessarium est *epos* huic loco, quia præcessit *heroos labores*; adeo ut quivis intelligat quid velit per *ingens opus*: aliter isto loco Epithal. Stell. ubi sensus et oppositio postulant *nobile epos*, quia *nobile opus* non necessario denotat *poema epicum*, quum de aliis quoque rebus dicatur, ut ibi dixi; unde patet legendum apud Ovid. Remed. Amor. v. 396, « Quantum Virgilio nobile debet *epos*, » non *opus*; et Ciofanus in vet. lib. invenit *opos*: et facile sane fuit librariis indoctis, qui non intelligebant vocem *epos*, mutare illam in *opus*. Heinsius tamen et Burmannus nihil mutandum censent isto Ovidii loco, quia *opus* sæpe dicitur de *poemate epico*. Sed hoc argumentum nihil probat, quia *opus* etiam de *elegis* et scriptis levioribus usurpatur passim apud Ovidium; ut Heroid. XV, 3, de carmine Sappho,

> An, nisi legisses auctoris nomina Sapphûs,
> Hoc breve nescires unde venisset opus?

Fastor. II, 3,

> Nunc primum velis, Elegi, majoribus itis:
> Exiguum (memini) nuper eratis opus;

Trist. II, 436, « Et leve cornifici, parque Catonis *opus*. » Nihil igitur ex hac voce, ut mihi videtur, concludi potest; et probandum erat *nobile opus* absolute et per se positum, denotare *poema epicum*. Non dubito quin et *elegi* recte dici possint *nobile opus*, si suo genere præstantes sint: et ita urbem Cyzicon vocat Ovidius, Trist. I, 10, « Cyzicon, Hæmoniæ *nobile* gentis *opus*; » et *valvas* Propertius, II, 23, « Et valvæ, Libyci *nobile* dentis *opus*. » Si Statius, eo Epithalamii loco, uti voluis-

set voce *opus*, dixisset, opinor, *forte opus;* hoc enim proprium est epicæ poesi, ut *grande opus* tragœdiæ. *Nobile opus* nimis ambiguum videtur.

5. *Tuque, regnator lyricæ cohortis.* Pindarus, Scopelimi filius, Thebanus; cujus laribus et familiæ parci jussit Alexander; morte quoque nobilis: nam in gremio pueri dilecti in gymnasio mortuus inventus est: novem lyricorum, ut ait Fabius, facile princeps: novem autem lyrici hi sunt, Alceus, Sappho, Stesichorus, Anacreon, Bycus, Bacchylides, Alcman, Simonides, et nonus Pindarus. DOMIT.

15. *Pallidus fossor redit, erutoque Concolor auro.* Hunc locum expressit Sil. Italicus, I, 231,

> . . . . Astur avarus
> Visceribus laceræ telluris mergitur imis,
> Et redit infelix effosso concolor auro.

Notaverat hoc Nic. Heinsius ad Claudian. p. 9, et Dan. Heinsius ad Silium. Notabilis vero et Statio inusitata sanitas in hoc carmine a vers. 11, ad vers. 51, de qua monui ad Lacrim. Etrusc. v. 145.

19. *Liticenve notus Hectoris armis.* Misenum promontorium Cumis vicinum denotat, quod a Miseno « æternum tenet per sæcula nomen; » Virgil. Æneid. VI, 235. MORELL. — Propertius, III, 18, 3, vocat hunc *tubicinem*, sed Nostro magis placuit *liticen*, à *lituo*, quo circum Hectora insignis pugnas obibat, ut ait Virgilius, Æneid. VI, 197: quem vide pag. 120, tom. III editionis nostræ, ubi notas et Excursus IV et VII, ibid. pag. 222 et 226. ED.

39. *Et ipsum Computat ignem.* Avide invehitur in captatores orborum, quorum multitudine temporibus suis offendebatur. Computat etiam impensam pyræ, tanquam id ipse solvat. Lege autem duodecim tabularum, ligna ad rogum indolata esse oportebat; quod a Solonis legibus manavit, ad coercendam funerum impensam. DOMIT.

CARMEN VIII.

AD JULIUM MENECRATEM

OB PROLEM. *

PANDE fores Superum, vittataque templa Sabæis
Nubibus et pecudum fibris spirantibus imple,
Parthenope : clari genus ecce Menecratis auget
Tertia jam soboles : procerum tibi nobile vulgus
Crescit, et insani solatur damna Vesevi.
Nec solum festas secreta Neapolis aras
Ambiat : et socii portus, dilectaque mitis
Terra Dicarcheæ, nec non plaga cara madenti
Surrentina Deo sertis altaria cingat;

VARIÆ LECTIONES.

* In Parmensi, epigraphe hujus carminis est *Julio Menecrati congratulatio* : forte verius; vide Præf. hujus libri. — Cod. Paris. ed. pr. *Ad Julium M. congratulatio o. p.* A.

1. Pro *vittata*, Parm. *vitata*. — Cod. Par. ed. pr. *vittata*. A.

6. *Nec solum festas secreta Neapolis aras Ambiat.* Quis mihi dicet quare Neapolis hoc loco *secreta* dicitur? Ego nihil hoc loco possum : nisi Statius scripserit *lætata Neapolis;* idem quod *læta facta;* ut apud Claudianum, in Sec. Cons. Stilich. v. 177, de re simili, « puerumque ferens hic regia mater Augusto monstravit avo : lætatus at ille Sustulit in Tyria reptantem veste nepotem; » et hoc sensu passim occurrit hæc vox. Sed hoc non admodum placet. Ven. *secrata Neapolis.* Quidnam est monstri, quod sub hac voce latet?

7. Pro *mitis*, Parm. *miti*. — Cod. Paris. ed. pr. *mitis*. A.

8. Parm. *Dicarchei*, ut semper; ego edidi *Dicarcheæ*, et de ea lectione dixi ad II, 2, v. 93; et III, 1, v. 92. — Cod. Paris. ed. pr. *Dicharchei*. Cruc. Gronov. *Dicarchei*. A.

Materni qua litus avi, quem turba nepotum
Circuit, et similes contendit reddere vultus.
Gaudeat et Libyca præsignis avunculus hasta;
Quæque sibi genitos putat, attollitque benigno
Polla sinu. Macte, o juvenis, qui tanta merenti
Lumina das patriæ. Dulci fremit ecce tumultu
Tot dominis clamata domus : procul atra recedat
Invidia, atque alio liventia pectora flectat.
His senium, longæque decus virtutis, et alba
Atropos, et patrius lauros promittit Apollo.
Ergo quod Ausoniæ pater augustissimus urbis
Jus tibi tergeminæ dederat lætabile prolis,
Omen erat : venit toties Lucina, piumque
Intravit repetita larem : sic fertilis, oro,
Stet domus, et donis nunquam nudata sacratis.
Macte, quod et proles tibi sæpius aucta virili
Robore : se juveni lætam dat virgo parenti :

10. Pro *quem*, Parm. et Rom. *qua*. — Ed. pr. *qua;* et sic etiam cod. Paris. qui ex emendatione, *quem*. A.

15. *Dulci tremit ecce tumultu clamata domus.* Sic alii; at quomodo *tremit? tremit* est *quatitur;* atqui *clamor infantium* non potest *quatere* domum; unde patet verisimam esse emendationem Heinsii, qui ad Ovid. Met. IX, 207, legit, « dulci fremit ecce tumultu, etc. » *Fremit* est *strepit, resonat;* et hoc confirmat vox *clamata*. Conf. Noster, Surrent. Poll. v. 50; Seneca, Thyest. 180; Noster, Thebaid. V, 692; Virgil. Culic. v. 151, « Argutis et cuncta fremunt ardore cicadis; » ubi pro *ardore*, mallem *arbusta*, ut Eclog. II, 13, et Georg. III, 328. Recte vero *Tot dominis clamata domus*, id est, *in qua tot domini clamant;* ut Theb. V, 581; *Nemees reptatus ager* est *ager Nemeæ in quo reptavit*, scil. *serpens*. Pro *dulci tumultu*, Parm. *dulcis tumultus*. Ex hoc vero loco et his exemplis patet, τὸ *fremere* non semper esse *iratorum* et *indignantium* (quod et ad Ovidii locum notaverat Heinsius) et ideo me recte restituisse, Lacrim. Etrusc. vs. 181, *Tunc immane fremens*, pro *gemens;* de quo tunc dubitavi. — Cod. Par. ed. pr. *dulci tremit e. tumultu*. A.

19. Vulgo, *promisit*, quod et habent cod. Paris. et ed. pr. Vide notam. A.

24. Vulgo, *mutata;* quod et exhibent cod. Paris. edit. princ. Vide not. A.

26. *Se juveni*. Ven. Parm. Rom.

[Aptior his virtus, citius dabit illa nepotes.]
Qualis maternis Helene jam digna palæstris
Inter Amyclæos reptabat candida fratres;
Vel qualis cæli facies, ubi nocte serena
Admovere jubar mediæ duo sidera Lunæ.
Sed queror haud faciles, juvenum rarissime, questus,
Irascorque etiam, quantum irascuntur amantes.
Tantane me decuit vulgari gaudia fama
Noscere? quumque tibi vagiret tertius infans,
Protinus ingenti non venit nuntia cursu
Litera, quæ festos cumulare altaribus ignes,
Et redimire chelyn, postesque ornare juberet,
Albanoque cadum sordentem promere fumo,
Et creta signare diem? sed tardus inersque
Nunc demum mea vota cano? tua culpa, tuusque
Hic pudor: ulterius sed enim producere questus
Non licet; en hilaris circumstat turba tuorum,
Defensatque patrem: quem non hoc agmine vincas?
Dî patrii, quos auguriis super æquora magnis
Litus ad Ausonium devexit Abantia classis;

(etiam cod. Paris. et edit. pr. A.) *sed*. Mox pro *lætam*, forte legendum *mediam*. Conf. not. ad v. 27.

27. *Aptior*. Sic edit. pr. et cod. Paris. in textu, qui ad marg. *Amplior*. A.

35. Pro *vagiret*, nonnullæ editt. *vagitet;* male; dixisse enim debuit *vagitaret*. Recte Morellus restituit *vagiret*. — Cod. Paris. edit. princ. *vagiret*. A.

39. Pro *promere*, Rom. *premere*. — Cod. Par. ed. pr. *promere*. A.

40. *Et cantu signare diem*. Recte Bentleius, not. in Horat. Carm. I, 36, « Et creta signare diem; » quippe præcessit *chelyn*, et sequitur *vota cano*. Vide eum. Nec me movet istud Ovidii, Amor. III, 10: « Festa dies Veneremque vocat cantusque merumque; » quippe vox *signare* absurditatem alterius lectionis plane demonstrat; nemo enim *signare* potest diem *cantu*, sed *creta*, candida et læta nota; cujus contrarium *mœsta nota* apud Lucan. V, 390, de Cæs. « signavit tempora digna Mœsta nota; » Catullus, LXVII, 148: « Quem lapide illa diem candidiore notat. » — Cod. Paris. ed. pr. *cantu*. A.

44. Pro *Defensat*, Rom. *Defensas*. — Cod. Paris. edit. princ. *Defensat*. A.

Tu, ductor populi longe emigrantis, Apollo,
Cujus adhuc volucrem læva cervice sedentem
Respiciens blande felix Eumelis adorat;
Tuque, Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo
Votivam taciti quassamus lampada mystæ;
Et vos, Tyndaridæ, quos non horrenda Lycurgi
Taygeta, umbrosæque magis coluere Therapnæ;
Hos cum plebe sua patrii servate Penates.
Sint qui fessam ævo crebrisque laboribus urbem
Voce opibusque juvent, viridique in nomine servent:
His placidos genitor mores, largumque nitorem
Monstret avus; pulchræ studium virtutis uterque.
Quippe et opes, et origo sinunt, hanc, lampade prima

47. Pro *longe emigrantis*, Parm. et Rom. *longe migrantis:* suavius alterum. — Cod. Par. ed. pr. *longe migrantis.* A.

48. Pro *sedentem*, Rom. *serentem;* eodem errore quo Kal. Dec. v. 24, ubi pro *serenam* restitui *sedentem.* — Cod. Paris. edit. princ. *sedentem.* A.

50. Pro *Actæa*, Parm. *acea.* — Cod. Par. ed. pr. *actea.* A.

51. Pro *taciti mystæ*, Parm. *tanti mixtæ*, solemni errore in utraque voce; Rom. *mestæ*, et *lampade* pro *lampada.* — Cod. Paris. ed. princ. vulgatam tuentur. A.

53. Pro *umbrosæque*, opinor scribendum esse *umbrosæve.* — Pro *Therapnæ*, cod. Par. *teranne;* ed. pr. *terannæ.* A.

54. Pro *patrii servate penates*, Gronovius, Diatr. c. 44, dicit aliquem suspicari posse Statium scripsisse *patriæ servate penates*, ad evitandam ταυτολογίαν, quum supra, vers. 45, dixerit *Di patrii, quos*, etc. Acute quidem et, credo, vere; *Servate hos patriæ*, id est, *in bonum patriæ*, seu Neapoleos.

57. *Placidos.* Cod. Par. ed. pr. *placidus.* A.

58. Pro *Monstret*, Parm. et Rom. *Monstrat.* — Cod. Paris. ed. princ. *Monstrat.* A.

59. *Hac lampade prima Patritias intrare fores, hoc pube;* ut scribunt veteres Ed. Sed opinor nihil esse verius emendatione Gevartiana hujus loci, Papin. Lect. IV, 11: « Quippe et opes et origo sinunt, hanc, lampade prima Patritias intrare fores; hos, pube sub ipsa ..... Romulei limen pulsare Senatus. » Et hoc probavit Gronovius, Diatr. cap. 44; et ego nunc primus firmo, auctoritate edit. Parmens. in qua clare legitur *hãc* in priore versu, et *hos* in altero. *Hanc*, scil. *puellam.* De *lampade prima* vide Gronovium, loco memorato; ubi putat Statium simpliciter dicere lampade *prima*, sine respectu ad

Patritias intrare fores; hos, pube sub ipsa
Si modo prona bonis invicti Cæsaris adsint
Numina, Romulei limen pulsare Senatus.

secundas nuptias; quod verissimum est, et exemplis aptissimis ibi illustratum. — Cod. Paris. et ed. pr. *hac l.;* sequenti versu, ed. pr. *his p.* ut et cod. Par. qui a manu secunda, *hos.* A.

61. Pro *prona,* Parm. et Rom. *plena;* qualis diversitas est Propert. I, 16, v. 23, ubi pro *sidera prona* multa exemplaria habent *plena;* quod placuit Gronovio, Observat. III, 3; sed non persuadere potuit Broukhusio; nec cuiquam alii. — Cod. Paris. et ed. pr. *plena.* A.

62. *Numina.* Edit. pr. *Limina;* et sic etiam cod. Par. qui ad marg. *Nomina.* Mox autem hic et illa *pulsate.* A.

NOTÆ

IN CARMEN OCTAVUM LIBRI QUARTI SILVARUM.

* Ad Julium Menecratem, etc. Congratulatur Julio Menecrati Neapolitano, qui ex filia Pollii Felicis, de quo ante est dictum, tres susceperat liberos. Parthenopen autem patriam alloquitur, quæ, quum aucta sit prole Julii, debet sacra diis reddere. Domit.

5. *Et insani solatur damna Vesevi.* Vesevi prodigiosum incendium sub Tito respicit, quod Plinius junior, lib. VI, Epist. 16 et 20, ad Tacitum, accurate describit: (16, § 13) « interim e Vesuvio monte pluribus locis latissimæ flammæ altaque incendia relucebant, quorum fulgor et claritas tenebris noctis excitabatur.... » (20, § 14) « Vix consederamus, et nox, non quasi illunis aut nubila, sed qualis in locis clausis lumine exstincto : audires ululatus fœminarum, infantium quiritatus, clamores virorum.... » Vid. Plinium nostræ editionis, vol. I, pagg. 353 et 363. Ed.

16. *Procul atra recedat Invidia, atque alio liventia pectora flectat.* Nihil mutant editiones; et tamen, nisi omnia me fallunt, insignis hoc in loco est depravatio; quippe apud poetas et alios ubi inducitur Dea Invidia alicui nocitura, non dicitur nocere *pectore*, sed *oculis* et *obtutu* et *vultum figendo* in illam rem; ut mihi non dubium sit Statium hoc loco scripsisse, « atque alio liventia lumina flectat. » Et vide quare ita putem; infra, Pietat. Abasc. v. 138, de Fortuna et Invidia,

> .... quis jussit iniquas
> Æternum bellare Deas? nullamne notavit
> Illa domum, torvo quam non hæc lumine figat
> Protenus, et sæva perturbet gaudia dextra?

Epiced. Phileti, v. 72, « Attendit torvo tristis Rhamnusia vultu; » ubi vide quæ notavi; Apuleius, Miles. IV, pag. 73, « Nec ille tam clarus tamque splendidus publicæ voluptatis apparatus Invidiæ noxios effugit oculos; » Ovid. Metam. II, 777 : « Illa Deam obliquo fugientem lumine cernens Murmura parva dedit; » loquitur de *Invidia* vidente Minervam abeuntem. Et huc referendum istud Virg. Ecl. III, 303, « Nescio quis

teneros oculus mihi fascinat agnos ; » credebant nimirum veteres, in *oculis invidentium* aliquid esse *nocivum;* unde istud Horat. Epist. I, 14, « Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam Limat; » et Virgilii *obliqua invidia*, Æn. XI, 337. Facile vero fieri potuit, ut vox *liventia* propter similitudinem ductuum calami, extruderet sequentem *lumina;* cujus rei exempla aliquot dedi ad Tiburtin. Vopisc. v. 50. Et hæ voces *pectora* et *lumina* alibi commutatæ fuerunt; memini hoc ex libris annotasse Burmann. ad Ovid. Trist. II; sed versus non nunc occurrit. Clarum tamen exemplum habes apud Senec. Herc. Fur. vs. 219, ubi pro *remisso lumine*, substituerunt *pectore;* quod merito damnavit Gronovius.

19. *Et patrius lauros promisit Apollo.* Ita recte editiones, *patrius*, non *patrias lauros*, quemadmodum edidit Gronovius. *Patrius* Apollo est πατρῷος · patet ex v. 45, et sqq.

> Dî patrii, quos auguriis, etc.
> Tu, ductor populi longe emigrantis, Apollo,
> Tuque, Actæa Ceres, etc.
> Hos cum plebe sua patrii servate Penates.

Unde etiam patet legendum esse *promittit*, non *promisit;* si enim *jam promisit* Apollo *senium* et *decus virtutis*, quodnam opus hac precatione, ut *servaret?* Mamertinus, Geneth. Maxim. cap. 19, « nascentes vos ad opem generis humani bona sidera et amica viderunt, quæ vobis concordiam sempiternam, et vestrorum generum caritatem, et fovendæ reipublicæ studia conciliant; itemque, præter victorias toto orbe terrarum partas, etiam navalia tropæa promittunt; » Tibullus, III, 4 : « Hoc tibi conjugium promittit Delius ipse. » Recte vero *longæ decus virtutis*, ut Lucan. II, 258, « Hoc solum longæ pretium virtutis habebis. » Hoc moneo, ne quis *longum* conjiciat.

21. *Jus tibi tergeminæ dederat lætabile prolis.* Intelligit celebre jus trium liberorum, quod orbis, pro magno beneficio, dum esset libera republica, senatus, postea principes dabant. Plin. Epist. X, 2, 1, ad Trajanum : « Exprimere, Domine, verbis non possum, quantum mihi gaudium attuleris, quod me dignum putasti jure trium liberorum. » Adde Martial. Epigr. III, XCV, vs. 5 :

> Præmia laudato tribuit mihi Cæsar uterque,
> Natorumque dedit jura paterna trium.
>
> BRUNART.

24. *Et donis nunquam mutata sacratis. Sacrata* hæc *dona* sunt *jus trium liberorum*, quod Menecrati indulserat Cæsar, antequam ex uxore liberos susceperat : bono omine, inquit Statius; nam statim totidem suscepisti, o Menecrates; et sic utinam maneat tua domus, *fertilis*, et nunquam *mutata donis sacratis.* Sed nullus in hac voce *mutata* sensus; saltem huic loco non congruus; quomodo enim hæc dona *mutarent* Menecratis domum? tolerabili forte sensu dici posset hæc domus *mu-*

tari, si antea *sterili* et *sine liberis* domino Cæsar concessisset *jus trium liberorum*; tunc enim *ex sterili* in *fertilem* quodammodo esset *mutata*; sed quando hæc optat Statius, Menecrates habet *tres liberos*, et *ex suo*, non indulgentia tantum Imperatoris. Hæc quum ita sint, optat, ut domus maneat quemadmodum nunc est, *fertilis*, et nunquam *mutata donis sacratis*. Inepta dico hæc, et Statium scripsisse, « sic fertilis, oro, Stet domus, et donis nunquam nudata sacratis; » *stet fertilis, et non nudata donis sacratis*, id est, *viduata, vacua, sine donis sacratis, seu tribus liberis*, quos adulatorie vocat *domum* Imperatoris, quia statim sequebantur *jus trium liberorum* Menecrati concessum; *nudata donis*, ut Ovidius, Met. XII, 439, « dum parat hunc armis nudare jacentem; » Prudentius, Psychom. 579,

> Omne onus ex humeris rejecerat; omnibus ibat
> Nudata induviis, multo et se fasce levarat;

Cicero, Arateis, « Denudat foliis ramos, et cortice truncos; » Cæsar Bell. Gall. lib. II: « Hi, ubi circumjecta multitudine hominum totis mœnibus, undique in murum lapides jaci cœpti sunt, murusque defensoribus nudatus est, testudine facta, portis succedunt, murumque subruunt; » et lib. III, « Ut quæque pars castrorum nudata defensoribus premi videbatur, eo occurrere et auxilium ferre. » Vide et Ciceronem, de Orator. I, 38; et Bentleium ad Horat. Art. Poet. v. 60, ubi pro *mutantur* primo conjicit *nudantur*, quod exemplis adstruit; vel *viduantur*, quod et in hoc Statii loco ego dudum conjeceram, *donis viduata sacratis*; sed præstat *nudata*, quia vox æque proba, minor mutatio; quum notum sit literas *d* et *t* pæne ejusdem esse sonûs et potestatis; unde pro *nudata* scriptum erat *nutata*, et deinde *mutata*; quale mendum, ut mihi videtur, adhuc insidet eumdem Horatium, Art. Poet. v. 40,

> Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
> Viribus; et versate diu, quid ferre recusent,
> Quid valeant humeri: cui lecta potenter erit res,
> Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo:

nisi fallor, scripsit Flaccus, « cui lecta pudenter erit res; » id est, *modeste*, et ratione habita virium suarum, et *quid ferre recusent, quid valeant humeri*; ita, v. 51, « dabiturque licentia sumta pudenter; » et Epist. I, 17, « distat, sumasne pudenter An rapias; » pro *pudenter*, scriptum forte fuit *putenter*, mutata *d* in *t*; unde nullo negotio fecerunt *potenter*. Confirmat hanc emendationem ipse, Epist. I, 1: « nec meus audet Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent. »

27. *Aptior his Virtus, citius dabit illa nepotes.* Vereor, ne et hic quoque manus liberalis nobis illuserit, et pro thesauro carbonem obtruserit. Totum locum videamus,

> Macte, quod et proles tibi sæpius aucta virili
> Robore: se juveni lætam dat virgo parenti:
> Aptior his virtus, citius dabit illa nepotes.

Qualis maternis Helene jam digna palæstris
Inter Amyclæos reptabat candida fratres;
Vel qualis cæli facies, ubi nocte serena
Admovere jubar mediæ duo sidera Lunæ;

ubi primum consentiunt interpretes, hanc gratulationem Menecrati scriptam esse ob natam *filiam;* et patere videtur ex versu secundo hujus loci, *se juveni lætam dat virgo parenti;* post *duos filios;* unde, « Macte quod et proles tibi sæpius aucta virili Robore; se juveni, etc. » Jam ergo, si hæc puella *junior* esset ceteris, et *tertio* loco nata, quomodo, quæso, verum esse potest quod dicit, *citius dabit illa nepotes?* quomodo *citius*, si *natu minor?* ut bene quærit Cruceus; quem hic locus adeo movit, ut putaret non de *filia*, sed *filio* hanc scriptam gratulationem; cui et alio argumento propugnare nititur, ex versu 35, « quumque tibi vagiret tertius infans; » ubi si *puella* edita fuisset, longe magis, inquit, decuisset Statium scribere, *vagiret tertia proles.* Futile hoc argumentum; et quid respondebit Cruceus ad hunc locum Glauc. Melior. v. 96, « Quid referam altricum victos pietate parentes? » ubi isti *victi parentes* sunt *matres*, sensu et sequentibus exemplis ita postulantibus. Adhuc igitur verum esse potest *tertiam* hanc *sobolem* fuisse *puellam;* et tandem concedit ipse Cruceus. Sed frustra; quippe supra, in Herc. Surrent. locus est, qui clare probat *duos* priores Menecratis liberos fuisse *filium* et *filiam;* et consequenter *tertiam* hanc *sobolem*, quæ causam dedit huic carmini, fuisse itidem *filium.* Locus est, v. 173, ubi Hercules grates agit Pollio ob exstructum templum, et hæc illi pollicetur,

Avertam luctus et tristia damna vetabo,
Teque nihil læsum viridi renovabo senecta,
Concedamque diu juvenes spectare nepotes,
Donec et hic sponsæ maturus, et illa marito,
Rursus et ex illis soboles nova.

Hic et *illa*, *nepotes* Pollii, liberi erant Julii hujus Menecratis, *filius* et *filia;* tertia igitur proles erat *filius.* Hoc certum est. Restat difficultas de τῷ *citius;* quod cl. Dodwellus explicat, propter pubertatem in *femellis* quam in *maribus* maturiorem, quum mares matrimonium inirent anno ætatis 14, feminæ 12; unde colligit, duobus annis minorem *filiam* non esse potuisse *filio* Menecratis primogenito. Sed non recte argumentari videtur vir clarissimus; sumit enim pro concesso quod erat probandum. Mihi omnino spurius et insititius videtur versus, « Aptior his Virtus, citius dabi tilla nepotes; » quod et clarius patebit, si spectes totius sententiæ connexionem, quam hic versus fœde interrumpit: « Fortunate quoque (vel, *Sis felix*) quod duos virilis sexus habes, et quod tibi edita est filia; pulchra illa, et talis qualis Helene inter duos fratres, vel qualis nocte serena Luna inter duo minora sidera. » Omnia hic plena vides; nec interseri aliquid potest, nisi ut nexum disjungat. Uncinis igitur excipiatur iste versus, *Aptior his Virtus*, etc. Mihi quidem ita videtur. De phrasi *se dat* dixi ad Soter. Gallic. v. 49. *Lætam parenti* est *quæ facit lætitiam* seu gaudium *parenti;* ut Theb. V, 656: « Illa

autem ubinam, cui parva cruoris Lætave damna mei? » « ubinam autem illa est, cui damna mei cruoris parva sunt aut læta, » id est, « cui lætitiam faciunt damna mei cruoris; » dixisse potuit *grata*. Tacit. Annal. II, ad fin. « Ceterum recenti adhuc mœstitia, soror Germanici Livia, nupta Druso, duos virilis sexus simul enixa est; quod rarum, lætumque etiam modicis penatibus, tanto gaudio principem adfecit, ut, etc. » Idem, Annal. III, « aberat quippe adulatio, gnaris omnibus lætam Tiberio Germanici mortem male dissimulari; » et ita alibi. — In Addendis autem Marklandus subjicit : Explicavi phrasin, *lætam parenti*. Sed nisi valde fallor, scripsit Statius, « Se juveni mediam dat virgo parenti. » Supra probavi hanc filiam natam esse *secundo* loco, et hanc gratulationem scriptam esse Menecrati, ob nuper natum *filium*, qui erat *tertius infans*. Jam igitur totum locum relegamus :

> Macte, quod et proles tibi sæpius aucta virili
> Robore : se juveni mediam dat virgo parenti,
> [Aptior his virtus, citius dabit illa nepotes]
> Qualis maternis Helene jam digna palæstris
> Inter Amyclæos reptabat candida fratres;
> Vel qualis cæli facies, ubi nocte serena
> Admovere jubar mediæ duo sidera Lunæ.

Vides hanc filiam, quæ *mediam se dedit*, comparari *Helenæ inter* duos fratres, et *Lunæ inter* dúo sidera; quæ comparatio ineptissima est, nisi legas *mediam;* non enim similis erat Helenæ *inter* Castorem et Pollucem ex eo quod dedit se *lætam* parenti, sed ex eo quod dedit se *mediam*. Certissimum hoc videtur. De versu illo, *Aptior his virtus*, etc. jam dixi; si Statii sit, de quo tamen jure dubites, ponendus videtur post istum, *Admovere jubar*, etc.

36. *Protinus ingenti*, etc. Ex Ovidio, Heroid. VI, 9 : « Cur mihi fama prior quam nuncia litera venit? »

46. *Abantia classis;* id est, Euboica. Carystus ante Chalcodetis dicebatur, vel Macris, ut Dionysius putat et Euphorus tradit : Aristides Macram ait : Chalcidemus Chalcidem, a χαλκὸς, æs, quod ibi primum aiunt repertum; Menechmus eamdem Abantiam ait appellatam. Homerus nunquam Euboicos, semper Abantes appellat, eorumque laudat robur. Aristoteles ex Aba oppido Phocidis Thraces venisse scribit, qui Eubœam tenuerunt : alii ab Abante heroe appellatam putant; ut etiam Eubœam ab Eubœa, muliere indolis heroicæ : hoc autem ait Papinius; quoniam ex Chalcide Eubœæ venerunt, qui tenuerunt Neapolim; ut etiam qui condiderunt Cumas; quorum fuerunt duces Hippocles Cumæus et Megasthenes Chalcidensis. Domit.

49. *Eumelis*, id est, Parthenope, Eumeli filia; nam Parthenope, ut poeta sentit, Eumeli filia, coloniæ Chalcidensis dux, solum Neapolitanum elegit, secuta augurium columbæ, in cujus rei monumentum

Apollinis statua effecta est, columba in lævo humero insidente; ita ut eam respiceret Parthenope, et adorare videretur. Eumelus Thessalis populos habuit, finitimos Phthiotícæ, ut Homer. scribit, et refert Strabo. Domit.

50. *Actæa Ceres;* cujus sacra talia celebramus, qualia sunt in Attica ad Eleusinem instituta ab Eumolpo, ut Apollodorus refert; unde Eumolpia dicuntur a Sophocle. Domit.

51. *Votivam taciti quassamus lampada mystæ.* Nam facibus discurrentes sacra Cereris operabantur, repræsentantes illius errores et indagationem filiæ, quam pervestigasse fertur facibus adhibitis. Currebant autem usque ad extremam lassationem silentes, multa bacchantibus similia meditantes; nam Bacchi sacra cum Cerere erant conjuncta. Domit.

54. *Hos cum plebe sua patrii servate penates.* De *penatibus* et *patriis deis* hæc profert eruditus Hand.: Ut rem paucis comprehendam, dii patrii, πατρῷοι vel πάτριοι, præsides putabantur vel loci, vel civitatis, vel gentis, unde ἐγχώριοι, πολιοῦχοι, ἐγγενεῖς dicti. Vid. Spanhem. ad Callimach. p. 308. Publici erant dii, sed non communes: (cf. Servium ad Virg. Æn. XII, 118). Atheniensibus tutelares dei habebantur Apollo et Jupiter (vid. Albert. ad Hesych. v. Πατρῷος Ζεύς), maxime ex tragicorum sententia (vid. Porson. ad Eurip. Medeam, 1314, p. 454, Lips.). Penates vero utrum in numero patriorum deorum fuerint, nec ne, docti viri non sine causa dubitarunt. Junius in nomenclat. c. 14, pag. 324, disjungit Penates a patriis diis; unos esse contendit Gevartius. Sed utriusque sententiam veram putabis, modo Penates sæpe patriorum deorum nomine generali appellatos acceperis. Penates igitur vel publici vel privati dicebantur (vid. interpr. ad Liv. III, 17; Sellii observ. c. 9); patrii dii semper publici, i. e. communiter culti. Hinc explicandus Nepos, Themist. VII, 4: « Athenienses suo consilio deos publicos suosque patrios ac penates muris sepsisse; » quem male capiunt, quum deos privatos intelligunt nomine patriorum appellatos. A.

55. *Sint qui fessam ævo crebrisque laboribus urbem Voce opibusque juvent.* Nic. Heinsius ad Sil. Ital. XIV, 583, pro *crebrisque laboribus*, legit *Vesbique vaporibus;* vel, *crebrisque vaporibus.* Ingeniose quidem; sed nihil mutandum puto. To *labores* optime denotat *incommoda* cujuscumque generis, *pericula*, et *damna.* Sidonius Apollinaris, Paneg. ad Majorian. Aug. v. 577,

> Lugdunumque tuam, dum præteris, aspice victor;
> Otia post nimios poscit te fracta labores;

Virgil. Æn. II, 283, « ut te post multa tuorum Funera, post varios hominumque urbisque labores Defessi aspicimus! »

CARMEN IX.

RISUS SATURNALITIUS

AD PLOTIUM GRYPHUM.*

Est sane jocus iste, quod libellum
Misisti mihi, Gryphe, pro libello.
Urbanum tamen hoc potest videri,
Si post hoc aliquid mihi remittas;
Nam si ludere, Gryphe, perseveras,
Non ludis: licet, ecce, computemus:
Noster purpureus novusque charta,
Et binis decoratus umbilicis,
Præter me, mihi constitit decussis.

VARIÆ LECTIONES.

* *Risus Saturnalitius ad Plotium.* Ita concipitur epigraphe hujus carminis in editionibus; sed semper suspicatus sum deesse cognomen hujus *Plotii;* et confirmavit Parm.; illa enim habet *Plotio Grippo;* hoc tantum: ceteram vero partem tituli recte habere non dubito, propter ista Præfat. « Plotio Gripho majoris gradus juveni dignius opusculum reddam; sed interim Hendecasyllabos, quos Saturnalibus una risimus, huic volumini inserui. » Nic. Heinsius ad Ovid. Trist. I, 1, v. 5, et ad Prudentium, Cathem. V, 22, et alibi, citat Statium *Lusu Saturnalitio;* nescio culpa memoriæ, an similitudine vocum et sensus. — Cod. Par. *Risus Saturnalitius ad Plotium.* Edit. pr. *Plotio Grippo.* A.

2. *Gryphe.* Cod. Paris. edit. pr. *Grippe;* et ita passim. A.

9. *Mihi constitit decussi.* Sic legebant; at Gronov. de Pecun. Vet. I, 8, probat legendum esse *decussis;* vix opus erat; nam et ita habent plerœque editiones ante Gevartian. et suam.—Cod. Paris. edit. princ. *decussis.* A.

Tu rosum tineis situque putrem,
Quales aut Libycis madent olivis,
Aut tus Niliacum, piperve servant,
Aut Byzantiacos olent lacertos;
Nec saltem tua dicta continentem,
Quæ trino juvenis foro tonabas,
Aut centum prope judices, prius quam
Te Germanicus arbitrum sequenti
Annonæ dedit, omniumque late
Præfecit stationibus viarum;
Sed Bruti senis oscitationes,
De capsa miseri libellionis,
Emptum plus minus asse Caïano,
Donas : usque adeone defuerunt
Scissis pilea suta de lacernis?
Vel mantilia, luridæve mappæ?
Chartæ, Thebaïcæve, caricæve?
Nusquam turbine conditus ruenti

13. *Olent.* Vulgo, *colunt;* quod et retinent cod. Paris. et edit. pr. Vide not. A.

17. Pro *sequenti*, cod. Par. ed. pr. *sequentis.* Vide not. A.

22. Pro *asse Caïano*, Domitius ad Kal. Decembr. v. 17, legit *asse Gaiolo;* et notat, *Gaiorum numismata in arte erant;* et deinde citat hunc versum : non intelligo. — Cod. Paris. edit. princ. vulgatam exhibent. A.

24. *Scissis pilea suta,* etc. Sic scripsit Stat. non *Cæsis pilea suta de lacernis.* Conf. Virgil. Æn. VIII, 702; Juvenal. III, 148, et 354; Virg. Æn. XII, 609; Prudent. Psychom. v. 685. Apuleius, Miles. IX, p. 185, ed. Pricæi : « Dii boni ! quales illi homunculi vibicibus lividulis totam cutem depicti, dorsumque plagosum scissili centunculo magis inumbrati quam obtecti; » ita legendum; vulgo sine sensu, *vibicibus livedinis;* Plin. Epist. IV, 16 : « Ad hoc quidam ornatus adolescens scissis tunicis, ut in frequentia solet, sola velatus toga perstitit, et quidem horis septem. » Ubi mirari soleo quomodo scinderentur *tunicæ*, toga *integra; tunica* enim *toga* est propior. Conciliate hæc, o isti, qui de re Vestiaria scripsistis : si enim quidquam intelligo, scripsisse debuit Plinius, *scissa* toga *sola velatus* tunica *perstitit.* Voces *scindunt* et *cædunt* commutantur apud Ovid. Fast. IV, 273. Pro *suta,* Parm. *sūpta.* — Cod. Par. ed. pr. *Cæsis... suta.* A.

Prunorum globus, atque coctanorum?
Non ellychnia sicca, non replictæ
Bulborum tunicæ, nec ova tantum?
Non leves alicæ, nec asperum far?
Nusquam Cinyphiis vagata campis
Curvarum domus uda cochlearum?
Non lardum breve, debilisve perna?
Non Lucanica, non graves Phalisci,
Non sal, oxygarumve, caseusve,
Aut panes viridantis aphronitri,
Vel passum psythiis suis recoctum,
Dulci defruta vel lutosa cœno?
Quantum vel dare cereos olentes,

28. *Prunorum globus*, etc. Omittit hunc versum Romana editio. — Cod. Par. ed. pr. exhibent. A.

29. Pro *ellychnia*, Parm. *eulichnia*. — Ed. pr. et cod. Paris. in textu vulgatam tuentur, nisi quod pro *ellychnia* scribunt *elychnia;* at in margine idem cod. reponit: « N. eulichina s. n. repletæ Pullorum t. » A.

30. Pro *ova tantum*, Turnebus conjecerat *ova tota;* quod probare videtur Morellus. Non opus ulla mutatione.

34. *Breve*. Vulgo, *grave;* et hoc habent cod. Paris. et ed. pr. Vide not. A.

36. *Non sal, oxiporumve*. Ita editiones: Parmensis tamen *Oxigarumve;* quod admisi, propter auctoritatem istius editionis; sensu æque commodo. Differentiam inter *oxyporon* et *oxygarum* petere potes ex Apicio, I, 32, et 34, ubi eorum compositionem habes; et vide Columellam, de Re Rust. XII, 57, et doctissimum Listerum ad locum Apicii. — Ed. princ. *oxiporumve;* et sic in textu cod. Paris. qui ad marg. *oxigaron*. A.

37. *Viridantis*. Sic etiam ed. pr. et cod. Par. in textu, qui ad marg. *nitidantis*. A.

38. *Psythiis suis*. Cod. Paris. *P. uvis*, et ad marg. *viis*. Edit. princ. *uvis*. A.

40. *Cereos olentes*. Heinsius ad Prudent. Cathemer. V, 22, ex Parm. restituit *olentes*, pro *nitentes;* Domitius in suis invenit *aventes;* unde ille fecit *arentes;* « nam, inquit, ab arido et paupere cliente mittuntur; Martialis: *Cesset cereus aridi clientis.* » An vero si *cliens aridus* sit, ideo *cereus* recte dicatur *aridus?* nugæ. Verum est *olentes;* cerei enim ex cera *odorata* fiebant; vide Gronov. Observ. in Script. Ecclesiast. c. 5, et Heinsium ad Prudentii locum. Turnebus legebat *cereos erat tres;* Morellus, *aratos;* frustra. Ven. *alentes;* id esset, *olentes*. — Cod. Par. in textu, *arentes*, et ad marg. *olentes*. Ed. pr. *arentes*. A.

Cultellum, tenuesve codicillos?
Ollares, rogo, non licebat uvas,
Cumano patinas vel orbe tortas,
Aut unam dare synthesin (quid horres?)
Alborum calicum, atque caccaborum?
Sed certa velut æquus in statera,
Nil mutas, sed idem mihi rependis.
Quid? si quum bene mane semicrudus
Illatam tibi dixero salutem,
Et tu me vicibus domi salutes?
Aut quum me dape juveris opima,
Exspectes similes et ipse cœnas?
Irascor tibi, Gryphe: sed valebis;
Tantum ne mihi, quo soles lepore,
Et nunc hendecasyllabos remittas.

42. *Ollares uvas.* Harum meminit Martial. VII, xx, 9: « Illic et uvæ collocantur ollares. »

43. *Patinas vel orbe tortas.* Sic recta scribendi ratio postulat; non *Cumano patinas in orbe tortas.* Non enim *in orbe torti* dicuntur, sed *orbe,* id est, *rota.* Apul. Apolog. « Etiam orbis a figulo circumactus, etc. » Tibull. II, 6: « Fictaque Cumana lubrica terra rota; » non, *in rota;* Plin. Hist. Nat. XXXV, 12: « vel ad tecta coctilibus laterculis frontatisque, aut quæ rota fiunt; » Petronius, Satirico: « et nova terræ Pocula, quæ facili vilis rota finxerat actu. » Nec metuas a positione τοῦ *vel;* ita enim locatur vers. 39, « Dulci defruta vel lutosa cœno. » — Cod. Par. ed. pr. *in orbe.* A.

46. *Æquus.* Cod. Paris. ed. pr. *equus.* A.

47. *Nil mutas, sed idem mihi rependis.* Diversam lectionem exhibet Parmensis, « Nil mittis, sed idem nihil rependis; » Romana quoque *idem nihil rependis.* Acute: « ego tibi nihil misi; tu idem nihil mihi remittis. » Nescio an ita scripserit Statius, sed defendi posset ex loco Persii, I, 122: « Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo Iliade; » et Juvenal. Sat. III, 208: « Nil habuit Codrus: quis enim negat? et tamen illud Perdidit infelix totum nihil. » *Mittis* vero pro *mutas* nihili est. — In Addendis Marklandus: Veneta quoque, *idem nihil rependis;* et verum est. A. — Cod. Par. a manu prima, « Nil mittis, sed idem nihil rependis; » ex emendatione: « N. mittis s. i. mihi r. » Prius illud habet ed. pr. A.

48. Ven. omittit vocem *mane.*

NOTÆ

IN CARMEN NONUM LIBRI QUARTI

SILVARUM.

---

1. Risus Saturnalitius, etc. In Saturnalibus Xenia mittebantur et apophoreta. Papinius igitur Plotio amico libellum miserat pro Xenio : Plotius jocans ei alterum librum remisit scriptum de philosophia a Bruto, codice vetusto et corroso. Papinius cavillando jocatur, recensetque apophoreta saturnalitia, quæ ille mittere debuisset quum accepisset Xenium. Mihi sane videtur æmulatio Catulliana; nam et Catullus eodem argumento in Calvum conqueritur, quod sibi librum miserit in Saturnalibus pro munere; carm. XIV, 12 :

> Di magni! horribilem et sacrum libellum,
> Quem tu scilicet ad tuum Catullum
> Misti continuo, ut die periret
> Saturnalibus optimo dierum.

Domit.

— Hic *Plotius Gryphus* (seu *Grippus*, seu *Griphus*, seu quocumque cognomine gaudet) vix idem esse potest, qui apud Tacitum, Hist. III, et IV, occurrit : quippe iste Gryphus honores sub Vespasiano gesserat; hic vero *juvenis* erat, quando Hendecasyllabos cum Statio risit. Noster forte erat filius istius; et ita sentire jam video Dodwellum, Annal. Stat. cap. 54. Markland.

Vers. 9. *Decussis.* Assipondium, dupondium, tressis, quatressis, ita usque ad decem, quod dicitur *decussis*, hoc est, decem librarum, ut est ad centum, centussis. Persius, sat. V, vs. 191 : « Et centum Græcos curto centusse licetur. » Domit.

13. *Aut Byzantiacos colunt lacertos.* Quomodo *libelli* vel *chartæ* dici possunt *colere* Byzantiacos lacertos? Domitius notat, *colunt, regunt;* non intelligo, nisi voluit *tegunt;* quod æque verum est, hoc est, æque falsum. Lege, « Aut Byzantiacos olent lacertos; » clarum hoc primo intuitu. Horat. Epist. II, 1, ad fin.

> Cum scriptore meo capsa porrectus aperta
> Deferar in vicum vendentem tus, et odores,

Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis;

Pers. sat. 1, 42, « nec scombros metuentia carmina, nec tus; » quem imitatur Sidon. Apollinaris, carm. X, 315:

Nos valde steriles modos Camœnæ
Raræ credimus hos brevique chartæ
Quæ scombros merito piperque portet;

pergit facete,

Nam quisnam Deus hoc dabit rejectæ;
Ut vel suscipiens bonos odores,
Nardum, ac pinguia Nicerotianis
Quæ fragrant alabastra tincta succis,
Indo cinnamon ex rogo petitum,
Quo Phœnix juvenescit occidendo,
Costum, malobathrum, rosas, amomum,
Myrram, tus, opobalsamumque servet?

Martialis, Epigr. III, L, 9, « Quod si non scombris scelerata poemata donas; » et IV, LXXXVI, 8:

Nec ronchos metues maligniorum
Nec scombris tunicas dabis molestus;

Catullus, Carm. XCIII, vs. 7:

At Volusi Annales apuam porgentur ad ipsam,
Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.

Bene vero *olent Byzantiacos lacertos.* Horat. Serm. II, 4, 65; de olivo,

Quod pingui miscere mero muriaque decebit,
Non alia quam qua Byzantia putuit orca.

17. *Arbitrum sequenti Annonæ dedit.* Τὸ *dedit* postulat *sequenti*, hoc est, *facili*, *obsequenti*, *obedienti* Plotio procuratori; ut bene Gronovius, Diatr. c. 45, ubi refellit eos qui voluerunt *frequenti*, et erudite et copiose hanc vocem illustrat. Inter alia exempla hoc Manilii profert, lib. V, 658:

Hoc trahit in pelagi cædes et vulnera natos
Squammigeri gregis; extentis laqueare profundum
Retibus, et pontum vinclis armare sequentem;

quod ita explicat: « *sequentem* pontum est *cedentem*, *patientem*, *non reluctantem*, nec dedignantem piscatoria arma. *Pontum armare vinclis*, est, retibus ac ceteris armis piscatoriis velut induere pontum, piscibusque infestum reddere. » At quis unquam ita locutus est, *armare pontum vinclis* pro *induere pontum retibus?* anne aliquid *armari* potest *vinclis?* festinanter nimis scripsit vir magnus. Lege, « et pontum vinclis artare frequentem; » hoc est, totum mare occupare et angustum reddere, oppletum retibus et vinclis ejus. *Frequentem vinclis* est *densum*, *plenum vinclis;* ut *Silva frequens trabibus*, Ovidio; *frequens arboribus lucus*, Senec. Epist. 41; *scopulos frequentes exsulibus*, Juvenal. XIII, 246; et innumera ejusmodi. *Artare* seu *arctare pontum* ut apud Lucan. IX, 35, et Senec. Herc. Fur. v. 1210. Sed jam video Scaligerum conje-

cisse *arctare*. In MS. Gemblacensi pro *sequentem* est *furentem;* unde adstruitur aliquatenus mea conjectura; nisi malis *frementem*, id est, *indignantem*. Hunc Manilii locum, ita ut hic, explicat alibi Gronovius, ad Plauti Pers. I, 2. — Markland. in Addendis suis : Pro *sequenti*, Ven. Parm. Rom. *sequentis;* ut constructio sit, *dedit te arbitrum sequentis annonæ*, id est, *fecit, constituit* te arbitrum. A.

20. *Sed Bruti senis oscitationes*. Vel Brutum intelligit, qui in philosophia secutus est Antiochum Ascalonitam et veterem Academiam, Antiochique fratrem Emphilium, quod placet; vel Brutum senem male scribentem notat, suorum temporum hominem. Domit.

29. *Non ellychnia sicca*. Ellychnium est quod lucernæ adhibetur et flammam nutrit, funiculus scilicet ex stupa, et, ut Plinius scribit, ex alia etiam materie aliquando.— *Sicca*, etiam sine oleo. Domit.

32. *Nusquam Cinyphiis vagata campis*, etc. Id est, non habebas testudinem, quam mitteres mihi. Nam excogitatum est putamina testudinum in laminas secare, lectosque et repositoria his vestire; quod Arvilius Pollio primus docuit, sagacis ingenii ad luxuriæ instrumenta. Angustatorium intelligit, quod ex putamine testudinum constabat, mittebaturque in Saturnalibus. Domit.

34. *Non lardum grave debilisve perna? Non l. non graves phalisci*, ut quidam, sed non ferri potest *grave* et *graves*. Lege, « Non lardum breve, debilisve perna. » Probat hoc vox *debilis*, ejusdem fere hoc loco sensus. Per *lardum breve* intelligit minutam lardi portionem; et bene exprimit exiguitatem muneris : *lardum breve* pro *frustum lardi*, ut *minor altilis* Juvenal. V, 168, pro *pars altilis, non tota altilis:* « Ad vos jam veniet minor altilis; » ita legendum, non *Ad nos;* de *clientibus* enim, non de *seipso* agit. Sic *debilis boletus* apud Martial. VII, XX : « Et lippa ficus, debilisque boletus; » *curtus centussis* Persio, Sat. V; *non totus centussis, cui aliquid frangitur*, ut loquitur Juvenalis. Pariter commutantur hæ voces *brevis* et *gravis* Claudiano, IV Cons. Honor. v. 510, « Quæ sub te vel caussa brevis, vel judicis error Negligitur? » ita recte edidit Heinsius, pro *caussa gravis*. Vide locum.

35. *Lucanica*. Farcimen inventum primum in Lucanis populis, unde est ei nomen. Ab Apicio conditur pipere, cimino, satureia. Domit.

42. *Ollares uvas;* in ollis servatas; quod fieri docet Columella in bumastis duraturis purpureis, ut pediculi impicentur, dura pice vas fictile condiatur, paleis quam siccissimis cribratis et substratis; altero vasculo adhibito cooperiatur, circumlito luto paleato, et ponantur etiam in tabulato quam siccissimo, obrutis vasis palea. Eæ ollares uvæ dicebantur. Domit.

44. *Aut unam dare syntheſin* (*quid horres?*) *Alborum calicum, atque caccaborum?* Recte hæc capiunt interpretes; et est παρὰ προσδοκίαν, quando scilicet aliud exspectatur, aliud dicitur. Similiter Martialis, II, XLVI, in re simili,

Quantum erat infelix pannis fraudare duobus
(Quid renuis?) non te, Nævole, sed tineas;

Senec. de Vit. Beat. cap. 23: « Donabit (quid erexistis aures? quid expeditis sinum?) donabit.... aut bonis, aut eis quos facere poterit bonos. » Suspendenda est oratio post secundum *donabit*. Ita in isto Horatii, « Di te, Damasippe, Deæque Verum ob consilium donent.... tonsore, » exspectare potuit Damasippus, ut diceret Flaccus, « Dii Deæque donent te omnibus bonis et optatis; » pro quo ille facete substituit *tonsore*. Torsit vero eruditos viros istud *Alborum*; pro quo Salmas. ad Hist. August. Script. vol. II, p. 773, legit: « Alvorum, calicum, atque caccaborum; » et hoc comprobare videtur Marq. Gudius ad Phædr. III, 13. Heinsius vero ad Ovid. Art. Am. III, 244, vult, *Obbarum, calicum*; quod sane probabile videtur ex loco Varronis, quem ibi adducit: « Dolia atque apothecas tricliniares, melicas, calenas, obbas et Cumanos calices. » Vide locum, ubi plura et erudita de hoc vase.

48. *Quid? si quum bene mane semicrudus Illatam tibi dixero salutem.* P. Scriverius legit *Illotam salutem*, id est, *illoto gutture* et *semicrudus*; et ita Turnebus; magis hoc ingeniosum quam necessarium puto; Statius enim hoc vult, « Si ego tibi porto matutinum ave, æquumne est te, tanto superiorem, salutationis vicem mihi reddere? absurda hæc esset talio. » Extra propositum igitur videtur *Illotum*; mihi magis placet *Allatam*; *Illatam* defendit Gronovius, Diatrib. cap. 45; et ferri potest. *Bene mane*, hoc est, *valde mane*; ita Cic. ad Atticum, « bene mane hæc scripsi. » *Bene naviter* Seneca, de Otio Sapient. cap. 1. Vide Inscript. veterem apud Reinesium, p. 340.

FINIS LIBRI QUARTI.

SILVARUM

LIBER QUINTUS.

AD ABASCANTIUM.*

OMNIBUS affectibus prosequenda sunt bona exempla, quum publice prosint. Pietas, quam Priscillæ tuæ præstas, et morum tuorum pars est, et nulli non conciliare te, præcipue marito, potest. Uxorem enim vivam amare voluptas est, defunctam religio. Ego tamen huic operi non ut unus e turba, nec tantum quasi officiosus assilui: amavit enim uxorem meam Priscilla, et amando fecit mihi il-

VARIÆ LECTIONES.

* *Ad Abascantium.* Parm. addit *Priscillæ virum;* Veneta *Epistola ad Virum Priscillæ,* sine ulla mentione *quinti* libri. Et hinc confirmatur suspicio mea (vide not. ult.) Statium emisisse *quatuor* tantum libros Silvarum; et titulum *quinti* additum esse ab aliis, non ex ipsius auctoris divisione; quippe hæc ed. Veneta statim expressa fuit ex libris MSS., in quibus, absque dubio, nulla fuit mentio *quinti* libri. Vide quæ de hac re dixi ad Præf. lib. IV. — Cod. Paris. *Ad Abascantum;* edit. princ. *Abascantium;* hæc autem et ille *quintum* librum incipere monent. A.

3. Vulgo, *pars, nulli;* et sic etiam cod. Paris. et edit. pr. Conf. not. A.

4. *Marito.* Cod. Paris. edit. pr. *merito.* A.

6. Vulgo, *sed tamen tum quasi officiosus.* — Cod. Paris. edit. pr. vulgatam servant. Vid. not. A.

7. *Amando fecit mihi illam probatiorem.* Parmensis alio et meliore ordine, *fecit* illam mihi *probatiorem.* — Cod. Paris. edit. princ. nil mutant. A.

lam probatiorem : post hoc ingratus sum, si lacrimas tuas transeo. Præterea, latus omne divinæ domus semper demereri pro mea mediocritate connitor ; nam qui bona fide Deos colit, amat et sacerdotes. Sed quamvis propiorem nexum amicitiæ tuæ jampridem cuperem, mallem tamen nondum intervenisse materiam. *** (*Reliqua desunt.*)

8. Pro *sum*, Gronovii editio *sim* ; non opus est. — Cod. Paris. edit. pr. *sum*. A.

9. Pro *divinæ*, Parm. *divitiæ* ; et *demeriti* pro *demereri*. — Cod. Par. ed. pr. vulgatam habent. A.

11. *Propiorem nexum*. Ven. et Parm. *propiorem visum* ; voluerunt, opinor, *propiorem usum a. t.* quod verum videtur. — Cod. Paris. in textu, *nexum* et ad marg. *usum*. Ed. pr. *nexum*. A.

12. Forte, *mallem talem nondum*. Vide not. Pro *intervenisse*, Parm. *invenisse*. — Cod. Par. ed. pr. nil mutant. A.

NOTÆ

IN EPISTOLAM P. P. STATII

AD ABASCANTIUM.

Lin. 3. Et *morum tuorum pars, nulli non*, etc. Ita editiones; unde Gronovius, Diatr. c. 46, miratur tam parvum vitium tot sagaces oculos fefellisse, et legit *morum tuorum pax, nulli non*, etc. Postea tamen, Reliq. ad Silv. notat MS. Salisb. et primam Venet. habere, *morum tuorum pars, et nulli non;* unde scribit, *morum tuorum pars est, et nulli non;* quod verissimum est : et ita citat hunc locum, not. ad Senec. de Benef. I, 8. Sensus est : pietas, quam Priscillæ uxori tuæ mortuæ exhibes, ad mores et naturam, et indolem tuam bonam pertinet, est quod a te et moribus tuis exspectaremus : et ideo scriptionem hanc, et comprobationem meam publicam meruit, duas ob causas; primum, quia publice prodest hoc pietatis exemplum : deinde, quia ego quoque maritus sum, et proinde maritalis pietatis exemplum in alio suspicere debeo. Hæc est Statii mens. *Pars morum*, ut Virgil. Æn. VII, 266, « Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni; » et XI, 213,

> Jam vero in tectis prædivitis urbe Latini
> Præcipuus fragor, et longi pars maxima luctus;

qui locus magno mendo laborat. Ovidius, Metam. XIII, 204, « Primaque pars nostri tecum fuit illa pericli : » ita legendum puto; vel *laus;* vulgo, *primaque lux;* quod sane non intelligo. Idem, Heroid. XII, 91, « Vidi etiam lacrimas : an pars et fraudis in illis? » Auctor Eleg. ad Liv. Aug. v. 267,

> Pars eris historiæ, totoque legeris in ævo,
> Teque opus ingeniis carminibusque dabis :

ita legendum opinor; vulgo, *erit*, et *legetur*, et *Seque dabit :* sed sequitur, *Stabis et in rostris;* unde conjicio hæc quoque in secunda persona concipienda esse. Seneca, Phœniss. v. 229, « jam sensum tui Quæ pars meorum es criminum, infelix pater Fugissem. » Amat hanc locutionem Tacitus : Hist. III, « additis copiis e Vitelliano exercitu; quem spargi per provincias et externo bello illigari, pars consilii pacisque erat; » alibi : « præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat videre et aspici. » Et ita passim. De τῷ *publice* vide Gronovium ad Liv. IV, 13, quod moneo, ne quis legat *publico*.

CARMEN I.

ABASCANTII IN PRISCILLAM PIETAS.*

Si manus aut similes docilis mihi fingere ceras,
Aut ebur, impressis aurumve animare figuris;
Hinc, Priscilla, tuo solatia grata marito
Conciperem; namque egregia pietate meretur
Ut vel Apelleo vultus signata colore,
Phidiaca vel nata manu, reddare dolenti:
Sic auferre rogis umbram conatur, et ingens
Certamen cum morte gerit, curasque fatigat
Artificum, inque omni te quærit amare metallo.
Sed mortalis honos, agilis quem dextra laborat.
Nos tibi, laudati juvenis rarissima conjux,
Longa, nec obscurum finem latura, perenni
Tentamus dare justa lyra; modo dexter Apollo,
Quique venit juncto mihi semper Apolline Cæsar,
Annuat: haud alio melius condere sepulcro.

VARIÆ LECTIONES.

* *Abascantii in Priscillam pietas.* Ita omnes præter Parmensem, quæ habet, « Epicedion in Priscillam Abascantii uxorem. » Alterum confirmat Præfatio : « Pietas quam Priscillæ tuæ præstas, etc. » Tiliobroga hoc nomen scribi vult *Abascantum* (non *Abascantium*) ex ratione et fide vett. Inscriptionum. Sane analogia pro illo facit; sed aliud dicunt Inscriptiones; vide Reines. p. 879, et 599; et Gruter. p. 962, num. 9. Non quin *Abascantus* pluries occurrat; sed *Abascantius* aliquoties; quod huic loco satis est. — Cod. Par. edit. pr. *De Priscilla uxore castissima.* A.

15. Pro *haud*, Parmens. *aut.* —

Sera quidem tanto struitur medicina dolori,
Altera quum volucris Phœbi rota torqueat annum :
Sed quum plaga recens, et adhuc in vulnere primo
Ægra domus questu, miseramque accessus ad aurem
Conjugis orbati, tunc flere et scindere vestes
Et famulos lassare greges, et vincere planctus,
Fataque, et injustos rabidis pulsare querelis
Cælicolas, solamen erat : licet ipse levandos

Cod. Par. et edit. pr. *haud*. Mox ed. pr. *condedere*, et sic etiam cod. Par. qui ex emendatione *condere*. A.

17. *Altera quum volucris Phœbi rota torqueat annum*. Nihil mutant editiones : nihilominus tamen scripsit Statius, « Altera quum volucrem Phœbi rota torqueat annum ; » non *altera volucris rota*, nec *volucris Phœbi*, quorum utrumvis Statio indignum. *Volucrem annum* ut *volucris dies* Horatio, carm. III, 28, et IV, 13 ; *præcipitem annum* Seneca, Herc. Fur. 180, « volucrique pede Rota præcipitis vertitur anni ; » ita legendum ; vulgo *volucrique die ;* nisi malis *vice* pro *die*. Ovid. Met. X, 520 : « Labitur occulte, fallitque volatilis ætas, Et nihil est annis velocius ; » Noster, Lacrim. Etrusc. vs. 20, « celeres genitoris filius annos, Mira fides ! pigrasque putat properasse sorores ; » ut ibi legendum, pro *nigras ;* Martialis, VIII, VII, « Principium des, Jane, licet velocibus annis. »

18. *Sed quum plaga recens et adhuc in vulnere primo Nigra domus questu*. Nic. Heinsius, not. ad Valer. Flaccum, I, 147, pro *Nigra* legit *Ægra*, ut « Ægra lacrimis Thetis, » Achilleid. II, 11 ; bene : Theb. V, 83 : « Assiduis ægræ lacrimis, solantia miscent Alloquia ; » ita legendum pro *Colloquia* alibi monui ; Senec. Thyest. v. 240, « Domus ægra, dubius sanguis. » Pro *vulnere primo*, optime legere potes *funere primo ;* ita Lucanus, II, 21, et Nostier, Theb. V, 593. Hanc conjecturam adjuvat vox præcedens *plaga ;* quippe *plaga recens* et *vulnus primum* idem sunt. Hæ vero voces perpetuo commutantur ; ita Lucan. IV, 542, de Vulteio, « Ecquis, ait, juvenum est, cujussit dextra cruore Digna meo, certaque fide per vulnera nostra Testetur, se velle mori ? » ubi certus sum legi deberi *per funera nostra*, tum ex sensu, tum quia statim sequitur, « sed eum cui vulnera prima debebat ; » Nost. Thebaid. IX, 566, « mutua Graiis Sidoniisque simul nectebat vulnera Mavors ; » legendum *funera ;* ut apud Valer. Flaccum, VI, 428 : « Funera miscebant campis ; » et 631 : « Ille volat campis immensaque funera miscet ; » sed quod summum est, ex Virgil. hic locus Statii desumptus, Æn. X, 755 : « Jam gravis æquabat luctus et mutua Mavors Funera. » — Cod. Par. ed. pr. *Nigra*. A.

20. Pro *tunc*, Parm. *nunc*. — Cod. Par. ed. pr. *nunc*. A.

Ad gemitus silvis comitatus et amnibus Orpheus
Afforet, atque omnis pariter matertera vatem,
Omnis Apollineus tegeret Bacchique sacerdos;
Nil cantus, nil fila, Deis pallentis Averni
Eumenidumque audita comis, mulcere valerent:
Tantus in attonito regnabat pectore luctus!
Nunc etiam ad planctus refugit jam plana cicatrix
Dum canimus, gravibusque oculis uxorius instat
Imber: habentne pios etiamnum hæc lumina fletus?
Mira fides! citius genitrix Sipyleä feretur
Exhausisse genas; citius Tithonida mœsti
Deficient rores, aut exsiccata fatiscet
Mater Achilleis hiemes affrangere bustis.
Macte animi! notat ista Deus, qui flectit habenas
Orbis, et humanos propior Jove digerit actus;
Mœrentemque videt, leotique arcana ministri
Hinc etiam documenta capit, quod diligis umbram,
Et colis exsequias: hic est castissimus ardor;
Hic amor a domino meritus censore probari.
Nec mirum, si vos collato pectore mixtos
Junxit inabrupta concordia longa catena.
Illa quidem, nuptuque prior, tædasque marito

28. Pro *Eumenidum comis*, Tiliobroga conjicit *choris*; male: oblitus erat Epiced. Patr. vs. 278, « Si laudanda precor, tædas auferte, comasque Eumenidum. »

32. Pro *etiamnum hæc lumina*, Parm. et Rom. *etiamnunc lumina*. Scriptum erat *etiamnum ec*, pro *hec* seu *hæc*: inde istud *etiamnunc*. — Cod. Paris. ed. pr. *etiam nunc l. f.* A.

33. Vulgo, *Sipyleia fertur*. Cod. Paris. *Sipyleia*; edit. pr. *Sipylcia*, typorum, ut apparet, errore. Hæc autem et ille *fertur*. Vide not. A.

35. Cod. Paris. in textu, *exsiccata*; ad marg. *exsaciata*. Edit. pr. *exsiccata*. Conf. not. A.

36. Pro *Mater*, Rom. *Manet*. — Cod. Par. ed. pr. *Mater*. A.

37. Cod. Par. ed. pr. *notat iste deus*. A.

44. *Longa*. Sic edit. pr. et cod. Paris. in textu, qui ad marg. dat, *nuda*. A.

45. Vulgo, *nuptumque*: hoc etiam retinent cod. Par. et ed. pr. Vid. not. A.

Passa alio; sed te ceu virginitate jugatum
Visceribus totis, animoque amplexa fovebat.
Qualiter æquævo sociatam palmite vitem
Ulmus amat, miscetque nemus, ditemque precatur
Autumnum, et caris gaudet redimita racemis.
Laudentur proavis, seu pulchræ munere formæ,
Quæ morum caruere bonis, falsaque potentes
Laudis egent veræ: tibi, quanquam et origo niteret
Et felix species, multumque optanda maritis,
Ex te major honos, unum novisse cubile,

47. Pro *fovebat*, Rom. *favebat*. — Cod. Par. ed. pr. *fovebat*. A.

49. *Miscetque nemus*. In Rom. *miscetque venus;* qualis diversitas et Ovidio, Met. II, 438, ubi pro *nemus est*, duo libri *venus est*. Vide Burmannum, qui eamdem et in Virgilio notat. Sequitur; *et caris gaudet redimita racemis*. Non accurate scripsit si ita scripserit Statius; quid enim eximium, si aliquid *gaudet* rebus *caris?* Suspicor ab illo fuisse, « et crebris gaudet redimita racemis; » hoc videtur postulare argumentatio, et vox *ditem*. Eodem modo corruptum puto Ovidium, Pontic. I, 4, vs. 50, ubi uxori dicit: « O ego, Di faciant, talem te cernere possim, Crebraque mutatis oscula ferre genis! » ita legendum puto, non *Caraque*. *Crebris* autem *racemis* ut *creber lucus* Ovid. Met. XI, 190; *crebri amplexus* Met. IX, 537; *crebri horti* Propert. II, 23, v. 47, « Et crebri platanis pariter surgentibus horti; » sic enim legendum; vulgo *creber ordo;* intelligit platanos *sativas*, quæ in hortis erant Romanorum veterum. — Cod. Par. ed. pr. *miscetque nemus*. A.

51. Pro *Laudentur*, et *pulchræ*, Parm. et Rom. *Laudatur* et *pulchro:* perperam. — Cod. Par. ed. pr. *Laudentur... pulchro*. A.

52. *Falsoque potentes Laudis egent veræ*. Oppositio plane indicat legendum esse, « falsaque potentes Laudis egent veræ: » similiter Seneca, Thyest. v. 211, « Laus vera et humili sæpe contingit viro, Non nisi potenti falsa; » Ovid., Heroid. XIII, 108, « Dum careo veris, gaudia falsa juvant; » Seneca, Controv. II, 10, « pœne dum falsæ mortis nuntium misit, veræ recepit; » ita legendum, pro *verè recipit*. Constructio est: « qui potentes falsa laude, egent veræ laudis. » *Potentes laude*, ut *natis potens*, Ovid. Met. XIII, 509; *auro potens*, Plaut. Epidic. I, 2, 50; *voluptatibus gaudiisque antepotens*, idem, Trinum. V, 1, 1. — Cod. Par. ed. pr. *falsoque*. A. — Pro *caruere*, Parm. *cavere*. — Cod. Paris. ed. pr. *caruere*. A.

55. *Ex te*. Rom. *E et te*. — Cod. Paris. ed. pr. *Ex te*. Mox, pro *novisse*, ed. pr. *nocuisse;* et sic etiam cod. Paris. qui a manu secunda, *novisse*. A.

Nullaque famosa signatur lancea pinna.
Præterea, fidos dominus si dividat enses,
Pandere quis centum valeat frenare maniplis
Intermixtus equos; quis præcepisse cohorti;
Quem deceat clari præstantior ordo tribuni;
Quisnam frenigeræ signum dare dignior alæ.
Mille etiam prænosse vices: an merserit agros
Nilus, an imbrifero Libye sudaverit Austro:
Cunctaque si numerem, non plura interprete virga
Nuntiat e celsis ales Tegeaticus astris;
Quæque cadit liquidas Junonia virgo per auras,
Et picturato pluvium ligat aera gyro;
Quæque tuas laurus volucri, Germanice, curru

93. Vulgo, *Multaque fumosa... penna:* hoc ipsum habent ed. pr. et cod. Par. in textu; qui ad marg. pro *Multa*, *Nulla*. Vid. not. A.

95. *Pandere quis centum valeat frenare maniplos Intermissus eques.* Ita omnes editiones, sine sensu. Salmasius vero, ap. Gronov. Diatr. cap. 47, et Epist. quæ præfigitur Elench. Antidiatr. p. 28, ita restituit, « quis centum valeat frenare maniplis Intermixtus equos, » vel *eques:* « quis, intermixtus maniplis, valeat frenare centum equos. » De illo loquitur Statius, qui præerat centum equitibus legionariis. *Frenare centum equos* est *ducere* vel *præesse centum equitibus: intermixtus maniplis*, quia hi equites per *manipulos* (qui erant *legionis*) erant distributi ita ut quæque cohors suos equites haberet. Eo vero tempore cohortes singulæ legionariæ equites habuere adjunctos legionarios centum et viginti (tamen, Epist. 89, dicit centum et triginta). Centum vero rotundo numero dixit Statius; de quo genere loquendi plura exempla ibi profert Gronovius. Hæc verissima fere videntur. Salmasius retinet *eques*, quia hujusmodi præfecti sæpe erant *Equites* Romani. Sed verius puto *equos*. — Cod. Paris. edit. pr. *maniplos Intermissus eques*. A.

98. Pro *frenigeræ*, Parm. *frenigere*. — Cod. Par. *frenigeræ*: ed. pr. *frenigere*. A.

99. *Merserit*. Edit. pr. *merseris;* et sic cod. Paris. qui ex emendatione *merserit*. A.

103. Pro *virgo*, Venet. *jura*. — Cod. Paris. ed. pr. *virgo*. A.

104. Pro *pluvium aera*, Parm. *liquidum;* librarius conjecerat oculos in versum præcedentem ubi est *liquidas;* inde repetivit vocem: sic supra, Herc. Epitrap. v. 98, *carmina* et *carmine;* et ita passim. — Cod. Par. ed. pr. *pluvium;* initio versus, hæc et ille *E* pro *Et*. A.

105. *Quæque tuas laurus volu-*

Fama vehit, prægressa diem, tardumque sub astris
Arcada, et in medio linquens Thaumantida cælo.
Qualem te Superi, Priscilla, hominesque benigno
Aspexere die, quum primum ingentibus actis
Admotus conjux! vicisti gaudia certe
Ipsius, adfuso dum pectore prona sacratos
Ante pedes avide domini tam magna merentis
Volveris. Aonio non sic in vertice gaudet,
Quam pater arcani præfecit hiatibus antri
Delius, aut primi cui jus venerabile thyrsi
Bacchus, et attonitæ tribuit vexilla catervæ.
Nec tamen hic mutata quies, probitasve secundis
Intumuit; tenor idem animo, moresque modesti,

cri, Germanice, cursu Fama vehit. Optime Barthius *curru* pro *cursu;* notum istud Horatii, « Sed fulgente trahit constrictos Gloria curru Non minus ignotos generosis; » Noster, Silv. III, 4, 36: « Vade, puer, ducam volueri per sidera curru; » conf. et Claudianus, Rap. Pros. II, 247; Virg. Æneid. X, 440. — Cod. Par. ed. pr. *cursu.* A.

107. Vulgo, *linquit;* sed constructio postulat *linquens,* ut *prægressa.* — Cod. Paris. edit. princ. *liquit.* A.

110. Pro *certe,* vulgo *cænæ;* quod et retinent cod. Paris. ed. pr. Vide not. A.

111. *Effuso dum pectore.* Heinsius ad Valer. Flaccum, I, 762, legit *adfuso* pectore; verissime: Ovid. Metam. IX, 605: « Amplectique pedes affusaque poscere vitam; » Noster, Theb. III, 686: « Utque fores iniit, magnoque affusa parenti est; » ubi codex Petrens. habet *effuso:* mendose; vide satis exemplorum dicto Flacci loco. Vox *avide,* vers. proxime sequenti, etsi satis inconcinna, et versus potius quam sensus causa ingesta videatur, recte tamen habet. Vid. Sil. Italic. XII, 715; Lucan. IV, 445; Noster, Silv. IV, 3, 132; Thebaid. IV, 519; Senec. Œdip. 608, « Avide latebras nemoris umbrosi petunt Umbræ tramentes; » ita legendum; vulgo *Pavidæ,* quod ferri non potest, quum statim sequatur *trementes,* eodem sensu. — Cod. Paris. ed. pr. *effuso.* A.

114. Vulgo, *Quem;* hoc et habent cod. Paris. ed. pr. Mox, pro *hiatibus,* edit. pr. *hiantibus,* ut et cod. Paris. qui ex emendatione, *hiatibus.* Vide not. A.

115. Pro *cui jus,* Parm. *cujus;* et ita codices Domitii, quem hic locus diu torsit: tandem verum vidit, *cui jus.* — Cod. Par. edit. pr. *cui jus.* A.

117. Pro *mutata,* Parm. et Rom. *cunctata:* perperam. — Cod. Par. *Non t. hinc cunctata;* ed. pr. *Non t. hic cunctata.* A.

Fortuna crescente, manent : fovet anxia curas
Conjugis, hortaturque simul, flectitque labores.
Ipsa dapes modicas, et sobria pocula tradit,
Exemplumque ad herile monet : velut Appula conjux
Agricolæ parci, vel sole infecta Sabina,
Quæ videt emeriti, jam prospectantibus astris,
Tempus adesse viri, propere mensasque torosque
Instruit, exspectatque sonum redeuntis aratri.
Parva loquor : tecum gelidas comes illa per Arctos,
Sarmaticasque hiemes, Istrumque, et pallida Rheni
Frigora, tecum omnes animo durare per æstus,
Et, si castra darent, vellet gestare pharetras,
Vellet Amazonia latus intercludere pelta;
Dum te pulverea bellorum in nube videret
Cæsarei prope fulmen equi, divinaque tela

122. Pro *monet*, legere potes *movet;* et sic Venet. Utrumvis defendi potest. — Cod. Par. ed. pr. *monet*. A.

123. *Vel sole infecta Sabino*. Heinsius ad Ovid. Amor. II, 4, 15, pro *Sabino* reponit *Sabina;* verissime: *Sabina*, scil. *mulier*, vel *conjux*, ut paulo ante *Appula conjux*. Ovidius, Medicam. Faciei, v. 13, de *Sabinis* loquens, « Quum matrona, premens altum rubicunda sedile, Assiduo durum pollice nebat opus; » *rubicunda*, id est, *sole infecta*. Iterum, Art. Am. III, 303, « Illa, velut conjux Umbri rubicunda mariti, Ambulat; ingentes varica fertque gradus. » Sed rem extra omne dubium ponit Horat. Epod. II, 41 : « Sabina qualis, aut perusta solibus Pernicis uxor Appuli. » Hinc sumsit Statius. — Cod. Paris. ed. pr. *Sabino*. A.

124. Pro *astris*, Parm. *austris;* male : *prospectantibus astris* est *jam apparere incipientibus*. — Cod. Paris. edit. pr. *astris*. Pro *Quæ*, Cod. Paris. qui hoc in textu habet, ad marg. *Cum*. A.

126. Pro *exspectatque*, cod. Paris. ed. pr. *expectataque*. A.

129. *Durare per æstus*. Vulgo *durata;* quod retinent cod. Paris. edit. princ. Vide not. Pro *omnes*, hæc et ille *omnis*. A.

132. Pro *bellorum in nube*, antiquæ editt. pleræque omittunt præpositionem, a præcedente litera absorptam. — Omittunt etiam cod. Paris. et ed. pr. A.

133. Pro *fulmen*, edit. pr. *flumen*, ut et cod. Par. qui ex emendatione *fulmen*. A. — Pro *divina tela*, Ven. *damnata*. — Cod. Par. ed. pr. *divina*. Versu sequenti, pro *Librantem*, vulgo *Vibrantem*, quod et habent cod. Paris. ed. pr. Vide not. A.

Librantem, et magnæ sparsum sudoribus hastæ.
Hactenus, alma chelys: tempus nunc ponere frondes,
Phœbe, tuas, mœstaque comam damnare cupresso.
Quisnam impacata consanguinitate ligavit
Fortunam Invidiamque Deus? quis jussit iniquas
Æternum bellare Deas? nullamne notavit
Illa domum, torvo quam non hæc lumine figat
Protenus, et sæva perturbet gaudia dextra?
Florebant hilares inconcussique penates;
Nil mœstum: quid enim, quamvis infida levisque,
Cæsare tam dextro, posset, Fortuna, timeri?
Invenere viam liventia Fata, piumque
Intravit vis sæva larem: sic plena maligno
Afflantur vineta Noto; sic alta senescit
Imbre seges nimio; rapidæ sic obvia puppi
Invidet, et velis adnubilat aura secundis.
Carpitur eximium fato Priscilla decorem:
Qualiter alta comam silvarum gloria pinus
Seu Jovis igne malo, seu jam radice soluta,
Deficit, et nulli spoliata remurmurat auræ.
Quid probitas, aut casta fides, quid numina prosunt
Culta Deum? furvæ miseram circum undique leti
Vallavere plagæ: tenuantur dura sororum
Licia, et exacti superest pars ultima fili.
Nil famuli cœtus, nil ars operosa medentum
Auxiliata malis: comites tamen undique ficto
Spem simulant vultu: flentem notat illa maritum.
Ille modo infernæ nequicquam flumina Lethes

141. Pro *sæva*, Parmensis *scæva*, ut sæpenumero vidimus. — Pro *perturbet*, cod. Paris. et edit. princ. *perturbat*. A.

146. Pro *vis*, cod. Par. ed. pr. *jus*. A.

147. Pro *vineta*, Parm. et Rom. *jumenta*. — Edit. pr. *jumenta*, et sic in textu cod. Par. qui ad marg. *vineta*. A.

149. Lege *obsibilat*, et conf. not. ad vs. 148.

Incorrupta rogat : nunc anxius omnibus aris
Illacrymat, signatque fores, et pectore terget
Limina ; nunc magni vocat exorabile numen
Cæsaris. Heu durus fati tenor ! estne quod illi
Non liceat ? quantæ poterant mortalibus annis
Accessisse moræ, si tu, pater, omne teneres
Arbitrium ? cæco gemeret Mors clusa barathro,
Longius et vacuæ posuissent stamina Parcæ.
Jamque cadunt vultus, oculisque novissimus error,
Obtusæque aures, nisi quum vox sola mariti
Noscitur : illum unum mèdia de morte reversa
Mens videt ; illum ægris circumdat fortiter ulnis
Immotas obversa genas ; nec sole supremo
Lumina, sed dulci mavult satiare marito.
Tunc sic unanimum moriens solatur amantem :

164. Pro *terget Limina*, Parm. et Rom. *Lumina ;* perperam : *pectora adfligere solo* vocat Lucan. I. — Cod. Paris. a manu prima, *Lumina ;* a secunda, *Limina*. Ed. pr. *Lumina*. A.

165. Pro *tenor*, edit. pr. *teneor ;* et sic a manu prima eod. Par. qui ex emendat. *tenor*. A.

167. Forte : *si tu, pater alme, t.* Vide not.

170. *Oculisque novissimus horror*. Ita editiones. Senensis vero codex habet *error* (et sic etiam Venet.) ; quod probabat Eust. Swarthius in Analectis, Gronovio referente, Diatr. cap. 47. *Errare* oculi jamjam moriturorum dicuntur ; Virgil. Æn. IV, 691, de Didone : « Ter revoluta toro est ; oculisque errantibus, alto Quæsivit cælo lucem ; » ad quæ Servius : « *errantibus*. Vicinitate mortis. » Nost. Theb. XII, 777, « ille oculis extremo errore solutis Labitur ; » quæ loca adduxit Gronovius. Valer. Flaccus, VI, 277 : « Dixerat : extremus quum lumina corripit error ; » ubi pariter erat *horror ;* vide Heinsium. *Trepidos visus* vocat Noster, Theb. IX, 880, de re eadem ; et *lumina dubitantia figi*, eleganter, Theb. VIII, 757. Sequentem locum, « Obtusæque aures, nisi quum vox sola mariti Noscitur, » laudat Jul. Cæsar Scaliger, Poet. VI, pag. 777. — Cod. Paris. ed. pr. *horror ;* at in marg. idem cod. *error*. A.

172. *Noscitur*. Sic ed. princ. et cod. Par. qui ad marg. dat, *Nascitur*. A.

174. Pro *obversa*, Veneta *obtusa*. — Cod. Paris. et edit. princ. *obversa*. A.

176. Cod. Paris. ed. pr. *unanimem*. A.

« Pars animæ victura meæ, cui linquere possem
O utinam quos dura mihi rapit Atropos annos,
Parce, precor, lacrymis, sævo nec concute planctu
Pectora, nec crucia fugientem conjugis umbram.
Linquo equidem thalamos, salvo tamen ordine, mœsti
Quod prior. Exegi longa potiora senecta
Tempora; vidi omni te pridem in flore nitentem,
Vidi altæ propius propiusque accedere dextræ:
Non in te Fatis, non jam Cælestibus ullis
Arbitrium; mecum ista fero: tu limite cœpto
Tende libens, sacrumque latus, Geniumque potentem
Irrequietus ama: nunc, quod cupis ipse juberi,
Da Capitolinis æternum sedibus aurum,

177. Vulgo *possim*: lege *possem*; sensu postulante. — Cod. Paris. ed. pr. *possim*. A.

179. Pro *sævo*, Parm. *scævo*, ut sæpe.

181. Vulgo, *mœstos*, *Quod prior exegi*, etc. et pro *mœstos*, Venet. *noctis*. Conf. not. — Cod. Paris. *mœstos* et ad marg. *mortis*, ita ut hæc ipsa vox ad *ordine* referatur (*salvo tamen ordine mortis*); edit. pr. *mœstos*. A.

186. *Tu*. Cod. Par. qui primum habuit *tu*, nunc ex emendat. scribere videtur *cum*. Ed. pr. *tu*. A.

187. Parm. *geminumque*, pro *geniumque*. — Cod. Par. edit. pr. *geniumque*. A.

188. *Quod cupis ipse videri*. Dudum monuerunt viri eruditi pro *videri* reponendum esse *juberi*. Recte: et hoc postulabat sensus, et minima mutatio, et proprietas verbi *jubere*, quæ est *morientium*, et *ultimæ voluntatis* vox; unde *jussa* et *mandata* passim dicuntur ea, quæ supremo testamento fieri voluerunt defuncti. Et Venet. *juberi* exhibet. Contrario modo in hac voce peccatum est Ovid. Amor. I, 11, v. 19, ubi pro *rescribat multa jubeto*, legendum *videto*; quod jam deprehendo Heinsium occupasse. — Ed. pr. *videri*; et sic etiam apud cod. Paris. qui ad marg. *juberi*. A.

189. Pro *Da Capitolinis*, Venet. Parm. Rom. *De Capitolinis*: forte, *Des Capitolinis*, et mox *signes*, non *signet* cum vulgatis (vid. not. ad vers. 190). Cupis quidem, inquit Priscilla, *juberi* hoc; ego vero *rogo*, *Des*, non impero. (Hæc Markland. in Addendis suis. A.) — Edit. pr. *De Capitolinis*; et sic a manu prima cod. Par. qui nunc habet *Da*. Mox vulgo *niteat*, quod retinent cod. Paris. et edit. pr.; hæc et ille cum cæteris *signet*. A. — Pro *centeno pondere*, Venet. *contento*. — Cod. Paris. ed. pr. *centeno*. A.

Quo niteant sacri centeno pondere vultus
Cæsaris; et propriæ signa cultricis amorem.
Sic ego nec Furias, nec deteriora videbo
Tartara, et Elysias felix admittar in oras. »
Hæc dicit labens, sociosque amplectitur artus,
Hærentemque animam non tristis in ora mariti
Transtulit, et cara pressit sua lumina dextra.
At juvenis, magno flammatus pectora luctu,
Nunc implet sævo viduos clamore penates;
Nunc ferrum laxare cupit; nunc ardua tendit
In loca; vix retinent comites: nunc ore ligato
Incubat amissæ, mersumque in corde dolorem
Sævus agit: qualis conspecta conjuge segnis
Odrysius vates, positis ad Strymona plectris,
Obstupuit, tristemque rogum sine carmine flevit.
Ille etiam certæ rupisset tempora vitæ,
Ne tu Tartareum Chaos incomitata subires;

193. Pro *admittar ad oras*, quod verum est, et plus quam *ad oras*: vulgo legitur, Parm. *in oras*, quod admittitur enim *ad oras* qui *extra* est et ad limen stat; admittitur *in oras* non nisi qui *intrat;* quod hoc loco voluit Statius. Exempla ubique. De mutatione *in* et *ad* vide Heins. ad Ovid. Heroid. III, 136. — Cod. Par. ed. pr. *ad oras*. A.

201. Forte: *mutumque in corde dolorem Sævus alit*. Conf. not.

205. *Certe rupisset tempora vitæ*. Ita pleræque editiones. Parm. tamen et Rom. *recte*, pro *certe*, transpositis literis. Vera est emendatio Gronovii, Diatrib. cap. 47: « *certæ vitæ*, id est, *haud ambiguæ;* adludit fabulam Admeti et Alcestidis: nempe, quum non dubium esset utrum ipsi an uxori vita esset deserenda. Sic Martialis, IV, 75, 8: « Tu melius: certo meruisti pignore vitæ, Ut tibi non esset morte probanda fides; » hoc est, quum non dubia essent stamina vitæ tuæ: eamdem enim historiam respexit. Aut *certa vita*, cui opponitur ex morbo aliquo *ambigua*, aut periculo. » Hæc vir magnus; verissime: *certæ vitæ* est *incolumis*, et *nullis periculis obnoxiæ*, in tuto positæ: quo sensu restituenda hæc vox Sabino, Epist. I, ad fin. ubi Ulixes Penelopæ dicit, « Et tandem incipias conjuge certa frui; » elegantissime: *certa*, quia adhuc *incerta* fuisset Penelope, propter absentiam et errores Ulixis: *certa* igitur, extra metum posita. Vulgo legitur, *conjuge cara frui:* frigide. — Cod. Par. et ed. pr. *recte*. A.

Sed prohibet mens fida duci, juratæque sacris
Imperiis, et major amor. Quis carmine digno
Exsequias et dona malæ feralia pompæ
Perlegat? omne illic stipatum examine longo
Ver Arabum Cilicumque fluit, floresque Sabæi,
Indorumque arsura seges, præreptaque templis
Tura, Palæstini simul Hebræique liquores,
Coryciæque comæ, Cynareiaque germina. At altis
Ipsa toris Serûm Tyrioque umbrata recumbit
Tegmine; sed toto spectatur in agmine conjux
Solus; in hunc magnæ flectuntur lumina Romæ,
Ceu juvenes natos suprema ad busta ferentem:
Is dolor in vultu; tantum crinesque genæque

207. *Mirandaque sacris Imperiis.* Nullus in his sensus: facilis vero restitutio, « Sed prohibet mens fida Duci, juratæque sacris Imperiis, et major amor. » *Jurata imperiis,* ut Thebaid. II, 491, « exit in unum Plebs ferro jurata caput; » et IV, 305: « Hos belli cœtus, juratæque pectora Martı, etc.; » Sil. Italicus, I, 9: « ter Marte sinistro Juratumque Jovi fœdus, etc. » Florus, II, 8: « Hinc ultionem puer Annibal ad aram patri juraverat; » Manil. I, 904: « nec plura alias incendia mundus Sustinuit, quam quum ducibus jurata cruentis Arma Philippeos implerunt sanguine campos; » ita legendum pro *agmine campos;* ut paulo ante, « Infecitque trium legionum sanguine campos. » Exempla ubique. Error natus ex eo quod syllabæ *mi* et *iu* iisdem pæne ductibus constant: inde primo *mirata* pro *jurata;* postea, ut species aliqua sensus esset, *miranda.* — Cod. Paris. edit. pr. *mirandaque.* Paulo ante, hæc et ille *ducis* pro *duci.* A.

213. Pro *Palæstini simul Hebræique liquores,* Gronovius ex editt. legit *Palæstinis simul;* recte: Hor. Serm. I, 10, 86: « simul his te, candide Furni; » Nemesianus, Cyneget. v. 158, de catulis, « Hos igitur, genetrice simul, jam vere sereno, Molli pasce sero. » Passim exempla invenias. Sed nihil muto in contextu, quia non necessarium est; et facile fieri potuit ut litera *s* sequentis vocis adhæreret τῷ *Palæstini:* mitto positionem τοὺ *que* in Gronovii emendatione non optimam. — Cod. Par. ed. pr. *palæstinis.* A.

214. Ita legit et distinguit idem Gronovius: « Coryciæque comæ Cinyreaque germina. At altis Ipsa toris, etc. » et hoc itidem recte: prius fuit, *et altis.* Pro *germina,* Parm. *gramina.* — Cod. Par. ed. princ. *et altis.* Hæc autem et ille *germina.* A.

216. Pro *Tegmine,* Parmens.

Noctis habent: illam tranquillo fine solutam,
Felicemque vocant; lacrymas fudere marito.
Est locus ante urbem, qua primum nascitur ingens
Appia; quaque Italo gemitus Almone Cybele
Ponit, et Idæos jam non reminiscitur amnes.
Hic te Sidonio velatam molliter ostro
Eximius conjux (nec enim fumantia busta
Clamoremque rogi potuit perferre) beato
Composuit, Priscilla, toro: nil longior ætas
Carpere, nil ævi poterunt vitiare labores
Siccatam membris; tantas venerabile marmor
Spirat opes: mox in varias mutata novaris
Effigies; hoc ære Ceres, hoc lucida Gnosis,

Agmine. — Cod. Paris. edit. pr. *Tegmine.* A.

220. *Noctis habent.* Forte, *Sordis habent.* Vide not.

221. Pro *fudere*, vulgo *fundente.* — Cod. Par. ed. pr. *fudere.* Vide not. A.

222. *Est locus ante Urbem, qua primum nascitur ingens Appia.* Sic omnes quas ego vidi editiones: et facile defendi potest *nascitur* pro *incipit;* ut *nascitur amnis* Ovid. Art. Am. II, 343; *sic tempora nasci, Sic annos intrare decet* Noster, Consulat. Domitian. vs. 19; et similia ubique. Heins. vero ad Ovid. Met. IV, 556, et Gronovius, Diatrib. c. 38, ex cod. Mediceo proferunt, *qua primum surgitur ingens Appia*, pro *surrigitur;* ut *porxit* pro *porrexit*, Glaue. Ated. vers. 205; *porgi* pro *porrigi*, Thebaid. VIII, 755; *surgite* pro *surrigite*, Plaut. Epidico; et talia innumera. Et sane vera hæc videntur; et bene dici posset *via surrigi* vel *subrigi*, quæ in aliquam eminentiam surgit; sed quia nihil mutant editiones, nec sensus absolute postulat hanc mutationem, ego nihil mutavi; libenter facturus, si aliquid absurdi in vulgata fuisset. De hac voce *Subrigere* dixi aliquid ad Lacrim. Etrusc. v. 76, « Præcipuos sedenim merito subvexit in actus; » ubi si quis me culpat, quod hanc Heinsii conjecturam in contextum admiserim contra *subrexit*, vel Gronovii *surrexit*, tantum peto, ut unum exemplum proferat in quo *homines* dicuntur *subrigi in honores* vel *actus.* — Postea, quum in Veneta Markland. comperisset *surgitur*, hoc in textum recipi jussit. Cod. Paris. ed. pr. *nascitur.* A.

227. Vulgo *Ardoremque rogi.* — Cod. Paris. ed. pr. *Clamoremque rogi.* Vide not. A.

229. *Vitiare.* Ven. *intrare.* — Ed. pr. *intrare*, et sic etiam in textu cod. Paris. qui ad marg. *vitiare.* A.

231. Vulgo *Sepit opes.* Ed. pr.

Illo Maia tholo, Venus hoc non improba saxo,
Accipiunt vultus, haud indignata, decoros
Numina; circumstant famuli, consuetaque turba
Obsequiis: tum rite tori, mensæque parantur
Assiduæ: domus ista, domus; quis triste sepulcrum
Dixerit? Hac merito visa pietate mariti
Protenús exclames, Est hic, agnosco, minister
Illius, æternæ modo qui sacraria genti
Condidit, inque alio posuit sua sidera cælo!
Sic ubi magna novum Phario de litore puppis
Solvit iter, jamque innumeros utrinque rudentes
Lataque veliferi porrexit brachia mali
Invasitque vias, in eodem angusta phaselus
Æquore, et immensi partem sibi vendicat Austri.
Quid nunc immodicos, juvenum lectissime, fletus
Corde foves, longumque vetas exire dolorem?
Nempe times, ne Cerbereos Priscilla tremiscat
Latratus? tacet ille piis: ne tardior adsit

Sopit, ut et cod. Par. qui ad marg. *Spirat*. Vide not. A.

233. Forte legendum, *Illo Maia auro*. Pro *tholo*, Ven. *loco*. — Cod. Par. ed. pr. *tholo*. A.

236. *Mensæque parantur Assidue*. Melius Parmensis *Assiduæ mensæ*: ita *assiduas dapes* de eadem re, Lacrim. Etrusc. v. 199, ubi erat *assidue* pariter atque hic. Sic *assiduæ nubes*, Ovid. Met. I, 66; *assiduæ querelæ*, Propert. II, 18, 1; et infinita ejusmodi. *Domus* vero sæpe ponitur pro *sepulcro*: vide Burm. ad Petron. c. 71. Hic vero distinguit Statius, proposito suo inserviens. — Cod. Paris. ed. pr. *Assidue*. Paulo ante, hæc et ille *cum* pro *tum*. A.

241. Pro *inque*, Rom. *atque*. — Cod. Paris. ed. pr. *atque*. Pro *alio*, cod. Paris. ex emendat. *alto*: edit. princ. *alio*. A.

244. Pro *veliferi porrexit*, Parm. *velliferi prorexit*. — Cod. Paris. ed. pr. vulgatam exhibent. A.

245. Forte, *it eodem*. Vid. not.

246. Pro *vendicat*, Parm. *vindicat*: frustra. Acumen Venetæ nonnullis forte non displicebit, *partem subvindicat Austri*. Nihil tamen mutandum. — Cod. Paris. edit. princ. *vindicat*. A.

247. *Lectissime*. Edit. pr. *lætissime*; et sic etiam in textu cod. Par. qui ad marg. *lectissime*. A.

249. Cod. Paris. ed. pr. *tremescat*. A.

250. *Ne tardior*. Sic ed. pr. et a manu prima cod. Paris. qui a secunda *nec*. A.

Navitą, proturbetque vadis? vehit ille merentes
Protenus, et Manes placidos locat hospite cymba.
Præterea, si quando pio laudata marito
Umbra venit, jubet ire faces Proserpina lætas,
Egressasque sacris veteres Heroïdas antris
Lumine purpureo tristes aperire tenebras,
Sertaque et Elysios animæ præsternere flores.
Sic Manes Priscilla subit; ubi supplice dextra
Pro te Fata rogat, reges tibi tristis Averni
Placat, ut expletis humani finibus ævi

252. Pro *placidos*, omnes editt. *placidus*. Sed vix opus erat dicere Charonta *placidum*, quum hoc satis exprimatur in *hospite cymba;* sed dicit *merentes* et *placidos Manes*, quietos, qualis est Priscilla. Gevartius primus, quod sciam, edidit *placidos;* et hunc sequebatur Gronovius : recte, si monuissent. Alterum tamen defendi potest. — Postea Markland. in Venet. Parm. Rom. comperit *placidus;* qui consensus, ait ille, prægravare debet. Cod. Paris. ed. pr. *placidus*. A. — Mox, pro *cymba*, forte legendum *ripa*. Vid. not.

253. *Si quando pio laudata marito Umbra venit*. Non satisfacit *laudata :* et scio quidem vocem ad rem funebrem pertinere ; Seneca, Consol. ad Marc. cap. 17 : « Nihil vetat illos liberos tibi suprema præstare, et *laudari* te a liberis tuis : » et ita ubique. Sed nimis angusta mihi videtur vox *laudata*, nec satis exprimere. Melius, meo judicio, si scripsisset, *pio plorata marito*. Ita Ovid. Art. Am. I, 75 : « Nec te prætereat Veneri *ploratus* Adonis. » Sed quid est quod video in Lacrim. Etrusc. v. 25 : « Felix, heu nimium felix, *ploratæque* nato *Umbra venit*. » Hæc sunt ipsa verba. Sed melius tacere : paucis enim hoc persuadebo. — Pro *venit*, Venet. *vetat*. — Cod. Paris. ed. pr. *venit*. A.

254. Pro *faces*, Venet. *fores*. — Cod. Paris. ed. pr. *faces*. *Jubet ire faces*, etc. Seneca tamen id dicit solis pueris, ephebis, et virginibus concessum, in Hercul. Fur. act. III, « His datum solis... ceteri vadunt per opaca tristes. » A.

256. Cod. Paris. et ed. pr. vulgatam *aperire* tuentur. Vide not. A.

257. *Animæ prosternere flores*. Cuivis patet legendum *præsternere;* et sic Venet. ; ut Propempt. Met. Celer. vs. 114 : « Quæ sibi *præsternat* vivax altaria Phœnix. » Et ita conjecerant Bernartius, et Heinsius ad Ovid. Am. III, 13, v. 24, ubi etiam pro *aperire tenebras*, ex Parmensi reponit *laxare*. Totus vero hic Statii locus sumtus est ex Virgilii Culice, v. 260 : « Obvia Persephone comites Heroidas urget Adversas præferre faces ; » ita legendum ; vulgo *perferre :* nisi malis *proferre*. Mox, isto poemate, v. 265,

Pacantem terras dominum, juvenemque relinquas
Ipse senex : certæ jurant in vota Sorores.

pro *et procul illam*, lege, *it procul illa;* quod per se patebit si locum inspicias : ibi quoque *et* confunditur cum *it;* vide supra, ad vers. 245. — Cod. Par. ed. pr. *præsternere.* A. — *Sertaque et Elysios animæ præsternere flores.* Ex more spargendi flores in eos, quos honorare volebant, vel quos benevolentia prosequebantur. Livius, lib. XXIII, « Omnes tendere ad imperatorem Romanum, ut ruente turba in unum, adire, contingere dextram cupientium, coronas lemniscosque jacientium, haud procul periculo fuerit. » Ovidius, de Germanico triumphante; Trist. IV, 2, 49 : «Quaque ibis, manibus circum plaudere tuorum : Undique jactato flore tegente vias. » Tacitus, Ann. XIV, « Octaviæ imagines gestant humeris, spargunt floribus. » Virgilius, Æneid. lib. VI, vs. 885, « Purpureos spargam flores, animamque nepotis His saltem accumulem donis. » Noster Epith. Stellæ, Silv. I, 2, 21, « Optatæ conjugis artus Floribus innumeris et olenti spargere nimbo. » Quin etiam mortui his aspersi. Suetonius, in Augusto, cap. XVIII, 1 : « Conditorium et corpus Magni Alexandri quum prolatum e penetrali, subjecisset oculis corona aurea imposita ac floribus aspersis, veneratus est. »

261. Pro *Pacantem*, Parm. *Placantem;* frustra. — Edit. princ. *Placantem*, et sic etiam apud cod. Paris. qui ex emendatione reponit *Pacantem.* A.

262. *Certe jurant in vota Sorores.* Et hic quoque reponendum *certæ:* vidit Gronovius, Diatr. cap. 47, et Heinsius ad Claudian. in Eutrop. II, 2, quo tamen loco pro *certæ Prodigii patuere minæ*, legendum puto *seræ :* vide sequentia, quæ hoc postulare videntur. « Sorores (id est, *Parcæ*) jurant in vota *certæ*, fixæ et determinatæ, » hæc eventura esse quæ rogavit pro Domitiano Priscilla. — *Certæ*, id est, bonæ, et quibus fidere possis. Sic Cicero in Verrem : « Iste homo certus et diligens, ad horam octavam præsto est. » Ibidemque : « Propter virtutem et fidem, cum Androne, homine honestissimo et certissimo, electus est. — Cod. Paris. ed. pr. cum cæteris *certe.* A.

NOTÆ

IN CARMEN PRIMUM LIBRI QUINTI

SILVARUM.

ABASCANTII IN PRISCILLAM PIETAS. Priscillam, Abascantii uxorem epicedio laudat, in quo etiam viri pietatem admiratur, qui nec lacrymis modum fecerat, quamvis jam alter annus ageretur ex quo mortua erat. Abascantius quum aliquandiu nullius muneris particeps fuisset, tandem in militiæ curam ab imperatore Domitiano adscitus, eum secutus est in expeditionem Germanicam, operamque navavit fortissime. DOMIT.

VERS. 9. *Inque omni te quærit amare metallo.* Vix audeo movere controversiam huic loco; adeo elegans videtur; sed si propius spectes suborietur forte suspicio: dicit enim *te quærit amare:* atqui τὸ *quærit* dicitur de rebus quæ cum *difficultate* aliqua et *molestia* efficiuntur, ut Theb. XII, 113, de Argia noctu errante, « *Quærit* inops Argia vias; » et ita passim: saltem si hoc sensu non sumendum sit hoc loco, at sumi potuit; unde mihi non displicet, « inque omni te quærit habere metallo: » hæ enim voces in libris millies confunduntur. *Habere* vero de statuis et hujusmodi possessionibus sæpe usurpatur; Noster, Herc. Epitrap. IV, 6, 59, « Pellæus habebat Regnator lætis numen venerabile mensis; » Martialis, IX, 44, de eadem icuncula, « Hoc habuit numen Pellæi mensa tyranni; » Plin. Epist. III, 7, 8, de Sil. Italico: « Multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur. » Sed nihil forte mutandum.

14. *Quique venit juncto mihi semper Apolline Cæsar.* Heinsius ad Ovid. Heroid. IV, 113, ita citat hunc versum, « Quicunque venit mihi dexter Apolline Cæsar; » memoriæ, opinor, errore.

19. *Miseramque accessus ad aurem;* ut Thebaid. V, 73, 2:

> Tunc pius Œclides, ut prima silentia vulgi
> Mollior ira dedit, placidasque accessit ad aures;

ubi pro *accessit*, MS. Petrensis habet *accensus*, positis punctis sub litera

n; qui mos est literas spurias notandi. Lege, *placidasque accessus ad aures*. Hoc autem et tibi et mihi debeo, lector, ut fatear me non intelligere hunc Statii locum, *miseramque accessus ad aurem Conjugis orbati*: verba quidem omnes intelligimus; sed quo sensu huic loco conveniant, id adhuc quæro; et suspicor male affecta esse.

25. *Omnis matertera;* omnes Musæ, sorores Calliopes matris Orphei ex Æagro. DOMIT.

26. *Omnis Apollineus tegeret Bacchique sacerdos. Tegeret* est *comitaretur*, ut Thebaid. II, 219, « Hunc *tegit* Iasiusque senex, placidusque Phoroneus. » Hujus sensus notio est in phrasi *latus tegere*, qua Horatius et alii utuntur. Cicero, Arateis, « Hanc Aries *tegit*, et squammoso corpore pisces. »

33. *Citius genitrix Sipyleia fertur Exhausisse genas.* Ita omnes, opinor, editiones post Domitium, qui ita reposuit pro *Sipellea fertur*, quod in suis omnibus invenit; et ita ego in Parm. *si pellea fertur*. Heinsius vero ad Ovid. Fast. IV, 943, emendavit, « citius genitrix *Sipylea feretur* Exhausisse genas; » quo nihil unquam verius fuit: sequitur enim, « citius Tithonida mœsti *Deficient* rores, aut exsiccata *fatiscet:* » ergo *feretur exhausisse;* quod tantumdem est, nec plus quam *exhauriet;* nulla ratione habita *famæ* vel *rumoris* in voce *feretur*, sed simpliciter *exhauriet*. Id ego exemplis aliquot (quia nescio an hactenus observata fuerit poetica hæc elegantia) illustratum dabo: Ovidius, Fastor. II, 289:

> Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur
> Arcades, et Luna gens prior illa fuit:

ubi *habuisse feruntur* simpliciter est *habuerunt;* ut mox *fuit:* si enim dixisse voluerit Ovidius, « *Fama est* Arcadas *habuisse* terras, » dixisse etiam debuit, « et gentem istam *fuisse* priorem Luna, » quum utraque propositio ejusdem sit *certitudinis*. Jam vero quum *affirmet*, et dicat *fuit*, necesse etiam est ut dicat *habuerunt*. Et ad hanc regulam exige exempla sequentia: idem, eodem libro, v. 255, in fabula Corvi:

> Immemor imperii sedisse sub arbore fertur,
> Dum fierent tarda dulcia poma mora.
> Inde satur nigris longum rapit unguibus hydrum,
> Ad dominumque redit, fictaque verba refert:

sedisse fertur est *sedit*, ut *rapit*, *redit*, *refert;* pro quibus dixisse debuit *rapuit*, *rediit*, *retulit;* sed hanc temporum mutationem sæpissime negligunt poetæ: Tibullus, II, 1, vs. 39, de Diis ruris:

> Illi compositis primum docuere tigillis
> Exiguam viridi fronde operire casam:
> Illi etiam tauros primum docuisse feruntur
> Servitium, et plaustro supposuisse rotam.
> Tunc victus abiere feri, etc.

35.

Docuisse feruntur est nihil præter *docuere;* nec *fama* aliquem locum in hoc negotio habet; quum æque *certum* sit Deos ruris *docuisse* tauros ferre jugum, ac *docuisse* homines operire casas viridi fronde. Ex his exemplis (et centum alia ejusdem generis facile proferre possem) restituere forte possimus locum Nostri, in Tiburt. Manl. Vopisci, vs. 9, ad hunc modum :

> Ipsa manu fertur tectum scripsisse Voluptas :
> Tunc Venus Idaliis unxit fastigia succis,
> Permulsitque comis, blandumque reliquit honorem
> Sedibus, et volucres vetuit discedere natos ;

ubi *fertur scripsisse* erit *scripsit,* ut *unxit, permulsit, reliquit, vetuit :* vulgo legitur, *Ipsa manu tenera tectum scripsisse :* in hac editione, *Visa manu tenera,* quia in MS. Senensi et nonnullis editt. ita erat; vetustiores tamen magno consensu *Ipsa manu : tenera* omnino otiosum est, quum satis fuerit dixisse *manu scripsisse;* vide ad Capill. Earini, vs. 87. Unde dudum conjeceram sub voce *tenera* latere verbum *fertur,* cui jungeretur rò *scripsisse;* sed et in hanc rem exempla aliquot notaveram : quia tamen audacior videbatur conjectura, nec vim phraseos *fertur scripsisse* satis tunc temporis perspectam habui, monere omisi : mihi jam verissima videtur : ita, Silv. II, 3, 27, Arb. Ated.

> . . . . sed una
> Emisit contenta manu, lævumque soporem
> Naidos aversa fertur tetigisse sagitta ;

ubi *fertur tetigisse* plane est *tetigit,* ut *emisit :* sic et Ovidius, Art. Am. lib. II, vs. 477 :

> Blanda truces animos fertur mollisse voluptas ;
> Constiterunt uno femina virque toro :

ita malim, quam *Constiterant. Fertur mollisse* est *molliit,* ut *constiterunt.* Hinc *feror esse* pro *sum;* et simpliciter *feror* pro *sum,* ita tamen ut verbum *esse* intelligatur. Ovid. Met. VII, 61, « quo conjuge felix Et Dis cara *ferar,* et vertice sidera *tangam;* » ubi *ferar* est *ferar esse,* hoc est, *ero;* ut *tangam :* idem, Heroid. VI, 113 :

> Si te nobilitas, generosaque nomina tangunt ;
> En ego Minoo nata Thoante feror ;

hoc est, *feror esse,* id est, *sum nata;* iterum, Met. VIII, 486, « An felix Œneus nato victore *feretur,* Thestius orbus erit? » ita omnino legendum, non *fruetur,* cum vulgatis : *feretur esse felix,* id est, *erit felix,* ut loco modo citato. Sic *dicor* pro *sum :* Propert I, 9, 8, « Atque utinam posito *dicar* amore rudis! » ubi eadem ellipsis verbi substantivi; plene effert idem, II, 9, 24, 29 :

> Una aut altera nox nondum est in amore peracta,
> Et dicor lecto jam gravis esse tuo ;

id est, *sum gravis;* idem III, 6, 21 :

> Ille potest nullo miseram me linquere facto ?
> Rivalem ex illa dicor habere domo ?

ita enim scribendos esse depravatissimos versus olim docebo; *dicor habere* est *habeo*. Phædrus, Fab. I, 27 :

> Hæc res avaris esse conveniens potest,
> Et qui humiles nati, dici locupletes student;

id est, *esse locupletes*. His intellectis, nulla erit difficultas in isto Auctor. Consolat. ad Liv. Aug. v. 151, ubi Livia loquitur :

> Ultima contigimus : jus matris habemus ab uno :
> Unius est munus quod tamen orba negor;

ubi *negor* plane est *non sum;* quod hoc modo resolvendum est : *negor* est *dicor non; dicor non orba,* seu *dicor non esse orba,* est, *non sum orba*. Eadem est ratio in vocibus *trador, nominor, vocor*. Ovidius, Fast. III, 161, de Julio Cæsare :

> Ille moras Solis, quibus in sua signa rediret,
> Traditur exactis disposuisse notis;

id est, *disposuit,* ut *junxit* paulo post. Sic *nominor* pro *sum* apud Phædrum, I, 5, 7 : « Ego primam tollo, *nominor* qui aleo; » hoc est, quia *sum* leo; si locus recte habeat. *Vocor* pro *sum* Ovidio, Heroid. IV, 149, « Non ego dedignor supplex humilisque *vocari;* » sic enim legendum, non *precari*, quod frigidum est quum præcesserit *supplex : vocari supplex* est *esse supplex*, ut Met. XI, 222, de Achille, « qui fortibus actis Acta patris vincet, majorque *vocabitur* illo; » id est, *erit*. Hæc omnia ejusdem sunt rationis. Recte igitur *feretur exhausisse,* id est, *exhauriet;* ut *deficient*. et *fatiscet*. Et hoc in contextum admisissem, nisi typis excusa fuisset ista scheda antequam in hanc Heinsii emendationem incidissem. — His Marklandi rationibus permoti, et ejus propositum sequentes, *Sipylea feretur* in textum recepimus. Ed.

35. *Aut exsiccata fatiscet Mater Achilleis hiemes affrangere bustis.* Heinsius ad Ovid. Trist. I, 10, v. 8, pro *exsiccata* ex veteri codice vult *exsatiata :* parum recte, opinor; deest enim *quo exsatiata* sit. *Luctu,* vel *lacrymis,* puto, dicet : atqui vox *exsatiata,* per se posita, hoc non denotat. Parem Gevartii errorem, et in eadem voce, notavi ad Arb. Ated. Silv. II, 3, 69, ubi *exsatiate* interpretatur *plenus vita*. Recte habet *exsicest, exhausta, sicca facta;* ut verbis præcedentibus, *Deficient rores. Achilleis bustis,* ut Propertius, II, 13, 37 :

> Nec minus hæc nostri notescet fama sepulcri,
> Quam fuerant Phthii busta cruenta viri;

ex quo loco forte emendandus Ovidius, Met. XIII, 452, de Polyxena, « Ducitur ad tumulos, *diro*que fit hostia *busto :* » forte legendum, « Phthio*que fit hostia* busto. » Sed præcessit, v. 448, *Achilleos Manes;* ut nihil mutandum.

38. *Humanos propior Jove digerit actus.* Ita omnes editiones; elegantissime : *digerit* est *disponit*, et *ordinat*, suum cuique locum et officium

assignans; cujus significationis obvia sunt exempla. Heinsius vero, not. ad Claudian. VI Cons. Honor. v. 590, « veterumque exempla secutus *Digerit* imperii sub judice fata Senatu, » notat in quatuor libris fuisse *dirigit*, ut apud Statium, inquit, Pietate Abasc., « et humanos propior Jove *dirigit* actus. » Imposuit, opinor, viro optimo memoria; nec verum est Imperatorem humanos actus *dirigere;* hoc enim Dei solius; licet hunc quoque *Deum* appellet Statius. Sed omnino verum est *digerit*. Hæ voces sexcenties confunduntur in vett. libris.

42. *Hic amor a domino meritus Censore probari;* hoc est, Domitiano: is enim « suscepta morum correctione (verba Suetonii cito), probrosis feminis lecticæ usum ademit, jusque capiendi legata hæreditatesque. Quædam ex utroque ordine lege Scantinia condemnavit. » Bern.

45. *Illa quidem nuptumque prior tædasque marito Passa alio.* Legendum *nuptuque prior,* ut *natu prior,* Auson. Epitaph. 37; *ævo juxta prior,* Noster, Theb. VI, 584; id est, « qui prior quidem fuit ævo, sed juxta, non longe, » ut bene Scholiastes vetus. *Nuptum prior* forte defendi possit, ut sit Græcismus; sed verius *nuptu;* et ita conjecerat Turnebus, Morello teste. Videtur autem Statius sibi ipsi contradicere, quando infra, v. 55, hæc habeat:

> Ex te major honos, unum novisse cubile,
> Unum secretis agitare sub ossibus ignem:

si enim Priscilla passa erat tædas *marito alio,* quomodo dici potest *unum* novisse *cubile?* hoc enim non nisi de *μονογάμοις* vere et stricte prædicari potest; ut de patre suo Statius, Epiced. v. 240, « *Una* tibi cognita tæda Connubia, *unus* amor, » utpote qui *unam* tantum uxorem duxerat. Sed lenienda interpretatio est; et intelligendus Statius quasi dixisset, postquam uxor tua facta est, *tui unius* novit cubile, *tui unius* amore ardebat. Hunc locum videtur exscripsisse Alcimus Avitus, de Laude Virginitat. v. 624, « Asservasse toros, atque *unum nosse cubile.* » Vide autem proprietatem Statii in voce *probari*, v. 42; Censorum enim erat *probare:* vide Gronovium ad Senec. Natur. Quæst. VII, 16, et Quintilian. procem. lib. IV, Institut. ubi de Domitiano loquitur.

48. *Qualiter æquævo,* etc. Sic apud Catull. Carm. LXI, 54, « At si forte eadem (vitis) est ulmo conjuncta marito. » Morell. — Inde et istud Gallici poetæ, « La vigne ramperait sans l'ormeau qu'elle embrasse. » A.

55. *Ex te major honos. Major honos,* ut Thebaid. II, 240, « Tunc, si fas oculos, non unquam longa tuendo Expedias cui *major honos;* » Auctor Consol. ad Liv. August. v. 454, ubi inducitur Drusus matrem consolans:

> Exitus hic, mater, debuit esse meus.
> Nec meritis (quanquam illa juvant magis) adfuit illis
> Major honos: titulis omnia plena vides;

ita legendus locus iste qui fefellit Heinsium et Gronovium : vulgo, *abfuit*, et *Mater, honos*, et *nomina*. Paulo ante dixerat Drusus de bellica virtute majorum suorum : Hæc, inquit, postulat ut pro patria pugnando oppeterem ; *exitus meus talis esse debuit*. Nec tamen, licet acta mea minoris sint momenti Reipublicæ quam illorum fuerunt, minor honor exhibitus fuit mihi post mortem quam illis (*nec meritis adfuit illis major honos*) : circumspice enim, et videbis omnia loca plena titulis et honoribus meis : *Consul et ignoti victor Germanicus orbis legor. Omnia* vero pro *nomina* cl. Burmanno debemus.

58. *Nec qui fraternus adulter*, etc. Nota historia ex tragœdia : nam Thyestes Meropem Atrei fratris uxorem pretio corruptam compressit, suscepitque eo concubitu Tantalum, quem sibi apposuit Atreus. Domit.

60. *Si Babylonis opes, Lydæ si pondera gazæ*, etc. Comparandus Propert. I, eleg. VIII, vs. 33, Edit. nostræ pag. 51 :

Illa vel angusto mecum requiescere lecto,
Et quocumque modo maluit esse mea ;
Quam sibi dotatæ regnum vetus Hippodamiæ,
Et quas Elis opes ante pararat equis.

Ed.

76. *Pii juvenis raramque quietem Intactamque fidem*. Sic ediderunt : utinam simul et explicassent quid sit *rara quies* hoc loco, aut qua laudis parte ponendum ; nam alia ratione dicitur de Etrusco, Lacrym. Etrusc. III, 3, 106, « Hinc tibi *rara quies*, animoque exclusa voluptas ; » ibi enim loquitur de illo in mediis rerum et negotiorum civilium fluctibus ; hic vero de Abascantio antequam ad rerum actus admoveretur. Corruperunt qui non intelligebant quo tenderet lectio antiquorum codicum, quæ est *vanamque quietem* (et sic etiam Venet.), unde facillime efficitur, *navamque quietem*. Pulcherrima antithesis *nava quies*, et qua alibi utitur, Silv. lib. I, cap. 3, 91, « Hic premitur *fecunda quies* ; » *quies*, quæ tamen aliquid *parit* et profert, *non torpida* : ita, præfat. lib. II, Ursus dicitur « sine jactura desidiæ doctissimus : » licet *quietem* amaverit, tameu *navam* quietem, et quæ aliquid ageret, et doctrinæ *laborem* impenderet. *Quies* vero hoc loco ponitur pro *modestia* : et ita Noster sæpe ; infra, v. 117 :

Nec tamen hic mutata quies, probitasve secundis
Intumuit : tenor idem animo, moresque modesti ;

et ad Uxor. III, 5, 17, « Sed *probitas*, et opaca *quies*, et sordida nunquam Gaudia ; » et ita alibi. *Quies* igitur *nava*, est *modestia* quæ tamen *rebus gerendis* apta est, *modestia actuosa*. Multus in hac voce Silius Italicus ; I, 549, « *Nava* rudimenta, et primos in Marte calores ; » ubi pariter in libris erat *Vana* ; IV, 485, « Jamque dies rapti cursu *navo*que labore ; » et ibi quoque erat *vano* ; V, 412, « Laurigeris decus illud avis *nava*que juventa Florebat ; » iterum in codd. erat *vana*. Utroque autem modo

hæc vox scribitur, *navus* et *gnavus;* unde restitui potest alter locus ejusdem Silii, III, 239:

> His rector fulgens ostro super altior omnes
> Germanus nitet Hannibalis, gnavoque tumultu
> Mago quatit currus, et fratrem spirat in armis:

vulgo legitur *gratoque tumultu*, quod defendit clar. Drakenborchius; Heinsius conjecerat *patrioque tumultu : gnavo* vel *navo* verius puto. Restituenda hæc vox et Ovidio, Fast. V, 401:

> Ipse tamen lectas Pagasæis collibus herbas
> Temperat, et nava vulnera mulcet ope;

vulgo, *vana* vel *varia;* et Vell. Paterculo, forte, Hist. II, 24, de Cinna: « de quo vere dici potest, ausum eum quæ nemo auderet bonus, perfecisse quæ a nullo nisi fortissimo perfici possent; et fuisse eum in consultando temerarium, in exsequendo *navum :* » ita legendum puto; vulgo, *in exsequendo virum;* quo pacto non satis servatur oppositio quæ postulatur inter *temerarium* et *navum*. Utitur hac voce Velleius, c. 120, « *nava* virilique opera; » Calpurnius, Eclog. V, 11, « Jam pro me *navam* potes exercere juventam. »

77. *Succinctaque pectora curis.* Id est, *parata, apta;* translatum ab iis qui vestes *succingunt*, opus aliquod aggressuri. Silius Italicus, X, 190, « *Succincti*que dolis, fugerent ceu Punica castra, Dediderant dextras; » Petronius, « His animum *succinge* bonis; » id est, *instrue;* Ovid. Trist. I, 11, 31, « Barbara pars læva est, avidæ *succincta* rapinæ: » ita bene edidit Burmannus. Paullo eruditiore et obscuriore sensu ac voce utitur Ausonius, Grat. Act. pag. 709, ed. Toll. « ut esset, quem tu matura jam *ætate subcinctum*, per omnes honorum gradus festinata bonitate proveheres: » ubi *subcinctum* est *instructum*, ut apud eruditionis Latinæ promum Apuleium, Miles. V, pag. 98, « Tunc adulescens, modo florenti lanugine barbam *instruens;* » hoc est, *subcingens:* quo sensu sumendum istud Ausonii, Epitaph. Glauciæ:

> Læta bis octono tibi jam sub Consule pubes
> Cingebat teneras, Glaucia adulte, genas.

Apuleius dixisset *instruebat genas;* et ita alibi idem Auson. Parent. XXIII, 16, « Nondum purpureas *cinctus*, ephebe, genas! » Non igitur opus ut legamus *pingebat genas*, quod ego alibi putavi. Sed hæc eruditioris sunt disquisitionis. *Accinctus* eodem sensu frequentissime occurrit.

83. *Ille subactis Molem immensam humeris*, etc. Hæc est lectio omnium sequiorum editionum; et vera, ut mox dicemus. Editt. Parm. et Rom. habent *jubatis humeris*, ad quæ hæc notat Domitius: « *jubatis humeris*, fortissimis; a *jubatis leonibus* epitheton; nam leonum generositas *juba* spectatur, ut ait Plinius. » Satis ridicule; et tamen hæc Domitii explicatio induxit Bernartium, ut illi non displiceret τὸ *jubatis*. Sed pejus adhuc Politianus, Epist. VI, 1, ubi censorem hujusce interpretationis

Domitianæ agit : ipse explicat, *puerilibus humeris*. Dii boni! an verosimile est Imperatorem *puero* permissurum esse « viresque modosque Imperii tractare manu, » et obire omnia magna officia quæ mox recenset Statius? Nihil magis puerile dici potuit. Nescio in qua editione primum comparuerit *subactis* : ego in Aldina, 1502, ita invenio ; sed verisimum est, undecunque venerit. Translata vox est e re rustica ; in qua *terra* seu *solum*, dicitur *subigi*, quum aratro frangitur et usibus agricolæ habilis redditur : *domare tellurem* vocat Virgilius ; vide Varronem, de Re Rust. I, 20, et ejusmodi scriptores passim. Hinc ad alias res transfertur, quæ usui et proposito nostro aptæ redduntur. Horatius, carm. II, 5, 1, « Nondum *subacta* ferre jugum valet Cervice, » scilicet *juvenca* ; Quintilianus, Declamat. III, 3, « Pater huic, emeritis bello stipendiis, tum quum tota subnixum Numidia fregimus Jugurtham, exauctoratas bello *manus* agresti labore *subegit*. » Ut igitur *cervix* et *manus subactæ*, ita *humeri subacti*.

89. *Binominis Istri* : hinc sumsit Ausonius, Mosell. vs. 106, « Stagna binominis Istri. » *Iri binominis*, Ovid. Ibide, vs. 419.

93. *Nullaque famosa signatur lancea pinna*. Ita hunc locum restituit Salmasius, testante Gronovio, Diatr. cap. 47. Vide ipsum, not. ad Hist. Aug. Script. vol. I, pag. 1023. Antea legebatur, *multaque fumosa* et *penna*. Res lætæ significabantur Senatui non solum per *literas*, sed etiam per hastas *lauro* vestitas ; res adversæ per *pinnas* in summo lanceærum fixas. De *laureatis* hastis Martial. Epigr. VII, 6, 5 :

> Publica victrices testantur gaudia chartæ :
> Martia laurigera cuspide pila virent :

Plin. Hist. Nat. XV, 30, de lauro : « Romanis præcipue lætitiæ victoriarumque nuntia additur literis et militum lanceis pilisque ; » unde Seneca, Agamemn. v. 388 :

> Sed ecce vasto concitus miles gradu
> Manifesta properat signa lætitiæ ferens ;
> Namque hasta summo lauream ferro gerit ;

ubi Chorus *Argivarum* loquitur quasi in media Roma versaretur ; sed frequens hoc Senecæ. Ex his locis vides versu præcedenti legendum esse *lætas frondes*, non *laceras*, cum Parm. et Romana. Hæ voces pariter commutabantur Soter. Gallic. vers. 88. De *pinna*, vetus interpres Juvenalis ad Satir. IV, vers. 149 : « Antea, inquit, si quid nunciabant consules in urbem, per epistolas nunciabant : si victoriæ nunciabantur, laurus in epistola figebatur ; si autem aliquid adversi, pinna figebatur. » Vide Gronovium, loco citato. Valde tamen dubito de *famosa* ; et credo Statium scripsisse *damnosa pinna*, utpote quæ *damni* alicujus nuncium attulerit : signantius hoc quam *famosa*, quæ ambiguæ significationis vox est. Ita *damnosa dies*, Horatio, et *damnosa Venus*, quæ *damnum* fert. Suetonius, Tiberio, cap. 52, « Germanico usque adeo

obtrectavit, ut et præclare facta ejus pro supervacuis elevaret; et gloriosissimas victorias ceu damnosas Reipublicæ increparet; » Propertius, lib. IV, eleg. 9, v. 20: « Semper damnosi subsiluere canes; » et ita Ovidius, Trist. II, 474, *damnosos effugiasve canes*: de lusu aleæ loquuntur. Et sane verum est *damnosa;* quippe vox *famosus* ævo Statii non semper denotabat *infamis* (quod sensus hujus loci postulat), sed *celebris*, et qui multum *in fama* erat. Ita, I, 1, 67, Eq. Maxim. de lacu Curtio:

> Ipse loci custos, cujus sacrata vorago
> Famosique lacus nomen memorabile servant;

ita enim legendum, non *Famosus servat*, quum Parm. et Rom. habeant *Famosi*. Vides ibi *Famosi* sensu bono. Tacitus, Hist. V, init. de Hierosolymis: « Sed quia Famosæ urbis supremum diem tradituri sumus, congruens videtur primordia ejus aperire; » ubi iterum sensu non malo *famosa urbs*, πολυθρύλλητος; et ita Plinius, Epistolis, « causam pulchram alioquin et famosam. » Hac ratione inductus, omnino credo a Statio fuisse, « Nullaque damnosa signatur lancea pinna. » *Attollentia*, scil. *sunt*, hoc est, *attollunt;* more Græco; quo gaudet Propertius maxime.

106. *Prægressa diem.* Ausonius, Grat. Act. ad fin. « ut illam ipsam quæ auras præcedere solet, Famam, facias tardiorem; » imitatus forte Mamertin. Genethl. Maximiani, cap. 8, « Ipsos siquidem quos præmiseratis nuncios, reliquistis: ipsam, quæ vos conata est prævenire, Famam prævertistis. » Noster, carm. prox. seq. vs. 170, « Fama velocior intrat Nuncius; » Curtius, VII, 2, « velocitate opus est, qua celeritatem famæ antecedas. »

110. *Vicisti gaudia cœnæ Ipsius, effuso dum pectore prona sacratos Ante pedes avide domini tam magna merentis Volveris.* Quare *ipsius cœnæ*, tam emphatice, et quasi tam magnum gaudium esset in *cœna*, ut difficile foret rem ullam aliam superare posse et transcendere et *vincere* hoc gaudium? Præterea, *cujus cœnæ gaudia?* nulla enim in præcedentibus vel sequentibus *cœnæ* mentio. Fieri quidem potuit ut his honoribus auctus Abascantius *cœnam* celebraret; sed non necessario sequitur, nec ex adjunctis colligere potes quidquam huc spectans. Porro, quomodo Priscilla « vincebat gaudia cœnæ ipsius? » an « volvendo se ante pedes Domitiani? » hæc enim sola ratio redditur. Mitto quod hæc *cœna* celebrata erat eo *die* quo primum ingentibus actis admotus fuit Abascantius: atqui *nocti* magis conveniret *cœna*. Hæc omnia concoquunt interpretes, præter Heinsium, cujus acumen raro fallunt depravati poetarum loci. Ille igitur quum absurditatem videret τοῦ *ipsius cœnæ*, pro eo legebat *dapsilis cœnæ;* et pro *vicisti gaudia*, quod nullo sensu huic loco dici potuit, *acuisti gaudia*, not. ad Sil. Italic. VIII, 378; ut mens Statii esset, « Advolvendo te genibus Cæsaris ut gratias ageres, auxisti et *acuisti* gaudia et voluptatem quam e cœna dapsili habuerunt convivæ tui. » Ingeniosa quidem hæc, utpote Heinsii, sensui tamen minime sa-

tisfaciunt: non enim res est *gaudii* videre aliquam genibus Imperatoris advolutam et gratias agentem; hoc non *acuit* et auget lætitiam et hilaritatem convivii: res seria est *gratiarum actio*, et animum et vultum compositum quam maxime et modestum postulat. Mitto quod adhuc restat idem scrupulus de *die* et *cœna*, in qua voce latet tota hujus loci depravatio; licet interdum *diem* et *cœnam* junctim invenias, ut apud Eutropium, lib. VIII, de Tito Imp. « Propterea quum quadam die in cœna recordatus fuisset nihil se illo die cuiquam præstitisse, dixit, O amici, hodie diem perdidi; » quo loco vix vidi quidquam magis barbare aut incuriose compositum. Tota res hæc est: commendat Priscillam Statius, ob curam et sollicitudinem erga maritum et res ejus: « Quam læta, inquit, fuisti eo die quo rebus administrandis admotus fuit conjux tuus! nimirum, *vicisti gaudia ipsius*, plus gaudii et voluptatis, quam conjux ipse, ostendisti, dum genibus Imperatoris gratias actura teipsam advolveres. » Evanescit jam fictitia ista *cœna*, quæ cl. Dodwello tantum negotii facessit, Annal. Stat. c. 55: ejus loco repono, « vicisti gaudia certe Ipsius. » *Certe* est *nimirum*, *hoc certum est*, σαλοπόνι. Ita, Silv. IV, 6, vs. 108, « certe tu muneris auctor Non aliis malles oculis, Lysippe, probari; » Thebaid. V, 64: « erant certe media quæ noctis in umbra Divam alios ignes majoraque tela gerentem, etc. » Ovidius, Metam. X, 488: « Numen confessis aliquod patet: ultima certe Vota suos habuere Deos; » Claudian. in Rufinum, II, 94: « tandem succurre ruenti Heu! patriæ, Stilicho: dilecta hic pignora certe, Hic domus; » Sueton. Jul. c. 50: « Nam certe Pompeio, et a Curionibus patre et filio, et a multis exprobratum est, etc. » Horat. Carm. II, 4, 13, sqq.:

> Nescias an te generum beati
> Phyllidis flavæ decorent parentes:
> Regium certe genus, et penates
> Mœret iniquos;

ubi pro *Nescias an te*, mallem *Qui scias an te* cum interrogatione, ut Art. Poet. v. 462, « Qui scis an prudens, etc. » error natus ex omissa prima versus litera; unde *uiscias*, et mox *nescias*. Sed hoc obiter. In hisce omnibus locis resolve vocem *certe* in *hoc certum est* vel *constat*, et sensum auctorum habebis. *Certe* degeneravit in *cene* (hoc enim modo in MSS. scribitur) facili mutatione; quippe *n* et *rt* iisdem calami ductibus constant. Hoc adeo certum et sensui necessarium puto, ut in contextum admiserim. Pari plane modo peccatum puto apud Horatium, Epist. II, 1, v. 110:

> Mutavit mentem populus levis, et calet uno
> Scribendi studio; puerique patresque severi
> Fronde comas vincti cœnant, et carmina dictant:

certe parum commode patres *severi* inducuntur *cœnantes;* hoc enim *lautis* melius convenit quam *severis*. Sed quid ad rem utrum *cœnent* vel *non cœnent?* nihil hoc ad *studium scribendi*, de quo hic agit Horatius; et æque bene dixisse potuit *non cœnant*. Mihi videtur scripsisse, « Fronde

comas vincti certant, et carmina dictant. » Jam vero ridicula satis imago, *severi* patres *certantes* in re tam *levi* et ludicra. Apuleius, Floridis, de Philemone poeta : « fabulas cum Menandro in scena dictavit, certavitque cum eo. » Literæ *rt* coaluerunt in *n* hoc loco : contra videtur factum alio ejusdem poetæ carm. I, 15, 35, in vaticinio Nerei :

Post certas hiemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos :

obscure admodum et incerte hic agit Nereus, *post* certas *hiemes;* cur non dicit *quot* hiemes, eodem modo quo supra nominavit *Nestora, Teucrum, Sthenelum*, et ceteros, non ambagibus, sed clare, et ut falli non posset Paris? *certæ* vero *hiemes* possunt esse *centum* vel *ducentæ* hiemes. Fallor an scripsit :

Post denas hiemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos :

id est, *decem hiemes*, ut pueris notum. Nimirum dispescebatur litera *n* in *rt*, ut pro *denas* fieret *dertas;* unde quivis faceret *certas*, sono inducente.

114. *Quem pater arcani præfecit hiatibus antri.* Narrat poeta quantum gaudium conceperit Priscilla ex hoc mariti sui provectu; et comparat eam *præfecto* oraculi Delphici; ita interpretantur. Sed certe magis appositum fuisset comparare illam *feminæ* quam *viro*, ut in exemplo subsequenti, « aut primi cui jus venerabile thyrsi Bacchus, et attonitæ tribuit vexilla catervæ; » ubi intelligit *feminam*, Archi-Mænada, *si ita* loqui liceat. Lego igitur, *Quam pater arcani;* hoc vero officium *mulieri* assignatum fuisse multis exemplis doceri potest.

122. *Exemplumque ad herile monet.* Hortatur Priscilla maritum ut cœnet parce, veluti faciebat Domitianus ejus herus et dominus : nam, ut ex Tranquillo discimus, ille prandebat ad satietatem, nec ferme unquam supra cœnam aliquid sumebat, præter Martianum malum, et modicam in ampulla potiunculam. DOMIT.

127. *Gelidas comes illa per Arctos, Sarmaticasque hiemes.* De expeditione quam Domitianus necessario suscepit in Sarmatas, legione cum legato simul cæsa; utque de iis lauream Jovi Capitolino retulerit, Sueton. Domit. cap. 6. MORELL.

129. *Tecum omnes animo durata per æstus.* Vide totius loci constructionem : « Illa tecum comes per Arctos Sarmaticasque hiemes, tecum durata animo per omnes æstus, et vellet gestare pharetras. » Ubi primum nihil est, cui jungi possunt voces *tecum*. Deinde abundat copulativum *et;* dixisse enim debuit *durata animo vellet gestare*, non, *et vellet gestare*. Lege :

. . . . tecum omnes animo durare per æstus,

Et, si castra darent, vellet gestare pharetras,
Vellet Amazonia latus intercludere pelta;

« vellet durare tecum, vellet gestare pharetras, » si mos militaris permitteret. Virgil. Æneid. VIII, 577: « patiar quemvis durare laborem; » ad quæ Servius: « *Durare* autem est *sustinere;* Horatius: *ac sine funibus vix durare carinæ possunt* (l. *possint*) *imperiosius æquor.* Et Virg. Æn. I, 207: *Durate, et vosmet rebus servate secundis.* » Alibi Horat. Serm. II, 3, v. 234: « Tu nive Lucana duras ocreatus, ut aprum Cœnem ego; » ita legendum puto; vulgo, *dormis ocreatus;* quod certe absurdum est: venatores enim non solent *dormire* in nive, sed *vigilare*, et pernoctare: quod *manere* vocat Horatius, Od. I, « manet sub Jove frigido venator. » Clare Ovid. Fast. III, 527: « Sub Jove pars durat; pauci tentoria ponunt; » et IV, 505: « Sub Jove duravit multis immota diebus; » et ita alibi. Pro *æstus*, non male legere posses *actus;* sed *æstus* præstat locus Epithal. Stell. vs. 91: « Ipse ego te tantos stupui durasse per æstus. » Vide autem, lector, quam necessarium fuit hæc intelligi: ex hac enim lectione, *durata* pro *durare*, in errorem gravissimum lapsus est vir doctus, qui, Annal. Statian. cap. 55, scribit « Priscillam comitem fuisse Abascantii in expeditione Sarmatica. » Oblitus erat vir doctus militaris disciplinæ, quæ non permittebat mulierem *castra ingredi*, multo minus comitari maritum per totam expeditionem. Ni hoc ita foret, quorsum ista, *Et, si castra darent*, etc. i. e. *permitterent?* Immo Augustus disciplinam tam severe rexit, ut ne legatorum quidem cuiquam nisi gravate, hibernisque demum mensibus, permitteret *uxorem intervisere*, referente Suetonio, Aug. c. 24. Nec dicit Statius Abascantium fuisse in expeditione Sarmatica; innuit forte; tantum dicit, Priscillam animo paratam fuisse suscipere quodvis periculum cum marito, *si opus foret.* Æque bene ex hoc loco concludere potuisset vir eruditus, Priscillam *gestasse pharetras* et *peltam Amazoniam.*

133. *Divinaque tela Vibrantem.* Loquitur de Abascantio juxta latus Imperatoris, seu, ut mavult Statius, *Cæsarei prope fulmen equi. Divina tela* sunt Cæsaris tela: quomodo vero potuit illa *vibrare* Abascantius? Hoc certe est Cæsaris solius, *vibrare* tela Cæsaris. Lege, « divinaque tela Librantem. » Nimirum magni bellatores (qualis hic fingitur Domitianus) habebant *ministros* et *armigeros* qui ad latus semper essent, et tela *suggererent;* talis est hoc loco Abascantius, *librans* et *prætentans* tela antequam in dextram Domini traderet: scilicet ut non nisi *ponderosa* in manus tanti herois (si Diis placet) daret; ut statim, *magnæ sparsum sudoribus hastæ.* Hæc tacite sublecta sunt ex Virg. Æneid. X, 333, ubi Achates suggerit tela Æneæ, qui statim *corripit magnam hastam.* De his vocibus fusius ad Protrept. Crispin. v. 102, ubi pariter commutantur.

148. *Rapidæ sic obvia puppi Invidet, et velis adnubilat aura secundis.* Id est, *nubila velis objicit*, inquit Barthius. Et quid si *nubila objiciat?*

nubila non possunt remorari navem in pleno cursu, *velis secundis;* hoc enim est *ventorum*, non *nubilorum :* mitto quod falsum est; quippe « tunc interim minime ventus est, quum aer nubilo gravis est, » ut ait Seneca, Nat. Quæst. V, 3; et mox, « nullum tempus magis quam nebulosum vento caret. » *Nubilare* est *nubilum esse* vel *nubilum inducere;* ut *nubilat aer* passim poetis. *Adnubilare alicui rei* est *nubilum inducere juxta illam rem*, vel forte, *adversus illam rem.* Jam vero sume hanc vocem utro velis significatu, *nubila* non valent remoram injicere *velis secundis*, sive *juxta* sint, sive *adversus.* Dixisse debuit Statius, *aura seipsam objicit*, non *nubila objicit.* Nisi fallor, scripsit, « et velis obsibilat aura secundis; » non *adnubilat. Sibilare* de *vento*, etiam *vehementi*, notum ex Quintiliano, Declam. XII, p. 213: « scissis rudentibus tempestas sibilat; » et aliis poetarum locis. *Aura* etiam pro *vento magno* poetis usitatissimum, ut ad Ovidium alicubi docuit cl. Burmannus. Jam igitur dicit Statius: Sic ventus obvius puppi rapidæ (i. e. *celeriter provectæ* et *in cursu*) invidet, et « obsibilat, obstrepit, obmurmurat, objicit sibila sua velis secundis. » Eodem sensu *obmurmurare* Ovidius, Heroid. XVIII, 47, ubi de Borea loquitur, « Vana peto, precibusque meis obmurmurat ipse; » et hic sensus hujus compositionis frequentissimus est, et *oppositionem* denotat, quæ non tam bene procedit si legas *adsibilat;* hæc enim vox *lenioris* significationis. Auson. Mosell. v. 256:

> .... excipit ictum
> Spiritus, ut fractis quondam per inane flagellis
> Aura crepat, motoque adsibilat aere ventus;

Claudian. de Nupt. Hor et Mar. vers. 67, « populeo suspirat populus ictu, Et platani platanis, alnoque absibilat alnus. » Nimis igitur molle τὸ *adsibilat* hoc loco; Meursii *adjubilat* rusticum nimis, et *canibus* potius quam *ventis* convenit. Certe si compositum a verbo *nubilo* retinere velis, præstat *obnubilat;* sed mihi adhuc placet *obsibilat.* Recte autem *velis secundis*, ut Herc. Surrent. vs. 107. *Sinus secundos* dicit Virgilius. Nemo igitur conjiciat *ventis secundis.*

158. *Nil ars operosa medentum Auxiliata malis.* Proprie, ut semper, loquitur Statius in voce *auxiliata; auxilium* enim *medicorum* vox. Soter. Gallic. v. 111, « Adjuvat ipse Deos, morboque valentius omni Occupat auxilium; » Ovidius, Heroid. V, 154:

> Quod neque graminibus tellus fecunda creandis
> Nec Deus, auxilium tu mihi ferre potes;

idem, Rem. Amor. v. 48, « Vulneris auxilium Pelias hasta tulit; » Propertius, I, 1, v. 26:

> Et vos, qui sero lapsum revocatis, amici,
> Quærite non sani pectoris auxilia;

Valer. Maxim. I, 8, de cervis Cretensibus: « quas sagittis confixas ad salutare auxilium herbæ dictamni tantum non suis manibus deducit, » scil. Natura. Celsus, præf. lib. I, init.: « Siquidem etiam imperitissimæ

gentes herbas aliaque promta in auxilium vulnerum morborumque noverunt. » Et ita alibi passim.

167. *Si tu, pater, omne teneres Arbitrium.* Nihil audeo mutare, utcunque arridèat, « si tu, pater alme, teneres Arbitrium. » Auson. Idyll. I, 16: « Tu verbum, pater alme, tuum, natumque Deumque Concedis terris totum; » Prudentius, Hamartig. vers. 652, « Damna aures, pater alme, meas, et claude meatus Obbrutescentis capitis; » Paulinus, de Sanct. Joann. Baptist. vs. 299, « Panditur immensum, si demus vela, profundum In laudes, pater alme, tuas; » Auson. Mosell. v. 445, sqq.:

.... sunt tibi multi,
Alme amnis, sacros qui sollicitare fluores
Aonidum, doctamque solent haurire Aganippen:

ita legendum; vulgo, *totamque solent,* quod absurdum videtur: nemo enim dici potest *solere haurire totum* aliquod; quippe, qui *semel* hausit *totum*, non potest *iterum* haurire istud *totum;* et consequenter non *solet* haurire *totum*. Sed nihil audeo mutare propter istud Virgilii, « Tu decus omne tuis; » et Propert. III, 22, 8: « Tu licet aspicias cælum omne Atlanta gerentem; » et similia passim.

181. *Linquo equidem*, etc. Vide totum locum:

Linquo equidem thalamos (salvo tamen ordine) mœstos
Quod prior exegi longa potiora senecta
Tempora: vidi omni, etc.

Pristilla dicit, « se linquere Abascantium mœstum, quod illa prior exegisset tempora potiora longa senecta. » Quid vero? anne hoc est boni mariti *dolere* et *mœstum* esse quod uxor in rebus lætis ætatem exegit? nonne invidi et maligni potius? Deinde, quare *prior* exegi? Ecce, distinctione totum locum sano, reposito τῷ *mœsti* pro *mœstos*, quum in Parm. sit *mœstis:*

Linquo equidem thalamos (salvo tamen ordine) mœsti
Quod prior. Exegi longa potiora senecta
Tempora; vidi omni te pridem in flore nitentem,
Vidi altæ propius, etc.

linquo thalamos tui, o conjux, *mœsti* quod *prior*, id *est*, quod *prior linquo;* quum tu malles *prior* isse, et me superstitem liquisse. Auson. Epitaph. 37, 2, sqq.:

Jamque diu monumenta vacant: sitque ista querela
Longior, et veniat ordine quisque suo
Nascendi qui lege datus; placidumque per ævum
Condatur, natu qui prior, ille prior;

ubi pro *veniat*, lege *veniant*. Hinc intelligis ista *salvo tamen ordine*, sc. *ætatis;* quia Pristilla natu prior fuit Abascantio. Contrarium esset *inversus ordo mortalitatis;* ut eleganter vetus inscriptio apud Reinesium, p. 376. Seneca, Œdipo, v. 71:

Affusus aris supplices tendo manus
Matura poscens fata, præcurram ut prior
Patriam ruentem;

Martialis, Epigr. I, 115: « Ad Stygias æquum fuerat prior isset ut umbras; » ut recte emendavit N. Heinsius, ad Ovid. Heroid. I, 101, ubi vide eum fuse agentem. Idem, Epigr. IX, 52, 3, et seq.:

Invidet ille tibi: Stygias nam Tullus ad undas
Optabat, quamvis sit minor, ire prior;

Noster, Theb. IX, 634: « miseræ sine funera matris Audiat ille prior. » Ita ex MSS. emendat Burmann. ad Ovid. Met. VIII, 499, pro *precor;* quod et monuerat Bernartius. Cicero, de Amicit. cap. 4: « Quamobrem cum illo quidem, ut supra dixi, actum optime est; mecum incommodius; quem fuerat æquius, ut prius introieram, sic prius exire de vita. »

185. *Non in te Fatis, non jam cœlestibus ullis Arbitrium: mecum ista fero.* Recte hæc interpretantur Gevartius, Elect. III, 9, et Barthius. Sensus est: nulla Fata invida, nulli Dii, posthac tibi nocebunt; consumtæ enim et exhaustæ sunt eorum vires hac tanta plaga quam tibi per interitum meum intulerunt: ego omnia infortunia tua mecum aufero. Simili sensu Quintilianus, Procem. lib. VI, ubi mortem filii deflet, et de Fortuna ità loquitur: « Sed vel propter hoc nos contumacius erigamus, quod illam (Fortunam) ut perferre nobis difficile est, ita facile contemnere. *Nihil enim sibi adversus me reliquit;* et infelicem quidem, sed certissimam tamen, attulit mihi ex his malis *securitatem.* » Ita Seneca, Consol. ad Helv. c. 16, optat ut omnia Fatorum tela in se consumantur: « In me omnis Fatorum crudelitas lassata consistat: quidquid matri dolendum fuit, in me transierit; quidquid aviæ, in me. Floreat reliqua in suo statu turba, nihil de orbitate, nihil de conditione mea querar: fuerim tantum nihil amplius dolituræ domus piamentum. » Vide Vell. Patercul. I, 10, de Lucio Paulo.

187. *Geniumque potentem Irrequietus ama.* Ovid. Trist. II, 541:

Carminaque ediderem, quum te delicta notantem
Præterii toties inrequietus Eques;

ubi pro *inrequietus* Heinsius ex tribus libris edidit *jure quietus;* et ita hoc Statii loco scribi voluit, referente Burmanno; *Jure quietus ama.* Sed diversa ratio est horum locorum: licet enim Ovidius recte dici potuerit Censorem *jure*, hoc est, *merito suo*, et nullius noxæ conscius, *præteriisse quietus*, et *sine nota Censoria;* quum tamen non de *transvectione* agatur hoc Statii loco, verba ista *Jure quietus ama* ad hunc sensum trahi non debent, nec possunt: et quocunque sensu sumseris, istud *Jure* erit frigidissimum. Verum est *Irrequietus*, et optime defendi et explicari potest ex loco Silii Italici, III, 350, de feminis Callæcis:

Cetera femineus peragit labor; addere sulco
Semina, et impresso tellurem vertere aratro,

Segne viris: quidquid duro si Marte gerendum
Callaici conjux obit irrequieta mariti;

hoc est, *industria* et *satagens;* sensu bono: nec opus est, ut exempla plura quæramus. Per *Genium potentem* intellige *Imperatorem.*

190. *Quo niteat sacri centeno pondere vultus Cæsaris, et propriæ signet cultricis amorem.* Supra, ad IV, 2, v. 54, legendum monui *niteant;* quippe vox *sacri* non ad *Cæsaris,* sed *vultus* referenda est: *sacri vultus* Cæsaris *niteant;* non, vultus *sacri Cæsaris niteat.* Vide exempla quæ ibi protuli. Ita hoc carmine, vs. 111, *sacratos pedes* domini, non pedes *sacrati domini:* infra, v. 234, *vultus decoros: sanctos vultus* apud Auct. Octav. vs. 840. Sed et si retineas *niteat,* non fieri potest ut *signet* recte se habeat; vide enim constructionem: « Da aurum quo vultus Cæsaris niteat et signet amorem cultricis; » deest aliquid; dixisse enim debuit hoc modo: « Da aurum quo vultus Cæsaris niteat, et quod signet amorem; » aliter enim manca est sententia. Scripsit,

Quo niteant sacri centeno pondere vultus
Cæsaris; et proprie signa cultricis amorem:

da aurum et signa amorem, id est, in basi statuæ mentionem fac amoris mei erga Cæsarem; hoc enim est *signare.* Ovidius, Metam. II, 326, de Phaethonte,

Naides Hesperiæ trifida fumantia flamma
Corpora dant tumulo: signantque hoc carmine saxum:
Hic situs est Phaeton, etc.

Hunc vero Statii locum egregie illustrat Suetonius, Domitian. cap. 13, « Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas et argenteas poni permisit, ac ponderis certi. »

201. *Mersumque in corde dolorem Sævus agit.* Loquitur hic Statius de ista specie doloris quæ per *silentium* indicatur: patet hoc ex verbis *ore ligato,* et ex comparatione Orpheos, qui « segnis Obstupuit, tristemque rogum sine carmine flevit. » Sensus igitur hoc postulat, sed verba non efficiunt; quivis enim, etiam *clamosissimus, agere* potest *dolorem mersum in corde;* hoc vero loco requiritur *mutus.* Lege igitur, « mutumque in corde dolorem. » Ovid. Art. Am. III, 702:

Procris ut accepit nomen, quasi pellicis, Auræ,
Excidit: et subito muta dolore fuit;

Metam. XIII, 538, de Hecuba, « Troades exclamant: obmutuit illa dolore; » Noster, Theb. XI, 632: « Dicentem comes ægra levat, mutumque dolorem Ipsa premit; » Virgil. Culice, vs. 267: « Quin misera Eurydice tacito mærore recessit; » ita legendum; vulgo, *tanto.* Sed nec recte intelligo quid sit hoc loco *agere dolorem.* Non dubito quin pro *agit* legendum sit *alit,* id est, *fovet, crescere sinit,* et *amat pro conjuge luctum,* ut de Cornelia Lucan. IX, 112. Ita Virg. Æneid. IV, 2: « Vulnus alit venis et cæco carpitur igni; » Senec. de Vit. Beat. c. 27, « invi-

cem mutuum alentes stuporem; » Valer. Flacc. VI, 660: « Castigatque metus et, quas alit inscia, curas; » Petronius, « Cor grave vulnus alit, nulli sanabile ferro. » *Agere* quidem *dolorem* significare potest *dolere*, ut *agere iras* pro *irasci*, Senec. Thyest. v. 179; *agere motus* pro *moveri*, Herc. Œt. v. 737; *agere pœnitentiam* pro *pœnitere*, Plin. Epist. VII, 10; *agere excubias* pro *excubare*, Sueton. Galba, c. 10; et multa ejusmodi: mihi tamen magis placet *alit*. Eadem diversitas apud Cicer. Orat. pro Archia, « hæc studia adolescentiam alunt; » pro quo codex Fulv. Ursini habuit *agunt*; vide Muret. Var. Lect. XII, 15. *Mutum* vero pæne necessarium puto, propter comparationem Orphei *silentis*; unde patet falsum esse N. Heinsium, qui ad Ovid. Metam. I, 548, pro *ore ligato* voluit *ore gelato*, hoc Statii loco, inductus, opinor, eo quod hæc phrasis *ore gelato* frequentissime occurrit. Hic vero nihil mutandum esse plane postulat comparatio, quam perdideris si admiseris *gelato*: *ligare os* est *claudere*; cujus oppositum *solvere os*, id est, *aperire*: sic *sopor* dicitur *alligare artus* passim; Noster, Thebaid. X, 280: « ut quemque ligatum Obruerat tellure sopor. » Vide Heinsium ad Ovidii locum, et Gronovium, Diatrib. cap. 46. Potes etiam hoc loco legere *pressum* pro *mersum*, ex Virgil. Æneid. X, 465: « magnumque sub imo Corde premit gemitum. »

203. *Odrysius vates, positis ad Strymona plectris*, etc. Sic et Virgil. Georg. IV, 508:

> Septem illum totos perhibent ex ordine menses
> Rupe sub aeria, deserti ad Strymonis undam,
> Flevisse, etc. ED.

214. *Coryciæque comæ*; id est, crocus, qui habet herbam instar capillorum. Plinius, Hist. Nat. XXI, cap. 17: « Usus ejus in coronis nusquam; herba enim est folio angusto, pæne in capillamenti modum. » DOMIT. — *Cynareiaque germina*. Lege *Cinyreiaque*, et *myrrham* intellige. Est autem ex fabula; *Cinyras* enim, rex Cypri, cum filia sua *Myrrha* concubuit, quæ postea in arborem sibi cognominem *Myrrham* mutata est. Vide late fabulam apud Ovid. Met. X, 310. GEVART.

219. *Tantum crinesque genæque Noctis habent*. Scio *noctem* sæpe ad *animum* vel *oculos* transferri, ut Theb. IX, 40: « Sed postquam haud dubio clades auctore reperta est, Nox oculos mentemque rapit; » Ovid. Art. Am. II, 88: « Nox oculis pavido venit oborta metu; » idem, Met. VI, 652: « Tantaque nox animi est, Ityn huc arcessite, dixit; » et 472, « Pro! Superi, quantum mortalia pectora cæcæ Noctis habent! » et Trist. I, 3, 91:

> Illa dolore amens tenebris narratur obortis
> Semianimis media procubuisse domo:

sed non intelligo quid sit *nox* in *crinibus*. Lego, « tantum crinesque genæque Sordis habent; » Horat. Epist. I, 2, 53: « Auriculas citharæ col-

lecta sorde dolentes; » Lucretius, VI, 1269: « Ulceribus tetris prope jam, sordique sepulta; » antique pro *sorde;* Macrob. V, 13: « Ille fluctus incremento suo ait in sublime curvatos litoribus illidi, et aspergi-nem collectæ sordis exspuere; quod nulla expressius pictura signaret. » Notus mos veterum in rebus lugubribus deturpandi capita *pulvere*, et permittendi *squalorem* et *illuviem* per *faciem* et totum corpus serpere: hoc vult Statius per *sordem* in *crinibus* et *genis*. Ipse, Thebaid. V, 636, de Hypsipyle, « simul hæc, terraque et sanguine vultum Sordida, magnorum circa vestigia regum Vertitur; » VII, 474: « Ecce truces oculos sordentibus obsita canis, Exsanguesque Jocasta genas, etc. » VIII, 243: « vultuque sereno Canitiem nigram squalore et sordida fusis Ora comis laxasse manu; » Thebaid. XI, 582: « veteri stat sordida tabo Utraque canities, et durus sanguine crinis Obnubit ferale caput; » ita legendum; vulgo, *furiale caput:* Virgil. Ciri, v. 284,

> Vix hæc ediderat, quum clade exterrita tristi
> Intonsos multo deturpat pulvere crines;

Æneid. XII, 611: « Canitiem immundo perfusam pulvere turpans; » ex Catullo, de Nupt. Pel. et Thet. v. 224, « Canitiem terra atque infuso pulvere fœdans; » Ovid. Trist. I, 3, 93:

> Utque resurrexit, fœdatis pulvere turpi
> Crinibus, et gelida membra levavit humo;

Silv. III, 3, v. 181, « Tunc immane fremens, fœdatusque ora, tepentes Affatur cineres. » Claudian. in Eutrop. Prol. lib. II, vs. 25: « Canitiem largo raram de pulvere turpat. » Inde *cinerea canities* Apuleio, lib. VII, et *cinere* sordentem *canitiem*, lib. X.

221. *Lacrimas fundente marito.* In codice Florent. et edit. Venet. et Rom. est, *lacrimas fudere marito*, notante Gronovio, cap. 47; et huc alludit Parmensis, *lacrimas fundere marito.* Sed nisi oculi me fefellerint, Rom. retinet *fundente.* Nihilominus, sola vera est lectio *fudere*, optime a Gronovio explicata. Priscillam felicem vocabant, utpote tranquilla morte solutam: lacrimas *fudere* Abascantio, qui tam bona conjuge viduatus erat. Inverso igitur lugendi ordine, mortuæ gratulabantur, vivum deflebant.

223. *Quaque Italo gemitus Almone Cybele Ponit.* Nam sacerdotes Cybeles gestantes deæ statuam, et diglandiantes inter se furore, ad Almonem usque fluvium progrediebantur extra portam Capenam, ita repræsentantes deæ luctum quum flevit Atys; illicque lotis cultris et deposito furore, ad templum redibant. Deponit igitur illic gemitus Cybele, quoniam ejus sacerdotes quum illuc pervenerunt, lacrymas et furorem ponunt. Domit.

227. *Ardoremque rogi potuit perferre.* Sequiores editiones ita legunt: vetustiores vero, Parm. Rom. Ven. et MS. Florent. *Clamoremque rogi,*

notante et probante Gronovio, Diatr. c. 48 : verissime : intelligit *complorationem* quæ ad rogum fiebat. Nec aliud est, inquit Gronovius, quam quod Virgilius notat, *mœsta supremum voce ciemus* (voluit, opinor, *magna;* ita enim est Æneid. III, 68). Sed falli videtur in explicatione loci Virgiliani; quod ut pateat, sciendum est (et nescio an alibi inveneris) *tres* fuisse *conclamationes* mortuorum : prima erat, statim post excessum defuncti, et ubi *palam factum est;* de qua Gronovius, isto capite, et ubique exempla : secunda, *ad rogum;* de qua hoc loco Statius : tertia, post peracta *tumuli* solennia. Colligo hoc ex Servio ad Æn. VI, 231 : « *Dixitque novissima verba.* Id est, *ilicet:* nam *vale* dicebatur post *tumuli quoque* peracta solennia. » Igitur istud, « magna supremum voce ciemus, » erat *tertiæ* et *supremæ* complorationis, non *ad rogum.* Et hoc patet verbis præcedentibus, « animamque sepulcro Condimus. »

230. *Tantas venerabile marmor Sepit opes.* Aliam lectionem servat Parmensis, *spirat opes.* Et hanc profert et comprobat Heinsius ad Claudian. IV Cons. Honor. v. 591, et ad Ovid. Metam. I, 69, ubi pro *marmor* citat *nomen,* errore memoriæ. Romana *sæpit opes.* Verum est *spirat;* hoc enim proprium *odoribus* et *aromatis* quibus Priscillæ corpus differtum erat, et in solio seu *venerabili marmore* seu sepulcro reconditum. Persius, VI, 35 :

> . . . . urnæ
> Ossa inodora dabit ; seu spirent cinnama surdum,
> Seu ceraso peccent casiæ, nescire paratus.

Tò *spirare* de odoribus et unguentis ubique occurrit. Ejusdem generis sepulturam habuit Poppæa, Neronis Imp. uxor; Tacit. Ann. XVI, c. 6, « Corpus non igni abolitum, ut Romanus mos; sed, regum externorum consuetudine differtum odoribus conditur, tumuloque Juliorum infertur. » Liceat addere observationem Plinii de hoc funere Poppææ, Hist. Nat. XII, 18, ubi de Arabia Felice loquitur : « Periti rerum asseverant, non ferre tantum (odorum) annuo fetu, quantum Nero princeps novissimo Poppææ suæ die concremaverit. » Memorabile vero quod de hac Priscilla narrat Morellus, in notis ad hunc locum; nempe, inventam esse in eodem monumento viæ Appiæ conditam et siccatam membris integris ann. 1471, sub Sixto IV, Pontif. Romano.

233. *Illo Maia tholo.* De materia ex qua effigies Priscillæ constabant hic agit Statius : « hoc ære Ceres, hoc *saxo* Venus, illo *tholo* Maia. » Vides quam inepte *tholus* inseratur inter *æs* et *saxum,* quasi *tholus* materies esset ex qua statuæ et effigies fieri solerent. Servius ad Virgil. IX, 408 : « *Suspendive tholo. Tholus* proprie est veluti scutum breve, quod in medio tecto est, in quo trabes coeunt; ad quod dona suspendi consueverunt. Alii *tholum* ædium sacrarum dicunt genus fabricæ Vestæ et Pantheon ; » ubi ex *fabricæ vest,* scribo, « *quale est Vestæ,* et Pantheon ; » ita certe scripsisse debuit. Hanc distinctionem *tholi* et *templi* servat

Arnobius, lib. VI, « Quid? quod multa ex his templa, quæ tholis sunt aureis et sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres atque ossa, et functorum esse corporum sepulturas. » Pro *templo* usurpat Noster, Silv. I, 4, 33, et III, 13. Quocunque sensu accipias, huic loco minime convenit; nisi negligenter et parum accurate scripserit Statius; quo vitio minime tenetur. Desideratur igitur materies aliqua; et sensus quidem admittit *ebur* vel *argentum*, vel quid simile; versus autem nihil aliud præter « Illo Maia auro, Venus hoc non improba saxo; » vox *auro*, ut mihi videtur, absorpta erat in præcedente *aia;* deinde suppletus versus ab aliquo qui sciebat effigies in *tholis* poni solere. Optime vero congruit *auro:* ita, supra, v. 1 :

> Si manus aut similes docilis mihi fingere ceras
> Aut ebur, impressis aurumve animare figuris;

III, 3, v. 200 :

> .... effigiesque colam : te lucida saxa
> Te similem doctæ referet mihi linea ceræ :
> Nunc ebur, et fulvum vultus imitabitur aurum.

Omnia coacervatim ponit Plinius, Epist. IV, 7, in facetissima epistola de dolore Reguli ob amissum filium; « placuit ei lugere filium; luget, ut nemo : placuit statuas ei et imagines quam plurimas facere : hoc omnibus officinis agit. Illum coloribus, illum cera, illum ære, illum argento, illum auro, ebore, marmore, effingit. » Similiter Arnobius, VI, p. 200, de materia simulacrorum : « Simulacra ista quæ vos terrent, quæque templis in omnibus prostrati atque humiles adoratis, ossa, lapides, æra sunt, argentum, aurum, testa, lignum sumptum ex arbore, aut commixtum glutinum gypso; » et mox, « Nemo est in rebus humanis tam stolidè cæcus, qui argentum, æs, aurum, gypsum, ebur, argillam, Deorum in numerum referat. » Claudian. de Laud. Stilic. III, 11 : « Os sacrum, quod in ære colis, miraris in auro, Cerne libens. » *Gnosis* vero est *Ariadne*, dicta *lucida* propter « Gnosiacæ facem coronæ. »

236. *Mensæque parantur Assiduæ.* Ad sepulcra res divina fiebat; sacro parentali : quo nomine mensæ in sepulcris ponebantur, et Græco et Romano more, ut Cicero, de Legibus, et plerique Græci auctores tradidere. Possis referre et ad *silicernium*, sive cœnam funebrem, quæ nono funeris die ad sepulcra dabatur. Tertullian. de testimonio Animæ : « Vocas porro securos, si quando extra portam cum obsoniis et matteis tibi potius parentans ad busta recedis, aut a bustis dilutior redis. » Idem, de Resurr. carnis, « At ego magis ridebo vulgus, tunc quoque quum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit. » Papinius quo singularem Abascantii amorem notaret, non nono solum die sed quotidie funebrem cœnam et epulum in ejus honorem datum narrat, qui honor sane non vulgaris; nam et inter divinos habebant honores mensam apponere; morem quem bene illustrat Tertullianus, de Anima : « Dum per totam hebdomadam Junoni mensa

proponitur. « Christiani melius, qui optimo et piissimo more pauperes ad funeralem cœnam vocabant; Chrysostomus in Matthæum, Homilia XXXII: « Cur post mortem tuorum pauperes vocas, etc. » BERNART.

245. *In eodem angusta phaselus Æquore, et immensi partem sibi vendicat austri.* Optime Gevartius, *it eodem angusta*, etc. hoc postulat conjunctio *et; it* et *vendicat.* Gronovius tamen vulgatam mavult, Diatrib. c. 41, ut subintelligatur *est.* Retinui igitur *in eodem;* licet minime dubitem quin Statius scripserit *it.* Similiter depravatum Virgilium puto, Æneid. VIII, 588: « ipse agmine Pallas It medio, chlamyde et pictis conspectus in armis; » ita legendum puto, quum ut vitetur repetitio præpositionis *in*, tum quia ipse alibi hac voce eodem sensu et modo utitur, ut Æn. XI, 90: « Post bellator equus positis insignibus Æthon It lacrimans; » et XII, 164: « bigis it Turnus in albis Bina manu lato crispans hastilia ferro. » Utcunque hoc, restitue hanc vocem Nostro, et seqq. Thebaid. VIII, 617 et seqq.

> Sic Pandioniæ repetant ubi fida volucres
> Hospitia, atque larem bruma pulsante relictum,
> Stantque super nidos veterisque exordia fati
> Enarrant tectis, it truncum ac flebile murmur:
> Verba putant, voxque illa tamen non dissona verbis:

ita legendum et distinguendum; vulgo, « et truncum ac flebile murmur Verba putant; » et Valer. Flacco, IV, 266, de Polluce pugnante cum Amyco Bebrycio,

> Huc alternus et huc, semper cervice reducta,
> Semper et in digitis, et summi pulvere campi,
> Projectusque redit:

ubi nihil mutandum esse in vocibus *digitis* et *projectus* recte vidit Gronovius, in Errat. et Omiss. Diatr. p. 411. Sed occultius mendum latet: si enim legas, « Semper et in digitis et summi pulvere campi, » quid facies τῷ *que?* hoc enim abundabit; quum dixisse oportuerit *projectus redit*, non *projectusque redit.* Lege: « semper cervice reducta Semper et in digitis, it summi pulvere campi Projectusque redit. Spumanti qualis, etc. » Per se, opinor, patet.

252. *Et Manes.... locat hospite cymba.* Suspicor Statium scripsisse *hospite ripa*, propter præcedentia, *vehit ille merentes protenus;* si enim jam *vehit*, quodnam opus istis *cymba locat?* quum non potuisset *vehere*, nisi prius *in cymba locasset.* Nisi dicas esse hysteron proteron. Sed præstat *hospite ripa;* scilicet *ulteriore ripa* Stygis, ubi purgationis locus fuit; et quam votis maxime appetebant Animæ. Virg. Æn. VI, 313:

> Stabant orantes primi transmittere cursum
> Tendebantque manus ripæ ulterioris amore;

et paulo post, v. 374 et seqq.

> Unde hæc, o Palinure, tibi tam dira cupido?

Tu Stygias inhumatus aquas amnemque severum
Eumenidum aspicies, ripamve injussus adibis?

ubi vides vocari *ripam* κατ' ἐξοχήν· *supremas ripas* vocat Noster, Epiced. Patris, v. 282; Thebaid. I, 295 et seqq.:

.... superas senior se tollat ad auras
Laius; exstinctum nati quem vulnere, nondum
Ulterior Lethes accepit ripa profundi
Lege Erebi.

Minimum vero differentiæ inter voces *ripa et cība*: hoc enim modo scribi potuit. Nihil tamen muto.

256. *Tristes aperire tenebras.* Proba hæc lectio; et innumeris veterum locis se tueri posset. Petronius, a Gronovio adductus: « neque fax ulla in præsidio erat, quæ iter aperiret errantibus. » Hinc *dies apricus*, et *sol apricus*, et *dies patula*, ex restitutione mea, Genethl. Lucan. v. 14. Corn. Celsus, I, 2, ubi de imbecillis loquitur: « minimeque nubilo cælo, aut soli aperienti se committere; ne modo frigus, modo calor moveat; » ita legendum; vulgo deest *aut*, quod tamen sensus et sequentia postulant: *reserata dies* Val. Flacc. I, 655, idem quod *aperta*. Vide plura apud Gronovium, Diatr. c. 48, ubi defendit *aperire* contra eos qui voluerunt *operire tenebras;* quod contrarium est, et sensum loci plane perdit. Ibi etiam monet in codice Mediceo reperiri aliam lectionem, *tristes lassare tenebras*, id est, *laxare*, quod forte, inquit, genuinum est: ejusque interpretamentum *aperire*. Ne dubites quin ita sit; et sic ego inveni in Parmensi et Ven. *Laxare* est *aperire:* ad Marcellum, v. 12, « Jam terras volucremque polum fuga veris aquosi Laxat; » quæ vera est ibi scriptura, a Burmanno vindicata ad Ovid. Heroid. II, 123, contra Behotium qui voluit *lassat*. Locus Ovidii est, « Sive die laxatur humus, seu frigida lucent Sidera; » ubi multi codices *lassatur*. Vide Heinsium ad locum, ubi satis exemplorum; ne actum agam. « Relevare noctem igne prælato, » Senec. Herc. Fur. 856; Ovid. Art. Amor. I, 247, « Luce Paris, cæloque Deas spectavit aperto. » *Solvere noctem facibus* eodem sensu Plinius, Epist. VI, 16.

CARMEN II.

PROTREPTICON

AD CRISPINUM.*

Rura meus Tyrrhena petit, saltusque Tagetis
Crispinus : nec longa mora est, aut avia tellus;
Sed mea secreto velluntur pectora morsu,
Udaque turgentes impellunt lumina guttas,

VARIÆ LECTIONES.

* *Protrepticon ad Crispinum.* Ita omnes præter Parmensem : ea habet, *Laudes Crispini Vec.* quod olim fuit, opinor, « Laudes Crispini, Vectii Bolani filii. » Scribendum vero *Vettii*, non *Vectii*. — Cod. Paris. *Propenticon ad Crispinum.* Ed. pr. *De Crispino.* A.

1. Pro *Tagetis*, Parm. et Rom. *Tageni*, licet Domitius in notis agnoscat *Tagetis* quod verum est. — Ed. princ. *tageni*, et sic apud cod. Par. qui ad marg. *tagetis.* A.

2. *Nec longa mora est, aut avia tellus Et mea secreto*, etc. Gronovius, Diatr. p. 410, citans hunc locum habet, *nec longa via est;* errore, opinor, memoriæ : nisi sic legi voluerit, de quo tamen non monet. Hæ sane voces sæpe in codicibus confunduntur; ut Theb. I, 359, pro *Aggeribus tenuere moræ*, MS. Petrensis habet *viæ;* et ita depravatam hanc vocem Ovidio me restituisse memini, Rem. Am. 214, ubi Heinsium ex MSS. hoc occupasse jam video. Hic tamen nihil mutandum. Recte vero idem ibid. pro *Et mea*, quæ est omnium ed. lectio, restituit, *Set mea*, hoc est *Sed*, vel *tamen;* vide ad Lacrim. Etrusc. v. 111. — Cod. Paris. ed. pr. cum cæteris *Et mea.* A.

4. Pro *turgentes guttas*, potes legere *turgentes guttæ;* Val. Flacc. II, 464 : «Cernit, et ad primos turgentia lumina fluctus; » ubi vide Heinsium et Burmannum; vel *surgentes guttæ :* et omnino verum est *guttæ*, non *guttas;* oculi enim non impellunt *guttas;* sed *guttæ impellunt* et feriunt *oculos.* Si retineas *guttas*, dicendum foret *expellunt*, non *impellunt;* pro quo Parmens.

Ceu super Ægæas hiemes abeuntis amici
Vela sequar, spectemque ratem jam fessus ab altis
Rupibus, atque oculos longo querar aere vinci.
Quod si militiæ jam te, puer inclyte, primæ
Clara rudimenta, et castrorum dulce vocaret
Auspicium, quanto manarent gaudia fletu,
Quosve darem amplexus! etiamne optanda propinquant
Tristia? Et octonos bis jam tibi circuit orbes
Vita; sed angustis animus robustior annis,
Succumbitque oneri, et mentem sua non capit ætas.
Nec mirum: non te series inhonora parentum
Obscurum proavis, et priscæ lucis egentem,
Plebeia de stirpe tulit: non sanguine cretus
Turmali, trabeaque Remi; nec paupere clavo
Augustam sedem et Latii penetrale Senatus
Advena pulsasti; sed præcedente tuorum
Agmine. Romulei qualis per jugera Circi
Quum pulcher visu et titulis generosus avitis

impellant; et *vellantur* pro *velluntur.* — Cod. Par. ed. pr. *impellunt;* hæc autem, versu præcedenti, *veluntur* et sic etiam cod. Paris. qui ex emendat. *velluntur.* A.

6. Pro *fessus,* Heinsius ad Claudian. pag. 459, citat *lassus.*

7. Pro *oculos,* quod aperte verum est et obvium, miror omnes præter Parm. habere *oculis.* Recte edidit Gevartius *oculos;* sed oblitus erat monere: et ita Gronovius. Pro *querar,* Rom. *queat.* — Cod. Paris. et edit. princ. *oculos.... querar.* A.

8. Vulgo, *Quid si;* et sic etiam cod. Paris. ed. pr. Vide not. A.

9. Pro *Clara rudimenta,* potes legere *Gnava rudimenta,* ut apud Sil. Italic. I, vs. 549: « Nava rudimenta, et primos in Marte calores. »

10. Imitatur Claudian. XV, Bell. Gild. 228: « permisto tremuerunt gaudia fletu. »

11. Cod. Par. *etiam ne.... propinquis;* ed. pr. *etiam ne... propinqui.* Sequenti versu, pro *et,* hæc et ille *ut.* Vide not. A.

18. Parmens. *trabeæque et remis ac paupere clavo.* — Cod. Par. ed. pr. *trabeque et remis et p. c.* Conf. not. A.

21. Pro *Agmine,* Ven. *sanguine.* — Cod. Paris. ed. princ. *Agmine.* Mox forte legendum, *per munera Circi.* Vide not. A.

22. Vulgo, *pulcher visu, titulis g.* omissa conjunctione; quam et omittunt cod. Par. ed. pr. Vide not. ad vs. 21. A.

Exspectatur equus, cujus de stemmate longo
Felix emeritos habet admissura parentes;
Illum omnes acuunt plausus, illum ipse volantem
Pulvis et incurvæ gaudent agnoscere metæ:
Sic te, clare puer, genitum sibi Curia sensit,
Primaque patritia clausit vestigia luna.
Mox Tyrios ex more sinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri: sed enim tibi magna parabat
Ad titulos exempla pater; quippe ille juventam
Protenus ingrediens, pharetratum invasit Araxem
Belliger, indocilemque fero servire Neroni
Armeniam. Rigidi summam Mavortis agebat
Corbulo; sed comitem belli sociumque laborum
Ille quoque egregiis multum miratus in armis
Bolanum; atque illi curarum asperrima suetus
Credere, partirique metus: quod tempus amicum
Fraudibus, exerto quænam bona tempora bello;

24. *Felix demeritos habet.* Ita omnes ante Gevartianam et Gron. editiones; male; et verum est *emeritos*, id est, functos Circi laboribus, et jam *in spem gregis sepositos*, ut ait Virgilius. Ovidius, Fast. IV, 688: « Demserat emeritis jam juga Phœbus equis. » Translatio est a *militia*, ut pueris notum; constructio, « cujus parentes, de stemmate longo, felix admissura jam habet emeritos. » — Cod. Paris. et edit. princ. retinent *demeritos*. A.

27. Pro *genitum sibi Curia sensit*, Parm. et Rom. *te;* de qua repetitione vide ad Propempt. Celer. v. 129. Sed verius *sibi*, ut ad Marcell. v. 76, loco simillimo, « Jam te blanda sinu Tyrio sibi Curia felix Educat. » — Edit. princ. *te*, et sic habet cod. Paris. qui ad marg. *sibi*. A.

38. *Quod tempus amicum Fraudibus, extorto quænam bona tempora bello.* Pleræque sic habent; et ita edidit Gevartius. Grasseri ed. *exorto*, et ita fere Parm. *ex orto*. Nescio cui debeamus pulcherrimam lectionem ed. Gron. « exerto quænam bona tempora bello; » nisi ipsi Gronovio: de qua tamen non monuit, quod sciam. *Exertum bellum* est *apertum*, et opponitur præcedenti *Fraudibus*. Theb. XI, 376: « et exertum dimittere dicitur ensem; » id est, *nudum*, e vagina eductum. Exempla ubivis; vide Heins. ad Claudian. in Rufin. II, 401. Bernartius et Morellus circa vd *exorto* morantur. — Cod. Paris. ed. pr. *exorto*. A.

Quæ suspecta fides, aut quæ fuga vera ferocis
Armenii. Bolanus iter prænosse timendum,
Bolanus tutis juga quærere commoda castris,
Metari Bolanus agros, aperire malignas
Tot veprum nemorumque moras, tantamque verendi
Mentem implere ducis, jussisque ingentibus unus
Sufficere : ipsa virum norat jam barbara tellus;
Ille secundus apex bellorum, et proxima cassis.
Sic Phryges attoniti, quanquam Nemeæa viderent
Arma, Cleonæusque acies impelleret arcus
Pugnante Alcide, tamen et Telamona timebant.

Disce puer : nec enim externo monitore petendus
Virtutis tibi pulcher amor : cognata ministret
Laus animos. Aliis Decii reducesque Camilli
Monstrentur; tu disce patrem; quantusque nigrantem
Fluctibus occiduis fessoque Hyperione Thulen
Intrarit mandata gerens; quantusque potentis

40. Pro *suspecta*, Parm. et Rom. *suscepta;* quam Domitius interpretatur, *quid esset credendum*. Tædet harum interpretationum et interpretum. De hoc autem bello, de quo hic loquitur Statius, vide Tacitum, Annal. XV, init. qui perfunctorie tantum Bolani meminit : nimirum gloria ejus obscurabatur a majore duce Corbulone : clarius de eo elogium in Vita Jul. Agricolæ. — Cod. Paris. in textu, *susoepta;* ad marg. *suspecta*. Ed. pr. *suscepta*. A.

41. Pro *prænosse*, cod. Par. ed. pr. *prænosce*. A.

43. *Metari*. Sic edit. pr. et cod. Paris. qui ex emendatione innuit *metiri*. A.

44. Pro *veprum*, Parm. et Ven. *rerum* : suspicor aliquid latere : quare enim *tot?* et *veprum* nimis humile videtur. — Ed. pr. *veprum*, et sic etiam cod. Paris. in textu, qui ad marg. *rerum*. A.

48. Pro *Nemeæa*, forte legendum *Lernæa*. Cod. Paris. edit. pr. *nemeea*. Vide not. A.

49. Cod. Par. ed. pr. *cleoneosque... arctus*. Vid. not. A.

54. Forte legendum, *quantusque vacantem*, et seq. versu, *cassamque* pro *fessoque*. — Cod. Par. edit. pr. *quantusque natantem.... fessoque*. Vide not. A.

56. *Quantusque potentes Mille urbes Asiæ*. Legendum *potentis Asiæ*, non *potentes urbes;* ex consuetudine bonorum auctorum; Lucanus, IX, 1065; Seneca, Troad. v. 8; Agamemnone, v. 785; Manilius, IV, v. 680, et v. 753; Noster,

Mille urbes Asiæ sortito rexerit anno,
Imperium mulcente toga. Bibe talia pronis
Auribus : hæc certent tibi conciliare propinqui :
Hæc iterent comites præcepta, senesque paterni.
Jamque adeo moliris iter, nec deside passu
Ire paras : nondum validæ tibi signa juventæ
Irrepsere genis, et adhuc decor integer ævi.
Nec genitor juxta; fatis namque haustus iniquis
Occidit heu! geminam prolem sine præside linquens.
Nec saltem teneris ostrum puerile lacertis
Exuit, albentique humeros induxit amictu.
Quem non corrumpit pubes effrena, novæque
Libertas properata togæ? ceu nescia falcis
Silva comas tollit, fructumque exspirat in umbras.

Achilleid. I, 112; II, 348; et I, 402; Priscianus, Perieg. v. 952. Si retineas *potentes*, erit ambiguum; quippe τὸ *urbes potentes Asiæ* significare potest « urbes quæ imperium et jurisdictionem habent in Asiam. » Ita Pompon. Mela, I, 17, « quod Amazones, Asiæ potentes, conseorasse dicuntur. » Vide Gronov. ad Liv. XXIII, 16. — Cod. Paris. ed. pr. *potentes*, et *Intravit* pro *Intrarit*. A.

58. Vulgo, *tibi talia;* quod et habent cod. Paris. ed. pr. — Pro *pronis*, Parmensis *promis*. — Cod. Paris. et edit. princ. *pronis*. Conf. not. A.

61. *Jamque alio moliris iter.* Hui! tam cito? modo admonebatur juvenis, ut paternis vestigiis insisteret, et iter ad veram gloriam capesseret; « Jamque alio molitur iter? » male factum, o Crispine, vel vos potius, o librarii, qui tam negligenter exscripsistis Statianum, « Jamque adeo moliris iter; » quo nihil verius; conf. Virgil. Æneid. V, 864, et VIII, 585: « Jamque adeo exierat portis equitatus apertis; » ubi Servius: « *Adeo* ad ornatum pertinet tantum. » Vide et Sil. Italic. XII, 534; I, 20. Exempla ubique occurrent. *Moliris iter* est ex Virgil. Æneid. VI, 477: « Inde datum molitur iter: jamque arva tenebat Ultima, etc. » ita legendum, non *tenebant;* de solo enim Ænea loquitur; ut statim, « Hic illi occurrit Tydeus, » non *illis*. — Cod. Par. ed. pr. *alio*. A.

65. Pro *heu*, Parm. *et*, frequenti errore, de quo supra; et, pro *sine præside*, multæ editt. *sub præside;* et ita edidit Gevartius, et Cruceus: male. Veram scripturam revocavit ex MS. Bernartius. Eadem diversitas apud Propert. III, 1, ubi pro *Polydamanta sine armis*, ut edidit Broukhusius, legendum esse *sub armis*, id est, *in armis*, olim do-

At tibi Pieriæ tenero sub pectore curæ,
Et pudor, et docti legem sibi dicere mores;
Tunc hilaris probitas, et frons tranquilla, nitorque
Luxuriæ confine timens, pietasque per omnes
Dispensata modos; æquævo cedere fratri,
Mirarique patrem, miseræque ignoscere matri.
Admonuit fortuna domus : tibine illa nefanda
Pocula, letalesque manu componere succos
Evaluit, qui voce potes prævertere morsus
Serpentum, atque omnes vultu placare novercas?
Infestare libet Manes, meritoque precatu
Pacem auferre rogis : sed te, puer optime, cerno
Flectentem justis, et talia dicta parantem :
« Parce, precor, cineri : fatum illud, et ira nocentum
Parcarum, crimenque Dei mortalia quisquis
Pectora sero videt, nec primo in limine sistit

cebo. — Cod. Paris. ed. pr. *heu... sine præside.* A.

71. *Tibi.* Sic ed. pr. et cod. Par. in textu; qui ad marg. dat *ubi.* A.

72. Pro *dicere,* cod. Par. *dicire.* Ed. pr. *dicere.* A.

74. *Nitorque Luxuriæ confine tenens.* Optime Barthius pro *tenens* legit *timens;* per se patet; et in altero nullus est idoneus sensus. Nitorem hunc *luxuriæ confine timentem* vocat *sanum decorem,* Tiburt. Vopisc. v. 92. Hæ voces perpetuo a librariis commutatæ fuerunt. Sic infra, v. 110, pro *timebat,* Rom. edit. *tenebat;* et in Herc. Epitr. Vindicis, v. 74, pro *timuit* restitui *tenuit.* — Cod. Paris. edit. pr. *tenens.* — Pro *confine,* Parm. *cum fine.* — Cod. Par. ed. pr. *confine.* A.

75. *Dispensata domos.* Ita editiones ante Gronovianam, quæ recte admisit *modos.* Debetur hoc Adr. Behotio, Apophoret. lib. II. Vulgata *domos* ineptissima est. Contra apud Hor. Epist. I, 4, ex eo quod erat *et modus et victus,* el. Bentl. fecit, *et domus et victus.* Sic *variis modis,* Valer. Flaccus, III, 393; Auctor Panegyr. ad Pison. vs. 5, « Hic tua me virtus rapit, et miranda per omnes Vita modos. » — Cod. Par. ed. pr. *domos.* A.

81. Vulgo, *Infestare juvat,* et, vers. 83, *jussis* pro *justis.* Edit. pr. *Infestare juvat... justis;* et sic etiam cod. Paris. qui ad marg. *I. libet... mœstoque precatu* pro *meritoque.* Vide not. A.

83. *Parantem.* Cod. Par. ed. pr. *parentem.* A.

85. *Crimenque.* Sic. edit. pr. et cod. Paris. in textu; hic ad marg. *carmen.* A.

Conatus scelerum, atque animos infanda parantes.
Excidat illa dies ævo, nec postera credant
Sæcula! nos certe taceamus; et obruta multa
Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis.
Exegit pœnas, hominum cui cura suorum,
Quo Pietas auctore redit, terrasque revisit,
Quem timet omne nefas: satis hæc, lacrimandaque nobis
Ultio: quin sævas utinam exorare liceret
Eumenidas, timidæque avertere Cerberon umbræ,
Immemoremque tuis citius dare Manibus amnem!»
Macte animo, juvenis! sic crescunt crimina matris.
Nec tantum pietas, sed protenus ardua virtus
Affectata tibi: nuper quum forte sodalis
Immeritæ falso palleret crimine famæ,
Erigeretque forum, succinctaque judice multo
Surgeret et castum libraret Julia fulmen;

87. Pro *parantes*, Parm. *parentes*; Rom. *paratos*. — Cod. Paris. ed. pr. *parantes*. A.

88. *Ne postera credant*. Lege: « Excidat illa dies ævo, nec postera credant Sæcula. » Supra, Pietat. Abascant. v. 179, « Parce, precor, lacrimis, sævo nec concute plan ctu Pectora, nec crucia fugientem conjugis umbram; » Virgil. Æneid. VIII, 581: « Dum te, care puer, mea sera et sola voluptas Complexu teneo, gravior nec nuntius aures Vulnerat; » ita legendum pro *ne vulneret*. Pro « Excidat illa dies ævo; » Parm. et Rom. « Excitat illa die sævo. » — Ed. pr. « Excitat illa die sævo: nec p. c.; » ita etiam a manu prima cod. Par. qui ex emendat. habet, « Excitat illa dies ævo: nec. » A.

90. Pro *patiamur*, Parm. *patiātur*. — Cod. Paris. edit. princ. *patiamur*. A.

97. Pro *sic crescunt*, Parm. et Rom. *sed crescunt*; male; nec audiendus Domitius. — Cod. Paris. ed. pr. *sed*. A.

102. *Et castum vibraret Julia fulmen*. *Vibrare* fulmen est *quatere*, *excutere*; et exempla ubique. Julia vero lex non adhuc *miserat*, sed *missura erat* fulmen in hunc Crispini sodalem; hoc autem non est *vibrare*; sed *librare* fulmen: « Et castum libraret Julia fulmen. » *Vibrare* est *mittentis*; *librare*, *jamjam missuri*; Silius Italicus, XII, 623: « sublata fulmina dextra Libravit; » Seneca, Phœniss. v. 435, « jamque in alternam necem Illinc et hinc miscere cupientes manum, Librata dextra tela suspensa tenent; » ita legendum; vulgo *Vibrata*, quod

Tu, quamquam non ante forum legesque severas
Passus, sed tacita studiorum occultus in umbra,
Defensare metus, adversaque tela subisti
Pellere, inermis adhuc et tiro, paventis amici.
Haud unquam tales adspexit Romulus annos
Dardaniique senes, medii bellare togata
Strage fori: stupuere Patres tentamina tanta
Conatusque tuos; pro te reus ipse timebat.
Par vigor et membris; promtæque ad fortia vires
Sufficiunt animo, atque ingentia jussa sequuntur.
Ipse ego te nuper Tiberino ut litore vidi,
Qua Tyrrhena vadis Laurentibus æstuat unda,

absurdum est; Alcimus Avitus, lib. IV, 388: « At pius ex alto contemplans talia rector Exsertas revocat sedatis motibus iras, Libratumque tenens restinxit missile fulmen; » ubi pari absurditate in ed. qua ego utor est *Vibratum;* Ovid. Metam. II, 311: « dextra libratum fulmen ab aure Misit in aurigam; » Senec. Agamemn. v. 535 « Libratur aliud fulmen: hoc toto impetu Certum reducta Pallas excussit manu, Imitata patrem; » ubi pro *Certum*, Pontanus et Fabricius substituunt *Tortum*, sine causa: *certa fulmina* sunt quæ in aliquam rem *librantur*, et scopo destinantur. Noster, Theb. VII, 200: « videt axis et, ista per ævum Mecum æterna domus, quoties jam certa reponam Fulmina; » vulgo legitur *torta reponam;* inepte: quomodo enim *reponi* possunt fulmina *jam torta* seu missa? Hæ voces *librare* et *vibrare* sæpissime commutantur; vide Gronov. ad Senec. Cons. ad Marc. c. 9; et Drakenborch. ad Sil. Ital. XIII, 165; et supra, ad Pietat. Abasc. v. 133, ubi pro *vibrantem* restitui *librantem*. Sic apud Apul. Miles. IV, ad finem, pro *vibratis laciniis*, legendum forte *libratis;* vide locum. — Cod. Par. et edit. pr. *vibraret*. A.

108. Vulgo, *Dardaniusque senex:* mox autem legendum, *media bellare togati Pace fori*. — Cod. Paris. et edit. princ. *Dardaniusque senex*. Vulgatam de cæteris sequuntur. Conf. not. A.

110. *Pro te*. Vulgo, *nec te;* vide not. Mox, pro *timebat*, Rom. *tenebat*. — Cod. Paris. ed. pr. *nec... tenebat*. A.

111. *Par vigor est membris:* pro quo Parm. et Rom. « Par vigor et membris; » multo elegantius. Emphaticum istud *et:* non solum *animo* magnus vigor, sed par *etiam corpori*. — Cod. Par. ed. pr. *et*. A.

113. Vulgo, *in litore;* quod et retinent cod. Paris. edit. pr. Vide not. A.

114. Pro *Qua*, ed. pr. *Qui;* et sic etiam cod. Par. a manu prima, qui ex emendat. *Qua*. Pro *unda*,

Pendentem in cursus, vexantemque ilia nudo
Calce ferocis equi, vultu dextraque minacem;
Si qua fides dictis, stupui, Martemque putavi.
Getulo sic pulcher equo, Trojanaque quassans
Tela, novercales ibat venator in agros
Ascanius, miseramque patri flagrabat Elisam.
Troïlus haud aliter gyro breviore minantes
Eludebat equos : aut quem de turribus altis
Arcadas Ogygio versantem in pulvere turmas

edit. princ. *nuda*, literis transpositis. A.

115. Vulgo, *Tendentem cursus*. Ed. pr. *Pendentem in cursus;* et sic in textu cod. Paris. qui ad marg. *Prendentem cursus;* vide not. Mox pro *nudo calce*, Heinsius conjicit *crudo*. Si aliquid mutandum, mallem *duro*. — Cod. Par. *nuda;* ed. pr. *illia nuda*. A.

116. Pro *minacem*, Rom. *minantem*. — Cod. Paris. et ed. pr. *minantem*. A.

117. Pro *Martemque*, vulgo *armatumque;* et hoc habent cod. Paris. et ed. pr. Vide not. Pro *dictis*, ed. pr. *dixis;* ut et cod. Par. qui ad marg. restituit *dictis*. A.

118. Pro *Trojanaque*, forte legendum *Sarranaque*. Vide not.

120. Lege, *miseramque puer flammabat E*. et vide not.

121. *Gyro leviore minantes Eludebat equos*. Gronovius, Reliq. ad Silv. notat : « Vide an sit potius *breviore*. » Non solum potius est *breviore*, sed unice verum : primum, quia τὸ *levis gyrus* nihili est; quum non *gyrus*, sed *equus* qui in gyro flectitur, *levis* dici oportuerit; Valer. Flacc. VI, 239 : « mollique per æquora Castor Anfractu leviοris equi deludit anhelos; » id est, *agilioris;* deinde, quia hoc item, ut superiora, ex Virgilio sunt, Æn. XI, v. 694 : « Orsilochum fugiens magnumque agitata per orbem Eludit gyro interior; » ad quæ Servius : « *interior;* sinisterior, breviore scilicet circulo. » Seneca, Hippol. v. 312 : « Ille nocturnas agitare bigas Discit, et gyro breviore flecti; » Hor. S. II, 6, 26 : « Interiore diem gyro trahit; » id est, *breviore;* Lucan. III, 554 : « Et tentare fugam, nec longo frangere gyro Cursum; » idem, VI, 288 : « Agminaque interius gyro breviore recepit; » ita legendum puto; vulgo, *muro breviore;* natus error ex eo quod *gyrus* antique scribebatur *Gurus*, ut testatur Salmas. ad Hist. Aug. Scriptores, vol. I, p. 909. Sil. Italicus, XIII, 25, loco suavissimo, « Exiguos format per prima volumina gyros; » Tibullus, IV, 1, 94 : « Seu libeat curvo brevius compellere gyro. » — Cod. Paris. ed. pr. *leviore*. A.

122. Pro *aut*, Rom. *haud*. — Cod. Paris. ed. pr. *aut*. A.

123. Pro *versantem*, Rom. *vexantem*, quod retinet Domitius, sed sine ullo sensu. — Cod. Par. edit. pr. *vexantem*. Mox, pro *turmas*,

Spectabant Tyriæ non torvo lumine matres.
Ergo age, nam magni ducis indulgentia pulsat,
Certaque dat votis hilaris vestigia frater,
Surge, animo et fortes castrorum concipe curas.
Monstrabunt acies Mavors, Actæaque virgo;
Flectere Castor equos, humeris quatere arma Quirinus,
Qui tibi tam tenero permisit plaudere collo
Nubigenas clypeos, intactaque cædibus æra.
Quasnam igitur terras, quem Cæsaris ibis in orbem?
Arctoosne amnes, et Rheni fracta natabis
Flumina? an æstiferis Libyæ sudabis in arvis?
An juga Pannoniæ, mutatoresque domorum
Sauromatas quaties? an te septenus habebit
Ister, et undoso circumflua conjuge Peuce?

vulgo *metas;* quod et habent cod. Paris. et ed. pr. Vide not. A.

125. Pro *magni ducis*, Parmens. *magno :* male. — Cod. Paris. edit. pr. *magni.* — Pro *pulsat*, forte legendum *poscit;* vide not.; ubi de sequenti versu quoque dictum.

129. Pro *Flectere* et *quatere*, Parm. et Rom. *Flectet* et *quatet*, quod in editionem suam admisit Cruceus, satis pœnarum hoc nomine daturus Gronovio, Elench. Antidiatr. c. 6, quum *quatet* sumserit pro *quatiet.* — Cod. Par. ed. pr. *Flectet... quatit.* Vide not. A.

130. *Quis tibi tam tenero*, etc.? Ita omnes editiones; sed extra dubium posita est emendatio Dan. Heinsii, legentis et distinguentis, « humeris quatere arma Quirinus, Qui tibi tam tenero, etc. » quæ tamen Cruceo non placere potuit, quia *Quirinus* seu *Romulus* non tam apte diceretur permittere auscilia Saliis, quam *Mavors*, cujus illi erant sacerdotes. Hunc refutat Gronovius, Diatr. c. 50; et docet elegantissime dici de Romulo, quod honores conferat patri suo Marti sacratos; et hoc exemplis instruit. Verissimum est *Qui:* (et hoc postea Markland. in Ven. comperit. A.). — Cod. Par. ed. pr. *Quis.* A.

131. Vulgo, *Nubigeros*, et *arma* pro *æra.* Ita etiam ed. pr. et cod. Paris. qui pro *intacta* (hoc certe in textu retinet) ad marginem scribit *mutata.* Vide not. A.

133. Pro *fracta*, cod. Par. *freta;* ed. pr. *frata.* A.

134. Pro *arvis*, cod. Par. ed. pr. *armis.* A.

137. *Et undoso circumflua conjuge Peuce.* N. Heinsius, ad Valer. Flaccum, IV, 729, hunc locum ita citat: « Et umbroso circumflua conjuge Peuce; » et sane edit. Parm. habet *umbrosa;* Rom. *umbroso;* sed perperam: *undosus conjux* est *Ister*, qui circumfluit Peucen: elegantis-

An Solymum cinerem, palmetaque capta subibis
Non sibi felices silvas ponentis Idumes?
Quod si te magno tellus frenata parenti
Accipiat, quantum ferus exsultabit Araxes!
Quanta Calydonios attollet gloria campos!
Quum tibi longævus referet trucis incola terræ,
« Hic suetus dare jura parens; hoc cespite turmas
Affari : vigiles speculas, castellaque longe
Prospicis? ille dedit; cinxitque hæc mœnia fossa :
Belligeris hæc dona Deis, hæc tela dicavit;
Cernis adhuc titulos : hunc ipse, vocantibus armis,
Induit, hunc regi rapuit thoraca Britanno. »

sime dictum : Noster, Thebaid. IV, v. 708 : « Et patris undosi sonitus exspectat hiulca Ægyptos ; » i. e. *Nili;* Sidonius Apollinaris, Carm. V, 29, de Ilia et Tibride, « Liquenti quæ juncta toro, vult murmura lymphis Tollere, et undosi somnum servare mariti ; » *undosus hostis Herculis*, de *Acheloo*, idem, Carm. XIV. Sic *undosi Dii* Propertius, III, 21, 18 : « Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar æquoris hospes, Cogar et undosos nunc prece adire Deos ; » ita legendum ; vulgo *undisonos :* male. *Undisonum* est ἀλίκλυστον, quod *undis strepit* et *sonat*, ut *saxum undisonum* Val. Flacc. IV, 44; *Psamathe undisona*, I, 364; *Malea undisona* Nostro, Achill. I, 408; quod *Diis* non adeo commodum videtur. Sic Thetis *mater aquosa* Achillis, Ovid. Heroid. III, 53 : « Tu mihi, juratus per numina matris aquosæ, Utile dicebas ipse fuisse capi; » Claudianus, de Rapt. Pros. III, 16 : « liquidis incumbunt patribus udæ Naïdes ; » Lucanus, VI, 362 : « nec fortior udus Labitur avectæ pater Isidis ; » ita legendum; vulgo, *nec fortior undis;* vide locum. — Cod. Par. edit. pr. *umbroso*, et *gurgite* pro *conjuge*. A.

138. Pro *Solymum*, Domitii Codices habuerunt *solidum ;* et ita Parmensis. Recte restituit Domit. adducto loco Val. Flacc. init. lib. I, 13 : « Solymo nigrantem pulvere fratrem. » — Cod. Paris. *solynium* et ad marg. *solidum*. Ed. pr. *solynium*. A.

141. Pro *Accipiat*, cod. Par. et ed. pr. *Aspiciat*. A.

144. *Hoc cespite*. Sic ed. pr. et cod. Par. qui ex emendatione innuit *hic*. A.

145. Vulgo, *nitidas speculas*, et sequenti versu *Aspicis :* sic etiam ed. pr.; cod. Paris. a manu prima, *nitas speculas*, at ex emendat. *victa e specula :* versu sq. *Aspicis*. Conf. not. A.

148. Vulgo, *vacantibus armis*, quod et habent cod. Paris. et ed. pr. ; vide not. ; ille autem in textu *hunc;* ad marg. *hos*. A.

149. Pro *thoraca*, Parm. *tribra-*

Qualiter in Teucros victricia bella paranti
Ignotum Pyrrho Phœnix narrabat Achillem.
Felix, qui viridi fidens cœptaque juventa
Durabis quascunque vices; vallumque subibis
Forsan et ense latus, si numina principis adsint,
Cinctus, et unanimi comes indefessus amici;
Quo Pylades ex more pius, quo Dardana gessit
Bella Menœtiades: quippe hæc concordia vobis,
Hic amor est; duretque precor! nos fortior ætas
Jam fugit; hinc votis animum precibusque juvabo.

cta; Ven. *tributa;* Domitius in suis invenit *thoraca* et *tributa;* unde pessime fecit et edidit *vibrata*, ut ad præcedens *tela* referretur hæc vox. Quid vero fecerit τῷ *hunc?* Verum est *thoraca;* nisi sub Parmensis lectione lateat aliquid. — Cod. Paris. in textu *vibrata* et ad marg. *tributa;* ed. princ. *vibrata:* vide not. ad vs. 148. Pro *hunc*, ed. pr. *hæc;* et sic etiam a manu prima cod. Par. qui ex emendatione *huc*, forte pro *hunc*. A.

150. *Victricia bella parentis.* Sic omnes editiones. Sed extra ordinem laudanda est et admittenda præclara Morelli emendatio: « Qualiter in Teucros victricia bella paranti Ignotum Pyrrho Phœnix narrabat Achillem. » Sine hac nec sensus nec constructio constat; unde miror Gronovium in Diatribe et in editione sua nullam hujus rationem habuisse. Certe meruit. Sil. Italic. XVI, 9: « tremit omnis ab alto Prospectans scopulo pastor nova bella parantem; » Noster, Theb. II, 546: « nec tanta putat sibi bella parari. » — Cod. Paris. edit. pr. *parentis.* A.

152. Vulgo, *optate juventa*, et sequenti versu *vias* pro *vices;* hoc ipsum habent cod. Paris. et edit. pr. Conf. not. A.

153. Pro *vallumque subibis*, Parmens. *vellæmque sub illis;* Rom. *veniamque sub illis.* — Edit. princ. *veniamque sub illis;* et sic etiam in textu cod. Paris. qui ad marg. vulgatam restituit. A.

154. Pro *ense*, vulgo *ipse*, et *sic* pro *si;* quod et habent cod. Paris. ed. pr. Vide not. A.

156. Pro *Quo*, Parmens. *Quæ.* — Cod. Par. ed. pr. *Quo.* A.

157. Pro *hæc*, Parm. *et.* — Cod. Par. ed. pr. *hæc*, et *nobis* pro *vobis.*

159. *Hinc votis animum precibusque juvabo.* Nullum commodum sensum extrahere possum ex his verbis. Pronum fuit, *hunc votis animum;* sed nec hoc perspicuitate Statiana dignum. Tentabam etiam, *hoc votis omen;* sed et hoc spongiæ incubuit. Tandem mihi satisfacio: « nos fortior ætas Jam fugit; hinc votis *tantum* precibusque *juvabo;* » respondent hæc superioribus: *Tu* fidens viridi juventa durabis quamcunque sortem; Nos fortior ætas jam fugit; et *hinc* est quod votis *tantum* precibusque *juvare possum,*

Hei mihi! sed cœtus solitos si forte ciebo,
Et mea Romulei venient ad carmina patres,
Tu deeris, Crispine, mihi; cuneosque per omnes
Te meus absentem circumspectabit Achilles.
Sed venies melior (vatum non irrita currunt
Omina); quique aquilas tibi nunc, et castra recludit,
Idem omnes perferre gradus, cingique superbis
Fascibus, et patrias dabit insedisse curules.
Sed quis ab excelsis Trojanæ collibus Albæ,
(Unde suæ juxta prospectat mœnia Romæ
Proximus ille Deus) Fama velocior intrat

quum *corpore* non possim. Si hæc non placeant, despero. Ne vero te terreat *nos* et *juvabo*: his enim subitis personarum mutationibus nihil frequentius: ita, Silv. III, 3, Lacr. Etr. 37, « Nos non arsura feremus Munera; venturosque tuus durabit in annos, Me monstrante, dolor; » Calpurn. Eclog. VII, 79: « O utinam nobis non rustica vestis inesset, Vidissem propius mea numina! » Ovid. Heroid. III, 11: « Alter in alterius jactantes lumina vultum Quærebant taciti vester ubi esset amor; » ita legendum ex sensu; vulgo, *noster: vester*, id est, *tuus;* supra dixerat *te* et *tua*, numero singulari: jam personam mutat, ut Heroid. IX, 1, Dejanira Herculi, « Gratulor OEchaliam titulis accedere vestris, » statim subjicit, « fama Decolor, et factis inficianda tuis. » Pro *votis*, Parmens. *notis*. — Cod. Paris. ed. pr. *votis*. A.

160. Pro *Hei*, Parm. *Et*, id est, *Ei*, vel *Hei;* Rom. *Heu*. — Cod. Paris. edit. princ. *Hei*. Mox, pro *cœtus*, vulgo *quæstus;* et hoc habent cod. Par. edit. princ. Vide not. A.

161. Pro *carmina*, Parm. *crimina*. — Cod. Paris. edit. princ. *carmina*. A.

162. Pro *deeris*, Parm. *dederis*. — Edit. princ. *deeris*, et sic etiam cod. Paris. in textu, qui ad marg. *dederis*. A.

166. *Cingetque superbis Fascibus*. Ita editiones. Codex vero Salisb. *cingitque;* unde Gronovius, Reliq. ad Silv. legit, « Idem omnes perferre gradus, cingique superbis Fascibus; et patrias dabit insedisse curules. » Quod manifesto verum est, quum in altera lectione nulla sit constructio. Parmensis plane habet *cingique*. — Cod. Paris. ed. pr. *cingetque*. A.

170. Pro *Proximus ille Deus*, potes legere *Deis*. Ita Gratius, Cynegetico: « Deus ille, an proxima Divis Mens fuit? » et videtur imitari hunc locum Claud. XXIV, de Cons. Stilich. lib. III, 130, « Proxime Dis Consul, qui tantæ prospicis urbi. » Eutropius, lib. VIII, de Trajano, « Ob hæc per orbem terrarum Deo proximus, etc. » Justinus, VIII, 2: « Dignum itaque, qui

Nuntius, atque tuos implet, Crispine, penates?
Dicebam certe, Vatum non irrita currunt
Auguria : en! ingens reserat tibi limen honorum
Cæsar, et Ausonii committit munia ferri.
Vade, puer, tantisque enixus suffice donis :
Felix, qui magno jam nunc sub præside juras,
Cuique sacer primum tradit Germanicus ensem!
Non minus hoc fortis, quam si tibi panderet ipse
Bellipotens aquilas, torvaque induceret ora
Cassidе. Vade alacer, majoraque disce mereri.

Diis proximus haberetur, etc. » de Philippo Macedone; Vell. Paterc. II, 35, de M. Catone, « Homo Virtuti simillimus, et per omnia ingenio Diis quam hominibus propior. » Sed nihil muto; Statius enim *Diis* tantum non concessisset, ut Domitiano *superiores* essent; unde, Silv. V, 1, 38 Pietat. Abasc. de eo, « humanos propior Jove digerit actus. » — Cod. Par. ex emendat. *deis*. A.

173. Pro *reserat*, cod. Par. *referat;* ed. pr. *reserat*. A.

179. Pro *torva cassidе*, quod verum est, omnes ante Gronov. editiones habent *torta;* nisi quod Parmens. *tortiva;* Rom. *torvi;* v. 177, *primum ensem* optime explicat Dodwellus, Annal. Stat. cap. 59. — Cod. Par. a manu prima *torvique*, a secunda *torvoque induceret* et ad marg. *includeret*. Ed. pr. *torvique induceret*. A.

NOTÆ

IN CARMEN SECUNDUM LIBRI QUINTI SILVARUM.

---

* Protrepticon ad Crispinum. Crispinus, Vectii Bolani filius, sextum decimum natus annum in militiam adscriptus est a Domitiano, nobilitate rerum a patre gestarum florentissimus : nam ille comes Domitii Corbulonis Armeniam Neroni pacavit. Crispinus, relictus cum fratre, tentatus est a matre poculo venenato; quo crimine mulierem damnavit imperator. Nunc autem juvenis secedebat in agrum Tarquiniensem Etruriæ : abeuntem prosequitur carmine Papinius, hortaturque ad æmulationem virtutis paternæ. Denique prædicit futuros militiæ honores. Domit.

Vers. 1. *Saltusque Tagetis.* Agrum Tarquiniensem intelligit; nam in Etruria, in agro Tarquiniensi, sulco ab aratore altius impresso, *Tages* puerili specie exstitit, cœpitque affari aratorem. Ille vero, terrore concussus, clamans totam concivit Etruriam; quæ uno conventu *Tagem* loquentem audivit. Sermo autem fuit exceptus et scriptus libris Etruscorum, habitusque est pro aruspicina : inde enim aruspicina sumsit artem et initium. Hæc ex Divinatione Cicer. et Dionysii historia. Domit.

8. *Quid si militiæ*, etc. Restitui *Quod si;* et ita Ven.; alterum abruptius. Infra, v. 140, loco simillimo :

> Quod si te magno tellus frenata parenti
> Accipiet, quantum ferus exsultabit Araxes!

Herc. Surrent. Silv. III, 1, 161 :

> Quod si dulce decus viridesque resumeret annos,
> Da veniam, Alcide, fors huic et pensa tulisses;

et ita passim : Juvenalis, Sat. XIII, 210 :

> Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum
> Facti crimen habet : quod si conata peregit,
> Perpetua anxietas, nec mensæ tempore cessat;

ita legendum, vel, *sed si conata;* vulgo, *cedo si conata peregit?*

11. *Etiamne optanda propinquant Tristia? et octonos bis jam tibi circuit orbes Vita.* Ita edunt. Et Morellus suo more Græcum nugatur : « Perstat in eodem ὀξυμώρῳ ἀλληγορικῷ. *Rudimenta militiæ*, quia *clara*, etiam *optanda*, quippe quæ parentes et amici ΘΕΑΤΕΣΘΑΙ, *spectare* percupiunt : qua vero *periculosæ plena res est aleæ; Tristia*, ut *honores onerosi*. » Mihi nequaquam hæc satisfaciunt; et ulcus subesse clamant veteres Parm. et Rom. quæ pro *propinquant* habent *propinqui;* pro *et octonos*, *ut*. Ista interrogatio *etiamne optanda propinquant Tristia*, plane abrupta est; et suspicor excidisse versum ante τὸ *Tristia*. Si *propinquant* genuinum sit Statii, multo melius scripsisse potuit : « et nunc optanda propinquant Tristia, et octonos bis jam tibi circuit orbes Vita; » ut ad Somn. v. 14, « et nunc fors aliquis, etc. » et alibi : hoc pacto omnia cohærerent : « Vita circuit bis octonos orbes, » hoc est, « annum vitæ decimum sextum ingressus es. » Ita Achill. II, 396, « Vix mihi bissenos annorum torserat orbes Vita rudis; » Pietat. Abasc. Silv. V, 1, 17, « Altera quum volucrem Phœbi rota torqueat annum; » Alcimus Avitus, IV, 585, « Integer emensum vertebat circinus annum; » idem, supra, v. 79, « Centenos novies crebro quum duceret annos Vita tenax; » Cic. Somn. Scip. c. 2, « Nam quum ætas tua septenos octies solis anfractus reditusque converterit.... in te unum atque in tuum nomen se tota convertet civitas. » — Postea Markland. in Addendis : Conjeceram *et nunc optanda propinquant Tristia, et octonos*, etc. Ecce Veneta, *et ne optanda;* hoc est, *et nc optanda :* ita enim scribi solet vox *nunc;* unde, amisso apice, *ne*. Ven. tamen habet *propinqui*, et *ut octonos*, non *et*. A. — Elegantissimum vero istud, v. 14, « et mentem sua non capit ætas; » id est, mens et sapientia excedunt, majores sunt annis. Pari fere modo de Augusto Vell. Paterculus, II, 61, « Quum C. Cæsar, XIX annum ingressus, mira ausus ac summa consecutus, privato consilio, *majorem ætate* pro Repub. *animum* habuit; » ita legendum puto; vulgo, *majorem Senatu*. Virgilius, Æneid. IX, 311, « Ante annos animumque gerens curamque virilem; » id est, *majorem ætate*. Vide Gronov. Diatr. c. 48, explicantem hunc Statii locum et τὸ *sua ætas*.

18. *Trabeaque Remi, nec paupere clavo*. Domitius ita invenit in suis codicibus; quod non intelligens fecit, *trabeque et remis, et paupere clavo:* et de altero Crispino (de quo Juvenalis, Sat. I et IV) interpretatur, « qui *cymba* et *remo*, quo usus fuerat piscator, fores Senatus pulsasse videtur, intra quas fuerat admissus. » Risum teneatis? Vera est vulgata, *trabeaque Remi, nec*. Dicit Crispinum non *Equestri*, sed *Patricio* genere ortum. *Trabea* erat *Equitum*, in transvectione; notum ex Persio, Sat. III, 29, « Censoremne tuum vel quod trabeate salutas. » *Trabea Remi* pro *Romana*, ut *Turba Remi* Juvenal. X, 73; *Remi nepotes* Catullus, pro *Romanis;* et similia ubique.

21. *Romulei qualis per jugera Circi*. Dudum quæro anne alibi hæc vox *jugera* usurpetur absolute pro *spatia* ut in hoc loco; nec quidem

invenio nisi de *dimenso* agro, et ad certam mensuram definito; quo sensu Juvenal. Sat. IV, 7, « Jugera quot vicina foro, quas emerit ædes; » et omnes. *Jugera campi* et *agri jugera* ubique occurrunt; sed *jugera Circi* solus, credo, dixit Statius. Virgil. Georg. III, 202, de equo cursore, « Hic vel ad Elei metas, et maxima campi Sudabit spatia; » ubi potes suspicari Virgilium scripsisse *maxima circi spatia :* et hoc confirmare videtur Philargyrius, et Servius, qui notat, *ad fines circi.* Sed utcunque hoc sit, quæro an æque bene Virgilius dixisse potuerit *maxima campi jugera* pro *spatia.* Certe, si ita dixisset, non *cursorem* sed *aratorem* equum descripsisset; ut Horat. carm. II, 15, 1 : « Jam pauca aratro jugera regiæ Moles relinquent. » Quid multa? Scripsit Statius, duabus literis mutatis, « Romulei qualis per munera Circi; » id est, *in muneribus* vel *ludis Circensibus.* Ovidius, Fastor. V, 190,

> Circus in hoc exit, clamataque palma theatris :
> Hoc quoque cum Circi munere carmen eat;

Lucanus, IV, 708, « veluti fatalis arenæ Muneribus, non ira vetus concurrere cogit Productos : odere pares; » Claudian. V, in Rufin. II, 394 :

> Ut fera, quæ montes nuper dimisit avitos,
> Altorumque exsul nemorum damnatur arenæ
> Muneribus, commota ruit;

Manilius, IV, 225, « Nunc caput in mortem vendunt et munus arenæ; » ita legendum pro *funus;* quod et occupavit Heinsius ad Claudiani locum; ubi etiam pro *mortem* legit *Martem.* Sic *munera pugnæ* Virgilius, Æneid. lib. VII, vs. 542 et seqq.

> Atque ea per campos sævo dum Marte geruntur,
> Promissi Dea facta potens, ubi sanguine bellum
> Imbuit, et primæ commisit munera pugnæ;

ita scribendus iste locus; vulgo, *æquo Marte* et *funera :* sed primum, *æquo Marte* manifesto falsum est, « quum soli interemti essent Itali, » ut notat Servius; et ideo interpretatur « aperta contentione, bello manifesto : » quod Servii solius auctoritate, et sine exemplis hujusce usus vocis *æquus*, nunquam credam; quum sciam *æquo Marte* esse *æquali;* ut Æneid. X, 755, « Jam gravis æquabat luctus et mutua Mavors Funera. » Verum puto *sævo*, ut infra, vs. 608, « Relligione sacri, et sævi formidine Martis : » prima litera vocis *sævo* adhæsit præcedenti *campos;* unde pro *ævo* fecerunt *æquo.* Deinde pro *funera* obvium est *munera*, quæ *committi* recte dicuntur et proprie : non item *funera.* Versu proxime sequenti, pro *visu*, *titulis*, adjeci conjunctionem, omissam propter sequens *t;* « pulcher visu, et titulis generosus avitis; » de cujus veritate nemo, opinor, dubitabit.

29. Pro *tunicam potentem*, Bernartius mavult *patentem*, hoc est, tunicam *laticlaviam;* et huic succinit Cruceus : infeliciter : clavus forte dici potuit *patens;* sed hic non efficit *tunicam*, cui clavus assuebatur, *patentem*, seu *latam;* sic *bulla scortea* præpendebat collis puerorum

inferioris sortis; non tamen ideo dixeris *colla* eorum *scortea*. Tanti est cogitare antequam loquaris, nec emendationes aucupari ex similitudine vocum. Si omnes editiones habuissent *patentem*, hi, opinor, fecissent *potentem*.

36. *Multum miratus in armis Bolanum.* Pater hujus Crispini; de quo Tacitum consule, Annal. XV, 3. BERNART.

48. *Sic Phryges attoniti, quamquam Nemeæa viderent arma.* Ita edidit Domitius, quum omnes codices, ut ipse fatetur, *vectita* haberent. Hoc improbat Salmasius, Epist. 88, ad Gronov. et pro *vectita*, reponit *Jove picta arma :* « Arma illa Herculis, inquit ille, Jovem pictum pro insigni habuere, qui mos fuit veterum heroum, ut ex Æschyli ἐπὶ Θήβας constat. » Poterat etiam ad hanc rem adduxisse Servium ad Virgil. Æneid. VII, 796, « Et picti scuta Labici. » Sed viro magno infeliciter cessit hæc conjectura; quippe si quisquam alius præter Herculem gestare potuit scutum vel arma *picta Jove*, nihil dicit hæc descriptio, et nimis vaga est; hoc enim loco requiritur aliquid quod Herculi *soli*, nec cuipiam alii, proprium est. Ecce vero, apposite ad refellendam Salmasii conjecturam, Hyperbius unus e Thebanis ducibus clypeum gestabat *Jove pictum*, ap. Æschyl. Ἑπτ. ἐπὶ Θήβ. vs. 465 sq.

Τυφῶνα δὲ ζεὺς πατὴρ ἐπ' ἀσπίδος
Σταδαῖος ἵσταται, διὰ χερὸς βέλος φλέγων·

et paulo infra, vs. 471 sq.

Τυφῶνι γὰ, πρὸς λόγον τοῦ σήματος,
Σωτὴρ γένοιτ' ἂν ζεὺς ἐπ' ἀσπίδος τυχών.

Non igitur *soli* Herculi convenit arma habere *Jove picta;* quod tamen hoc loco oportuit, ut ex comparatione patet. Mitto quod nihil fuit eximie formidandum in armis *Jove pictis* solummodo, nisi et aliæ causæ accessissent; hoc autem loco requiruntur arma *bene nota* et *probata*, et quæ ex ipso visu terrorem incuterent. Non igitur recte *Jove picta* arma; multo minus *Nemeæa;* bis enim idem diceret : quippe *Nemeæa arma* et *Cleonæus arcus* idem fere sunt, quum idem sit *Nemeæus* et *Cleonæus* leo: Martial. Epigr. V, 71, 3: « Rura Cleonæo nunquam temerata leone; » eumdem *Nemeæum* vocat Lucanus, I, 655,

Si sævum radiis Nemeæum, Phœbe, leonem
Nunc premeres, toto fluerent incendia mundo:

idem IV, 612, de pugna Herculis et Antæi, « Ille Cleonæi projecit terga leonis; » atqui pellem *Nemeæi* leonis pro tegumento Herculem habuisse disertim narrat Hyginus, Fab. 30 : vide Burman. ad Ovid. Met. VI, 417: plura possem adducere; sed ex his patet non bene dici *Nemeæa Arma* et *arcus Cleonæus* quasi diversa, quum idem pæne sint. Hinc etiam patet error Servii, qui ad Virgil. Æneid. VIII, 295, *duos facit, Nemæum et Cleonæum, leones :* confundit enim *Cithæronium* cum *Nemeæo* seu *Cleonæo*, de quibus distincte Apollodorus, lib. II, cap. 4, § 9, de *Ci-*

thæronio; et cap. 5, § 1, de *Nemeæo;* a quo etiam colligas quare idem *Cleonæus* dicitur, nempe quod *Cleonæ* vicinæ erant *Nemeæ*. Hanc distinctionem novit eruditissimus Statius, Theb. I, 483 et seqq.

> .... tergo videt hujus inanem
> Impexis utrinque jubis horrere leonem,
> Illius in speciem, quem per Theumesia Tempe
> Amphitryoniades fractum juvenilibus armis
> Ante Cleonæi vestitur prælia monstri:

vides alia pelle leonina, scil. *Theumesia* seu *Citharonia*, vestitum Herculem ante quam *Cleonæa*. Hos etiam confundit Morellus, notis ad Silv. III, 1, vs. 29. Quærendum porro, quænam esse possint hæc *arma Nemeæa*. Domitius dicit, *pellem leonis Nemeæi*. At quis unquam dixit pellem leonis, *arma? ungues* forte dici possent *arma*, sed non *pellis:* vel Statius dixisse potuisset, « Sic Phryges quamquam vidissent *spolia* Nemeæa, etc. » si *pellem* innuere voluisset; sed *arma Nemeæa* pro *pelle* nunquam stabit. Dici forte potest *arma Nemeæa* esse, quibus usus Hercules in occidendo *leone Nemeæo*. Atqui nullis *armis* in hoc negotio utebatur Hercules; quippe *brachiis* illum strangulavit. Seneca, Agam. vs. 829 et seq.

> Te sensit Nemeæus arcto
> Pressus lacerto fulmineus leo.

Vide plura in hanc rem apud Drakenborchium ad Sil. Italicum, III, 33, ubi satis testimoniorum. Ut igitur hactenus videtur, nihil sunt, nec in rerum natura *arma Nemeæa*. Parmensis editio habet *vetiea*. Lege, « Sic Phryges, attoniti quamquam Lernæa viderent Arma: » *Lernæa arma* sunt spicula Herculis, Hydræ Lernææ veneno tincta, et maxime metuenda; nam « quidquid istis sagittis fixerat, mortem non effugiebat, » ut narrat Hyginus, fab. 30. Hanc emendationem firmat Noster, Thebaid. V, 441 et seqq.

> Audet iter, magnique sequens vestigia mutat
> Herculis, et tarda quamvis se mole ferentem
> Vix cursu tener æquat Hylas; Lernæaque tollens
> Arma, sub ingenti gaudet sudare pharetra.

Tela Lernæa vocant alii; Seneca, Herc. Fur. vs. 1233, « ipsa Lernæis frequens Pharetra telis in tuos ibit rogos; » et Herc. Œt. vs. 905, « Lernæa figens tela furibunda manu; » Medea, vs. 783,

> His adice pennas sauciæ Stymphalidos
> Lernæa passæ spicula;

Virgilius, Æneid. VI, 803,

> Fixerit æripedem cervam licet, atque Erymanthi
> Pacarit nemora, et Lernam tremefecerit arcu;

ita legendum, non *aut Erymanthi:* vel certe, si retineas *aut*, legendum *aut Lernam* versu proxime sequenti. Abeant igitur in nihilum Domitii *Nemeæa arma*, et repone *Lernæa;* quæ vox ita scribitur, *lernea:* unde,

divisa litera *n* in *ti*, *lertiea* : inde Parmensis, *vetiea*; Domitii Codices, *vectita*; quod et scribit Venet.

49. *Cleonæusque acies impelleret arcus.* Parm. et Rom. *Cleonæos arctus* : male. Et hic alia suboritur difficultas, et ejusdem fere generis quo prior : quid enim est *arcus Cleonæus?* quid *Cleonis* cum *arcu?* quippe, ut ante dixi, non *arcu* nec armis leonem Cleonæum letavit Hercules, sed nudis manibus et elisu. Æque bene videtur dici potuisse *Aventinus* arcus, quia Hercules Cacum in *Aventino* monte animæ elisu interemit, vel *Libycus*, quia ita Antæum in *Libya*. Et sane ita est, et proprietas in utrovis æqua : sed solitum hoc poetis, qui sæpissime arcessunt epitheta a causa remotiori; deinde ita arcessita, interventu medii alicujus conjungunt cum re de qua loquuntur, quasi proxima essent et nativa. Innumera hujus rei exempla sunt; unum tantum dabo ex Nostro, Silv. V, 3 Epiced. Patr. vs. 225,

> Hei mihi, quod tantum patrias ego vertice frondes
> Solaque Chalcidicæ Cerealia dona coronæ
> Te sub teste tuli!

corona Chalcidica est *Neapolitana*, hoc modo : *Neapolis* condita erat a *Cumanis*, ut refert Velleius Paterculus, I, 4; *Cumani* vero colonia erant *Chalcidensium* in Eubœa; ergo *Chalcidica* pro *Neapolitana*. Vide plura apud Broukhusium ad Propert. III, el. 11, vs. 6. Sic in hoc Statii loco, *Cleonæus arcus* est simpliciter *Herculeus*, hoc modo : Hercules *Cleonis* leonem occidit, et inde vocari meruit *Cleonæus*; ergo quidquid ad Herculem pertinet erit *Cleonæum*, ab hoc illustri facinore; ergo *arcus*. Ita *Apollo* vocatur *Amphrysius*; ergo quidquid ad Apollinem pertinet est *Amphrysium*; ergo *vates Amphrysia*, *Apollinea*, Virg. Æn. VI, 398, de *Sibylla Cumæa*. Et in his rebus ad veritatem nullo alio modo pervenire possumus quam hac resolutione; sed cave ab analysi Gronoviana, de qua monui ad Lyric. ad Sept. Sever. v. 22.

54. *Quantusque nigrantem Fluctibus occiduis, fessoque Hyperione Thulen.* Non litem moveo de quantitate primæ syllabæ in τῷ *nigrantem*, quum eam corripuerit Virgilius, Æn. VIII, 353, « quum sæpe nigrantem Ægida concuteret dextra, nimbosque cieret, » et alii. *Nigrantem* quoque *fluctibus occiduis*, ut Thebaid. I, 686, « Quique bibit Gangen, aut nigrum occasibus intrat Oceanum; » id est, *oceanum occidentalem*; sed scrupulum injiciunt Parm. Ven. et Rom. quarum illæ habent *negantem*, hæc *natantem*. Videntur voluisse, *vacantem Fluctibus occiduis*. Elegantissimum hoc; Lucanus, IX, 690, « Itque super Libyen, quæ, nullo consita cultu Sideribus Phœboque vacat; » id est, occupatur et usurpatur a nulla alia re quam sideribus et sole, ut hic Thule *fluctibus*. Sed vide porro : si enim retineas *nigrantem*, quid facies istis *fesso sole?* quippe Thule vix dici potest *nigrare sole*, quum minimum ardoris solaris habeat; *nigrare* enim dicuntur, qui *nimium* solem, non qui *parvum* aut nullum habent. Sil. Italicus, IX, 224,

Vulgus Adyrmachidæ pariter, gens accola Nili,
Corpora ab immodico servans nigrantia Phœbo;

Ovidius, Art. Am. I, 723,

Candidus in nauta turpis color: æquoris unda
Debet, et a radiis sideris, esse niger.

Quid dicemus? aut quo pacto conciliabimus hæc cum sensu et more aliorum auctorum? Parmensis quoque auget depravationis suspicionem; illa enim pro *fesso* habet *fessus*. Conjicio, « quantusque vacantem Fluctibus occiduis, cassamque Hyperione Thulen Intrarit; » *cassam Hyperione*, id est, *viduatam sole*, *sine sole*, ut apud Virg. Æn. II, 85: « nunc cassum lumine lugent; » et alibi passim. Potes etiam *refugoque Hyperione* pro *fesso*, ex loco Theb. II, 421, huic non absimili, « Bistonas, aut refugo pallentes sole Gelonos; » ubi *pallentes refugo sole*, pæne ut hic *nigrantem fesso Hyperione;* licet aliqua quidem sit differentia. In tanta obscuritate præstare puto locum relinquere quemadmodum inveni. « Thulen fesso Hyperione, » ut « domus sanie dapibusque cruentis » Virgilio, Æneid. III, 618; et similia passim.

58. *Tibi talia pronis Auribus, hæc certent tibi conciliare propinqui.* Nullus in his sensus; vide enim constructionem: « propinqui certent conciliare talia tibi pronis auribus, » certent conciliare *tibi hæc*. Vides quam ridiculo in circulo hæc volvantur. Mitto quod propinqui Crispini admonentur conciliare illi talia *pronis auribus*. Quid? anne damus præcepta *auribus?* nonne *ore* et *sermone* vel *scriptis?* nonne hoc est rerum officia invertere, et *auribus loquentem* introducere, *ore audientem?* Atqui Crispini fuit, non propinquorum, *audire* ista *pronis auribus*. Jam veritas in proximo est, « *bibe* talia pronis Auribus; hæc certent tibi conciliare propinqui: » *bibere auribus* nota phrasis; Horat. carm. II, 13, 32: « Densum humeris *bibit* aure vulgus; » Noster, Achill. II, 119, « Adspicit intentum vigilique hæc aure *bibentem;* » Sid. Apoll. XVI, 126, « Expositæ legis *bibat* auribus ut medicinam; » Ovid. Trist. III, 5, 13 et seq.,

Et lacrimas cernens in singula verba cadentes
Ore meo lacrimas, auribus illa bibi;

unde *sitis audiendi* apud Quintilian. Instit. VI, 3, et alios; *bibulæ aures* Persio, Sat. IV, 50; et hinc intelligitur istud Horatii, Epist. I, 8, 6: « Præceptum auriculis hoc *instillare* memento. » Absolute videtur usurpasse Virgilius, Æneid. I, 752,

Nec non et vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem:

adbibere pectore Horatius, Epist. I, 2, 67, ad finem, « nunc adbibe puro Pectore verba, puer. » Hæc et multo plura exempla adnotaveram, quum in hanc notulam Heinsii incidi, ad Valer. Flaccum, V, 247, *Hæc tibi, fatorum genitor tutela meorum Omnituens:* « *Hei mihi* Aldus: locus corruptus: putarem, *Eia age*, nisi longius abiret a vulgata scriptura: forte,

Hæc bibe, scilicet auribus; similem locum libro V Silvarum Statii, Propemptico Crispini, restituimus. » Non dubito quin hunc locum alludat Heinsius, licet hanc emendationem in scriptis ejus nondum invenerim; et sanctissime affirmo me pleraque horum exemplorum adscripsisse, antequam hoc Heinsii observassem; quod et de multis aliis restitutis harum Silvarum locis pari integritate affirmare possem, si tanti putarem. Dolet pæne unum videre præreptum, in quo mihi maxime placueram, Epiced. Patr. v. 127, licet postea repererim Cruceum quoque vel Avantium ita conjectasse. Sequitur : « Hæc iterent comites præcepta, senesque paterni. » *Comites paterni* sunt *comites patris;* sed quinam sint *senes patris* non intelligo; nisi distinguendus sit locus ut τὸ *paterni* ad *comites* tantum, non ad *senes* referatur: « Hæc iterent comites præcepta, senesque, paterni. » Sed hæc ambiguitas non Statium decet. — Postea Markland. in Addendis suis : Scripsit opinor, « Hæc iterent comites præcepta senesque petenti : » comites et senes iterent talia *præcepta* tibi *petenti* hujusmodi præcepta. Innuit Crispino, illum *petere* debere hæc præcepta et exempla patris a comitibus ejus et senibus qui illum norunt : tu *petas*, illi iterent hæc præcepta; Persius, Sat. V, 64, « *petite* hinc, juvenesque, senesque, Finem animo certum, serisque viatica canis; » ita legendum puto pro *miseris canis*. A.

63. *Et adhuc decor integer ævi*. Aliam lectionem offert Parmensis, *adhuc tenor integer ævi*. Ita, Silv. III, 3, 147, Lacr. Etr. « Dextra bis octonis fluxerunt sæcula lustris, Atque *ævi* sine nube *tenor;* » Ovid. Heroid. XVII, 14, « Dumque *tenor* vitæ sit sine labe meæ; » et ita alii : vide Burmann. ad Trist. III, 1, vs. 59. Sed nihil hoc loco mutandum : non enim hic agitur de longa *continuatione* et *vitæ cursu*, ut in iis locis ubi *tenor vitæ* occurrit, sed de *forma* et *puerili decore*, quod nondum fuscaverat barba : « nondum validæ tibi signa juventæ Irrepsere genis, et adhuc *decor* integer ævi. » Simile istud in Glauc. Melior. Silv. II, 1, 154,

> Gratum est, Fata, tamen, quod non mors lenta jacentis
> Exedit puerile decus, Manesque subivit
> Integer.

Nihil igitur mutandum.

70. Pro *fructumque exspirat in umbras*, Morellus voluit *in auras*, scilicet quia Lucret. dixerat, l. VI, 886, « Et simul exspirare foras, exireque in *auras*. » Atqui Lucretius non loquitur de *fructu* qui exspiratur in *auras*, sed de *exhalationibus* quæ ab *aquis* emittuntur; ut nihil ad Statium sit iste locus. Vanus emendandi pruritus elegantissimum locum corrumpere voluit. Dicit Statius quod centum alii auctores dixerunt, arbores, nisi luxuria earum compescatur falce, pro *fructu* nihil daturas esse præter *frondes* et *umbras*.

76. *Mirarique patrem;* id est, *imitari;* Virgilius, Æneid. VIII, 516,

« tua cernere facta Adsuescat, primis et te miretur ab annis; » ad quæ Servius : « *miretur,* imitetur. Lucanus : *miratoremque Catonis,* id est, imitatorem : optima enim ingenia necesse est ut ea quæ mirantur, imitentur : » lege, « *miratorique Catonis,* id est, imitatori; » sumtum ex Lucano, IX, 810; Martial. Epigr. I, XL, 5 : « Si quis erit recti custos, *mirator* honesti; » ita legendum, non *imitator.*

77. *Admonuit fortuna domus.* Erudite hunc locum explicat Gronovius, Diatr. cap. 49, his verbis : « Hei mihi ! hic fatum domus vestræ, matris mentione facta, animum meum ulcerat, pungitque : tibine illa temperare manu sua venenum sustinuit? etc. *Admonere* non protrita notione dicitur, quidquid aliquo cum aculeo teloque in memoriam redit, et, ut Tullius ait, *animum memoria refricat.* » Recte. Simillimum istud Philotæ apud Quint. Curtium, VI, 10, « Admonuit me patris mei mentio, quam timide et constanter, quæ Cebalinus detulerat ad me, indicare debuerim. » Non absimile et Virg. istud, Eclog. VI, 2, « Quum canerem reges et prælia, Cynthius aurem Vellit, et admonuit; » Seneca, de Benefic. VII, 24, « Socrates, amicis audientibus, Emissem, inquit, pallium, si nummos haberem. Neminem poposcit, omnes admonuit. » Exempla passim in Suetonio, et aliis. Sit tanti restituere hanc vocem eidem Senecæ, de Clementia, I, 3, loco notissimo : « Nunc in tres partes omnem hanc materiam dividam : prima erit *manumissionis;* secunda, quæ naturam Clementiæ habitumque demonstret, etc. » Lege : *prima erit monitionis;* vel *admonitionis.* Nihil verius puto; et mecum senties, si librum legeris; per totum enim *monitis* et exemplis agit : cap. 9, « Hoc quam verum sit, *admonere* te exemplo domestico volo. Divus Augustus fuit mitis princeps, etc. » cap. 20, « Supervacuum est hoc loco *admonere,* ne facile credat; ut verum excutiat, etc. » Longe infra se Gronovius, qui conjicit *mappæmissionis,* vel *commissionis :* melius Lipsius, *manuductionis.* Sidon. Apollinaris, de Seneca, carm. IX, 230, « Incassumque suum *monet* Neronem; » Juvenal. Sat. VIII, 39, « His ego quem *monui?* tecum est mihi sermo, Rubelli Blande. » Simile istud Plin. Epist. VIII, 24, ubi *monitis* instruit Maximum suum, ad regendam provinciam Achaiam profecturum : « Hæc velim credas (quod initio dixi) scripsisse me *admonentem,* non præcipientem; quamquam præcipientem quoque; quippe non vereor, in amore ne modum excesserim. » Recte igitur et molliter *monitionis* dicit Seneca : *præceptionis* nimis durum et magistrale fuisset. *Fortuna* vero *domus,* ut Glauc. Ated. Silv. II, 137, « Hæc fortuna domus : subitas inimica levavit Parca manus; » Ovid. Met. XIII, 525, « Non hæc est fortuna domus; » Virgilius, Georg. IV, 209, « Stat fortuna domus, et avi numerantur avorum. »

81. *Infestare juvat Manes, meritoque precatu Pacem auferre rogis.* Ita veteres editiones, præter Parmensem, quæ habet *Infestare libet manes;* et ita edidit Gronovius, oblitus tamen monere unde habuerit; nam Parmensem non viderat. Omnino verum est *libet,* et hoc sensus postulat :

« Alius, inquit Statius, *libenter* et ultro infestaret manes et umbram matris tam male de se meritæ; sed tu, o Crispine, ea es pietate, ut *justis* et solennibus funebribus eam colas et flectas: » ita enim legendum, non *jussis*, quod ineptum est; licet in plerisque editt. ita invenias: Parmensis tamen et Rom. *justis*, ut et Gronovius edidit, iterum oblitus monere. *Libet* et *juvat* sæpe in libris MSS. confunduntur: ita Ovid. Rem. Amor. vs. 542, « Et fastidita non *libet* isse domo, » plerique meliores codices habent *non juvat*, monente Heinsio; et alibi mutatas has voces me invenisse memini. *Precatu* vero pro *imprecatu*, *exsecratione*, *diris*; Horat. Serm. II, 6, 30: « Quid tibi vis, insane, et quam rem agis? improbus urget Iratis precibus; » et 7, 36, « Mulvius et scurræ tibi non referenda precati Discedunt. » Sic *Thyesteæ preces* eidem sunt *imprecationes* quales Thyestes in fratrem Atrea effudit; *malæ preces* Noster, Theb. XI, 617; Ovidius, Ibide, v. 95,

> Illum ego devoveo, quem mens intelligit, Ibin,
> Qui se scit factis has meruisse preces;

et 415, « Hæc tibi, quem meritis precibus mea devovet ira, Eveniant; » Metam. XV, 505, « Hostilique caput prece detestatur euntis; » Seneca, Medea, vs. 19,

> Majusne aliquid quod precer sponso malum:
> Vivat: per urbes erret ignotas egens:

ita legendum puto; vulgo, *Mihi pejus aliquid;* pro quo Gronovius conjicit, *Me pejus*, vel, *Nisi pejus:* utcunque hoc, certus sum pro *pejus* scribendum esse *majus*, ut Troad. 427; Phœniss. 286; Thyest. 259; de Ira, II, 5; et alibi passim. Hæ *preces* dicuntur etiam *vota;* unde Virgil. (seu quicunque alius) Ciri, 377, « Regis Iolciacis animum defigere votis; » pro *devovere*, ex ritu magico desumta phrasi; de quo vide Heinsium ad Ovid. Amor. III, 7: idem Art. Amat. III, 375, de rixis *aleatorum* loquens,

> Crimina dicuntur: resonat clamoribus æther;
> Invocat iratos et sibi quisque Deos.
> Nulla fides; tabulæque novæ per vota petuntur;
> Et lacrimis vidi sæpe madere genas:

ubi primum mirari subit quare dicat *æthera resonare* clamoribus; non enim *sub dio* ludebant alea: lege, *resonant clamoribus ædes:* hoc certum puto. Deinde, *Nulla fides*, etc. Hæc ita explicat doctissimus Burmannus: « Lusor, qui omnia perdidit, et plus debet quam solvere potest, optat *novas tabulas*, ut non cogatur nomen suum expedire; sed remisso debito omni, iterum integrare possit lusum. » Sed hoc non videtur congruere præcedentibus et subsequenti versui, in quibus agit Ovidius non de *tacitis* aleatorum *votis*, sed de *externa* eorum specie et *αἰσχημοσύνῃ*, et quam turpiter et indecore se gerant in *propatulo*, et coram omnibus. Regius codex pro diversa lectione habet *talis* pro *tabulæ:* lege: « Nulla quies; talique novi per vota petuntur; » *Nulla quies*, in perpetuo angoris et sollicitudinis æstu sunt; et *votis*, diris, et exsecrationibus *petunt*

novos talos: per quod impietatem simul et stultitiam eorum tangit poeta, quasi *mutatis talis* fortuna quoque mutaretur; quam persuasionem in nostris aleatoribus sæpe observare licet. *Tali novi* sunt *alii, diversi* a prioribus: *fides* et *quies* frequentissime commutantur in libris. Potes tamen retinere *tabulæ novæ*, eodem sensu. *Vota* sunt *imprecationes*. Pro *flectentem justis*, optime legi posset *placantem*, nisi paulo ante præcessisset *placare novercas;* Livius, I, 20, « Nec cælestes modo cæremonias, sed *justa* quoque funebria, *placandosque Manes*, ut idem Pontifex edoceret; » et ita passim.

108. *Dardaniusque senex medii bellare togata Strage fori.* Mendosissimus locus, et minime intelligendus; quis enim iste *Dardanius senex? Tithonus* vel *Priamus* ita sæpe vocantur poetis; sed nullus istis hic locus. Barthius igitur legit, « Haud unquam tales aspexit Romulus annos *Dardaniusve, senes*, medii, etc. » Prope veritatem; quæ est, *Dardaniive senes;* per quos intelligit *majores* Romanorum, a *Dardanis* seu Trojanis oriundos: *Albanos Patres* vocat Virgilius, initio Æneidos: et sane edit. Ald. habet *senes*. Sed hoc facile fuit: quis vero explicavit quid sit *strage fori?* Non Barthius, qui interpretatur, « reis hinc inde corruentibus. » Non intelligo. Et quare *medii fori?* quum satis fuisset « bellare togata strage fori, » sine τῷ *medii*, quod nihil ad rem, et otiosum est. Melius potuisset, « *media* bellare *togati* Strage fori; » ut apud Prudentium, Psychom. 687,

> Scissa procul palla, structum et serpente flagellum
> Multiplici, media camporum in strage jacebant.

Hoc aliquanto tolerabilius fuisset; sed adhuc maneret eadem quæstio de voce *strage;* nullam enim *stragem* efficere potuit Crispinus, quum *defensare* tantum metus, et *repellere* adversa tela subierit. Mihi omnino verum videtur,

> Haud unquam tales adspexit Romulus annos
> Dardaniive senes, media bellare togati
> Pace fori:

« Romulus et majores nostri numquam viderunt quemquam, ea ætate qua tu tunc fuisti, *pugnas* tam strenue obeuntem in media *pace* fori, quod togæ et quieti, non bellis adsuetum est. » Optimus hinc exsurgit sensus. *Media pace*, ut Soter. Gallici, v. 84, « Et justum *media* de *pace* triumphum; » Seneca, de Ira, II, 2, « Sic etiam militaris viri in *media pace* jam *togati* aures tuba suscitat. » *Bellare* vero *pace*, per antithesin, et ut servetur ad imum metaphora, in qua cœpit per ista, *defensare, tela, pellere, inermis, tiro;* omnia a graviore militia desumta. Has concertationes et litigationes *Bella pacis* eleganter vocat Manilius, V, 124. Auctor Panegyr. ad Pisonem, v. 26,

> . . . . licet exercere togatæ
> Munera militiæ; licet et sine sanguinis haustu
> Mitia legitimo sub judice bella movere;

Quintil. Instit. Orat. V, 12, 22 : « iniurusque frequenter *forensium* certaminum *pugnam*, jam in schola victoriam spectet, et ferire vitalia ac tueri sciat; » et VI, 3, 28 : « In hac quidem *pugna forensi* malim mihi lenibus interdicere; » Ovid. Rem. Amor. 152, « Vade per urbanæ candida *castra togæ;* » idem, Fast. IV, 188, « Et *fora Marte* suo litigiosa vacent. » *Bella fori* vocat, Trist. III, 12, 18; et *Martem forensem*, ex Pont. IV, 6, 29. Juven. XVI, 47, « Digredimur, lentaque *fori pugnamus* arena; » Alcim. Avitus, III, 349, « Legibus armatas furere in certamina lites, Jus anceps *pugnare foro;* » Eumen. pro Restaur. Schol. c. 2, « Neque enim tanta me aut negligentia aut confidentia tenet, ut nesciam quanta sit inter hanc *aciem fori*, et nostra illa secreta studiorum exercitia diversitas : ibi armantur ingenia; hic præliantur : ibi prælusio; hic *pugna* committitur : hic sudore et quasi pulvere sordidus; illic, insignis ornatu laudatur orator : » ita legendum pro *sordibus*, et *laudatur ornatior*. Infinita hujusce generis afferri possent; sed ex his vides metaphoram et oppositionem. Recte etiam *togati fori;* fori quod paci et *togæ*, non *bellis* aptum est. Notum illud Ciceronis, « Cedant *arma togæ;* » Liv. III, 52 : « Non pudet Lictorum vestrorum majorem prope numerum in foro conspici, quam togatorum aliorum, etc.? » Senec. de Ira, II, 7, eleganter, « Inter istos quos togatos vides, nulla pax est; » idem, de Benef. III, 26 : « Sub Tib. Cæsare fuit accusandi frequens et pæne publica rabies, quæ omni civili bello gravius togatam civitatem confecit; » Plin. Panegyr. c. 56, 7 : « hostilemque terrorem, non armorum magis, quam togarum ostentatione compescere. » Nihil video quod huic emendationi opponi possit. Notum est literas *c* et *g* propter similitudinem sæpissime mutatas esse; unde pro *pace* scriptum videtur *page;* ex quo fecerunt *strage*. *Tales annos*, id est, aliquem qui erat iis annis seu ætate qua tu eras : *anni* pro persona qui habet eos annos; ut apud Terentium *mores*, pro eo qui habet eos mores, « Uxorem his moribus dabit nemo. » Sic, Noster, Silv. III, 3, 137 : « qui funera patris Haud matura putas, atque hos pius ingemis annos. »

110. *Nec te reus ipse timebat.* Quid mirum si *reus* non timeret *patronum?* immo mirum foret si *timeret* eum qui *defensare metus*, et pellere adversa tela subiisset. Clare legendum, « pro te reus ipse timebat; » ipse reus *pro te timebat*, quasi mutatis vicibus tu *reus*, ille *patronus* fuisset. Non aliter scribere potuit Statius. Ipse, Achilleid. I, 74 : « fas sit Pro nato timuisse mihi; » et II, 200 : « pudeatque dolosam Sic pro te timuisse Thetin; » Manilius, V, 606, de Andromeda,

> Jamque oblita sui metuit pro vindice tali
> Suspirans, animoque magis quam corpore pendet;

Claudian. Gigantomach. v. 62, « Pro domino Natura timet; » Seneca, Epist. 90, « Hæc erat secundum naturam domus, in qua libebat habitare, nec ipsam, nec pro ipsa timentem : nunc magna pars nostri metus, tecta sunt. » Apposite ad rem Quintilian. Inst. X, 1, 16 : « Nec fortuna modo judicii, sed etiam ipsorum, qui orant, periculo afficimur. »

113. *Tiberino in litore vidi.* Totus locus sic habet in omnibus fere editionibus:

> Ipse ego te nuper Tiberino in litore vidi,
> Qua Tyrrhena vadis Laurentibus æstuat unda,
> Tendentem cursus, vexantemque ilia nudo
> Calce ferocis equi, vultu dextraque minacem.
> Si qua fides dictis, stupui, armatumque putavi.

Non cohærent hæc, et abrumpitur redditio sententiæ. Lege: « Ipse ego te nuper Tiberino ut litore vidi, etc. Si qua fides dictis, stupui; » *ut vidi, stupui.* Notum istud Virg. Ecl. VIII, 41, Cir. 430: « ut vidi, ut perii! » Sil. Ital. IX, 419: « Isque ut Varronem procul inter prælia vidit; » et X, 250: sqq.:

> Obrutus hic telis ferri per corpora Piso
> Rectorem ut vidit Libyæ, connisus in hastam
> Ilia cornipedis subrecta cuspide transit;

Ovidius, Metam. VII, 727: « Ut vidi, obstupui: meditataque pæne reliqui Tentamenta fide; » Am. II, 5, 47: « Ut faciem vidi, fortes cecidere lacerti; » et ita passim. Virgilius, Æn. I, 125: « Emissamque hiemem ut sensit Neptunus, etc. » ita legendum esse alias probabo: vulgo *hiemem sensit.* Voces *in* et *ut* totidem ductibus calami constant; unde sæpe confunduntur: Ovidius, Art. Amat. III, 155: « sic capta vidit ut urbe Alcides Iolen, Hanc ego, dixit, amo; » ita ex tribus codicibus recte restituit Heinsius, quum in ceteris fere omnibus esset, *vidit in urbe.* Sic Propert. III, 20, 2 et seq.:

> Durus, qui lucro potuit mutare puellam!
> Tantine in lucris Africa tota fuit?

Ita edidit Broukhusius, ex conjectura Gronovii, Observ. III, 17, quum scriptura optimorum codicum esset *Tantis ne lacrimis.* Legendum vero, « Tantine, ut lacrimes, Africa tota fuit? » prout Broukhusius quoque, veritati parum fisus, olim proposuerat: optime tamen explicat: « An tanti erant omnes reditus provinciæ Africæ, ut tu vel unam lacrimulam profunderes? » Nihil verius; et ita olim editurus sum.

115. *Tendentem cursus.* Ita plures editiones: non male: Val. Flacc. I, 483: « Et dedit æquoreos, cælo duce, tendere cursus; » Nemesianus, Cyneget. vers. 197, « Seu cursus revocent, jubeant seu tendere cursus; » Claudianus, VIII, de IV Cons. Honorii, v. 540,

> Quis molles sinuare fugas, quis tendere cursum
> Acrior, aut subitos melior flexisse recursus?

ita legendum; vulgo inconcinne, *tendere contum*: vide et Sil. Italic. X, 73, et Claudianum non semel. Sic *tendere vias*, Nostro Theb. VI, 455; *tendere iter*, Virgil. Æn. I, 656; *intendere iter*, Senecæ, de Const. Sapient. c. 14. Romana tamen et Veneta habent *pendentem cursus;* quod, utpote eruditius, avide arripuit Gronov. Diatrib. c. 50, pro « pendere in cursibus, » vel « pendentem facere cursus: » vide locum; ubi multa et docta

sane hujusmodi locutionum exempla. MS. Mediceus *Prendentem*. Sed veritatis palmam aufert Parmensis, quæ habet *pendentem in cursus;* et hoc probat Heinsius ad Sil. Italic. IV, 179. Virgilius, Æneid. X, 586: « Lucagus ut pronus pendens in verbera telo Admonuit bijugos; » et V, 141: « lora Concussere jugis, pronique in verbera pendent; » Sil. Ital. VIII, 281: « Et præceps trepida pendens in verbera planta; » ubi video hæc Virgilii loca a diligentissimo Drakenborchio adducta.

117. *Si qua fides dictis, stupui, armatumque putavi.* Sæpe miratus sum unde Crispinum *armatum putaret* Statius; nihil enim est in hac descriptione quod tale aliquid innuit; nisi ridens dicas inde *armatum* putasse quod erat *nudo calce*. Excute totum locum:

> Pendentem in cursus, vexantemque ilia nudo
> Calce ferocis equi, vultu dextraque minacem;
> Si qua fides dictis, stupui, armatumque putavi.

Anne *armatum* putavit quod « pendebat in cursus? » an quod « vexabat ilia ferocis equi? » an quod erat « vultu dextraque minax? » Hæ solæ redduntur rationes quare *armatum* putaret; et tamen hæc omnia *inermibus* æque bene ac *armatis* competunt. Vere restitui: « Si qua fides dictis, stupui, Martemque putavi; » adeo bellicosa imago fuisti, o Crispine, ut te pro ipso *Marte* caperem. Ita de Getis Ovidius, Trist. V, 7, 17, « Vox fera, trux vultus, verissima Martis imago; » Calpurn. Sicul. Eclog. VII, 82:

> .... utcunque tamen conspeximus ipsum
> Longius, ac, nisi me decepit visus, in uno
> Et Martis vultus, et Apollinis esse putavi.

Homer. de Leonteo, Τὸν δὲ Λεοντῆα βροτολοιγῷ ἴΣΟΝ ἄΡΗΙ· et ita passim. Sil. Italic. IV, 460, de Scipione: « fertur per tela, per hostes, Intrepidus puer, et Gradivum passibus æquat; » Noster, Theb. XII, 730, sqq.:

> Ut vero æquoreus quercum Marathonida Theseus
> Extulit....
> Ceu pater Edonos Hæmi de vertice Mavors
> Impulerit currus, rapido Mortemque Fugamque
> Axe vehens; sic exanimes in terga reducit
> Pallor Agenoridas.

Pro *Martem*, litera una transposita, scriptum fuit *armtem;* unde fecerunt *armatum*.

118. *Getulo sic pulcher equo, Trojanaque quassans Tela.* Pro *Getulo*, Rom. *Cetuleo;* et pro *quassans*, Parm. *cassans*, promiscuo usu literarum *qu* et *c*. Sed hæc parva sunt: majus istud, quomodo Ascanius dici potuerit quassare *Trojana tela* in hac venatione; nisi dicas *tela Trojana* esse quæ ille a Troja secum avexerat; quod huic loco non optime congruet: quippe *tela* hoc loco sunt *venabula* seu *arma venatoria*, quæ non verosimile est illum a Troja asportasse. Immo Virgilius (a quo hæc de-

sumta sunt) dicit Didonem, quemadmodum (*Getulos*) *equos*, ita *venabula* quoque suppeditasse, Æneid. IV, 131: « Retia rara, plagæ, lato venabula ferro. » Melius igitur, ut mihi videtur, dixisset Statius, « Getulo sic pulcher equo, Sarranaque quassans Tela; » id est, *Tyria, Carthaginiensia;* quo sensu sæpe hac voce utitur Sil. Italicus; ut VII, 432: « aut hos Sarranus habebit Navita jam portus? » et VIII, 46: « Cur Sarrana dicent Œnotri numina templo; » et alibi passim. Sidon. Apollinaris, Carm. II, 5: « humerosque ex more priorum Includat Sarrana chlamys; » id est, *Tyrio* murice tincta. *Carthaginienses* autem a *Tyriis*. Virgil. Georg. II, 506: « Ut gemma bibat, et Sarrano dormiat ostro; » et alibi puto hac voce uteretur, si per librarios licuisset; Æn. I, 316: « Virginis os habitumque gerens, et virginis arma Sarranæ; » id est, *Tyriæ*, *Carthaginiensis:* vulgo legitur *Spartanæ:* et scio quid dici possit de *venatricibus* puellis *Spartanis;* sed certe æquum erat ut Venus, quum inter *Tyrios* esset, gestaret os et habitum et arma virginis *Tyriæ* (hoc est, *Sarranæ*), non *Spartanæ*. Immo ipsa litem hanc solvit mox, vers. 335 et sqq.

> Tum Venus: Haud equidem tali me dignor honore:
> Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
> Purpureoque alte suras vincire cothurno:

virginibus Tyriis, id est, *Sarranis*: ideo puto me recte emendasse. Vocem *Sarranæ* paulo rariorem, in magis familiarem, *Spartanæ*, videntur vertisse librarii, suo more. Servius quidem legit *Spartanæ;* sed hoc nihil probat præter mendi vetustatem.

120. *Miseramque patri flagrabat Elisam*. Difficillimus locus; ad quem Barthius: « Dura locutio; sententiam videmus esse hanc: *Incendebat Elisam ut similem puerum ex Ænea gignere cuperet.* » *Flagrabat* igitur accepit pro *flagrare faciebat;* quod ferri quidem potest. Sed quid fiet de isto *patri?* quippe Latine dici « flagrare faciebat Elisam patri » nemo mihi persuaserit, sua tantum, et sine veterum auctoritate. Ex comparatione manifestum est Statium alludere isti loco Virgilii, ubi Ascanius inter venandum dicitur *acri* gaudere *equo;* is est Æneid. IV, 156: « At puer Ascanius mediis in vallibus acri Gaudet equo; » hoc reperto, facile est Statium cruere, « novercales ibat venator in agros Ascanius, miseramque puer flammabat Elisam. » Vix aliter scribere potuit, si rem spectes; et amat Statius omni occasione sublegere verba magistri sui Virgilii. Potes quidem retinere *flagrabat* pro *flagrare faciebat;* sed non opus est figurata locutione quum in proximo sit vox *flammabat*, quæ, minima mutatione, melius convenit. Claudian. X, de Nupt. Hon. et Mar. v. 16, « Scyria sic tenerum virgo flammabat Achillem; » Senec. Troad. vs. 303, « Regum tyranne, jamne flammatum geris Amore subito pectus? » Valer. Flacc. VIII, 300: « Conjugio atque iterum sponsæ flammatus amore. » *Flammatus* est *incensus*, ut Nostro, Theb. VIII, 606: « insurgunt justo flammata pudore Agmina; » ita legendum; vulgo, *fir-*

mata pudore; Achilleid. I, 398: « Dulcibus armorum furiis et supplice regum Conquestu flammata movet; » Claud. XXVIII, de VI Cons. Hon. v. 467, « Flammatus virtute pia, propriæque salutis Immemor; » Catalecta Pithœi, pag. 3, « Igne salutifero Veneris puer omnia flammans. » Potes etiam, minori mutatione, legere « miseramque patris flagrabat Elisam; » *miseram patris*, Græcismo noto, *ob patrem;* vel, « miseramque magis flagrabat Elisam; » *magis* incendebat Elisam, ante satis miseram. Mihi adhuc placet prima conjectura.

123. *Arcadas Ogygio versantem in pulvere metas.* Loquitur Statius de Parthenopæo Arcade, notissimæ pulchritudinis juveni; et huic comparat Crispinum, *equo* se exercentem; quemadmodum Troilo et Ascanio *equitibus*, paulo ante. Comparatio igitur postulat aliquid de Parthenopæo *equitante;* quod in his verbis frustra quæsiveris; quippe *metæ* ad certamina *curruum* pertinent, ut Horat. Carm. I, od. 1, v. 4: « metaque fervidis Evitata rotis; » vel ad *cursores*, ut Sidon. Apollin. Carm. XIV, Præf. Epith. Polemii et Araneolæ, de Hippomene *currente*, vs. 14:

Pallens Hippomenes ad ima metæ
Tardat Schœnida ter cadente pomo.

Quod si ad certamina *equestria* referri possent *metæ* (et forte possunt), tamen *versare metas* nullum habet sensum aut notionem verbis subjectam: quin et si haberet aliquam significationem *ludorum* et *certaminum equestrium* (et nullam aliam habere debet), huic tamen loco aliena esset; agit enim poeta de Parthenopæo in *obsidione Thebana* occupato, *Ogygio in pulvere*, ante muros Thebarum; quo tempore inanibus *ludis* mentem oblectare illi non vacabat. Nihil verius quam Statium scripsisse, « Arcadas Ogygio versantem in pulvere turmas; » *turmæ* sunt *equitum*, ut pueris notum; Noster, Silv. III, 2, 125, Prop. Celer. « Jam tamen et turmas facili prævertere gyro Fortis; » Claudian. XXI de Laud. Stilich. I, 102: « turmas equitum, peditumque catervas; » ex Horatio, Epist. II, 1, vs. 190: « Dum fugiunt equitum turmæ, peditumque catervæ. » Has igitur *turmas* Parthenopæus in *pulvere Ogygio*, circa mœnia Thebana, *versabat*, id est, *exercebat*, artem tractandi equos et cetera ad equitatum pertinentia docebat; Ovid. Heroid. IV, 45:

Sæpe juvat versare leves in pulvere currus,
Torquentem frenis ora sequacis equi;

Art. Amat. I, v. 725: « qui vomere semper adunco Et gravibus rastris sub Jove versat humum; » quod *exercere tellurem* vocat Virgilius. Idem, Æn. XII, 664: « tu currum deserto in gramine versas; » id est, huc illuc vertis et torques et quasi *exerces*. Omnia jam facilia. Parthenopæus *equo insidens turmas* versabat, et pugnas obibat; unde vocatur *Arcas eques*, Theb. V, 555: « extemplo, monitu ducis, advolat ardens Arcas eques. » Scriptum fuisse videtur pro *turmas*, literis transpositis, *murtas;* unde factum *metas;* qualia multa librariorum errata in his Silvis, et aliis auctoribus antiquis, deprehendi. Ita infra, v. 128, pro *Mavors*,

Rom. *Mauros.* Sic apud Ciceronem, Paradox. I, ipso initio, pro « Stoicorum hominum disputationibus, » plane legendum « otiosorum hominum, » literis transpositis. *Tyriæ matres* sunt *Thebanæ. Non torvo lumine,* propter pulchritudinem Parthenopæi.

125. *Nam magni ducis indulgentia pulsat.* Nescio quidem quomodo *indulgentia* Domitiani dici potuerit *pulsare* Crispinum. Explicant quidem, « propellit et pectus inflammat. » Sed hoc non in se continet notio verbi *pulsare,* quod *vim* et *violentiam* denotat; adeo ut nequaquam jungi possit cum τῷ *indulgentia.* Noster, Thebaid. I, 368, de Polynice per tenebras iter faciente,

> Incertusque viæ, per nigra silentia, vastum
> Haurit iter: pulsat metus undique, et undique frater;

elegantissime: notum istud Virgilii, « Corda pavor pulsans, laudumque arrecta cupido; » Alcimus Avitus, II, 317: « Nec minus his pulsat contraria cura salutis; » Sidon. Apollinaris, Carm. II, 416: « necnon, pulsante senecta, Hinc rediviva petit vicinus cinnama Phœnix. » Si quid video, scripsit Statius, « nam magni ducis indulgentia poscit; » id est, « ultro et prior te provocat et hortatur; » elegantissima vox: Noster, Theb. II, 399: « Sed quia dulcis amor regni, blandumque potestas, Posceris; » Ovid. Fast. IV, 721:

> Nox abiit, oriturque Aurora. Palilia poscor:
> Non poscor frustra, si favet alma Pales.

Vide cl. Bentleium ad Horat. Carm. I, 32. Val. Flacc. I, 769: « magnos obitus natumque, domumque, Et genus Æolium, pugnataque poscere bella; » ex quo loco Noster, Silv. IV, 4, 73, ut illic notavi, « Magna pater, dignosque etiamnum belliger actus Poscit avus. » *Indulgentia* igitur Imperatoris hoc *poscit, postulat, flagitat,* ut surgas et animo concipias castrorum curam. Hæ voces interdum commutantur: sic, Silv. V, 5, 71, Epiced. in Puer., pro « Poscentemque novas tremulis ululatibus auras, » probabo legendum esse *Pulsantemque.* Potes etiam legere *indulgentia pergit,* Silv. I, 2, ex Epithal. Stell. v. 174,

> Hunc et bissenos (sic indulgentia pergat
> Præsidis Ausonii!) cernes attollere fasces;

et, Silv. IV, 4, ad Marcell. 57, « Latiique Ducis si numina pergent. » Sed verius et elegantius mihi videtur *poscit;* et mutatio minor est. In iis quæ sequuntur, « Certuque dat votis hilaris vestigia frater, » plane cæcutio; prorsum ignarus quid sibi velit *hilaris frater: fratrem* quidem æquævum Crispinus habuit, supra vs. 65, et 75; sed nihil præterea de eo compertum habeo. Latet tamen sub voce *hilaris* dignitas aliqua seu honor quo auctus fuit hic *frater* a Domitiano; unde de Crispino quoque paria ominatur Statius. Potes legere, « Certaque dat votis lætis vestigia frater; » sed multum abest ut Statium ita scripsisse affirmaverim.

129. *Flectere Castor equos, humeris quatere arma Quirinus.* In priore

membro hujus versus aliquid desiderari videtur; in posteriore aliquid abundare. Primo enim, parum est *flectere equos*, nisi accedat *ars* et *peritia* quædam in hoc faciendo: quippe quivis potest *equum flectere*; arte vero et scientia istud facere, non nisi qui a peritioribus acceperit; et hoc Crispinum docere, Castoris munus fuit. Deinde, non video cujusnam usus in re bellica sit *quatere arma humeris;* non enim ex eo quod aliquis *quatit arma humeris*, ideo est melior bellator; nec si Romulus Acronis regis Cæninensium arma *humeris* portavit et Jovi Feretrio consecravit, hoc pertinet ad belli et *armorum tractandorum peritiam;* sed ad pompam et victoriæ ostentationem: vide Liv. I, 10. Hunc imitatus postea Marcellus, occiso manu sua Viridomaro, « spolia Galli, stipiti imposita, humeris suis vexit, » ut de eo refert Eutrop. lib. III; *tropæum* scilicet, de quo videndus Gronovius, ad Senec. Troad. v. 151. Hæc, inquam, et talia exempla non attingunt hunc locum, in quo agitur de *peritia armorum tractandorum:* quo nihil facit *humerorum* mentio. *Arma* quidem et *humeri* sæpe conjunguntur, ut Virg. Æn. X, 700: « armaque Lauso Donat habere humeris, et vertice figere cristas; » Claudianus, Laud. Stilich. II, 365, « Tunc habiles armis humeros Dea vestibus ambit Romuleis; » Noster, Achilleid. I, 352: « arma humeris, arcumque animosa petebat Ferre; » Valer. Flacc. II, 544: « aptatque superbis Arma humeris; » Propert. IV, 11, 47:

> Seu quia victa suis humeris huc arma ferebat,
> Hinc Feretri dicta est ara superba Jovis;

Sil. Italic. II, 453:

> Tali sublimis dono, nova tegmina latis
> Aptat concutiens humeris, celsusque profatur;

qui locus non me lædit; constructio enim est, *aptat humeris*, non *concutiens humeris:* quod si constructio esset *concutiens humeris*, nihil tamen adjuvaret hunc Statii locum, qui *peritiam* postulat, quam ex istis verbis efficere non potes; quum etiam *imperitissimus* armorum possit ea *concutere humeris*. Ita Tacitus, Hist. II, 22: « temere subeuntes cohortes Germanorum, cantu truci, et patrio more nudis corporibus, super humeros scuta quatientium. » Vides Germanos « quatientes scuta super humeros: » an ideo dixeris eos esse militaris disciplinæ *gnaros*, quatenus hoc faciebant? Non certe, sed contra; et hoc voluit Tacitus, qui *temere subeuntes* eos dicit. *Humeris* igitur circumstantia est minime necessaria: nec opus fuit ut Quirinus doceret Crispinum *quatere arma humeris*, sed simpliciter *quatere arma*, quod mox explicabimus. Depravatio latere videtur in ea voce, quæ ad priorem versus partem reducenda est, hoc modo, « Flectere Castor equos gyris, quatere arma Quirinus. » Parum differentiæ est inter τὸ *huēris* et *guris* vel *gœris;* ita enim scribebant. Ausonius, Ecloga Solst. 5, « Octo et octoginta gœris, et super trihorio. » Recte vero « Flectere equos gyris; » hoc enim artis et scientiæ equestris erat; unde paulo supra laudatur Troïlus quod « gyro breviore minantes Eludebat equos; » et ipse Castor, Silv. V, 3,

vs. 139, « Non toties victorem Castora gyro Nec fratrem cæstu virides plausere Therapnæ; » Virgil. Georg. III, 115 et sqq.

> Frena Pelethronii Lapithæ gyrosque dedere
> Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis
> Insultare solo, et gressus glomerare superbos;

ubi notat Serv., « ut cum disciplina incedant. » *Equitem* ibi est *equum*. Hunc Virgilii locum imitatur Manilius, V, 636: « Hic glomerabit equo gyros; » Ovidius, Metam. VI, 224, de filiis Niobæ,

> E quibus Ismenos, qui matri sarcina quondam
> Prima suæ fuerat, dum certum flectit in orbem
> Quadrupedes cursus, etc.

id est, dum *gyro flectit equum;* Lucan. I, 425: « Optima gens flexis in gyrum Sequana frenis; » Tibull. IV, 1, v. 91:

> Aut quis equum celerem arctato compescere freno
> Par sit, et effusas tardo permittere habenas?
> Inque vicem modo directo contendere cursu,
> Seu libeat curvo brevius compellere gyro;

et infra, 208, « mutata figura Seu me finget equum gyro percurrere campos Doctum, seu, etc. » ita optime emendavit Heinsius pro *rigidos percurrere*. Vide ibi politissimum Broukhusium, affatim exemplorum suggerentem. Ovid. Heroid. IV, 79:

> Sive ferocis equi luctantia colla recurvas,
> Exiguo flexos miror in orbe pedes;

in *orbe*, id est, *gyro;* Manilius, V, 73:

> Stare levi curru moderantem quatuor ora
> Spumigeris frenata lupis, et flectere equorum
> Prævalidas vires, ac torto stringere gyro;

Tacitus, de Mor. Germ. cap. 6: « Equi non forma, non velocitate conspicui; sed nec variare gyros, in morem nostrum, docentur. » Recte igitur *flectere equos gyris;* in hoc enim constat peritia τῆς ἱππευτικῆς, non simpliciter in *flectendo equos*. Dicit Statius: Mars et Minerva monstrabunt tibi τὰ τακτικὰ, seu « rationem disponendi exercitus, » ut loquitur Nazarius, Panegyr. c. 28; Castor, *equitandi artem* et scientiam; Romulus, *arma* cum agilitate *vibrare*, et dexteritate quadam et decore tractare: hoc enim vult per *quatere arma*. *Arma tractare* Horat. Epist. I, 18, 53: « adde, virilia quod speciosius arma Non est qui tractet; » et Seneca, Epist. 88, « An liberale studium istud esse juventuti nostræ credimus, quam majores nostri rectam exercuerunt, hastilia jacere, sudem torquere, equum agitare, arma tractare? » Vegetius, de Re Militar. lib. I, « Tractare scutum, et obliquis ictibus (f. *actibus*) venientia tela deflectere, plagam prudenter vitare, audacter inferre. » Vide Cic. de Orat. III, 52 et 54; Ovidius, Met. XII, 468: « Armaque concussit, certumque equitavit in orbem; » Petronius,

> Mox et Socratico plenus grege, mutet habenas

Liber, et ingentis quatiat Demosthenis arma.

Utcunque tamen mihi adblandiatur hæc conjectura, nihil in contextu mutare sustinui; quia aliter eruditioribus forte visum erit.

131. *Nubigenas clipeos.* Hoc debetur Dan. Heinsio, quum ante legeretur *nubigeros*, de qua voce miras nugas agunt Morellus et Cruceus post Domitium, qui etiam conjicit *nubigenum clipeos*, « id est, inquit, ingentes, quales gestarunt Centauri nubigenæ. » Nihil verius Heinsii emendatione; cui adludit Parmensis, quæ habet *nubigeras: nubigenæ clipei* sunt *ancilia* Διοπετῆ, *lapsa ancilia cælo*, ut eos vocat Virgilius, citatus a Gevartio ad hunc locum: sic *nubigenæ amnes*, Theb. I, 365; *nubigenæ Centauri*, Theb. V, 263, ex Virg. Æn. VIII, 293: « Tu nubigenas, invicte, bimembres, etc. » *nubigenæ biformes*, iidem, Claud. III in Rufin. lib. I, 329. Sic *Phœbigena Augustus*, Sidon. Apollinar. Carm. II, 125; *Martigena*, ibid. v. 396; *aurigena* de Perseo, Præfat. Carm. VI, « Quum matrem impleret filius aurigena; » *flammigena fur*, Cacus, Carm. XIII; *nubigenas nimbos*, Prudentius, Hamartig. vs. 486; Apul. de Mundo, « Sed cælum ipsum, stellæque cæligenæ, omnisque siderea compago, Æther vocatur; » ita legendum; vulgo *cæligeræ*; sic *venti terrigenæ*, eodem libro. Sequitur, *intactaque cædibus arma.* Nondum ex toto cum sanitate et elegantia convenit hic versus. Vide enim præcedentia: « Quirinus monstrabit tibi quatere arma, utpote qui jam tibi permiserit gestare clipeos et arma intacta cædibus. » Amove hanc a Statio pauperiem non suam, et repone, « Nubigenas clipeos, intactaque cædibus æra; » ex Virgil. nempe, Æneid. II, 734: « Ardentes clipeos, atque æra micantia cerno; » *æra* et *clipei* pæne idem sunt hoc Statii loco; Lucretius, II, 635:

> Quum pueri circum puerum pernice chorea
> Armati in numerum pulsarent æribus æra,
> Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus;

de Curetibus loquitur; hæc autem *æra* quæ illi pulsabant, *clipeos* disertim vocat Ovid. Fast. IV, 209, de iisdem,

> Pars clipeos sudibus, galeas pars tundit inanes:
> Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus;

Horat. Carm. I, 16, 8: « non acuta Sic geminant Corybantes æra; » Diomedes, lib. III, p. 474: « Hi namque in insula Creta Jovem custodiendo ne vagitu se parvulus proderet, lusus excogitato genere clipeolis æneis inter se concurrentes, tinnitu æris illisi, rythmica etiam pedis dactyli compositione, celavere vocem infantis. » Recte igitur *ære* pro *clipeis*; præsertim vero de his *ancilibus*, quæ ex *ære* facta erant; unde Dion. Halicarn. Antiq. II, 8, ΧΑΛΚΗΝ πέλτην *æream peltam* vocat eam quam cælitus delapsam fingebat Numa; ad cujus figuram reliquæ factæ erant. Propert. IV, 2, 61 et seq. clare,

> At tibi, Mamuri, formæ cælator aenæ
> Tellus artifices ne terat Osca manus?

Recte igitur *æra* hæc *ancilia*. Mirus de his *armis* error Cassiodori, Præfat. Libr. de Orthographia, inter Vet. Grammat. Putschii, pag. 2279, his verbis: « *Arma virumque cano*: ubi totius operis summa conclusa est: *arma* enim *ancilia*, *virum*que Virgilius dicturus est. » Confundit *arma Æneæ* cum *ancilibus*.

134. *An æstiferis Libyæ sudaris in arvis?* Ex hoc loco corrigendus alter, Propempt. Celer. v. 123, de quo monere oblitus sum,

Nec novus hospes erit: puer his sudavit in arvis
Notus adhuc tantum majoris munere clavi:

ita legendum; vulgo, « puer hic sudavit in armis. »

136. *Sauromatas quaties?* De his intelligit, qui sunt inter Borysthenem et Istrum qui Sarmatæ Lazyes dicuntur; constantque magna ex parte ex Nomadibus, id est, more Numidarum errantibus. Domit. — *Septenus Ister.* Id est, septem ostiorum. Isidorus, lib. XIII, cap. 21, de hoc eodem fluvio: « Septem ostiis in pontum influit. » Credo illum et Nostrum, Halmerium pro ostio sumere; nam Ister aliis sex tantum ostiorum: Plin. Hist. Nat. IV, 12. Bernart.

138. *An Solymum cinerem*, etc. Hierosolymam intelligit, captam a Tito fratre Domitiani, ubi duodecim ictibus sagittarum totidem propugnatores confecit, adeptus victoriam die natali filiæ suæ. — *Palmetaque capta.* Nam et palmarum arbores et balsami inprimis Judæi succidebant, ne Romani poterentur; sed populus Romanus publica cura cœpit eas arbores colere: propterea ait Statius, « Non sibi felices silvas, etc. » *non sibi*, sed populo Romano. Domit.

145. *Nitidas speculas, castellaque longe Aspicis? ille dedit; cinxitque hæc mœnia fossa.* Ita editiones, *nitidas speculas*, epitheto parum apto. Ven. vero, *vitæ specula;* Parmensis *vides speculas;* unde N. Heinsius, ad Val. Flaccum, V, 536, elicit, *viden' has speculas;* quod mihi quoque in mentem venerat. Uterque frustra: si enim *vides has speculas*, quare τὸ αὐτὸ, *aspicis castella*, id est, *vides castella?* Non ita scriberet Statius; nec τὸ *speculas* relinqueret sine epitheto, quod latet sub voce *vides*. Recte emendavi, « vigiles speculas, castellaque longe Aspicis? » *vigiles* vocat *speculas*, vel quia in iis *vigilabant* et *excubabant* speculatores, qui rerum novarum vel tumultus alicujus vel hostilis adventus signum darent, ut Ovid. Trist. IV, 1, 75 et seq.

Nam dedit e specula custos ubi signa tumultus,
Induimur trepida protenus arma manu;

quo alludit Auct. Consol. ad Liv. Augustam, vers. 61, de Augusto,

Ille vigil, summa sacer ille locatus in arce
Res hominum ex tuto cernere dignus erat;

Noster, Thebaid. X, 491 : « Ni Megareus specula citus exclamasset ab alta, Claude, vigil ; subeunt hostes ; » Q. Curtius, IX, 9 : « Non tamen invictum animum curæ obruunt, quin tota nocte præsideret in speculis ; » Apuleius, Metam. IV, « Nec juxta quidquam, quam parva casula, cannulis temere contecta ; quo speculatores e numero latronum, ut postea comperi, sorte ducti noctibus excubabant. » Clare vides *vigiles speculas.* Vel quia *ignibus perpetuis* nocturnis instructæ erant hæ *speculæ ;* qui ignes *vigiles* dicuntur, utpote qui nunquam *sopiuntur* seu exstinguuntur ; Ovid. Fast. VI, 267 : « Vesta eadem est, quæ Terra ; subest vigil ignis utrique ; » id est, *nunquam exstinctus.* Statius, Theb. VIII, 266 : « Incertæque faces, et jam male pervigil ignis ; » id est, *pæne exstinctus.* Sic *vigil custodia* Claud. VIII, 324, de IV Cons. Honor. et Ovid. Metam. XII, 148, *perpetua*, quæ *non cessat ;* et similia multa. *Ignes* vero e *speculis* elatos esse, notissimum : Noster, Theb. XII, 251 :

> Cernis, ut ingentes murorum porrigat umbras
> Campus, et e speculis moriens intermicet ignis ;

Lucan. VI, 279 : « Vix prælia Cæsar Senserat, elatus specula quæ prodidit ignis. » Utrovis igitur sensu sumas, verissimum est *vigiles speculas.* Quod vero sequitur, *castellaque longe aspicis*, satis ridiculum : non enim *longe* aliquid *aspicimus*, sed *prospicimus : castellaque longe Prospicis ;* ex sensu scilicet communi, et Virgilio, Æn. XI, 909 :

> Ac simul Æneas fumantes pulvere campos
> Prospexit longe, Laurentiaque agmina vidit ;

Nost. Theb. V, 589 : « modico super aggere longe Pallida sanguineis infectas roribus herbas Prospicit ; » Horat. Ep. I, 10, 23, « Laudaturque domus longos quæ prospicit agros ; » Tacit. Hist. V, 6 : « Ab occasu, Phœnices et mare : septemtrionem e latere Syriæ longe prospectant. » De commutatione harum vocum dixi fusius ad II, 2, v. 45 ; et vide Heinsium ad Claudian. Pr. Cons. Stilich. II, 253. Potes etiam legere *longa* pro *longe.* Sequitur : *ille dedit :* pro quo Heinsius, ad dictum Val. Flacci locum, reponit, « insedit, cinxitque hæc mœnia fossa ; » quum, inquit, nihili sit *ille dedit.* Immo vero optimum, et sensui necessarium. Monstrator Britannus Crispino enumerat beneficia patris ejus Bolani in eos : Videsne, inquit, istas speculas, ista castella ? *ille*, pater tuus, nobis ista *dedit*, et cinxit nostra hæc mœnia fossa, quo ab incursu hostium tuti essemus. Nihil planius. *Dedit castella*, ut Virgil. Æn. X, 200 : « Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen ; » Ovid. Met. XIV, 172 :

> Quod loquor, et spiro, cælumque et sidera solis
> Respicio, (possimne ingratus et immemor esse ?)
> Ille dedit ;

Martial. IX, CII, 21 : « Templa Deo, mores populis dedit, otia ferro. » Nihil igitur mutandum.

148. *Hunc ipse vacantibus armis Induit.* Idem Heinsius ad eumdem locum Valer. Flacci, V, 536, legit, « hunc ipse, vocantibus armis, Iu-

duit. » Recte : quare enim *indueret thoraca* Bolanus, *vacantibus armis*, quum nullum esset bellum? Hanc etiam emendationem repetit Heins. ad Sil. Italicum, X, 112, et ad Claudian. de IV Cons. Honor. v. 318 : nec de ea dubitandum est : Valer. Flaccus, III, 341 : « Quas rapuit telis festina, vocantibus austris, Hypsipyle; » Claud. XXIX, Laud. Seren. v. 214, « sæva vocantibus arma Jam lituis; » Prudentius, in Symmach. I, « Nec tremulis, quum bella vocant, capit arma lacertis; » Sil. Italic. XVI, 698 : « Talibus accensi Patres, fatoque vocante, Consulis annuerunt dictis. » Ita *ventus vocare rates* poetis passim dicitur. Recte vero et proprie *rapuit thoraca regi Britanno;* unde emendandus Virgilius, *Æn.* VI, 859, de Marcello, « Tertiaque arma patri suspendet rapta Quirino; » ita enim legendum, non *capta*. Et scio quid dicat Servius more et judicio suo : « *capta Quirino*. Qualia et Quirinus ceperat, id est, Romulus. » Sed aliud est *capere arma ab aliquo*, aliud, *rapere alicui*. Ipse Virgilius litem hanc discernet, Æn. X, 449 : « Aut spoliis ego jam raptis laudabor opimis, Aut leto insigni; » et mox, v. 462, « Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta; » et sic ceteri poetæ passim. Scio etiam quid objici possit ex Livio, XXIII, 46. Sed ibi antithesis postulat *caperet*, ut respondeat τῷ *daret;* Noster, Theb. X, 87 : « Ismenos raptis tumet Hippomedontis opimis. »

152. *Felix, qui viridi fidens optata juventa Durabis quascunque vias.* Ita nonnullæ editiones; plures *optate;* æque mendose, quippe æque sine sensu. Lege, « Felix, qui viridi fidens cœptaque juventa; » ut Genethliaco Lucani, v. 64 :

> Mox cœpta generosior juventa
> Albos ossibus Italis Philippos
> Et Pharsalica bella detonabis ;

Propertius, III, 9, 57, et seq.

> Mollia tu cœptæ fautor cape lora juventæ,
> Dexteraque immissis da mihi signa rotis ;

Catalecta Pithœi, « Occidit infelix cœptæ modo flore juventæ; » ita legendum pro *cæpto;* flore *juventæ* modo *cœptæ :* et ita hunc Statii locum emendasse sero video N. Heinsium ad Sil. Italic. II, 463. Sed nec adhuc ex toto sanus est locus. Stulte enim dixeris *viridi cœptaque juventa*, quum ille qui *viridi* sit *juventa* necessario non solum fuerit *cæpta*, sed etiam aliquatenus *provecta juventa*. Dixisse debuit, si per versum licuisset, « Felix, qui viribus fidens, cœptaque juventa; » vel, « meritis fidens; » vel tale quidpiam : nisi malis, « Felix qui viridi fidens, Crispine, juventa; » vel, « viridi fidens navaque juventa. » Sed hoc est nugari; et adhuc mendosum puto locum. Quænam vero sunt hæ *viæ* quas duraturus erat Crispinus? an *itinera?* minime vero invidenda sors, nec adeo *felix* Crispinus, si *viridis* juventa *viis* et *itineribus* impendenda erat. Lege, « Durabis quascunque vices; » id est, quæcunque negotia, quamcunque *sortem*, quamcunque *fortunam*. Ita, Ep. ad Marc. Silv. IV, 4, 48, « Sed

viget ingenium et magnos accinctus in usus Fert animus quascunque vices; » Claudianus dixisset, « Novi consilium, novi Stilichonis in omnes Æqualem casus animum; » Silv. V, 1, ad Abasc. v. 78, « digna evolvere tantas Sobria corda vices; » et inf. v. 99, « Mille etiam prænosse vices; » Tibull. I, 9, 64: « Aut operum varias disposuisse vices; » Virgil. Æn. II, 433: « Testor, in occasu vestro, nec tela nec ullas Vitavisse vices Danaum; » ex quo loco restituendus forte alter ejusdem libri, inf. 731, « Jamque propinquabam portis, omnemque videbar Evasisse vicem; » ita, inquam, mihi videtur legendum pro *viam:* omnem *vicem*, id est, omnem *casum*, omne *periculum*, ut bene Servius explicat ad locum modo adductum. Solennis vero harum vocum commutatio, quum nulla sit differentia in libris MSS. inter *a* et *ce*. Inde est quod Georg. I, adhuc in omnibus editionibus legatur *Mutavere vias*, quum plane legendum sit *Mutavere vices:* « Verum ubi tempestas et cæli mobilis humor Mutavere vices, » ut apud Horatium, « mutat terra vices, » et alios passim; sensu, inquam, hoc postulante. Inde idem mendum apud Tibullum, II, 6, vers. 35:

Illa gerat vestes tenues quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias;

ubi Broukhusius ad sensum optime interpretatur, « vestem auro variegatam, virgis aureis inter telas procurrentibus; » hoc vero non est *auratas vias*, sed *vices*. Citat quidem Servium ad Virgil. Æn. VIII, 660: « *Virgatis lucent sagulis*. Quæ habebant in virgarum morem deductas vias. » Nescio qua Servii editione usus fuerit vir elegantissimus; sed in optimis non *vias*, sed *strias* legitur; et hæc est vera et indubitata lectio. Eleganter igitur *auratas vices* appellat Tibullus virgas et strias aureas telis intertextas, et *vicibus* interpositas; hoc eruditis evincet sola vox *disposuit*. Virgilius dixisset, « tenui telas discreverat auro; » Stat. Theb. XI, 402: « Stamina purpureæ sociaverat aurea telæ; » Claud. XLV, de Hystr. vs. 14, « alternantesque colorum Tincta vices; » Lucan. II, 357: « gradibusque acclinis eburnis Stat torus, et picto vestes discriminat auro: » *alternum textum* vocat Plinius, Hist. Nat. IX, 35; Val. Flacc. III, 10: « conjux Percosia vestes Quas dabat, et picto Clite variaverat auro. » De commutatione harum vocum vide Burmann. ad Val. Flacc. I, 283; et in scriptis criticorum sæpe inveneris.

154. *Forsan et ipse latus (sic numina principis adsint) Cinctus. Cinctus latus quo?* nemo enim absolute dici potest *cinctus latus*, nisi simul denotetur *instrumentum quo* cingitur. Lege, « Forsan et ense latus; » nihil certius; Seneca, Hippol. v. 547, « Non erat gracili levis Armata ferro cornus, aut longo latus Mucrone cingens ensis; » Noster, Theb. I, 428: « Forsan et accinctos lateri (sic ira ferebat) Nudassent enses; » IV, vers. 40 et seq.

Inter adhortantes vix sponte incedit Adrastus
Contentus ferro cingi latus: arma ministri
Pone ferunt;

ita legendum puto; vulgo, *arma manipli.* Ovid. Amor. III, 8, 14 : « Ense latus cinctum, quod tibi servit, erat; » idem, Fast. II, v. 784 : « Ense latus cingit, tergaque pressit equi; » Sil. Ital. IX, 296 : « Contra cincta latus ferro Saturnia Juno; » Propertius, III, 14, 11 et seq. :

> Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,
> Virgineumque cavo prætegit ære caput;

Petronius, Satyrico, cap. 82 : « Hæc locutus gladio latus cingor, et, ne infirmitas militiam perderet, largioribus cibis excito vires. » Satis hæc exemplorum. Prima syllaba *en* amissa erat in præcedente *et.* Deinde, pro *sic* legendum *si : si adsint* numina principis, id est, *si faveant;* ut Silv. IV, 8, 61, loco huic simillimo, « Si modo prona bonis invicti Cæsaris adsint Numina; » et hoc itidem ex Virgil. Æn. III, 116 : « modo Juppiter adsit, Tertia lux classem Cretæis sistet in oris. » Val. Flaccus, II, 377, ubi Hercules Jasonem objurgat, « Quid? et ipse viris cunctantibus adsis? O miseri, quicunque tuis accessimus actis! » ita distinguendum et legendum; vulgo, *Quid et ipse adsit.* Quisnam vero fuit *unanimus amicus,* cujus *comes* futurus erat Crispinus, nescius sum.

160. *Hei mihi, sed quæstus solitos si forte ciebo.* Domitius explicabat *lucra,* quia Statius ex recitationibus *victum quærebat.* Gronov. Diatrib. cap. 50, mavult *questus,* ut per modestiam carmina sua *questus* appellet Papinius; ut *questus avium,* alibi. Damnat tamen hanc conjecturam in Reliq. ad Silv. et reponit *cœtus solitos;* et hoc verum : Sueton. Aug. cap. 85, quo nos relegat Gronovius : « Multa varii generis prosa oratione composuit; ex quibus nonnulla in cœtu familiarium, velut in auditorio recitavit; » Apuleius in Floridis : « imber repentino coortus, ita ut mihi ad vos venit usu nuperrime, differtum auditorii cœtum distulit. » *Ciere cœtus* est *convocare auditores.* Supra, Epithal. Stell. et Violant. v. 235, hæ voces pariter commutatæ. Adhuc tamen hunc locum turbant duæ adversativæ, *sed cœtus solitos,* et quæ statim sequitur *sed venies melior.* Forte : « Hei mihi, quod, cœtus solitos si forte ciebo, Tu deeris, Crispine, mihi; » ita, Silv. V, 3, 225, Epic. in Patr., « Hei mihi, quod tantum patrias ego vertice frondes Te sub teste tuli; » Silv. III, 5, 60 et seq. ad Uxorem, loco simillimo,

> Heu nunc illa tenens viduum quod sola cubile
> Otia tam pulchræ terit infœcunda juventæ!
> Sed venient plenis, venient connubia, tædis.

Thebaid. tamen XII, v. 340 : « Hei mihi, sed quanto descendit vulnus hiatu! » Nihil igitur mutandum.

175. *Tantisque enixus suffice donis.* Si vox *enixus* recte habet, constructio est, *enixus tantis donis, suffice* tantis donis. Quod nescio an defendi possit. *Enixus* est *fretus, fisus,* ut apud Tacit. Annal. XIV, 28 : « fratris opibus enixus. » Sed mihi multo magis placet « tantisque electus suffice donis; » quasi dixisset, *Hoc* maxime industriam tuam ac-

cendat, quod *electus* es, non *fortuito* fortunæ favore provectus. Alterum præ hoc friget. Ita, Achill. I, 365: « ultro etiam veneratur supplice dextra, Et grates electus agit; » sc. Chiron, quod eum præcipue *elegerat* Thetis cui Achillem mandaret. Ita etiam Achill. II, 337, Paris dicitur « Electus formæ certamina solvere pastor; » Sidonius Apollinar. Carm. VII, vers. 554: « Cannas celebres Varrone fugato Scipiadumque etiam turgentem funere Pœnum Livius electus fregit; » Plinius, Epist. II, 13, de jure trium liberorum loquens: « quod quanquam parce et cum delectu daret, mihi tamen, tanquam eligeret, indulsit; » eleganter Trajanus Plinio, X, 29, « Provinciales, credo, prospectum sibi a me intelligent: nam et tu dabis operam ut manifestum sit illis, electum te esse, qui ad eosdem mei loco mittereris. » Ex supra citato loco Achilleid. II, 336, de Paride, restitui potest alter ejusdem argumenti, Sil. Italici, VII, 440, ex eo desumtus: « Audivit sacræ lectus certamina formæ; » ubi vulgo legitur *lentus*.

178. Ita distingue: « Non minus hoc fortis, quam si tibi, etc. » vulgo, « Non minus hoc, fortis quam si, etc. » vitiose; quippe frigide dicitur *ipse fortis Bellipotens*. Sensus est, hoc *fortitudinis* et virtutis tuæ non minus indicium est, quam si ipse Mars tibi castra recluderet, et ipse manibus suis tibi arma indueret.

CARMEN III.

EPICEDION

IN PATREM SUUM.*

Ipse malas vires, et lamentabile carmen
Elysio de fonte mihi, pulsumque sinistræ
Da, genitor perdocte, lyræ : neque enim antra movere
Delia, nec solitam fas est impellere Cyrrham
Te sine. Corycia quidquid modo Phœbus in umbra,
Quidquid ab Ismariis monstrabat collibus Evan,

VARIÆ LECTIONES.

* *Epicedion in Patrem.* Ita editiones. Sed hoc nimis generale est, et *cuivis* patri convenit; unde Parmensis bene addit *suum; Epicedion in Patrem suum;* et ita edidi. — Cod. Paris. edit. pr. *Epicedium in Patrem.* A.

3. *Da, genitor perdocte, lyræ.* Non inter optima epitheta istud *perdocte.* Mallem, « Da, genitor præclare, lyræ; » ut apud Horat. Serm. I, 6, 64: « Non patre præclaro, sed vita ac pectore puro. » Vide et infra, v. 110; et Claudianum, in Sec. Cons. Stilich. v. 174. Parmensis habet *pdocte,* virgula per caudam τοῦ *p* ducta; quo modo voces *per, præ,* et *pro* in antiquis libris concipiuntur; *docte* et *clare* facile mutari potuerunt propter coalitionem literarum *cl* in *d,* ut sæpe fit. Ven. *prædocte,* quod isto *perdocte* melius est; licet neutrum valde placeat. Certius istud quod sequitur, nempe pro *moveri* legendum *movere:* « Neque enim fas est mihi antra Delia movere, aut Cyrrham impellere sine te : » hoc constructio postulat: si enim retineas *moveri,* dicendum quoque foret *impelli.* — Cod. Par. a manu prima *moveri;* ex emendat. *movere;* edit. princ. *moveri:* hæc autem et ille *perdocte.* A.

5. Pro *Te sine,* Parm. *Desine;* et ita Codd. Domitii, qui recte emendavit *Te sine.* — Deest hic versus in ed. princ.; deerat et apud cod. Par. qui deinde restituit, scribens *Te sine.* A.

Dedidici : fugere meos Parnasia crines
Vellera, funestamque ederis irrepere taxum
Extimui, trepidamque, nefas! arescere laurum,
Ille ego, magnanimum qui facta attollere regum
Ibam altum spirans, Martemque æquare canendo.
Quis sterili mea corda situ, quis Apolline verso
Frigida damnatæ præduxit nubila menti?
Stant circum attonitæ vatem, et nil dulce sonantes
Nec digitis nec voce Deæ : dux ipsa, silenti
Fulta caput cithara; qualis post Orphea raptum
Adstitit, Hebre, tibi, cernens jam surda ferarum
Agmina, et immotos sublato carmine lucos.
At tu, seu membris emissus in ardua tendis,
Fulgentesque plagas, rerumque elementa recenses,
Quis Deus, unde ignes, quæ ducat semita Solem,
Quæ minuat Phœben, quæque integrare latentem

7. Pro *meos*, cod. Paris. ed. pr. *mei*. A.

9. Pro *Extimui*, forte legendum *Sustinui;* et pro *trepidam*, *partam*. — Cod. Paris. edit. pr. *Extimui*, *tepidamque*. Versu sequenti, pro *Ille ego*, vulgo *Certe ego*, quod et habent cod. Paris. edit. pr. Vide not. ad vs. 8. A.

11. Pro *Martem*, Parm. *matrem*. — Cod. Par. et ed. pr. *Martem*. A.

12. Pro *corda*, Venet. *vota*. — Cod. Paris. edit. pr. *corda*. Mox, pro *verso* et seq. versu *præduxit*, vulgo *merso... produxit;* quod ipsum retinent cod. Paris. ed. princ. Vide not. A.

14. Pro *sonantes*, Domitii codices *sonantem* ; et ita Parmensis : sed male. — Cod. Paris. edit. pr. *sonantes*. A.

17. Pro *surda ferarum Agmina*, mallem, *tarda agmina;* ut *immotos lucos*. *Tarda*, « non mota, non sequentia, » ut prius fecerunt. Sic apud Ovidium, Heroid. VII, 27 : « Ille quidem male gratus, et ad mea munera surdus, » tres libri habent *tardus*, quod prætulit Burmannus, quem vide. Venet. *dura sororum Agminâ*. — Cod. Par. ed. pr. vulgatam retinent : optime! A.

19. Pro *tendens*, quod vulgo legitur, constructio postulat *tendis :* si enim retineas *tendens*, dixisse debuit Statius « membris emissus et in ardua tendens. » Videtur ante oculos habuisse Lucanum, initio lib. IX, de anima Pompeii. — Cod. Paris. ed. pr. *tendens*. A.

20. Cod. Par. ed. pr. *Fulgentisque*. A.

22. Pro *minuat*, ed. princ. *minuant*, et sic etiam a manu prima

Causa queat, doctique modos extendis Arati;
Seu tu Lethæi secreto in gramine campi
Consilia heroum juxta Manesque beatos,
Mæonium Ascræumque senem non segnior umbra
Accolis, alternumque sonas, et carmina misces;
Da vocem magno, pater, ingeniumque dolori.
Nam me ter relegens cælum, terque ora retexens
Luna videt residem, nullaque Heliconide tristes
Solantem curas, tuus ut mihi vultibus ignis
Irrubuit, cineremque oculis humentibus hausi.
Vilis honos studiis : vix hæc in munera solvo
Primum animum; tacitisque situm depellere curis
Nunc etiam labente manu, nec lumine sicco
Ordior, acclinis tumulo quo molle quiescis

cod. Par. qui ex emendatione *minuat*. A.

23. *Notique modos extendis Arati*. Humile nimis, nec Arato dignum epitheton. Lege, ut postea in Rom. et Ven. invenj, « doctique modos extendis Arati; » ita infra, *doctus Battiades*, Callimachus. Recte vero *extendis;* Plin., Epist. IX, 10 : « In via plane nonnulla leviora, statimque delenda, ea garrulitate qua sermones in vehiculo seruntur, extendi. » Nemo igitur legat *intendis*, inductus loco Virgilii, Æneid. IX, 776 : « numerosque intendere nervis; » nec *expendis*, quemadmodum citat Broukhusius ad Propert. III, 3, v. 48. — Cod. Paris. ed. princ. *doctique;* hæc autem *Aratii* pro *Arati*. A.

28. *Magno*. Sic edit. pr. et cod. Paris. in textu; qui ad marg. *magnam*. A.

29. Vulgo *cælo;* etiam apud cod. Paris. et ed. pr. Vide not. A.

32. Pro *hausi*, Parmens. *hausit;* Rom. *ausi*. *Haurire cineres* idem quod *legere;* Ovid. Metam. VIII, 538 : « Post cinerem, cineres haustos ad pectora pressant. » Ubique exempla. — Cod. Par. edit. princ. *hausit*. A.

33. Pro *in munera*, Rom. *mihi munera*. *Primum animum* ponit pro *redeuntem a stupore*, quo nimius dolor mentem ejus obnubilaverat, ut bene explicat Gronovius, Diatr. c. 51. — Cod. Paris. ed. pr. *mihi munera*. A.

34. Pro *tacitis*, Parm. *tacitus*. — Cod. Paris. ed. pr. *tacitis*. A.

35. *Labente*. Cod. Par. a manu prima *hebetantem;* a secunda *hebetante;* ad marg. *labente;* ed. pr. *hebetatem*. Forte legendum *trepidante manu*. Mox pro *nec lumine*, vulgo *nunc*, quod et habent cod. Paris. ed. pr. Vide not. A.

36. Pro *acclinis*, cod. Par. edit. pr. *aclivis*. A. — Pro *molle quie-*

Jugera nostra tenens; ubi post Æneia fata
Solatus, Latiis ingessit montibus Albam
Ascanius, Phrygio dum pingues sanguine campos
Odit, et infaustæ regnum dotale novercæ.
His ego te (nam Sicanii non mitius halat
Aura croci, dites nec sicubi rara Sabæi
Cinnama, odoratas nec Arabs decerpsit aristas)
Insertum cum laude locis, te carmine plango
Piério : sume hos gemitus, et munera nati,
Et lacrymas, cari quas nunquam habuere parentes.
Atque utinam fortuna mihi dare Manibus aras
Par templis opus, aeriamque educere molem
Cyclopum scopulos ultra, atque audacia saxa

scis, Parm. *mole*. — Cod. Par. ed. pr. *molle*. A.

38. Pro *Solatus*, Parm. et Rom. *Stellatus*. — Cod. Paris. ed. princ. *Stellatus*. A.

39. Pro *Phrygio*, Rom. *Phrygios*. — Cod. Paris. edit. pr. *Phrygio*. A.

41. Pro *His*, vulgo *Hic*, et v. 44, « Inserui cum laude loci; sed carmine, etc. » quomodo est etiam apud cod. Paris. et edit. pr., nisi quod hæc scribit *Inferui*. Vid. not. A. — Parm. *Inferni* pro *Inserui*.

42. Pro *dites*, Parm. *ditis*. — Cod. Par. ed. pr. *dites*. Mox, pro *sicubi*, vulgo *sic tibi*; cod. Par. ed. pr. *si tibi*. Vide not. ad vs. 41. A.

45. Vulgo, *sumas gemitus et vulnera*. — Cod. Paris. *sume et g. et vulnera*; ed. pr. *summe et g. et v.* Conf. not. A.

46. *Cari*. Vulgo *rari*; quod et habent cod. Paris. edit. pr. Vide not. A.

47. *Atque utinam, Fortuna, dares mihi Manibus aras*. Usitatius est in hac re *aram* quam *aras*: Virgil. Æn. VI, 177: « aramque sepulcri Congerere arboribus cæloque educere certant; » hinc sua habuit Noster, et Sil. Italic. XV, 387: « alta sepulcri Protinus exstruitur, cæloque educitur, ara; » Val. Flacc. V, 10: « robora cædunt Pars silvis, portantque aræ; » ubi vide Burmanni notam. Non nescio plures interdum exstrui solere, ut Æneid. III, 63, « stant Manibus aræ; » sed et alia ratio est quare *aram* hoc loco legerem: ea est ut vitetur ingratum ὁμοιοτέλευτον *dares mihi Manibus aras*. Sed alium ordinem verborum offerunt Parm. et Rom., « Atque utinam fortuna mihi dare Manibus aras; » qui unice verus est: *fortuna* est *opes*, *οὐσία*· Horatius, « Quo mihi fortunam, si non conceditur uti? » Symmachus, Epist. I, 37: « Nunquam in mercedem ornamenta linguæ corrupit; fortunæ tenuis, opulentiam fide, quæstum laude mutavit. » Exempla ubique. — Cod. Par. ed. pr. *mihi dare*. A.

Pyramidum, et magno tumulum prætexere luco!
Illic et Siculi superassem dona sepulcri,
Et Nemees ludum, et Pelopis solennia trunci.
Illic OEbalio non finderet aera disco
Graiorum vis ulla virum; non arva rigaret
Sudor equum, aut putri sonitum daret ungula campo;
Sed Phœbi simplex chorus: hic frondentia vatum
Præmia laudato, genitor, tibi rite dicarem:
Ipse madens lacrymis, umbrarum animæque sacerdos,
Præciperem reditum, cui te nec Cerberus omni
Ore, nec Orpheæ quirent avertere leges;
Meque habitus moresque tuos et facta canentem
Fors et magniloquo non posthabuisset Homero,
Tenderet et torvo pietas æquare Maroni.
Cur magis incessat Superos, et aena Sororum

52. *Et Nemees Lucum.* Vide præcedentia et sequentia: « superassem dona Siculi sepulcri, Et Nemees lucum, et solennia Pelopis; » inepte *lucum* interseritur inter *dona* et *solennia;* mitto quod versu abhinc altero dixerat *prætexere luco.* Lege, « Et Nemees ludum; » jam omnia cohærent: Hygin. Fab. 85, « Laius, Labdaci filius, Chrysippum Pelopis filium nothum propter formæ diguitatem Nemeæ ludis rapuit; » Florus, II, 7: « Quæ gaudia, quæ vociferationes fuerunt, quum hoc forte Nemeæ in theatro quinquennalibus ludis a præcone caneretur? » Plautus, Casina, IV, 1: « Nec pol ego Nemeæ credo, neque ego Olympiæ, Neque usquam ludos tam festivos fieri. » — Cod. Paris. ed. pr. *lucum.* A.

54. *Vis ulla.* Ven. *vis uda.* — Ed. pr. *vis ulla;* et sic etiam in textu cod. Par. qui ad marg. *nuda.* A.

55. Pro *campo*, vulgo *fossa;* quod et habent cod. Paris. ed. pr. Vide not. A.

56. Pro *hic*, Parm. et Rom. *et.* Pro *dicarem*, sequenti versu, Parm. Ven. *ligarem.* — Cod. Par. ed. pr. *et.... dicarem;* at in marg. cod. Paris. *ligarem.* A.

58. Pro *lacrymis*, vulgo *oculis*, quod et habent cod. Paris. ed. pr. Vide not. A.

59. Vulgo *Præcinerem gemitum;* quod et habent cod. Paris. et edit. pr. Vide not. A.

61. Vulgo, *Atque tibi moresque*, etc. etiam apud cod. Paris. et ed. princ. Vide not. A. — Pro *facta canentem*, Parm. *fata:* male. — Cod. Paris. a manu prima *fata;* ex emendat. *facta;* ed. pr. *fata.* A.

63. Pro *torvo*, forte legendum *docto.* Vide not. ad vs. 61.

64. In Gronovii editione legitur *aena sororum Stamina;* in cæteris

Stamina, quæ tepido genitrix super aggere nati
Orba sedet? vel quæ primævi conjugis ignem
Adspicit, obstantesque manus, turbamque tenentem
Vincit, in ardentem, liceat, moritura maritum?
Major certe illis Superos et Tartara pulsem
Invidia: externis etiam miserabile visu
Funus erat. Sed nec modo se Natura dolenti,
Nec Pietas injusta dedit: mihi limine primo
Fatorum, et viridi, genitor, ceu raptus ab ævo,
Tartara dura subis; nec enim Marathonia virgo
Parcius exstinctum sævorum crimine agrestum
Fleverit Icarium, Phrygia quam turre cadentem
Astyanacta parens: laqueo quin illa supremos
Inclusit gemitus: at te, post funera magni
Hectoris, Hæmonio pudor est servisse marito.
Non ego quas fati certus sibi voce canora
Inferias præmittit olor; nec rupe quod atra
Tyrrhenæ volucres nautis prædulce minantur

sæva: melius istud. Claud. XXXIII Rapt. Pros. I, 53, de Parcis, « Longaque ferratis evolvunt sæcula pensis; » id est, *aenis staminibus;* Ovid. Metam. XV, 781, vocat « ferrea decreta Sororum: » *ferrea jura fatorum* Quintilian. Decl. X, cap. 8; *ferrea Clotho* Theb. III, 556; et similia passim. In MS. Rhod. Gronovius invenit *æquæva;* Ven. habet *æqueva.* — Cod. Paris. ed. princ. *sæva.* A.

65. Cod. Paris. ed. pr. *trepido.* pro *tepido.* A.

69. Pro *illis*, vulgo *aliis;* etiam apud cod. Paris. et edit. pr. Vide not. Cod. Paris. pro *certe*, quod habet in contextu, ad marg. *forte*, et a secunda manu *pulset* pro *pulsem.* A.

71. Pro *modo*, edit. pr. *mihi;* et sic etiam apud cod. Paris. qui ad marg. *modo.* Cf. not. ad v. 69 fin. A.

72. Forte legendum, *mihi stamine primo Fatorum.* Vide not.

77. Pro *supremos*, prout ediderunt Gevartius et Gronovius, omnes habent *supremo*, quod defendi facile potest: sed melius *supremos.* — Cod. Par. ed. pr. cum cæteris, *supremo.* A.

78. Pro *at te*, Ven. Parm. Rom. et omnes *et te.* — Ed. princ. *et te;* ut et cod. Paris. qui ad marg. *tu* pro *te.* A.

79. Pro *servisse*, cod. Par. edit. pr. *servire.* A.

80. Pro *voce canora*, Ven. Parmens. Rom. (ut et cod. Par. et ed. pr. A.) *morte canora.*

In patrios adhibebo rogos; non murmure trunco
Quod gemit, et diræ queritur Philomela sorori;
Nota nimis vati: quis non in funera cunctos
Heliadum ramos, lacrimosaque germina duxit,
Et Phrygium silicem, atque ausum contraria Phœbo
Carmina, nec fœda gavisam Pallada buxo?
Te Pietas oblita virum, revocataque cælo
Justitia, et gemina planget Facundia lingua,
Et Pallas, doctique cohors Heliconia Phœbi;
Quis honor Aonios seno pede ducere cantus,

83. *Trunco*. Sic ed. pr. et cod. Par. qui ad marg. reponit *rauco*. A.

84. *Et duræ queritur Philomela sorori*. Molle nimis tanto facinori epitheton istud *duræ*. Lege *diræ*: et ita vult Gronovius, Diatr. c. 61. Atrocius hoc; vox enim *dirus* notionem *sanguinis* continet: Ovid. Art. Am. II, 383, de hac re, « Altera dira parens; hæc est, quam cernis, hirundo, Adspice, signatum sanguine pectus habet; » quem locum adducit Gronovius, et pro *hæc* legit *hic*. Ex hoc Ovidii loco emendari forte potest Virg. Georg. IV, vers. 15, in eadem historia, « Et maculis Procne pectus signata cruentis; » ita forte legendum; vulgo, *manibus*. Sic *dirus Thyestes* Martial. X, 35; *dira soror*, de Medea, quæ fratrem Absyrtum dilaceravit, Seneca, Herc. OEt. v. 752: Manilius, V, 538, de Andromeda, « Hanc quondam pœnæ dirorum culpa parentum Prodidit. » — Cod. Par. ed. pr. *duræ*. A.

85. Vulgo *funere*, et versu proxime sequenti *dixit* pro *duxit*. — Cod. Paris. ed. pr. *funere.... dixit*. Conf. not. A.

88. Pro *fœda*, vulgo *fissa*. — Cod. Paris. edit. princ. *fida*. Vide not. A.

90. *Et gemina plangat Facundia lingua*. Omnes editt. *plangat*: nihilominus scripsit Statius *planget*; non enim optat, sed affirmat: sic supra, « In patrios adhibebo rogos. » *Gemina lingua*, Græca et Latina: *utramque linguam* vocat Horatius, Carm. III, 8, ubi vide Bentleium. — Cod. Paris. ed. pr. *plangat*. A.

91. *Et Pallas, doctique cohors Heliconia Phœbi*. « Te, o pater, inquit Statius, plangent Pietas et Justitia et Facundia et Pallas, et Phœbi cohors, » seu poetæ. Unde vero huic loco *Pallas*? aut quod illius negotium in hac re? præsertim quum præcesserit, versu abhinc tertio, *gavisam Pallada buxo*. Vide an non scripserit Noster, « Et Phœbus, doctique cohors Heliconia Phœbi. » Certe non *Palladis*, sed *Phœbi* erat *vatem* et cultorem suum celebrare.

92. Pro *honor.... cantus*, vulgo *labor... campos*: Ven. et Parmens. *dolor*. — Cod. Paris. edit. princ. *honor.... campos*. Vide not. A. — Pro *seno pede*, Parm. *sævo*; et ita

Et quibus Arcadia carmen testudine mensis
Cura lyre, nomenque fuit; quosque orbe sub omni
Ardua septena numerat Sapientia fama;
Qui furias, regumque dolos, aversaque cælo
Sidera terrifico super intonuere cothurno;
Et quis lasciva vires tenuare Thalia
Dulce, vel heroos gressu truncare tenores.
Omnia namque animo complexus, et omnibus auctor
Qua fandi via lata patet: sive orsa libebat
Aoniis vincire modis, seu voce soluta
Spargere, et effreno nimbos æquare profatu.
Exsere semirutos subito de pulvere vultus,

codd. Domitii (ut et cod. Par. ed. pr. A.) qui recte emendavit.

94. Pro *Cura lyre*, vulgo *Cyda labor;* ut et cod. Par. ed. pr. Vide not. ad vs. 93. A.

96. Pro *dolos*, vulgo *domos*, etiam apud cod. Paris. et ed. pr. Vide not. A.

98. Pro *Et quis*, Parm. *At qui;* et *tenuere* pro *tenuare*.—Cod. Par. ed. pr. vulgatam tuentur. A.

99. *Vel heroos gressu truncare tenores.* Optima hæc emendatio a Domitio est, qui in suis libris invenit, « vel oroos gressu truncare senones. » In Parmensi est, satis ridicule, « vel oroos gressu tentare leones. » Optime etiam explicavit Domitius: « Qui aufertis pedem, nec alterum versum permittitis subsequi integrum. » — Cod. Par. ed. pr. vulgatam clare exhibent. A.

101. *Qua fandi vis lata patet.* Epitheton *lata*, si ad τὸ *vis* referatur, pessimum est; nemo enim *vim fandi latam* dixerit, sed *viam:* « Qua fandi via lata patet: » ita Silv. II, 1, 4, « magnæque patet via lubrica plagæ; » conf. et Gratius, Cyneg. vs. 218 et 357; Senec. Hippolyt. v. 1209; Sedulius, lib. III, 229; Avienus, Ora maritima, vs. 697 sq. Seneca, de Ira, III, 35, « Iter angustum rixas transeuntium concitat: diffusa et late patens via ne populos quidem collidit. » Passim exempla invenies. *Qua patet* ut apud Ausonium, Epigr. 128: « Mediumque fossæ rima qua patet, callem, ♆ dicit esse; nam trifissilis forma est; » ita legendum; vulgo, *fissi rima;* Silius Italicus, X, 412, « Quaque patet campus planis ingressibus hosti; » Q. Curtius, III, 11, « ..... qua cuique patebat ad fugam via, erumpunt. » Similiter depravata hæc vox apud Ciceronem, libro I, 2, de Oratore; ubi pro « vi ac ratione dicendi, » legendum, « via ac ratione, » ut passim in istis libris, ac cæteris Tullii operibus. Pro *vis lata*, Rom. *jus*.—Cod. Paris. ed. pr. *vis l. p.* A.

104. Forte legendum, *Exsere semiustos Vesuvino fulgure v.* Venet. *Extra sc miuiros subito de vulnere.*

Parthenope, crinemque afflato monte sepulti
Pone super tumulos, et magni funus alumni,
Quo non Munychiæ quidquam præstantius arces,
Doctave Cyrene, Sparteve animosa creavit.
Si tu stirpe vetus, famæque obscura jaceres,
Nil gentile tumens, illo te cive probares

Pro *extra*, forte legendum *Extrahe*. Istud vero *semiuiros* confirmat emendationem meam *semiustos* : vide not.— Ed. pr. et cod. Par. in textu vulgatam retinent; sed ad marg. idem cod. *semiviros subito de vulnere v.* A.

105. Forte legendum *crinemque afflatu montis adesum*. Pro *crinem*, Parm. Rom. Ven. *cinerem;* solenni errore : pro *sepulti*, Ven. *sepultum*. — Cod. Paris. ed. pr. *cinerem .... sepulti*. Conf. not. A.

107. *Quo non Munychiæ quidquam præstantius arces*. Ovidius, Metam. II, 709, « Munychiosque volans agros, etc.» ad quem locum notat Heinsius in quibusdam codicibus esse *Monichios;* et ita apud Nostrum, Theb. II, 252, « Monychiis cui non Argiva per urbes Posthabita est Larissa jugis, » inveniri in veterrimo codice anglicano : et sic etiam legebat Lactantius, vetus Scholiastes. Stephanus Byzantinus utrumque Μουνχία et Μουνυχία agnoscit; unde scimus utrovis modo recte dici. Vide Scholiastem veterem ad Thebaid. XII, 216. Citat hunc quoque locum Heinsius, et scribi vult *Monichiæ arces*, non *Munychiæ;* cui scripturæ favet Parmensis, quæ habet *Modicæ;* et *artes* pro *arces*. — In Addendis Markland.: Veneta, *Moniciæ;* verum est *Monychiæ*. — Cod. Paris. et edit. princ. vulgatam exhibent. A.

108. Pro *Doctaque*, quod vulgo legitur, plane legendum *Doctave*, ut *Sparteve*. *Docta* vero *Cyrene* propter Callimachum et alios. — Cod. Paris. ed. pr. *Doctaque*. A.

109. Pro *fama*, recte Gronovius ex edit. Ven. et cod. Sal. *famæ;* ut *incognitum famæ* apud Livium, lib. XLII, c. 53. Propert. I, 11, 17, « Non quia perspectæ non es mihi cognita famæ : » ita legendum puto; vulgo, *perspecta fama;* sed alterum græca Propertii eruditione dignius. Noster, Theb. II, 274, « Cyclopes, notique operum Thelchines amica Certatim juvere manu; » Propert. iterum, II, 22, v. 37, « Adspice ut in toto nullus mihi corpore surgat Spiritus, admissi notus adulterii; » ita et ibi cum Broukhusio legerem, pro *admisso adulterio :* et pro *in toto corpore*, præstaret *immoto pectore;* spiritus enim *in toto corpore* non adeo aptum videtur. Sed de his alias. In Venet. et Parm. plane legitur *famæque obscura*. Sic *nuda famæ mors*, apud Silium Italicum, IV, 608. — Edit. pr. *famaque;* ita etiam cod. Paris. in textu, qui ad marg. *famæ :* pro *vetus*, quod in contextu retinet, idem cod. ad marg. *vacas*. A.

110. Vulgo, *Nil gentile tenens;* etiam apud cod. Paris. et edit. pr. Vide not. A.—Pro *probares*, Parm.

Graiam, atque Euboico majorum sanguine duci.
Ille tuis toties præstrinxit tempora sertis,
Quum stata laudato caneret Quinquennia versu,
Ora supergressus Pylii senis, oraque regis
Dulichii, specieque comam subnexus utraque.
Non tibi deformes obscuri sanguinis ortus,
Nec sine luce genus (quanquam fortuna parentum
Arctior expensis); etenim te divite ritu
Ponere purpureos infantia adegit amictus
Stirpis honore datos, et nobile pectoris aurum.
Protenus exorto dextrum risere sorores

Rom. Ven. (cod. Paris. et edit. pr. A.) *probabas:* forte recte.

111. Pro *atque Euboico*, legendum puto *aque: duci a sanguine*, non *duci sanguine*.

112. *Præstrinxit tempora sertis:* usitatius est *præcinxit;* sed probum etiam alterum: *astringere*, eodem sensu apud Ovid. Pont. III, 3, 512; et *stringere* Claudian. XXXVII, in Gigantomachia, 35, « Te Delphica laurus Stringat, Porphyrion. » Pro *præstrinxit*, Parmens. *præstat sed:* forte latet aliquid. Pro *sertis*, eadem *seris*. — In Addendis Marklandus: Recte dubitavi de hoc loco postquam in Parmensi inveneram *præstat sed*, pro *præstrinxit*. Veneta quoque *præstat sed tempora*. Scripsit Statius, « Ille tuis toties pressit sua tempora sertis. » De τῷ *premere* hoc sensu dixi ad Glauc. Melior. v. 116, « crinemque decorum Pressisset rosea lasciva Thalia corona. » *Sua tempora*, ut Piet. Abasc. v. 196, « et cara pressit sua lumina dextra. » Species quoque antitheti est inter *tuis sertis* et *sua tempora;* quod Statio valde adamatum est. A. — Cod. Paris. in textu *præstrinxit*, et ad marg. *præstat se*. Ed. pr. *præstrinxit*. A.

114. *Ora supergressus Pylii senis, oraque regis Dulichii*. Defendi forte potest hæc vocis repetitio ex Surrent. Poll. vs. 69, « Ora ducum et vatum, sapientumque ora priorum; » sed mihi multo magis placet, « Ora supergressus Pylii senis, orsaque regis Dulichii; » id est, *verba*. Thebaid. III, 87, « et jam media orsa loquentis Abstulerat plenum capulo latus. » Exempla ubique: vide ad Epiced. in Puer. vers. 24.

115. Pro *specie*, Parm. *speciem;* et *utroque* pro *utraque*. — Cod. Par. ed. pr. nil mutant. A.

118. Pro *expensis*, Parm. Rom. Ven. (cod. Paris. et ed. princ. A.) *extensis*.

119. Forte legendum *Sumere purpureos*, etc. Vide not. Pro *adegit*, Parm. Venet. *legit*. Mihi suspectus est hic locus. — Cod. Paris. et ed. pr. vulgatam retinent, nisi quod ille ad marg. pro *adegit*, scribit *legit*. A.

Aonides, pueroque chelyn summisit, et ora
Imbuit amne sacro, jam tum tibi blandus, Apollo.
Nec simplex patriæ decus; et natalis origo
Pendet ab ambiguo geminæ certamine terræ.
Te de gente suum Latiis ascita colonis
Graia refert Selle (Phrygius qua puppe magister
Excidit, et mediis miser evigilavit in undis);
Parthenopeque suum longo probat ordine vitæ.

* * *

Mæoniden, aliæque aliis natalibus urbes
Diripiunt, cunctæque probant: non omnibus ille
Verus; alit victos immanis gloria falsi.
Atque ibi dum profers annos, vitamque salutas,
Protenus ad patrii raperis certamina lustri
Vix implenda viris, laudum festinus, et audax
Ingenii: stupuit primæva ad carmina plebes
Eubœa, et natis te monstravere parentes.

123. Pro *tum tibi*, Parmensis scribit *tum mihi;* Romana autem *tu mihi.* — Cod. Paris. ed. pr. *tum mihi.* A.

125. Vulgo, *Pendet, et ambiguo.* Romana, *Pendet in ambiguo:* et ita Ven. teste Gronovio, Diatr. c. 55, qui eam lectionem probat: frustra. Sic Surrent. Poll. vs. 131, pro *mentis ab arce*, Parm. *in arce.* — Cod. Paris. ed. princ. *in ambiguo.* Vide not. ad vs. 124. A.

126. Pro *de gente*, cod. Paris. ed. pr. *degente.* Vide not. A.

127. Pro *Phrygius*, vulgo *Graius;* etiam apud cod. Paris. et edit. pr. Vide not. A.

129. *Parthenopeque suum.* Vulgo *Mæon et inde suum;* etiam apud cod. Par. et ed. pr. Ille tamen a manu secunda, *Major at inde s.* Vide not. A.—Ven. *Major et inde suum.*

132. Pro *Versus*, recte restituit *Verus* Andr. Schottus, Observat. Human. II, 3. Pro *immanis*, Parm. Venet. *et inanis;* quod nonnullis forte non displicebit: *inanis falsi*, (non *inanis gloria*) ut *præceps juvenile*, Soter. Gallic. vs. 51, ubi vide. — Cod. Paris. in textu *Versus;* ad marg. *Verus.* Edit. pr. *Versus.* Hæc et ille *immanis.* A.

135. Pro *laudum festinus, et audax Ingenii*, antiqua lectio erat *laudum festina sed ut dux Ingenii.* Optime restituit Lipsius, Elector. I, 9. — Cod. Paris. ed. pr. *laudum festina sed ut dux Ingenii.* A.

137. Cod. Paris. *Eubœa* in textu; ad marg. *Euboica: penates* in textu; ad marginem *parentes.* Ed. pr. *Eubœa .... penates.* A.

Inde frequens palmæ, nulloque ingloria sacro
Vox tua : non toties victorem Castora gyro,
Nec fratrem cæstu virides plausere Therapnæ.
Sit pronum vicisse domi; quid Achæa mereri
Præmia, nunc ramis Phœbi, nunc germine Lernæ,
Nunc Athamantea protectum tempora pinu?
Quum toties lassata, tamen nusquam avia frondes
Abstulit, aut alium tetigit Victoria crinem.
Hinc tibi vota patrum credi, generosaque pubes
Te monitore regi, moresque et facta priorum
Discere : quis casus Trojæ; quam tardus Ulixes;
Quantus equos pugnasque virum decurrere versu
Mæonides; quantumque pios ditarit agrestes
Ascræus, Siculusque senex; qua lege recurrat
Pindaricæ vox flexa lyræ, volucrumque precator

138. Pro *palmæ*, vulgo *pugnæ;* etiam apud cod. Paris. et edit. pr. Vide not. A.

140. Pro *plausere*, Parmensis (cod. Paris. et edit. princ. A.) scribunt *clausere*.

141. Pro *Sit*, Parm. *Sin*.—Cod. Paris: in textu *Sit;* ad marg. *Sin*. Ed. pr. *Sit*. A.

142. Cod. Par. in textu *germine;* ad marg. *gramine*. Ed. princ. *germine*. A.

145. Cod. Paris. *aut*, superscript. *haud*. Ed. pr. *aut*. A.

147. *Mores et facta priorum Discere :* excidit conjunctio *que : moresque et facta priorum;* ut vs. 61, *moresque et facta canentem*. Virg. Æneid. VIII, ad fin. vs. 731, « Attollens humero famamque et fata nepotum. » Ita apud Nostr., Theb. lib. II, vers. 519 : « horrent vicina juvenci Graminai damnatisque avidum pecus abstinet herbis : » sic enim legendum puto, pro *damnatis avidum*, etc. Vide quæ supra notavi ad II, 3, vs. 45. — Conjunctionem etiam omittunt cod. Paris. et edit. princ. A.

148. *Quam tardus*. Cod. Paris. in textu *quam;* ad marg. *quæ*. Ed. pr. *quam*. A.

150. Pro *ditarit*, Parm. *dictarit*. — Cod. Paris. ed. princ. vulgatam tuentur. A.

152. *Volucrumque precator Obsitus*. Ita pleræque editiones; et Domitius interpretatur *volucrum*, *Amorum;* et *obsitus*, *obscurus*. Parmens. habet *Obsonus*. Non dubitandum est de emendatione Gul. Canteri, Nov. Lect. lib. II, ubi legit, *volucrumque precator Ibycus*. Nota historia Ibyci poetæ lyrici, et *gruum;* Ausonius, Technupægnio, pag. 483, ed. Toll. « Ibycus ut periit, index fuit altivolans grus; » ubi vide Accursium et Vinetum.

Ibycus, et tetricis Alcman cantatus Amyclis,
Stesichorusque ferox, actusque egressa viriles
Non formidata temeraria Leucade Sappho;
Quosque alios dignata chelys: tu pandere docti
Carmina Battiadæ, latebrasque Lycophronis atri,
Sophronaque implicitum, tenuisque arcana Corinnæ,
Sed quid parva loquor? tu par assuetus Homero
Ferre jugum, senosque pedes æquare solutis
Vocibus, et nunquam passu breviore relinqui.
Quid mirum, patria si te petiere relicta
Quos Lucanus ager, rigidi quos jugera Dauni,
Quos Veneri plorata domus, neglectaque tellus

Pro *Alcman*, Parm. *alcinam*. — Cod. Paris. edit. princ. *Obsitus*... *alcmam*. A.

154. Vulgo, *saltusque ingressa viriles;* etiam apud cod. Paris. et ed. pr. A. — Sequenti versu, pro *Leucade*, Ven. *Calchide*. — Cod. Paris. ed. pr. *Chalcide*. Vide not. ad vs. 154. A.

156. *Tu pandere doctus Carmina Battiadæ*. Legendum, *tu pandere docti Carmina Battiadæ*. Singulos hos poetas suo epitheto donatos vides, *atri Lycophronis*, *Sophrona implicitum*, *tenuis Corinnæ*: quare non *docti Battiadæ?* corruperunt locum, qui nesciebant vocem *assuetus*, infra positam, huc accersendam esse; ut constructio sit, « Tu assuetus pandere carmina docti Battiadæ, etc. Sed quid parva loquor? tu assuetus ferre jugum par Homero. » Nihil verius. Similiter in hoc loco Manilii, V, 163, « Ille cito motu rigidos eludere cæstus, Nunc exire levis missas, nunc mittere palmas, Ille pilam celeri fugientem reddere planta, Et pedibus pensare manus, et ludere saltu, Mobilibusque citos ictus glomerare lacertis; Ille potens turbam perfundere membra pilarum: » vides omnia ista infinitiva pendere a participio *potens* longe dissito. *Docti Battiadæ;* propter quem *Cyrenen doctam* vocat, supra, vs. 108. — Cod. Paris. ed. pr. *doctus*. A.

157. Pro *atri*, Parmens. *acri;* et seq. vs. pro *Corinnæ*, eadem *Cornaæ*. — Cod. Paris. ed. pr. vulgatam tuentur. A.

160. Cod. Paris. in textu *senosq.;* ad marg. *sævos*. Edit. princ. *senos*. Versu seq. pro *Vocibus*, vulgo *Versibus;* etiam apud cod. Par. et ed. pr. Vide not. A.

164. *Neglectaque tellus Alcidæ*. Ita editiones; et Domitius explicat: « Eum tractum Campaniæ intelligit, qui est inter Misenum et Puteolos, terra continenti; nam illac traducturus boves Hercules, terram continentem neglexit, structo aggere in exteriore pelago. » Non mihi satisfacit hæc interpre-

Alcidæ, vel quos e vertice Surrentino
Mittit Tyrrheni speculatrix virgo profundi?
Quos propiore sinu lituo remoque notatus
Collis, et Ausonii pridem laris hospita Cyme;
Quosque Dicarchei portus, Baianaque mittunt
Litora, qua mediis alte permistus anhelat
Ignis aquis, et operta animos incendia servant.
Sic ad Avernales scopulos, et opaca Sibyllæ
Antra, rogaturæ veniebant undique gentes:
Illa minas Divum, Parcarumque acta canebat,
Quamvis decepto vates non irrita Phœbo.
Mox et Romuleam stirpem, proceresque futuros
Instruis, inque patrum vestigia ducere perstas.
Sub te Dardanius facis explorator opertæ
Qui Diomedei celat penetralia furti,
Crevit, et inde sacrum didicit puer: arma probare
Monstrasti Saliis, præsagumque æthera certis

tatio, quia non verisimile videtur Statium descripturum fuisse hunc locum (quicunque est) ex notis quæ *vituperium* potius quam laudem illi adderent. Mihi videtur scripsisse, *dilectaque tellus Alcidæ*, et intellexisse *Baulos*, quos *Herculeos* vocat Sil. Italicus, XII, 156: vide Symmachum, Epist. I, 1. Illic *boum stabula* habuit Hercules: unde *Boaulia*, et postea *Bauli*. Nisi potius voluerit *Herculaneum*, urbem Vesuvio monti vicinam, ab Hercule ita dictam. — Cod. Paris. ed. pr. cum cæteris vulgatam retinent. A.

167. Pro *Quos*, Parm. *Quis*. — Cod. Paris. edit. pr. *Quos*, et *propriore*, non *propiore*. A.

168. Pro *Cyme*, Parm. *Cyrne*.— Cod. Paris. ed. pr. *Cyme*. Hic tamen a secunda manu, *Cume*. A.

170. Pro *permistus*, editt. antiquæ habent *permissus*; quod si retinendum sit, legendum, « qua medias alte permissus anhelat Ignis aquas; » ut *anhelat aquas* sit *anhelare facit aquas*. Sed verius puto alterum. — Cod. Paris. edit. princ. *permissus*. A.

171. Parmens. *Ignis aquas*, pro *aquis*. — Cod. Paris. ed. pr. *aquis*. Mox pro *animos*, vulgo *domos*; etiam apud cod. Paris. et edit. pr. Vide not. A.

180. Pro *probare*, Parm. *probatque*. — Cod. Paris. ed. princ. *probare*. A.

181. Vulgo, *Monstratis alis*, et seq. versu *Auguriis* pro *Auguribus*. — Cod. Paris. edit. pr. *Monstratis halis... Auguriis*. Conf. not. A.

Auguribus; cui Chalcidicum fas volvere carmen,
Lanea cui Phrygii est coma flaminis, et tua multum
Verbera succincti formidavere Luperci.
Et nunc ex illo forsan grege, gentibus alter
Jura dat Eois, alter compescit Iberos,
Alter Achæmenium secludit Zeugmate Persen:
Hi dites Asiæ populos, hi Pontica frenant,
Hi fora pacificis emendant fascibus, illi
Castra pia statione tenent; tu laudis origo.
Non tibi certasset juvenilia fingere corda
Nestor et indomiti Phœnix moderator alumni;
Quique tubas acres, lituosque audire volentem
Æaciden, alio frangebat carmine Chiron.

183. *Lanea cui Phrygii est coma flaminis.* Parmens. ita: « Cur Phrygii lateat coma flaminis; » Romana, « Cui Phrygii lanea est coma flaminis, » contra metrum. Vera est vulgata, « Lanea cui Phrygii est coma flaminis; » et ita habet Aldina, ann. 1502. — Ed. pr. « Cur Phrygii lanea est coma flaminis; » et sic etiam cod. Par. qui pro *lanea est*, superscribit *lateat*. A.

184. Pro *succincti*, Heinsius ad Ovid. Fast. V, 101, conjicit *cinctuti Luperci*, ut ibi, « Semicaper coleris cinctutis, Faune, Lupercis. » Sed non opus est ulla mutatione: *succincti* enim idem quod *cinctuti*. Ita *succincta Hebe* Silv. III, 1; *succinctis Laribus* Persius, Sat. V, 31; et alii passim.

186. Cod. Paris. edit. pr. *hyberos*: ille autem a manu secunda *hyberas*. A.

187. Pro *Zeugmate*, Parm. *Zeumate*. — Cod. Paris. ed. pr. *Zeugmate*. A.

188. *Hi.* Cod. Paris. ed. pr. *Hii*; ut et versu proxime seq. Hæc autem et ille vulgatam *Pontica* tuentur. Vide not. A.

189. Pro *emendant*, Parmens. *emendat*. — Cod. Par. edit. princ. *emendant*. A.

191. Pro *certasset*, Ven. *certassent*: bene. — Cod. Par. a manu prima *certassent*; ex emendat. *certasset*. Ed. pr. *certassent*. A.

192. *Phœnix*. Cod. Par. in textu *felix*; ad marg. *fenix*. Edit. princ. *felix*. A.

194. *Alio frangebat carmine Chiron*. Pro *frangebat*, Parm. *flagrabat*, quod esset *incendebat*, ut Protrept. Crisp. v. 120, « miseramque patri flagrabat Elisam; » ubi vide quæ notavi. Sed multo elegantius *frangebat*, id est, *molliebat*; quod et oppositio postulat. Sil. Italicus, XI, 482: « Sic tum Pierius bellis durata virorum Pectora Castalio frangebat carmine Teuthras. » — Cod. Par. ed. pr. *frangebat*. A.

Talia dum celebras, subitam civilis Erinnys
Tarpeio de monte facem, Phlegræaque movit
Prælia : sacrilegis lucent Capitolia tædis,
Et Senonum furias Latiæ sumsere cohortes.
Vix requies flammæ, nec dum rogus ille Deorum
Siderat, excisis quum tu solatia templis
Impiger, et multum facibus velocior ipsis,
Concipis ore pio, captivaque fulmina defles.
Mirantur Latii proceres, ultorque Deorum
Cæsar, et e medio Divûm pater annuit igni.
Jamque et flere pio Vesuvina incendia cantu
Mens erat, et gemitum patriis impendere damnis;
Quum pater exemptum terris ad sidera montem
Sustulit, et late miseras dejecit in urbes.
Me quoque vocales lucos lustrataque Tempe
Pulsantem, quum stirpe tua descendere dixi,

195. *Erinnys*. Sic ed. pr. et cod. Paris. in textu; qui ad marginem *enio*. A.

196. Pro *Phlegræaque*, Parm. *Phlægeaque*. — Cod. Par. ed. pr. *Phlegreaque*. A.

198. Pro *sumsere*, vulgo *sensere*. Cod. Paris. et edit. princ. *sumpsere*. Cf. not. A.

199. *Necdum rogus ille Deorum Sederat*. Parmens. et Rom. multo elegantiorem lectionem servarunt, « necdum rogus ille Deorum Siderat; » proprie: Sidon. Apollinaris, Epist. III, 13: « Moxque sidente strue, torrem devolutum reddere pyræ fastidiosus pollinctor exhorret; » Prop. III, 9, 37: « Non flebo in cineres arcem sidisse paternos Cadmi, nec fratrum prælia clade pari; » ita legendum alias probabo, pro *semper prælia*. In vulgatis erat *sedisse paternos;* sed alterum recte vindicavit Broukhusius, quem vide, et Gronovium, Observ. IV, 16. — Cod. Paris. ed. pr. *Siderat*. A.

202. Pro *Concipis*, vulgo *Concinis;* etiam apud cod. Paris. et ed. pr. Vide not. ad vs. 200. Pro *fulmina*, vulgo *numina*. Cod. Paris. ed. pr. *fulmina*. Cf. not. A.

207. *Montem*. Sic ed. princ. et cod. Par. in contextu, qui ad marg. *mors te*. A.

208. Pro *late dejecit*, posses conjicere, « miseras Latii dejecit in urbes. » Sed non opus est. — Cod. Paris. edit. pr. vulgatam tuentur: ille tamen ad marg. *m. conterruit urbes*. A.

209. Forte legendum, *monstrataque Tempe;* vel *Ascræaque T. Ven. luctataque templa*. Non mihi adhuc satisfacio de hoc loco. Vide

Admisere Deæ; nec enim mihi sidera tanti
Æquoraque et terras, quam vos debere parenti.
Tu decus hoc quodcunque lyræ, primusque dedisti
Non vulgare loqui, et famam sperare sepulcro.
Qualis eras, Latios quoties ego carmine patres
Mulcerem, felixque tui spectator adesses
Muneris! heu quali confusus gaudia fletu,
Vota piosque metus inter, lætumque pudorem!
Quam tuus ille dies! quam non mihi gloria major!
Talis Olympiaca juvenem quum spectat arena
Qui genuit, plus ipse ferit, plus corde sub alto
Cæditur : attendunt cunei; spectatur athletes

not. — Ed. pr. *lustrataque Tempe;* et sic etiam cod. Par. in textu, qui ad marg. *luctataque.* A.

211. Pro *tanti*, vulgo *tantum*, et sequenti versu *quantum ostendere parenti.* — Edit. princ. *tantum.... quantum ostendere p.;* et sic etiam in textu cod. Paris. qui ad marg. *quam vos debere.* Vide not. A.

213. *Sic decus hoc quodcunque lyræ*, etc. *Sic* dedisti decus hoc : quomodo? nulla enim comparatio. Lege, « Tu decus hoc, etc. » Omissa prima litera T initio versus, vocalis *u* facile dividebatur in *ic*, quum inter has et illam nulla sit ductuum calami differentia. Pariter depravatus decantatissimus Tibulli locus, IV, 13, 9 : « Sic ego secretis possem bene vivere silvis Qua nulla humano sit via trita pede. Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra Lumen, et in solis tu mihi turba locis. » Ineptum istud *Sic*, et sine ulla sensus connexione. Lege, « Tecum ego secretis, etc. » ut apud Horat. Carm. III, 9, 24 : « Tecum vivere amem, tecum obeam libens; » et Martial. X, 20, 7 : « Tecum ego vel sicci Getula mapalia Pœni, Et poteram Scythicas hospes amare casas. » Scriptum erat, omissa prima litera, *ecū;* ex quo fecerunt *sic.* Editiones habent *possum bene;* sed legendum *possem*, ut paullo ante, « Atque utinam posses uni mihi bella videri. » Locus jam suavissimus est. Pro *primusque*, Parmens. *primumque;* Ven. *funusque* : forte, *munusque dedisti;* ut mox, « felixque tui spectator adesses Muneris. » Pro *Sic*, Parm. *Sed.* — Cod. Paris. edit. pr. *Sit decus hoc*, etc. Hæc et ille *primusque.* A.

219. Vulgo, *Qualis et illa dies, qua non.* Pro *illa dies*, Parm. *ille;* et pro *qua*, *quo.* — Cod. Par. ed. pr. « Qualis et ille dies qua non. » Vide not. A.

221. Pro *genuit*, Parm. *geniū.* — Cod. Paris. ed. pr. *genuit.* A.

222. Pro *Cæditur*, Parm. *Creditur.* — Cod. Par. ed. pr. *Ceditur.* A. — Mox vulgo (etiam apud cod. Paris. et edit. pr. A.) pro *athletes*, *Acetes* : Parm. *Acates.* Cf. not.

Ille magis, crebro dum lumina pulveris haustu
Obruit, et pensa vovet exspirare corona.
Hei mihi, quod tantum patrias ego vertice frondes
Solaque Chalcidicæ Cerealia dona coronæ
Te sub teste tuli! qualem te Dardanus Albæ
Vix cepisset ager, si per me serta tulisses
Cæsarea donata manu! quod subdere robur
Illa dies, quantum potuit dempsisse senectæ!
Heu quod me mixta quercus non pressit oliva,
Et fugit speratus honos, quum Lustra parentis
Invida Tarpeii canerem! Te nostra magistro
Thebais urgebat priscorum exordia vatum;
Tu cantus stimulare meos, tu pandere facta
Heroum; bellique modos, positusque locorum
Monstrabas. Labat incerto mihi limite cursus
Te sine, et orbatæ caligant vela carinæ.
Nec solum larga memet pietate fovebas;
Talis et in thalamos : una tibi cognita tæda
Connubia, unus amor; certe sejungere matrem
Jam gelidis nequeo bustis; te sentit, habetque,
Te videt, et tumulos ortuque obituque salutat,
Ut Pharios aliæ ficta pietate dolores

223. Pro *haustu*, Parm. *hausti*. — Cod. Par. ed. pr. *haustu*. A.

224. *Prensa*. Cod. Paris. et ed. pr. *prœhensa*. A.

231. Vulgo *Nam quod*, etc. etiam apud cod. Paris. et edit. pr. A. — Vers. 232, pro *quum Lustra*, vulgo *quum dulce:* Parm. Rom. Ven. *qua dulce*. — Cod. Paris. in textu *qua dulce*, et ad marg. *cum;* ed. princ. *qua*. A. — Vers. 233, vulgo *caneret* (etiam apud cod. Par. et edit. pr.; hæc et ille *tarpei*. A.): Venet. *raperes;* Parm. « Invidia tarpei caperet. » — Vers. 234, vulgo *Thebais. Urgebant priscorum*, etc. Cod. Paris. edit. pr. *urgebant*. Vide not. ad vs. 231. A.

235. *Pandere*. Sic ed. princ. et cod. Paris. in textu, qui ad marg. *ludere*. A.

237. *Limite*. Sic ed. pr. et cod. Paris. in textu, qui ad marg. *lumine*. A.

241. Cod. Paris. ed. pr. *se jungere*, voce divisa. A.

244. Pro *Ut*, cod. Par. ed. pr. *At*. A.

Mygdoniosque colunt, et non sua funera plorant.
Quid referam expositos servato pondere mores?
Quæ pietas? quam vile lucrum? quæ cura pudoris?
Quantus amor recti? rursusque, ubi dulce remitti,
Gratia quæ dictis? animo quam nulla senectus?
His tibi pro meritis, famam laudesque benignas
Index cura Deum, nulloque e vulnere tristes
Concessit: raperis, genitor, non indigus ævi,
Non nimius; trinisque decem quinquennia lustris
Juncta ferens: sed me pietas numerare, dolorque
Non sinit: o Pylias ævi transcendere metas,
Et Teucros æquare senes, o digne videre
Me similem! Sed nec leti tibi janua tristis:
Quippe leves causæ; nec segnis tabe senili
Exitus instanti præmisit membra sepulcro;
Sed te torpor iners, et mors imitata quietem
Explicuit, falsoque tulit sub Tartara somno.

250. *His*. Cod. Paris. ed. princ. *Hiis*. A.

251. *Vindex cura Deum, nulloque e vulnere tristem Concessit*. Romana et Veneta editt. habent *Index cura;* et ita citat Heinsius ad Ovid. Fast. IV, 393; recte; Ovidius ibi: « Hi Cereris ludi: non est opus indice causa; » ubi habes satis exemplorum ab Heinsio congestorum. Ita etiam Parmensis. Deinde nescio quam transpositionem hemistichiorum in duobus his versibus fingit Gronovius, Diatr. c. 59, ad hunc modum: « His tibi pro meritis nulloque e vulnere tristem Index cura Deum famam laudesque benignas Concessit. » Atqui hæc non est compositio Statiana; nec tam operosa medicina indiget hic locus. Virum summum induxit in errorem vox *tristem*, quam ille quoquo modo putavit conjungendam esse cum *famam;* non opus fuit; ecce enim verum: « His tibi pro meritis famam laudesque benignas Index cura Deum, nulloque e vulnere tristes Concessit; » « Index cura Deum concessit tibi famam laudesque benignas, et tristes nullo e vulnere. » Nihil simplicius aut usitatius. — Cod. Paris. edit. pr. *Index cura deum... tristem*. A.

257. *Leti*. Cod. Par. et edit. pr. *læti*. A. — Cætera, usque ad finem Silvarum, desunt in optimo cod. Par.; variantes igitur lectiones una demum ed. pr. suppeditabit. A.

258. Pro *tabe*, vulgo *labe;* etiam apud ed. pr. Vide not. A. — Pro *segnis*, Parm. *segnes*. — Ed. princ. *segnis*. A.

Quos ego tunc gemitus? comitum manus anxia vidit,
Vidit et exemplum genitrix, gavisaque vovit
Quæ lamenta tuli: veniam concedite, Manes,
Fas dixisse, pater; non tu mihi plura dedisses.
Felix ille patrem vacuis circumdedit ulnis,
Vellet, et Elysia quamvis in sede locatum,
Abripere, et Danaas iterum portare per umbras:
Tentantem et vivos molitum in Tartara gressus
Detulit infernæ vates longæva Dianæ.
Si chelyn Odrysiam pigro transmisit Averno
Causa minor; si Thessalicas Admeton in oras,
Si conjux retro Phylaceida rettulit umbram,
Cur nihil exoret, genitor, chelys aut tua Manes,
Aut mea? fas mihi sit patrios contingere vultus,
Fas junxisse manus, et lex quæcunque sequatur.
At vos, umbrarum reges, Ennæaque Juno,
Si laudanda precor, tædas auferte comasque
Eumenidum; nullo sonet asper janitor ore;
Centaurosque, Hydræque greges, Scyllæaque monstra
Aversæ celent valles; umbramque senilem

263. Pro *novit*, Gronovius legit *vovit*; optime; et ita plane Parm. *Vovit* est *optavit*: mater mea cernens *qualia* lamenta tibi contuli, *optavit* ut talia illi mortuæ olim conferrem. — Ed. pr. *novit*. A.

272. Vulgo *Thessalicis Admetus in oris*; et seq. versu, pro *Si conjux retro, Silva una tetra*; quod plane habet ed. pr. Conf. not. A. — Ven. « Silva una retro philacridis attulit umbram. »

274. Pro *exoret*, Ven. et Parm. *exhorret*. — Edit. pr. *exoret*. A.

277. Pro *Ætnæaque*, recte Gronovius *Ennæaque*. Perpetuo hæ voces commutantur. Vide Heinsium ad Claudian. de Rapt. Pros. I, 122, ubi hunc Statii locum pariter emendat, et docet scribendum esse *Hennæa*, non *Ennæa*. — Edit. princ. *ætneaque*. A.

278. Pro *laudanda*, Parm. *blanda*. — Ed. pr. *laudanda*. A.

280. *Centaurosque*, *Hydræque greges*. Ven. et Parm. *Centaurusque*; et pro *greges*, Ven. et Rom. *graves*; forte recte, modo legas, *Centaurosque hydrasque graves*. — Edit. pr. *Centaurusque hydræ graves*. A.

281. Pro *Aversæ celent*, Parm. *Aversæque cedāt*; Rom. *Aversæ cedāt*. Sumta hæc ex Virg. Æn. VI, 286. — Ed. pr. *Aversæ cedant*. A.

Invitet ripis, discussa plebe, supremis
Vector, et in media componat molliter alga.
Ite, pii Manes, Graiumque examina vatum,
Illustremque animam Lethæis spargite sertis,
Et monstrate nemus, quo nulla irrupit Erinnys,
In quo falsa dies, cæloque simillimus aer.
Inde tamen venias melior, qua porta malignum
Cornea vincit ebur, somnique in imagine monstra
Quæ solitus. Sic sacra Numæ, ritusque colendos
Mitis Aricino dictabat Nympha sub antro :
Scipio sic plenos Latio Jove ducere somnos
Creditur Ausoniis, et non sine Apolline Sylla.

282. Pro *supremis*, conjeceram *supremus*, scilicet *Vector*, id est, *Charon;* et ita habet Veneta ; non ineleganter. — Edit. princ. *supremis*. A.

288. Pro *porta*, Parm. Venet. *parte;* et sequenti versu pro *monstra*, Parm. *monstrat;* et ita Domitii codices : perperam. — Ed. pr. *porta... monstra*. A.

NOTÆ

IN CARMEN TERTIUM LIBRI QUINTI

SILVARUM.

EPICEDION IN PATREM SUUM. Mira est poetæ in patrem mortuum pietas; nam quum aliæ Silvæ subito et ex tempore, ut ipse ait, effusæ sint; hanc diu elaboravit, et vix tandem inseruit quinto volumini; quod facile agnoscas carminis sublimitate et copia rerum: nam amplior est, quam ut vel subito calore effervere potuerit, vel paucis diebus comprehendi. Sed quod ad Silvæ argumentum pertinet, pater ex Epiro fuit; habuit Sellas patriam; Romæ docuit poeticen: Neapoli civitate donatus multos erudivit, qui postea senatoria dignitate aut equestri provincias magistratu regebant. A duabus præsertim rebus illum laudat; quod et poetarum loca recondita aperiret luculentissime, et juvenum mentes recte formaret ad virtutem. Umbram autem paternam primo invocat. DOMIT. — Hoc ejus argumentum non ex omni parte probat Markland. de quo passim in notis; nihilominus tamen exscribendum judicavimus, ut tam longi carminis aliquem sensum primo intuitu percipiat lector. ED.

VERS. 5. *Coritia umbra*, id est, Parnassia: nam in Parnasso multa loca sunt præcipua sanctitate veneratione digna, e quibus Coritium est Nympharum antrum eodem quo Cilicium nomine. Plinius præterea ita describit: « Thebis quæ Corsicæ cognominatæ sunt juxta Heliconem. » DOMIT.

8. *Funestamque ederis irrepere taxum Extimui, trepidamque nefas arescere laurum.* Vide an non legendum sit, « funestamque ederis irrepere taxum Sustinui; » id est, *passus sum, permisi.* Ovid. Am. I, 7, 49,

> At nunc sustinui, raptis a fronte capillis,
> Ferreus ingenuas ungue notare genas;

Heroid. V, 32, « Sustinet Œnonen deseruisse Paris; » Auctor Consol. ad Liv. Aug. vs. 393,

> Adde quod est absens functus: nec cernere nati
> Semineces oculos sustinuere tui;

Phædrus, IV, 15, 7 et 8,

> Hoc argumentum monet, ut sustineas, tibi
> Habitu esse similes, qui sunt virtute impares;

ubi vide Schefferum et Burmannum. Nec placet istud *trepidam laurum;* et multo melius scripsisset *partam laurum;* quod verum puto. Monstrum plane est quod sequitur, « Certe ego magnanimum, etc. » in quo et sensum, et latinitatem frustra quæsiveris. Ne longum faciam, sic lege et distingue totum locum:

> .... funestamque ederis irrepere taxum
> Sustinui, partamque (nefas) arescere laurum
> Ille ego magnanimum qui facta attollere regum
> Ibam altum spirans, Martemque æquare canendo.

Audaculus affirmo non aliud scribere potuisse Statium, quam *Ille.* Emphaticum quiddam est in isto *Ille ego,* et quod indignationem exprimit. *Ille ego qui,* ut Epiced. in Puer. vs. 38,

> Ille ego, qui toties blandus matrumque patrumque
> Vulnera, qui vivos potui mulcere dolores,
> Deficio;

Thebaid. IX, 434,

> Ille ego, clamatus sacris ululatibus amnis,
> Qui molles thyrsos Baccheaque cornua puro
> Fonte lavare feror, stipatus cædibus arctas
> In freta quæro vias;

Ovidius, Heroid. XII, 105,

> Illa ego, quæ tibi sum nunc denique barbara facta,
> Nunc tibi sum pauper, nunc tibi visa nocens,
> Flammea subduxi medicato lumina somno,
> Et tibi, quæ raperes, vellera tuta dedi;

Epitaphium vetus apud Reinesium, Inscr. p. 854,

> Ille ego, qui vixi bis deno circine solis
> Ore genas tenero vernans, et robore pollens,
> Miles eram, sum deinde civis ex milite factus;

Plinius, Ep. I, 6, « Ridebis, et licet rideas. Ego Plinius *ille,* quem nosti, apros tres, et quidem pulcherrimos, cepi; » Sil. Italicus, XI, 177,

> ille ego sanguis
> Dardanius, cui sacra pater, cui nomina liquit
> Ab Jove ducta Capys, magno cognatus Iulo;
> Ille ego, semihomines inter Nasamonas, et inter
> Sævum atque æquantem ritus Garamanta ferarum,
> Marmarico ponam tentoria mixtus alumno?

Nota ista Virgil. Æneid. I, 1 et seqq.,

> Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
> Carmen, et, egressus silvis, vicina coegi,
> Ut quamvis avido parerent arva colono;
> Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis
> Arma, virumque cano.

Quos ego versus non testimonii causa adduco, sed ut Virgilio abjudicem fœtum non suum : præter enim quod in MSS. plerisque vetustioribus non inveniantur, testante Pierio, est et alia ratio qua patet ignari cujusdam et barbari interpolatoris esse, nedum Virgilii ; ex constructione scilicet, quæ hæc esse debuit, prout exemplis adductis liquet : « *Ille ego qui* quondam *modulatus* carmen avena, et egressus silvis *coegi* arva ut parerent colono, *nunc* arma virumque *cano;* » non *at nunc;* hoc enim modo tota sententia perturbatur. Mitto ineptum epitheton *vicina : cui* enim *vicina* arva intelligit? an vicina *silvis?* ridiculum : quasi ad arva tantum *silvis vicina* pertinerent Virgilii Georgica ! an *Mantuæ* vicina arva voluit? sed et hoc æque ridiculum, et ob eamdem rationem. Scio quid de his versibus dicant Pierius, et Jul. Scaliger, Poetices lib. V, ad finem; sed nullæ, quantumvis magnæ, auctoritates, sensui communi præponderare debent. Sed ad pensum : a quo me abduxit amor vatum principis. Verissimum est *ille ego* pro *certe ego ;* et pari fere modo commutantur voces *certe* et *ipse* apud Ovid. Fast. II, 5, ubi pro « Ipse ego vos habui faciles in amore ministros, » duo codices habent *Certe ego.*

12. *Quis Apolline merso Frigida damnatæ produxit nubila menti?* Nic. Heinsius ad Sil. Italicum, X, 411, pro *merso* legit *verso*, id est, *averso ;* optime : Noster, Theb. X, 70, « Quid faciat? scit fata suis contraria fatis, Aversumque Jovem ; » Ovidius, Amor. III, 12, 17 :

> Aversis utinam tetigissem carmina Musis,
> Phœbus et incœptum destituisset opus ;

qui locus firmat emendationem meam supra, Glauc. Melior. vers. 26, « Infaustus vates, verso mea pectora Phœbo Plango lyra ; » vulgo legitur, « *vexo* mea pectora *tecum ;* » pro quo Parm. et Rom. *verso :* vide quæ ibi notavi. *Diversus Apollo* eodem sensu apud Calpurnium Siculum, Eclog. IV, 9, « Dulce quidem resonas, nec te diversus Apollo Respicit, o juvenis. » Deinde, pro *produxit*, idem ibidem legit *præduxit ;* et hoc itidem recte : metaphora sumta est a re militari seu obsidionali, in qua muri et fossæ, et lineæ *præduci* dicuntur ; Lucanus, IV, 45, « Munitumque latus lævo præducere gyro ; » et vs. 264, « Tunc inopes undæ præducta cingere fossa Cæsar avet ; » ita legendum ; vulgo *prærupta fossa.* Senec. de Ira, II, 8, « præductam obsessis parentibus fossam ; » et ita passim.

23. *Arati.* Aratus, Athenodori filius et Dolitophiles, ex Sicilia. Solus urbem habuit patriam, natalem etiam Chrysippo Stoico et Philemoni poetæ comico. Rationem astrorum scripsit carmine quod exstat. Domit.

25. *Concilia heroum juxta*, etc. Imitatur Auson. Parental. IV, 29, « Et modo conciliis animarum mixte piarum : » ita legendum, pro *piorum*, sc. hominum; quod Grævio placuit.

29. *Nam me ter relegens cælo, terque ora retexens Luna videt residem.*

Constructio est : « Nam luna *cælo* ter relegens ora, terque retexens, videt me residem ; » quo pacto abundat vox *cælo :* ubi enim nisi *cælo* potuit luna relegere et retexere ora? Lege : « Nam me ter relegens *cælum*, terque ora retexens; » Avienus, Phænom. Arat. vs. 971, « Sol istinc flammiger æthram Jam relegit; » Prudentius, Hamartig. v. 851, de anima,

> Concretum celeri relegens secat aera lapsu,
> Exsuperatque polum fervens scintilla remensum.

Sic *relegere pontum* Sil. Italicus, II, 20; *relegere litora* Virgil. Æn. III. Vide Heinsium ad Ovid. Met. VIII, 173, ubi jam video illum ita emendasse hunc Statii locum. Virgilius, Culice, vs. 283, de luna, « Et tu currentes, menstrua virgo, Auditura lyram tenuisti, nocte relecta; » ita legendum; vulgo *relicta : relegere noctem* elegantissime dicit pro *remetiri :* tale mendum ex Horatio sustulerunt Heinsius et Bentleius, Carm. I, 34, *cursus relectos;* ubi ante legebatur *relictos.* Quid sit *ora retexens* disces ex Ovidio, Met. VII, 530,

> Dumque quater junctis implevit cornibus orbem
> Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem.

Eodem sensu *deducere orbitam* luna dicitur Prop. II, 20, 21, « Septima jam plenæ deducitur orbita lunæ; » verbo itidem *textorio;* Tibull. II, 4, 17,

> Nec refero Solisque vias, et qualis, ubi orbem
> Complevit, versis Luna recurrit equis.

Huic contrarium *resumere orbem* Thebaid. I, 576; et *recolligere ignes* Seneca, Œdipo, v. 505. Pleni hac metaphora poetæ : inde etiam Apuleius, lib. de Mundo, « Dierum etiam noctiumque curriculis *ordiuntur* menses; menses *texunt* annos; anni seriem conficiunt sæculorum. » Nota omnibus proprietas vocis *ordiri.*

35. *Nunc etiam labente manu, nunc lumine sicco.* Sic vulgo editur, *labente manu.* Parmensis vero, *Nunc etiam hebetant manu;* Rom. *hebetante manu;* Ven. *hebente.* Scripsit Statius, « Nunc etiam *trepidante* manu. » Nimirum literæ *tr* coaluerunt in *h*, quæ ejusdem est ductus; unde pro *trepidante*, factum primo *hepidante*, mox *hebetante.* Deinde, pro *nunc lumine sicco*, quod in omnibus est, recte Gronovius, Diatr. c. 51, *nec lumine sicco;* et hoc postulat sensus : *manu trepidante* et *oculis* non *siccis*, id est, *humidis.* Ita supra, Lyric. ad Junium, vs. 11, pro *nunc major sitis*, restitui *nec.* Contra, Theb. IX, 370, de Nympha Ismenide, occisum in fluvio Crenæum filium quærente,

> Scrutaturque manu galeas, et prona reclinat
> Corpora : nunc ponto submersa intrabat amaram
> Dorida :

ita legendum; vulgo, *nec ponto submota,* sine sensu. Sic et apud Virgilium, Æn. IX, 140, loco ad intelligendum difficillimo,

> Sed periisse semel satis est. Peccare fuisset

Ante satis, penitus modo non genus omne perosos
Femineum,

Pierius testatur in nonnullis antiquissimis Codicibus pro *non*, legi *nec* Scribe, « penitus modo nunc genus omne perosos Femineum : » objectio est a parte Trojanorum, et responsio ad objectionem : « Dicet forte aliquis, sed satis est Trojanos *semel* periisse. Immo (inquit Turnus) non ad pœnam solum, etiam ad peccatum debes respicere, et dicere, satis fuisse Trojanis semel peccasse *olim*, dummodo *nunc* non itidem peccent, modò *nunc* penitus perosi sint omne genus femineum. » Infert ergo : « Atqui non *nunc* perosi sunt genus omne femineum; quippe bellum gerunt pro Lavinia: ideo nec peccasse *olim* in hoc genere satis illis fuit; quippe et *nunc* peccant : ergo, nec periisse *semel* satis est, sed et *iterum* debent perire, et quoties peccant. » Hæc est argumentatio Turni; cujus sensum partim vidit Servius, qui hæc notat : « *At periisse semel.* Quasi objectio est, ut si dicatur, Sed periisse semel satis est; immo vero, semel satis fuit eos peccasse : ex quo colligitur, quoties peccaverint, toties eos perire debere. » In verbis Servii, ad vs. 141, legitur *non;* quod tamen corrigendum puto, *nunc;* aliter non video quomodo huic loco constet sensus. — Mirum est viros doctos in loco hoc nodum quærere, aut in eo solvendo adeo laborare potuisse; *modo non*, ut *tantum non omne*, quoties non occurrit? Heyn.

41. *Hic ego te, (nam Sicanii non mitius,* etc.) *Inserui cum laude loci, sed carmine plango Pierio.* Inopportuna admodum adversativa ista particula *sed*, quum nulla sit oppositio inter hanc et priorem sententiæ partem. Antiqua hujus vocis scriptura est *set;* unde facile fuit, *locis, et carmine* : *et* vero, litera transposita, pro *te : locis, te carmine plango Pierio.* Et jam veritatis facies nasci incipit, et apparet legendum esse pro *Hic, His;* sc. *locis;* (quod et voluit Bernartius, frustra refragante Gronovio, Elench. Antidiatr. c. 7) et pro *Inserui, Insertū;* sc. *te.* Unde, vix uno apice mutato, totus locus sic refingendus est :

His ego te (nam Sicanii non mitius, etc.)
Insertum cum laude locis, te carmine plango
Pierio :

intermediis istis, *nam Sicanii*, etc. usque ad *aristas*, in parenthesi inclusis, quemadmodum edidi. *Insertum his locis*, id est, *impositum, additum :* Sidon. Apollinaris, Carm. XI, 12, « tenuique inserta fluento Perforat arenti radio lux sicca liquorem; » Martialis, Epigr. III, 41,

Inserta phialæ Mentoris manu docta
Lacerta vivit, et timetur argentum.

Passim exempla. *Te, te,* ut Horat. Carm. IV, 13, 10 et sqq.,

. . . . et refugit te, quia luridi
Dentes, te quia rugæ
Turpant et capitis nives.

Supra dixi de hac affectuosa vocis ejusdem iteratione. *Cum laude*, id est,

cum *laudatione*, sc. funebri : « primum, inquit Statius, in hoc loco te sepelivi cum laudatione; nunc hoc Epicedio te plango; » per quæ, gradus et continuationem pietatis suæ in patrem ostendit. Vers. 42, pro *siç tibi rara*, quod plures editt. habent, Grasserus edidit *si tibi rara;* et ita Parm. et Rom. Gronovius vero, Elench. Antidiatr. c. 7, monet legendum esse *sicubi rara;* quod verum est : non ita ejus interpretatio. Dicit Statius : Hoc loco ego te sepelivi : et sane causam habui; quippe crocus, cinnamon, et ceteri pretiosi odores qui divitum funeribus incendi solent, non mitius halant, non dulcius spirant, et consequenter non essent tibi gratiores quam hic locus. *Sicubi* est idem quod *si forte*, ut sæpe : vide Val. Flaccum, IV, 105. Aliter legere posses, *sic tibi grata*, vel *cara;* sed non opus est.

45. *Sumas gemitus et vulnera nati, Et lacrimas.* Ita constanter editiones; ut mirer unde Gronovius ediderit *sume* et *gemitus :* verius erat, *sume hos gemitus.* Quomodo vero accipere potuit pater nati *vulnera?* Lege, « Sume hos gemitus, et munera nati, Has lacrimas. » Ita Theb. XII, 88, Creon ad bustum filii Menœceos, « Accipe, nate, tui nova libamenta triumphi, Accipe; » auctor Ciris, vs. 44, « Accipe dona, meo multum vigilata labore; » Virg. Æn. III, 486, « Accipe et hæc, manuum tibi quæ monumenta mearum Sint, puer; » Seneca, Troad. vs. 806, « Sume nunc iterum comas, Et sume lacrimas; quidquid e misero viri Funere relictum est; » idem, Herc. Œt. vs. 1648,

> Accipe hæc, inquit, sate
> Pœante dona; munus Alcidæ cape.

Recte vero *munera;* Val. Flaccus, V, 30, « vix membra rigentia tandem Imposuere rogo, lacrimasque et munera flammis Vana ferunt; » Ausonius, Parental. VIII, 17, « Cælebs namque gener nunc hæc pia munera solvo; » Ovidius, Met. II, 340, « Nec minus Heliades fletus, et, inania morti Munera, dant lacrimas; » idem, ex Ponto I, 7, 29,

> Cui nos et lacrimas, supremum in funere munus,
> Et dedimus medio scripta canenda toro;

Manil. I, 885, de peste Atheniensi, « Cesserat officium morbis, et munera deerant Morbus, et lacrimæ; » ita legendum puto, non *funera : mortibus* ibi est *mortuis.* Val. Flaccus, V, 13, « Ecce, inter lacrimas, interque extrema virorum Munera, etc. » Ovidius, Trist. III, 381,

> Tu tamen, exstincto feralia munera ferto,
> Deque tuis lacrimis humida serta dato.

Ex his locis vides *lacrimas* et *munera* ad amicorum busta conjungi solere. Voces autem *munera* et *vulnera* sæpe commutantur : ita apud Ovid. Eleg. de Nuce, vs. 131, pro *vulnera* quod erat in libris, viri docti reponunt *munera.* In scriptis criticorum passim exempla invenies. Retineri tamen potest *Et lacrimas;* et ita edidi.

46. *Rari quas nunquam habuere parentes.* Sic habent exemplaria. Morellus pro *nunquam* conjecit *unquam;* et ita Parmensis. Gevartius edidit *cari.* Uterque reprehensus Gronovio, Diatr. c. 51, ubi hæc notat: « Grandius multo Noster, *rari nunquam. Rari* parentes propter scelus hominum habuerunt veras lacrimas a natis; sed et pauci qui habuerunt, non tamen tantas, tamque acerbas, quantas ego tibi confero. » Vide, lector, quid sit nimium acumen, et quam facile fallamur in his studiis, nisi spectemus ἅμα πρόσω καὶ ὀπίσω. Quippe *lacrimæ quas* rari *parentes habuere,* sunt *lacrimæ quas parentes* raro *habuere;* et eo usque sensus optimus est. Jam vero si interseras *nunquam,* vide quam absurdum feceris; tunc enim erit, *lacrimæ quas parentes* raro nunquam *habuere:* vel si τὸ *rari parentes,* per *pauci* explices, eodem res recidet; *lacrimæ quas* pauci *parentes habuere* recte dixeris: *lacrimæ quas* pauci *parentes* nunquam *habuere,* absurde. Idem periculum facias istis Martialis verbis, Ep. I, 2, 6, decus quod « Rari post cineres habent poetæ; » eumdem exitum deprehendes. Sensit hoc, opinor, Gronovius, Elench. Antidiatr. c. 7, ubi aliter interpretatur; nempe, *rari* parentes, « ii qui veros gemitus orborum meruerunt. » Melius hoc, utpote nihil absurdi in se habens. Sed omnino recte edidit Gevartius, *cari quas nunquam habuere parentes;* ut Ovid. Am. I, 7, 5, « Tunc ego vel caros potui violare parentes; » et Heroid. XXI, 43, « Quumque dies caris optata parentibus instat; » Lucretius, lib. III, 85:

> Nam jam sæpe homines patriam carosque parentes
> Prodiderunt, vitare Acherusia templa petentes;

ubi tamen forte præstat, *carosque penates,* seu domos. Exempla sunt obvia. Dicit igitur Statius: Nulli parentes, licet filiis carissimi, habuerunt tales lacrimas quales ego tibi collaturus sum. Nisi malis *clari parentes,* id est, *nobiles* et genere illustres, ut apud Horat. S. I, 6, 58, « Non ego me claro natum patre, etc. » quod huic loco et sententiæ optime congruit. Nam *seri parentes,* (i. e. *longævi*) quæ erat conjectura Hieron. Bignonii, referente Gronovio et probante, ad fin. Elench. Antidiatribes, non ex toto sensui satisfacit. *Quas* vero est *quales,* ut Glauc. Melior. v. 33, « Quum proprios gemerem defectus ad ignes Quem, natura, patrem! » id est, *Qualem patrem;* Virgilius, Æn. IV, 11, « Quem sese ore ferens! quem forti pectore, et armis! » ita legendum; vulgo *quam forti;* male: si enim retineas *quam,* constructio hæc erit; « Quam forti pectore, et quam armis. » Quid vero est *quam armis?* arena sine calce: nisi vox *fortibus* intelligenda sit, hoc modo, « quam forti pectore, et quam fortibus armis. » Sed alterum multo elegantius, et repetitio παθητικωτέρα: *qualem* vultu, *qualem* forti pectore seu patientia, *qualem* armis!

51. *Siculi sepulcri.* Certamina ad tumulum Anchisæ, in Sicilia, nota carmine Virgiliano. Domit.

55. *Aut putri sonitum daret ungula fossa.* Altum de hac *fossa* inter commentatores silentium; nisi quod Thomas Stephanus in sua harum Silvarum editione *fossam* interpretatur *septum* vel *carcer*, quo continebantur equi priusquam ad cursum emittebantur. Nescio quidem unde hanc hauserit vocis significationem; nec sane multum refert, quum Statius non aliud scribere potuerit quam, « aut putri sonitum daret ungula campo. » Immanis, inquies, mutatio; vide tamen quibus auctoritatibus eam defendam. Virgilius, Æn. VIII, 595, « it clamor, et agmine facto Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum; » quem versum pene repetit XI, 875, « Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum. » Plane vides Statianum hoc parodiam esse versus Virgiliani: Virgilius vero sumsit ex Ennio, Annal. VI, citato a Macrobio, Saturn. VI, 1. Noster, Theb. VI, 401, « pereunt vestigia mille Ante fugam, absentemque ferit gravis ungula campum; » et 459, « Multaque transversis præstringitur ungula campis; » XII, 666,

> Icta gemit tellus: virides gravis ungula campos
> Mutat, et innumeris peditumque equitumque catervis
> Exspirat protritus ager;

Achilleid. I, 123, de Chirone, « Motaque desueto crepuit senis ungula campo; » Sil. Italicus, VI, 217, « Cornea gramineum persultans ungula campum; » et II, 174, « Incita pulveream campo trahit ungula nubem; » Lucanus, VI, 82, « gradibusque citatis Ungula frondentem discussit cornea campum; » Noster, Theb. IX, 250, « consuetaque campo Fluctuat, et mersas levis ungula quærit arenas; » Ovid. Halieutic. vs. 73, de equis loquens:

> Compescatque solum generoso concita pulsu
> Ungula sub spoliis graviter redeuntis opimis;

idem, Met. VI, 218, « Duraque mollierat subjectas ungula glebas; » Calpurnius, Eclog. VI, 56,

> Ungula quæ viridi sic exsultavit in arvo,
> Tangeret ut fragiles, sed non curvaret, aristas.

Videor etiam invenisse originem erroris. Vox *campo* ita scribitur in MSS, *cāpo*: unde, transpositis syllabis, *poca*: mox, *posa*, *fosa*, *fossa*. Scient harum rerum periti quam facile hoc evenire potuit, et quam millies evenit. *Fossa* huic loco omnino aliena est: *campo* propria et apposita.

58. *Ipse madens oculis.* Usitatius est *madens oculos* quam *oculis*; ut sit Græcismus. Sed et in hoc loco grassata est eadem manus quæ modo supposuit *fossa* pro *campo*; si quid enim video, scripsit Statius, « Ipse madens lacrimis. » Thebaid. XI, 417, « Cuncta madent lacrimis et ab omni plangitur arce; » IX, 41, « madet ardua fletu Jam galea atque ocreæ clipeum excepere cadentem; » Ovidius, Metam. VI, 628, « Invitique oculi lacrimis maduere coactis; » X, 45, « Tum primum lacrimis

victarum carmine fama est Eumenidum maduisse genas; » Apuleius, Met. V, « Lugubres voces desinite, et diutinis lacrimis madentes genas siccate; » Ovid. Met. XI, 418 : « Lacrimisque genæ maduere profusis; » Heroid. VI, 70, « Huc feror; et lacrimis osque sinusque madent; » Art. Amat. III, 378, « Et lacrimis vidi sæpe madere genas; » Tibull. I, 8, 54: « lacrimis omnia plena madent; » Mart. Epigr. X, XIII, 8 : « Et madet heu! lacrimis janua surda tuis; » Seneca, Hippol. V, 1121, « Et si odia servas, cur madent fletu genæ? » Plura habeo ὅσα κόνις si cui hæc non satisfaciant. Hæ voces commutantur apud Ovidium, ex Ponto, I, 9, 1,

Quæ mihi de rapto tua venit epistola Celso
Protenus est lacrimis humida facta meis;

pro *lacrimis* excerpta Vossii habent *oculis*. Recte vero *umbrarum animæque sacerdos :* ita *sacerdos arboris* Juvenal. Sat. VI; *arcis sacerdos* Virgil. Æn. II, 319. Nisi malis, *umbrarum aræque sacerdos;* quod verius videtur, quum ut vitetur repetitio ejusdem sensus, *umbrarum animæque;* tum ut sit imitatio Virgilii, Æn. VIII, 179, « Tum lecti juvenes certatim aræque sacerdos Viscera tosta ferunt taurorum; » unde Sil. Italicus, II, 150, « Alcidæ templi custos, aræque sacerdos. » Minima est differentia scripturæ inter *aīæ* (hoc enim modo concipitur vox *animæ* in libris) et *aræ*. Sed nihil temere mutandum.

59. *Præcinerem gemitum cui te nec Cerberus omni Ore, nec Orpheæ quirent avertere leges.* Ita omnes quas mihi videre contigit editiones; nec quisquam interpretum de mendo suspicatus est. Non tamen ideo mendo caret; explica enim, si potes, quid sit *præcinere gemitum*. Domitius ait, *tanquam præfica;* et hoc satis commodum ad τὸ *præcinerem;* sed quid facies cum isto *gemitum?* nec enim *præfica* nec quisquam alius *præcinere* potest *gemitum*, si modo ego et vos scimus quid sit sensus communis. Sed et hoc demus; vide sequentia : « præcinerem gemitum a quo (*gemitu*) nec Cerberus nec leges Orpheæ possent te avertere. » Quid vult? an *Cerberus* et *leges Orpheæ* solent umbras avertere a *gemitu?* nugæ; et piget immorari. Ecce trium tantum literarum mutatione omnia sano :

Præciperem reditum, cui te nec Cerberus omni
Ore, nec Orpheæ quirent avertere leges :

« *monstrarem*, et, utpote *sacerdos*, *præciperem* tibi *reditum* a quo nec Cerberus, qui solet umbris *redeuntibus* sævire, nec conditiones ullæ severæ, quales datæ sunt Orpheo quum *reditum* uxoris impetravit, possent te arcere. » Nihil verius aut facilius. Recte vero *præciperem*, utpote *sacerdos* et *potens* umbrarum : verbum hoc *magistrale;* et *auctoritatem* denotat. Bene etiam *reditum*, proprium de hac re verbum; Ovidius, Metam. V, 542, de Ascalapho, « Vidit, et indicio reditum crudelis ademit; » *reditum* scil. Proserpinæ ab inferis. *Leges* vero *Orpheæ*, ut apud Ovidium, Met. X, 50, « Hanc simul et legem Rhodopeius accipit Orpheus; » Noster, infra, v. 275, « fas mihi sit patrios contingere vultus, Fas junxisse manus, et lex quæcunque sequatur! » Propert. II, 27, 15,

Si modo clamantis revocarint ora puellæ,
Concessum nulla lege redibit iter;

ita legendum puto, non *revocaverit aura;* quod ob fœditatis suspicionem nimis ambiguum foret : vides etiam *redibit.* Quare vero *præciperet reditum* Statius umbræ paternæ ? Nempe ut videret filii pietatem, et his parentalibus et solennibus in ejus honorem institutis interesset : Manes enim credebantur his spectaculis libenter adesse; unde apud Sil. Italicum, XII, 239, Pedianus interfecturus Cinybem qui Pauli consulis occisi galeam portavit, prius invocat umbram Pauli, ut hostis cædem spectaret : « Vocat inde viri ad spectacula Manes, Et fugientis agit costis penetrabile telum. » Ita etiam apud Val. Flaccum, V, 86, postquam fama expeditionis Argonauticæ Manes pervagata esset, narrat poeta umbras accensas esse visendi cupidine :

.... Ardent avidos attollere vultus
Quos pietas, vel tangit adhuc quos æmula virtus.
Fata immota manent : unum, qui litore in illo
Conditus, ad caræ mittunt spectacula turbæ;
It Sthenelus;

scil. *Stheneli umbra :* vide Thebaid. XI, 420, ubi Pluto emittit umbras Thebanas ut intersint *μονομαχίᾳ* Eteoclis et Polynicis. Ita apud Lucan. III, 30, umbra Juliæ minatur Pompeio, « veniam, te bella gerente, In medias acies. »

61. *Atque tibi moresque tuos et facta canentem,* etc. In toto Statio vix unus et alter inquinatior hoc aut difficilior locus; nullus enim ad constructionem evolvendam aditus est; et si aliqua intrare tentes, statim occurrit mora insuperabilis. Silent etiam interpretes, nisi quod Stephanus notat : « *Tibi;* in exsequiis tuis, et ad tumulum tuum. » Tentandum tamen : et primo, quærendum nomen substantivum quod jungatur cum *τῷ canentem :* hoc vero nullum aliud esse potest præter *Me;* de *seipso* enim loquitur per totam hanc *πραγματείαν.* Ubi igitur, inquis, hoc inveniemus? ecce ad manum, « Meque tibi moresque tuos et facta canentem : » in MSS. codicibus, si nescis, prima litera cujuslibet versus spatio aliquo et forma a ceteris distat; inde innumeri errores provenerunt, dum exscriptor indoctus aut eam omisit aut in aliam mutavit; ut in hoc loco, A pro M substituta. Ita apud Propertium, IV, 2, 23, ubi Vertumnus loquitur :

Indue me Coïs; fiam non dura puella;
Atque virum sumta quis neget esse toga?

ubi pro *atque* quinque codices habent *Meque;* idque omnino verum; et ita editurus sum. Jam opinor, crepusculum sentis, constructione aliquatenus faciliore, hoc modo : « Pietasque forte non posthabuisset etiam magniloquo Homero, et tenderet æquare torvo Maroni me canentem moresque tuos et facta. » Hoc igitur intelligis : anne istud item, quare *tibi canentem?* non, opinor : omnino enim contrarium dixisse

debuit, *aliis canentem mores tuos et facta*, non *tibi* : parum etenim laudis accessurum erat patri, si *illi* tantum, non et *aliis* mores illius cantaturus fuit filius. Si usquam in hoc opere Ἐνστοχία litavi, hic factum est : « Meque habitus moresque tuos et facta canentem : » vox *habitus* hoc modo scripta erat in MSS, *abit*⁹ : hoc non intelligentes librarii in *tibi* mutarunt : *habitus moresque* ut Silv. II, 6, ad fin. « moresque habitusque decoros Monstrabit gaudens. » Similiter Ausonius et in re simili, Epicedio nempe in Patrem, vs. 8, ubi pater loquitur, « Victum, habitum, mores, semper eadem habui; » Silius Italicus, XV, 171,

> Antiquæ morem patriæ cultumque habitumque
> Phocais armisonas inter tenet hospita gentes;

Pomp. Mela, III, 7, de India loquens : « Cultorum habitus moresque dissimiles : lino alii vestiuntur, etc. » Vide quæ notavi ad Silv. II, 6, vs. 104. *Tenderet æquare Maroni* est *æquaret Maroni* : vide satis exemplorum ad II, 6, vs. 71. Quare autem appelletur *torvus Maro*, cui *molle atque facetum annuerunt* Musæ, non intelligo. Ego potius putarem *docto Maroni*. Versus sub nomine Augusti Cæs. in vita Virgilii : « Magnaque doctiloqui morietur Musa Maronis? » incertus auctor in Catalect. Scalig. p. 181,

> Tristia fata tui dum flet in Daphnide Flacci,
> Docte Maro, fratrem Dis immortalibus æquas.

68. *In ardentem, liceat, moritura maritum.* Ita editiones : recte. Nec opus est Scriverii et Crucei *liceat modo, itura maritum* : quanquam si ex MS. hanc lectionem hausissent, defendere potuissent loco Ovidii, Trist. V, 14, 37,

> Cernis, ut Admeti cantetur, ut Hectoris uxor,
> Ausaque in accensos Iphias ire rogos?

Et *liceat modo*, ut Met. VIII, 38, « Impetus est illi, liceat modo, ferre per agmen Virgineos hostile gradus; » et Propert. II, 30, 25,

> Mi nemo objiciat, liceat modo, Cynthia, tecum
> Roscida muscosis antra tenere jugis;

ita legendum pro *libeat tibi, Cynthia, mecum*, prout edidit Broukhusius. Sed non opus est ulla mutatione in hoc Statii loco. *Moritura* in *ardentem maritum*, est, super *maritum*, ut bene explicat Gronovius, Diatr. c. 51; et defendit hanc explicationem, Elench. Antidiatr. c. 7; licet exempla quæ utroque loco adfert mihi non videantur rem tangere. Optimum adducere potuisset ex Lucano, IX, 160, « Et sacer in Magni tumulos mactabitur Apis; » ubi *in* plane est *super*. Si quidquam novandum esset, mihi placeret, « in ardentem, liceat, ruitura maritum : » ut apud Ovidium, Art. Amat. III, 21,

> Accipe me, Capaneu; cineres miscebimus, inquit
> Iphias; in medios desiluitque rogos;

et Claud. XXIX, Laud. Serenæ, vs. 151, « prona ruens Capaneia con-

jux Communes ardente viro mixtura favillas. » Sed, ut ante dixi, non opus est. *Liceat*, absolute, id est, *si liceat*, ut *libeat* apud Senecam, Consol. ad Marciam, c. 16 : « Par illis, mihi crede, vigor ; par ad honesta (libeat) facultas est ; » de feminis.

69. *Major certe aliis superos*, etc. Lege, *Major certe illis*, id est, *genetrice* et *conjuge*, de quibus paulo ante dixerat. *Major invidia pulsem*, id est, *majori invidia :* major et justior mihi causa invidiam faciendi Dis superis et inferis : ita Theb. VI, 517, « Archemori major colerere sepulcro ; » id est, « majori sepulcro, majoribus funereis honoribus » quam Archemorus. Pergit : Sed objiciat aliquis, Quare tu tam immaniter doles, quandoquidem neque *natura* neque *pietas* injuste in hac re fecit? *natura* non fecit injuste, non *injustam se dedit*, quia naturalis ordo est ut *pater* præcedat *filium : pietas* (quæ est officium liberorum erga parentes et parentum erga liberos) non injustam se dedit, quia tu *pie* luges parentis obitum : quod si injustam se dedisset, ille contra tuum obitum *pie* luxisset : et hæc quidem fuisset *pietas injusta*. Respondet Statius : Vera quidem dicis ; sed egó patrem optimum ita amavi, ut mihi præmaturo obitu raptus videatur : nec absurde hoc facio, aut sine exemplo ; quippe et Erigone non minus flebat *senem parentem* exstinctum, quam Andromache *puerum filium ;* immo et Erigones pietas in hoc laudatur, quod præ doloris impatientia laqueo se interfecit ; quum contra, Andromache male audiat quod non idem fecerit, quod post Hectora alium maritum ferre potuerit ; nec solum ferre, sed et inservire. Jam totum hunc locum relege, et intelliges. *Se dedit injusta*, pro *injustam*, ut Ovidius, Met. XIII, 141, « Sed enim quia rettulit Ajax Esse Jovis pronepos, nostri quoque sanguinis auctor Juppiter est ; » pro *se esse pronepotem ;* Noster, Theb. VII, 791, « Non aliter cæco nocturni turbine cori Scit peritura ratis ; » id est, scit *se perituram ;* Apuleius, Miles. VII, « recens nupta gratias summas apud suos parentes ac maritum mihi meminisse non destitit, quoad summos illi promitterent honores habituri mihi ; » id est, « se habituros esse mihi ; » Pers. Sat. VI, 11, « postquam destertuit esse Mæonides quintus ; » id est, *se esse Mæonidem quintum :* apud Charisium, p. 75, vulgo male legitur « pavus quum destitit esse ; » sive ipsius Charisii, sive librariorum errore. Ita et Græci : Anthol. I, 22, Θάνατον μὲν ἄλυπον Νῦν ἔρυγες· σταυρῷ δ' ἴσθι ΦΥΛΑΤΤΟΜΕΝΟΣ : id est, *σὶ φυλαττόμενον*. — In Addendis suis Marklandus : Ven. « Major alis forsan Superos et Tartara pulsem ; » Parm. « Major certe aliis forsan Superos et Tartara pulsem. Invidia quæ externis, etc. » et Ven. inserit vocem *quæ* eodem loco quo Parmensis. Quid hoc est? A. — Vers. 71. Pro *modo se natura*, vetus codex habet *mihi se natura :* et quidem vox *modo* nullius est usus hoc loco : forte legendum, « Sed nec tibi se natura dolenti : » ut hæc loqui putetur ille qui objectionem facit : *mihi* et *tibi* sæpe inter se commutantur ; ut apud Martial. Epigramm. X, XXIX, 1 et seq.,

Quam tibi mittebam Saturni tempore lancem

Misisti dominæ, Sextiliane, tuæ;

ubi vulgo inepte legitur *mihi mittebas*, quum sensus omnino contrarium postulet.

72. *Mihi limine primo Fatorum*, etc. Non placet *Fatorum*, vox tam dubiæ significationis: intelligit *limine primo vitæ*: atqui hoc certius expressisset, si dixisset *limine primo Annorum*; ita Thebaid. VI, 139, de Ophelte infante, a serpente occiso, « nec talia demens Fingebam votis annorum elementa tuorum; » Silv. II, 1, 38: « hinc anni stantes in limine vitæ, Hinc me forma rapit; » ita Rabirius apud Martial. X, 71, 7: « Hos tamen ut primis raptos sibi quærit in annis, » *mortuos* scil. *parentes*. Verum tamen puto, « mihi stamine primo Fatorum. » *Fata* sunt *Parcæ*, ut Theb. VIII, 11, de Amphiarao:

.... quin cominus ipsa
Fatorum deprensa colus; visoque paventes
Augure, tunc demum rumpebant stamina Parcæ;

Claudianus in Rufinum, I, 177: « ductusque maligno Stamine fatorum claram subrepsit in aulam; » Juvenalis, Sat. X, 250, de Nestore:

.... oro, parumper
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, et nimio de stamine, quum videt acris
Antilochi barbam ardentem;

Propert. IV, 7, 51: « Juro ego Fatorum nulli revolubile stamen; » Iscan. lib. VI, citatus a Broukhusio, « Venerat extremi revoluto stamine pensi Fatorum promissa dies; » Ovidius, Trist. V, 13, v. 24: « Non ita sunt fati stamina nigra mei. » Sic *justa stamina* Lacrim. Etrusc. vers. 126; « stamine primo Ablatum tellure mori » Theb. IX, 255.

82. *Tyrrhenæ volucres*. Sirenes intelligit, quæ, ut putat Plinius, sedem habuerunt in promontorio juxta Surrentum maris Tyrrheni. *Volucres*. Supra: « Hinc levis e scopulis meliora ad carmina Siren Advolat. » Domit.

85. *Quis non in funere cunctos Heliadum ramos lacrimosaque germina dixit*. Frigide: ita erigo: « Quis non in funera cunctos Heliadum ramos lacrimosaque germina duxit? » Manilius, V, 463: « Mille alias rerum species in carmina dicent; » ubi pari modo mendose legitur in *carmine*: *carmina* verum esse evincit versus proxime sequens, « Forsitan ipse etiam gestus referetur in actus; » idem, III, 3: « vestros extendere fines Conor, et irriguos in carmina ducere cantus; » ita edidit Scaliger, pro *indignos cantus*: *irriguos cantus*, inquit ille, metaphora a fontibus et rivis quos specu et incili per arva deducunt. Pergit: « Scribimus hæc doctis et veris criticis, quos statim veritatis lumen afflabit. » Revera doleo me non esse in horum numero; et pæne pudet fateri ne crepusculum quidem veritatis hic me afflare: non enim possum capere quomodo *cantus duci* possint in *carmina*. Vos o, mihi, Manes viri maximi,

este boni, si veritatem alibi quæro; nempe hic, « et irriguos in carmina ducere fontes; » notum istud Virgil. Georg. IV, 32: « Irriguumque bibant violaria fontem. » Conor, inquit Manilius, vestros fines extendere, et in *carmina* mea *deducere* vestros *fontes*. Calpurnius, Eclog. II, 49: « Irriguo perfunditur area fonte; » Sidonius Apollinar. Epist. VIII, 2,

Quid doctos Heliconidum liquores
Nunc in carmina commovere tentas?

Manilius, II, 8, de Homero,

. . . . cujusque ex ore profusos
Omnis posteritas latices in carmina duxit,
Amnemque in tenues ausa est diducere rivos:

ita legendum; vulgo *deducere*. Recte vero « duxit in carmina lacrimas Heliadum; » poetæ enim dicuntur *facere* ea quæ *describunt facta;* ita Virgil. Eclog. VI, 62, de his Heliadibus, « Tum Phaethontiadas musco circumdat amaræ Corticis; » *circumdat*, id est, *circumdatas canit:* vide Gronov. Diatr. c. 22.

88. *Nec fissa gavisam Pallada buxo.* Scio quid dici possit pro *fissa buxo* seu *tibia*; quæ ex arbore buxo *scissa* seu *fissa* compingebatur: vel si τὸ *fissa* sumere mavis pro *forata;* unde ΠΟΛΥΤΡΗΤΑΝ λωτῶν, et ΤΡΗΤΑΙ δόνακες, Antholog. I, 11: *multiforam buxum* dicit Seneca, Agam. v. 348; *multiforatiles tibias* Apuleius, Floridis. Sed neutra harum interpretationum facit satis; requiritur enim aliquid quod exprimat *causam* propter quam Pallas *non gavisa* erat hac *buxo* seu tibia. Unde, quum in Parm. et Rom. invenissem *fida* pro *fissa* (Ven. *fido*), statim restitui, « nec fœda gavisam Pallada buxo; » de quo non dubitandum. *Nec* resolvendum est in *et non:* « et Pallada non gavisam buxo fœda, » seu « quæ eam fœdavit. » Claudian. XX in Eutrop. II, 255:

Hic cecidit Libycis jactata paludibus olim
Tibia, fœdatam quum reddidit unda Minervam;

ita legendum esse conjeceram ex sensu, pro *umbra;* et firmat Moreti Codex, qui habet *unda*. Propertius, II, 30, 17 et seq. de *tibia* loquens:

Quæ non jure vado Mæandri jacta natasti,
Turpia quum faceret Palladis ora tumor;

ubi locum Gellii, XV, 17, adducit Broukhusius: « traditas sibi tibias quum ad os adhibuisset inflassetque, pudefactus oris deformitate abjecit infregitque. » Hygin. Fab. 165, de Minerva: « Juno et Venus quum eam irriderent quod et cæsia erat et buccas inflaret, fœda visa, et in cantu irrisa, in Idam silvam ad fontem venit: » vide cetera. Αἶσχος ΔΥΣΟΦΘΑΛΜΟΝ φοβηθεῖσαν Minervam dicit tibias abjecisse Telestes Selinusius, citatus Scaligero ad Propertium, pag. 204. Recte igitur *fœda buxus* quæ *fœdam* Minervam fecit, ut *pallida mors*, quæ *pallidos* facit; *turpis podagra;* et similia innumera.

92. *Quis labor Aonios seno pede ducere campos.* Pro *labor*, Romana et Veneta editiones habent *honor*: recte: ita Geneth. Lucani, « Ipsi quos penes est honor canendi; » Parm. *dolor*. Magis difficile quod sequitur, *ducere campos*. Gronovius explicat: « *duces esse in campis Aoniis*, primarios principes in campis Aoniis; seu metonymice *campos* pro iis qui sunt *in campis;* ut apud Silium, *valles* pro *feris* aut *pecudibus* qui pascuntur *in vallibus: Turbatæ exemplo valles.* Sic *naves* pro *vectoribus* seu iis qui sunt *in navibus; nemus* pro *Faunis* et *Hamadryadibus; nidi* pro *pullis*, et similia. » Hæc ille, Diatrib. cap. 50, et Elench. Antidiatrib. cap. 7. Et quidem nemo potest negare quin vox *campos* eo sensu sumi possit quo vult vir doctissimus, pro iis qui *in campis* sunt; nec inficias eo vocem *ducere* sæpe significare idem quod *ducem esse*, ut in notis phrasibus *ducere exercitum, classem, familiam* (de lanistis), *chorum*, et similia: valde tamen dubito utrum hæ voces conjunctæ sumi possint sensu Gronoviano: saltem sine exemplo phraseos non admittendum hoc puto. Analogia enim res est incertissima, nec ab hac sola quidquam tuto concludendum. Sed et si hoc concedamus, quomodo, quæso, *duci* possunt *campi seno pede?* Caute tamen hæc dicta velim, utpote contra sententiam viri linguæ latinæ scientissimi: et tamen est quod illi opponam a viro magno adnotatum ad Horat. Carm. III, 3, vs. 66, in re fere simili: « neque enim sequitur quia *ducere muros* recte dixeris, ideo te et *ductor murorum* recte dicturum; non magis quam *dux murorum*. Usus et consuetudo, non analogia, loquendi normam faciunt. » Hæc ille verissima, et in re poetica maxime observanda: his enim neglectis, passim lapsus est Gronovius. Egregie de hac re Quintilianus, Instit. Orat. I, 6: « Non enim quum primum fingerentur homines *analogia* demissa cælo formam loquendi dedit; sed inventa est postquam loquebantur, et notatum in sermone quid quo modo caderet. Itaque non ratione nititur, sed exemplo; nec lex est loquendi, sed observatio: ut ipsam *analogiam* nulla alia res fecerit, quam *consuetudo*. » Ne dubites quin Statius scripserit, « Quis honor Aonios seno pede ducere cantus; » ut visum fuit Gronovii amico. *Ducere cantus* est *canere*, ut *ducere bellum* apud Virgilium, Æneid. VIII, 55, *bellare; ducere dolorem, dolere* apud Sil. Italic. VIII, 212; *ducere volatus* apud eumdem, XII, 101, *volare; ducere suspiria* apud Nostrum, Theb. IX, 711, *suspirare; ducere virides annos* pro *in juventa esse* apud Ovidium, Art. Amator. III, 61: « Dum licet, et virides etiamnunc ducitis annos, Ludite: » ita legendum; vulgo, *veros editis annos;* pro quo MS. Regius habet *riceditis*, alter *ediditis: ducere juventam* vocat Manilius, V, 111; ut *ducere senectam* Paulin. et Lucan. V, 535; *ducere gyros* pro *gyrare* Ovid. Amor. II, 6, 33: « ducensque per aera gyros Miluus; » et ita legendum puto apud Manil. V, 418: « Et sinubus gyros ducit, fluctumque figurat; » vulgo sine sensu *vires sumit:* certe vox *gyros* latet sub ista *vires: educere annos* Propert. II, 7, ad cujus eleg. vs. 57, Broukhusius defendit scripturam loci Ovidiani, *veros editis annos*. Nollem ita fecisset. Nemesianus, Eclog. IV,

13 : « Inque vicem dulces cantu duxere querelas ; » i. e. *querebantur*, vulgo male *dixere : ducere carmen* Ovid. Trist. III, 14, 31 :

> Inque tot adversis carmen mirabitur ullum
> Ducere me tristi sustinuisse manu ;

et Epist. ex Ponto, I, 5, v. 7. *Ducere cantus seno pede*, est *canere seno pede* seu *versu heroico*. *Aonios* hos *cantus* infra vocat *modos Aonios*, et *inferias Aonias* Lacrim. Etrusc. ut non opus sit hanc vocem in *Andinos* vel *Ausonios* cum Gronovii antico depravare : sic *ducere cantica* Alcimus Avitus, libr. de Laud. Virginitat. v. 15 ; Nemesianus, Bucol. Ecl. I, 63 : « Lætus Phœbea duxisti carmen avena ; » ubi vulgo male *dixisti ;* idem, Ecl. II, 60 :

> Munera namque dedi, noster quæ non dedit Idas,
> Vocalem longos quæ ducit aedona cantus.

Et ex hac phrasi intelligendus locus Virgilii, Æneid. IX, 267 :

> Si vero capere Italiam, sceptrisque potiri
> Contigerit victori, et prædæ ducere sortem ;

i. e. *sortiri* prædam. *Ducere remos* pro *remigare* Ovid. ex Ponto. I, 5, 40.

93. *Et quibus Arcadia carmen testudine mensis Cyda labor nomenque fuit.* Maxime omnium notabilis hic locus propter varias conjecturas quibus eum sollicitarunt viri docti. Lectio quam in suis codicibus invenit Domitius, fuit : « Cyda libem nomenque fuit ; » ex qua vulgatam fecit, et eo modo explicavit ut non operæ pretium sit explicationem illius exscribere. Vir illustris apud Gevart., Papin. Lect. V, 6, legebat, « Oda labor nomenque fuit ; » applaudente Gevartio frustra : quippe *lyrici* poetæ, de quibus hic agit Statius, non dicti fuerunt, ᾠδικοί, ut ab *oda* nomen meruerint, ut bene observat Salmasius : ob quam rationem explodenda est etiam Crucei *Chorda labor ;* et nescio cujus *Lydia*, et *Sido* et *Ludus*, quæ omnia memorat Gronovius, cap. 52 Diatribes. Ipse legit, « Cura lyræ nomenque fuit ; » ex scriptura codicis Medicei, quæ fuit *cicla liben :* pro *cura*, scriptum fuit *cula*, dehinc *cicla*, divisa minuta vocali *u ;* et *liben* pro *liræ*, solenni confusione literarum *b* et *r*. Consuluit deinde de hoc loco et sua conjectura Salmasium, qui, Epist. 87, rescripsit, sibi non placere *Cura lyræ ;* quia hoc, *quibus carmen Arcadia testudine modulatis, lyræ cura et nomen fuit*, idem esset ac si dixisset, *quibus lyra carmen canentibus lyræ cura fuit ac nomen*. Ipse non dubitat quin vox *cura* a Statio sit, et pro *liben* hariolatur *melῶn ;* « Cura melon nomenque fuit ; » ut pro *melon* vitiose scriptum fuerit *melen*, deinde transpositione literarum *lemen*, *leben*, *liben*. *Melos* vero latine usurpavit Horatius, et Lucretius *mele ;* τὰ μέλη : inde μελικοὶ poetæ *lyrici*. Hæc Salmasius : quibus tamen Gronovius non de statu et conjectura priori movetur : nam quod ille objecerat de synonymis *testudine* et *lyra*, id erudite et vere refutat Gronovius, ostendens ex diversis poetarum locis *testudinem* interdum tantum esse *lyræ partem*, et ideo hoc

loco recte stare posse τὸ *lyræ*: quibus locis, ab illo adductis, adde hunc clarum Festi Avieni, in Arati Phænom. v. 617, de Lyra:

> Est Chelys illa dehinc, tenero qua lusit in ævo
> Mercurius, curva religans testudine chordas;

et Auctoris Panegyrici ad Pisonem, v. 154:

> Sive chelyn digitis et eburno verbere pulsas,
> Dulcis Apollinea sequitur testudine cantus.

Habes, lector, elenchum totius negotii; utrum mavis elige: mihi quidem conjectura Salmasii ingeniosior videtur, Gronovii verior; nec tamen ex toto vera: quippe, nisi fallor, simplicius scripsit Statius, « Cura lyre nomenque fuit: » minima est differentia inter *lire* et *libe;* nam litera *n* in *liben* sine dubio ableganda est ad vocem sequentem, *nomen;* ut scriptum fuerit, *cura liben omenque fuit;* ut in Herc. Surrentino, v. 149, « Et placidus Limon numenque Euplœa carinis; » pro *omenque Euplœa.* Jam vero *lyre* est idem quod *lyra,* utpote a Græco λύρη: ita *Creten* pro *Cretam* apud Ovidium, Metam. XIII, 706; et *Ætne* pro *Ætna,* ibid. v. 877. Idem, Metam. IV, 347: « flagrant quoque lumina nymphes, » ut recte ex veteribus libris edidit Heinsius, pro *nymphæ;* et XIV, vers. 332: « spretis tamen omnibus unam Ille fovet nymphen quam, etc. » pro *nympham,* ex libris melioribus; XV, 409: « quæ modo femina tergo Passa marem est, nunc esse marem miremur hyænam; » ubi duo Codices habent *hyænem,* unus *hyænen;* de quo tamen merito dubitat Heinsius, quum Græcis sit ὕαινα non ὑαίνη. Idem, Metam. VIII, 605: « Extimuit nymphe; nabat tamen; » et ita IX, 347. Noster, Silv. IV, 8, 28: « Qualis maternis Helene jam digna palæstris; » Theb. VI, 828 et sqq. hujusmodi voce Græca sermonem patrium ditavit: de Tydeo:

> Ille quidem et disco bonus, et contendere cursu,
> Nec cæstu bellare minor; sed cara labores
> Ante alios erat uncta pale:

ita legendum; vulgo, *corde labores.* Πάλη, *pale: nodare palen,* Achill. II, 441. Jam vero constructio est, « et quibus mensis carmen Aonia testudine lyre fuit cura et nomen. » *Cura* est *amor,* ut in isto, « Lydia doctorum maxima cura liber; » et Virg. Æn. IV, 19: « Huic uni forsan potui succumbere curæ, » id est, *huic uni amori;* Noster, Propempt. Met. Cel. 40, « Annue, si vestras amor est mihi pandere Thebas; » ubi æque bene dixisse potuit, *cura est mihi:* Propert. I, 1, 36: « sua quemque moretur Cura, neque assueto mutet amore novum: » ita legendum; vulgo, *amore locum.* In Venet. et Parm. invenio, *Ciclalyben nomenque fuit;* unde minime dubito me recte emendasse « Cura lyre, nomenque fuit. » *Lyre fuit nomen,* id est, *fama, gloria;* ut *Pergama, nomen Homeri,* Propert. II, 1. Sic Martial. VIII, 73, 7: « Fama est arguti Nemesis formosa Tibulli. »

96. *Qui furias regumque domos aversaque cælo Sidera,* etc. Scio qui-

dem *tragœdiam* plerumque versari in *magnis domibus;* sed non semper infelices sunt *regum domus*, ut necessario materiam tragœdiæ designent, et jungantur cum *furiis* et *sideribus cælo aversis.* Lege, « Qui furias regumque dolos: » specialiter tangit notum tragœdiæ argumentum, historiam Atrei et Thyestis. Ipse Atreus apud Senecam, Thyeste, act. II, v. 179, seipsum excitans, « post tot scelera, post fratris dolos, Fasque omne ruptum, questibus vanis agis Iras? » Potes etiam in genere sumere *regum dolos*, regum quorumcunque; sed verior mihi videtur prior interpretatio: Valer. Flacc. I, 244: « Non mihi Thessalici pietas culpanda tyranni, Suspective doli: » Florus, I, 6, de Servio Tullio: « regnum dolo partum sic egit industrie, ut jure adeptus videretur; » Ennius apud Priscian. de versibus comicis,

> Argo, qua vecti Argivi, delecti viri,
> Petebant illam pellem inauratam Arietis,
> Colchis, imperio regis Peliæ, per dolum.

De hoc argumento præclare Manilius, V, 453 et sqq., de iis qui sub Cepheo nati sunt:

> Quinetiam tragico præstabunt verba cothurno,
> Cujus erit quanquam in chartis stylus ipse cruentus.
> Nec minus et scelerum facie rerumque tumultu
> Gaudebunt: atri luctum memorare sepulcri
> Ructantemque patrem natos, solemque reversum
> Et cæcum sine sole diem; Thebana juvabit
> Dicere bella uteri, etc.

ubi *luctum atri sepulcri* Scaliger interpretatur *luctum Antigonæ*, fratrem Polynicem sepelientis, de quo Statius, Theb. XII. Atqui *luctus atri sepulcri* cuivis alii lugenti æque ac *Antigonæ* convenit; et si hoc voluit Manilius, dixisset *luctum Tyrii memorare sepulcri*, et ita forte legendum, nisi aliam aliquam historiam voluerit poeta. Pro *sine sole*, legendum *sine luce* supra monui in Lacrim. Etrusc. v. 55.

104. *Exsere semirutos subito de pulvere vultus Parthenope.* Difficillimus locus, et qui magna ingenia exercuit. Constructio est: « Parthenope, exsere de subito pulvere semirutos vultus. » Ubi primum, *exsere de pulvere* suspicionibus obnoxium videtur, quum usitatius sit dicere *exsere pulvere*, sine præpositione. Sed defendi forte potest loco Ovidii, Trist. III, 12, 11 et seq.:

> Herbaque, quæ latuit Cerealibus obruta sulcis,
> Exserit e tepida molle cacumen humo:

quo tamen loco magna est in codicibus diversitas. Difficilius istud, *subito de pulvere;* quid enim est pulvis *subitus?* an *inspectatus*, *inopinus?* frigidissimum. Sensit hæc incommoda acutissimus N. Heinsius, qui ad Sil. Italic. XIV, 583, legebat, « Exsere semirutos Vesuvino pulvere vultus Parthenope; » qua conjectura nihil vidi ingeniosius, aut auctore suo dignius: nec quidquam facilius quam, retracta in sedem

suam syllaba *de*, ex *desubito* facere *Vesubino* hoc est *Vesuvino* vel *Vesuino*; utroque enim modo dici possit, quum *Vesbius* et *Vesvius* poetis passim appelletur hic mons: nec dubito quin Statius scripserit *Vesuvino*. Gronovius, Elench. Antidiatr. c. 7, aliter hunc locum emendare voluit: « Exsere semiruto subitos de pulvere vultus; » « *semirutus pulvis*, inquit, est quod alter ait (Valer. Flacc. ait, II, 30), *ejectat adesi Fundamenta jugi.* » Sane nimium festinanter videtur hæc scripsisse vir magnus. Quid enim sit *pulvis semirutus* adhuc non intelligo, nec me hilum juvat iste Val. Flacci locus: nec melius capio *subitos vultus*; quod utinam latius explicasset et illustrasset: nam, ut mihi videtur, æque bene scripsisse potuit Statius *non subitos vultus*. Sed altius latet ulcus in vocibus *semirutos*, et *pulvere*: quippe *vultus semiruti*, vel *pulvis semirutus*, nihili sunt. *Castella* quidem, et *vallum*, et *tecta*, et *muros semirutos* legimus in Tacito, Lucano, et aliis; unde apparet, de rebus majoribus, et in quibus diruendis aliquid laboris vel temporis exhauriendum est, hanc vocem usurpari; non de *pulvere* vel *vultu*. Lege, nulla pæne mutatione, « Exsere semiustos Vesuvino fulgure vultus Parthenope; » ex Virgilio, Æn. III, 578, de Ætna, « Fama est, Enceladi semiustum fulmine corpus Urgeri mole hac; » ubi vide Pierium disputantem utrum *semusta* vel *semiusta* scribendum sit. Sic *busta semusta* idem, Æn. XI, 200; *dona semusta* Sil. Italic. III, 16; *cineres semiusti* Tacitus, Annal. II; et ejusmodi innumera. Recte autem *Vesuvino fulgure*; quippe hi montes igniferi, quasi *fulminantes* et *tonantes* a poetis describuntur; unde de Ætna Virgilius, Æn. III, 571: « sed horrificis juxta tonat Ætna ruinis; » Noster, infra, v. 207,

> Quum Pater exemtum terris ad sidera montem
> Sustulit, et miseras late dejecit in urbes;

fulminis scilicet more *dejecit* montis *flammas* Juppiter. Valer. Flaccus, IV, vers. 507:

> Sic ubi prorupti tonuit quum forte Vesevi
> Hesperiæ letalis apex, vix dum ignea montem
> Torsit hiems, jamque Eoas cinis induit urbes;

Ovid. Art. Am. III, 490: « Sed tamen Ætnæi fulminis instar habet; » licet hoc referendum sit ad *verum* fulmen, quod in *Ætna* Cyclopes fingebantur procudere. Clare auctor Ætnæ, v. 360, de eo monte loquens, « Ardentesque simul flammas et fulmina rumpit; » et paulo ante, v. 343, « Qui rupes terramque vorat, qui fulminat ignes. » Infra, v. 555, comparat hos ignes Jovis igni, seu fulmini:

> Sed non qui nostro fervet moderatior usu,
> Sed cælo propior, vel quali Juppiter ipse
> Armatus flamma est;

quemadmodum Plin. Epist. VI, 20, 9: *fulgoribus* adsimilat vibrationes et coruscationes flammarum ex monte Vesuvio: « Ab altero latere nubes atra et horrenda ignei spiritus tortis vibratisque discursibus rupta, in longas flammarum figuras dehiscebat: fulgoribus illæ et similes et

majores erant. » Recte vero *fulgure;* quod poetis idem esse ac *fulmine* norunt omnes. Non dubito quin hæc sit Statii manus et mens.

105. *Crinemque afflato monte sepulti Pone super tumulos et magni funus alumni.* Difficilior adhuc priore locus. Lipsius, Elect. II, 14, legit, *afflata mente;* quod merito non probant viri eruditi præ isto Dan. Heinsii, « crinemque adflatum monte, sepulti etc. » ut sensus sit: « Pone, o Parthenope, crines tuos, ut sunt etiamnum ambusti et adflati incendio Vesuvino, super tumulum parentis mei. » Et sane hoc verum esset, nisi sequentia demonstrarent majus aliquid hic delitescere; quod illi non satis attendebant. Vide enim constructionem: « Pone crinem, adflatum monte, super tumulos et funus magni sepulti alumni. » Ubi primum, quis ferre potest ineptam istam ταυτολογίαν, super *tumulos* et *funus* alumni *sepulti?* Si enim *tumulos* et *funus* habeat, mirum ni *sepultus* sit: adeo ut plane abundet vox *sepulti.* Deinde, nemo peritior poeta duo epitheta *magni sepulti alumni* isto modo conjunxisset: dixisset potius, « super tumulos et magnum funus alumni; » quod tolerabile aliquatenus foret. Sed omnino abundat vox *sepulti*, in qua latet hujus loci depravatio. Sensit hoc quoque perspicacissimus N. Heinsius, qui quum in Parmensi invenisset *sepultum* non *sepulti*, locum sic refinxit: « crinemque adflatu montis adustum Pone super tumulos et magni funus alumni. » Sanius hoc quam cæterorum omnium conjecturæ et interpretationes. Literæ *p* et *d*, ut supra notavi, sæpe invicem commutantur; adeo ut non sit magna mutatio ex *montes edultum* in *montis adustum.* Sidon. Apollinaris, Carm. V, v. 523: « quondam mihi corpus adustum Frigoris igne perit; » Plinius, Hist. Nat. XVII, 24, de vitibus: « adurunt et flatus quidam eas maxime. » Quum vero præcesserit, ex emendatione mea, quam certissimam puto, *Exsere semiustos* etc. cogor dubitare de τῷ *adustum* Heinsii; unde mihi magis placeret, « crinemque adflatu montis adesum, » eodem sensu; Propert. IV, 7, 9: « Et solitum digito beryllon adederat ignis; » Valer. Flacc. II, 30: « trux ille ejectat adesi Fundamenta jugi; » Virgil. Æn. IX, 536:

> Et flammam adfixit lateri; quæ plurima vento
> Corripuit tabulas, et postibus hæsit adesis.

Utcunque hæc cesserit conjectura, certissimum est sub voce *sepultum* aliquid hujusce sensus delitescere. Gronovius, Diatr. cap. 53, defendit vulgatam lectionem *afflato monte;* quam hoc modo explicat: « *crines* Parthenopes, utpote in capite Vesuvii, finguntur flammæ ex Vesuvio emicantes. Quomodo poneret illos super tumulum Papinii patris? *adflato monte*, hoc est, si adflaret tumulo incendium montis Vesevi. *Mons* pro quacunque ejus parte, aut quodcunque in monte. » Frustra hæc vir summus; quippe vox *crinis*, etsi sæpe de *rebus flammeis* usurpetur, nunquam tamen absolute (ut in hoc loco secundum Gronovium) pro *flamma* ponitur: neque enim dicere potes *accende crinem* pro *accende ignem;* neque Terentianum istud, « In crinem posita est; fletur; » pro

in ignem, efferre licet; quod quidem liceret, si vera esset annotatio Gronoviana. Vox *crinis* vel *coma*, quando de *flamma* dicitur, semper adjunctam habet aliam vocem, *ignis* puta, vel *faces*, vel *astrum* vel *cometes*, vel aliam quampiam ejusmodi, quæ denotet *rem* quæ emittit hos *crines*. Ita in exemplis quæ ille adduxit: Catullus, LX, 78: « viden', ut faces Splendidas quatiunt comas? » Val. Flaccus, I, 205: « Protulit ut crinem densis luctatus in extis Ignis; » Seneca, Œdipo, 309 et sqq.

> Utrumne clarus ignis et viridis stetit
> Rectusque purum verticem cælo tulit,
> Et summam in auras fusus explicuit comam?

ita legit ex MS. suo Vossius ad Val. Flacc. I, 205, pro *nitidus stetit*. Vides verum esse quod dixi: ita Virgilius, Æn. V, 528: « Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt; » Claudian. XV, Bell. Gild. vs. 496, « Et contusa vagos jaculantur sidera crines; » Plinius, Hist. Nat. II, 25: « Cometas Græci vocant, Nostri crinitas, horrentes crine sanguineo, et comarum nodo in vertice hispidas; » et mox: « Fit et candidus cometes, argenteo crine. » Avienus, Arateis, v. 1686, « rutilarum spargere crines Flammarum, et longos a tergo ducere tractus. » Et in universum, hoc ita esse deprehendes: nec aliter fieri potest, quum hi *crines* nihil sint præter *irradiationes* seu *emissiones* a corporibus istis igneis (non ipsa corpora) de quibus sermo fit. Non igitur *crinis* absolute pro *igne*. Hoc primum. Deinde: *adflato monte*, hoc est, inquit, si adflaret tumulo incendium montis. Cui bono, vir maxime? et quare adflaret *incendium* montis super tumulum, quum jam ante posuisset *crinem*, hoc est, secundum te, *ignem?* Mitto, *adflare montem* pro *adflando ponere montem;* quum longe alia significatio sit vocis *adflare:* mitto etiam a te introductum novum morem ponendi *ignes* super amicorum tumulos, quum notissimum sit (et a te doctissime isto capite explicatum) *crines* poni solere. Quin et si hæc omnia admittamus, eadem manebit difficultas de voce *sepulti;* quam, post *tumulos* et *funus* nunquam admisisset cultissimus et minime omnium otiosus poeta Statius. Hæc ideo fusius adnotasse visum est, ne magno nomine in errorem inducantur tirones, quique tironum classe ponendi sunt, ii qui pro seipsis judicare non audent. Donec melius aliquid ex libris contingat, τὸ *afflatu montis adesum*, vel Heinsii *adustum*, sensu optimo, mutatione non magna, libenter sequor.

110. *Nil gentile tenens.* Non intelligo quid sit *tenere nil gentile.* Admitte in contextum, me auctore, « Nil gentile tumens. » Ecce rem ipsam, Thebaid. VIII, 428:

> Principium pugnæ turmas Asopius Hypseus
> Œbalias (namque hæ magnum et gentile tumentes
> Euboicum duris rumpunt umbonibus agmen)
> Reppulit.

Nil gentile tumens, id est, non efferens te, non jactans originem et *gentem* tuam. *Gentile tumens*, ut *turmale fremit* Thebaid.; *famulare*

tumens Herc. Surrent.; *immortale tumens* Theb. IV, 833; *gentile micantes oculi* Senec. Hippol. v. 378; Ἡρῷον βαδίζον apud Græcos; et innumera ejusmodi in utraque lingua. Recte vero *tumere* de iis qui stirpe et origine superbiunt. Multus in hac voce Sil. Italicus; ut IV, 150:

> Ipse, tumens atavis, Brenni se stirpe ferebat
> Chryxus, et in titulos Capitolia capta trahebat;

X, 176, de Phorco:

> Hunc objectantem sese atque antiqua tumentem
> Nomina saxificæ monstrosa e stirpe Medusæ, etc.

tumentem antiqua nomina, id est, cum *tumore* et fastu jactantem et proferentem majorum suorum nomina. Iterum, XV, 291:

> Hic gente egregius, veterisque ab origine regni
> Æacidum sceptris proavoque tumebat Achille;

Auctor Octaviæ, v. 496:

> Servare cives principi et patriæ graves
> Claro tumentes genere, quæ dementia est?

A. Sabinus, Epist. Demoph. Phyllidi, vs. 5, « Thesea quo socero nequicquam, Phylli, tumebas, etc. » ita recte emendavit Heinsius pro *timebas*. Claudian. V, in Rufin. II, 343:

> Ipse salutatum reduces post prælia turmas
> Jam regale tumens, et principe celsior, ibat.

Sæpe autem commutantur hæ voces; ita apud Ovid. Heroid. VI, 65:

> Ultimus e sociis sacram conscendis in Argo:
> Illa volat: ventis concava vela tument:

ita legendum pro *ventus tenet;* ut Art. Am. II, v. 432: « Sæpe tument Zephyro lintea, sæpe Noto. » *Vela tenet ventus*, esset, *detinet*, *remoratur*, ut Fast. V, 307; et Metam. VII, 664; et ita partim conjectasse Francium jam video.

113. *Stata Quinquennia.* Stata sacrificia dicebantur, quæ certis et statutis diebus fierent. Cato: « Stata sacra solennia sancte servasti. » Quinquennales ludi *stati* erant, quoniam certis et ipsi fiebant temporibus. Domit.

115. *Specieque comam subnexus utraque.* Quum ita habeant omnes libri, non immiscebo me controversiæ inter Gronovium et Gevartium, utrum scribi debeat *subnexus* an *subnixus*. Pro priore stat Gevartius, Elect. I, 7, et huc trahit Virgilium, Æn. IV, 215:

> Et nunc ille Paris, cum semiviro comitatu,
> Mæonia mentum mitra crinemque madentem
> Subnixus, rapto potitur;

ubi pro *subnixus* legit *subnexus*, ut Æn. X, 137: « fusos cervix cui la-

ctea crines Accipit, et molli subnectens circulus auro. » Innumera ex auctoribus antiquis huc facientia addi possunt. Gronovius, Diatr. c. 54, pro *subnixus* acriter et docte contendit; quod nihil aliud est, inquit, quam *suppositus, indutus, circumamictus:* hoc probat ex Sil. Italico, Virgilio, Æneid. III, et Claudiano, XVII, 333 de Cons. Mallii, ubi hunc Statii locum imitatur:

> Consul per populos, idemque gravissimus auctor
> Eloquii, duplici vitta subnixus in ævum
> Procedit, libris pariter fastisque legendus.

Elevat etiam Gevartianam in Virgilium conjecturam, et defendit antiquam lectionem *subnixus*. Mihi verior in hoc Statii loco videtur Gevartius, eruditior Gronovius. Nihil frequentius occurrit quam *nectere, innectere, subnectere,* pro *vincire, præligare:* Virgilius, Æn. VII, 668: « sic regia tecta subibat Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu. » Exempla ubique. Utrovis modo recte dici posse videtur, *subnexus comam* et *subnixus comam;* ut nihil adversus exemplaria mutandum sit.

119. *Ponere purpureos infantia adegit amictus.* Omnino contrarium, si quid video, dixisse debuit. An scripsit, « Sumere purpureos, etc. » Prudent. contra Symm. I, 540: « Candidiore toga niveum pietatis amictum Sumere; » Juven. Sat. II, 69: « Damnetur, si vis, etiam Carfinia; talem Non sumet damnata togam. » Et sane, omissa prima versus litera, ut in MSS. solet fieri, non multum differentiæ est inter *onere* et *umere.* Pro *infantia,* Cruceus legit *infantis,* ut constructio sit, « genus te adegit ponere purpureos amictus infantis: » non male; ut in isto, « nostros vidisti flentis ocellos; » et Horat. S. I, 4, 23: « quum mea nemo scripta legat vulgo recitare timentis. » Male vero idem, quum *ponere* interpretatur *sumere,* et probare nititur ex isto Ovidii, « posuitque ad tempora canos Sulcavitque cutem rugis, » quippe alia res est *ponere amictus,* alia *ponere canos ad tempora,* hoc est, *adponere canos temporibus;* et si Statius dixisset *ponere amictus ad corpus,* ferri posset, et intellexissem; non autem, quum simpliciter dicat *ponere,* hoc efficit.

124. *Et natalis origo Pendet, et ambiguo geminæ certamine terræ.* Miror, Gronovium hoc loco parum vidisse, quum vulgaribus oculis incurrat legendum, « et natalis origo Pendet ab ambiguo, etc. » Illud *et* debetur geminationi ultimæ syllabæ vocis præcedentis. Pendet *ab,* ut Lucan. V, 769: « casu pendemus ab uno; » Manilius, IV, 16: « finisque ab origine pendet. » Sensu simili locus in Surrent. Pollii, v. 133:

> Tempus erat, quum te geminæ suffragia terræ
> Diriperent, celsusque duas veherere per urbes, etc.

126. *Te degente suum Latiis ascita colonis Graia refert Selle.* Recte Cruceus discerpsit vocem *degente* (ita enim erat in editionibus), et fecit *de gente.* Virgilius, Æneid. IX, 284, « genitrix Priami de gente vetusta Est mihi; » et X, 350, « Tres quoque Threicios Boreæ de gente supre-

ma; » et ita alibi. *Graia* vero *Selle* est *Velia*, Lucaniæ oppidum; dicta *Graia* quoniam a Phocæensibus condita, teste Strabone, lib. VI, initio. *Latiis adscita colonis*, propter antitheton Statio adamatum: quasi dixisset, Selle a *Græcis* condita, a *Latinis* habitata. Qui de *Selle* in Epiro hæc interpretantur, et inde accersunt genus Papinii patris, nugantur: primum, quia nulla fuit urbs eo nomine in Epiro. *Sellæ* quidem populi, qui et *Selli* et *Helli* dicuntur, occurrunt apud Plinium et Strabonem; sed nulla urbs *Selle*. Deinde, quomodo esse potuit *Sellius* seu *Epirota* Statii pater, quum supra, vs. 119, dixerit filius, illum sumsisse *togam prætextam* et *bullam auream*? quæ certe *nobilitatis Romanæ*, non *Epiroticæ* insignia fuerunt. Hæc adeo clara sunt, ut de iis verbum non amplius addendum sit. Proinde necesse est falli Lilium Gyraldum, Dialog. IV, et Domitium, et ceteros viros doctos qui *Sellen* vel *Sellas Epirotarum* patriam Papinii patris statuerunt; quum plane *Velinus* fuerit de gente. Notat autem Strabo, lib. VI, urbem hanc Veliam a Græcis tripliciter appellatam esse, Ἑλέα, Τέλη, Ελλη· unde, aspiratione in S mutata, *Selle*, ut ab Ἑξ *Sex*, ab Ἑπτα *Septem*, ab Ἑρπω *Serpo*, et ejusmodi multis vocabulis. Proinde non opus est ut legamus *Graia refert Hycle*, cum Heinsio, ad Ovid. Metam. XV, 626. Si aliquid mutandum, potius esset, *Graia refert Helle*, quemadmodum Græci eam vocabant; unde Plinius, Hist. Nat. lib. III, 5, *Heliam* eam dixit. Male etiam Gronovius et sine causa τὸ *adscita* mutatum voluit in *adscripta*, Diatr. cap. 55. *Adsciscere* dicimur quidquid ab origine nostrum non fuit, quidquid adventitium *adsumimus*: ita Latii coloni *adsciverunt Graiam Sellen*: vide quæ de hoc verbo notavi ad Hercul. Surrent. vs. 151. Ex hoc loco probabile est, immo hic locus probat, gentem *Papiniam* aut oriundam esse ex *Velia*, vel ibi maxime viguisse.

127. *Graius qua puppe magister Excidit, et mediis miser evigilavit in undis.* Miras turbas dedit ignorantia historiæ hujus *Graii magistri*. Gronovius, Diatr. cap. 55: « *Graius magister* inepte dicitur Palinurus, qui Phrygius erat: sed *gratum* dixit Papinius, sive Æneæ, sive Teucris, sive ipsi denique puppi. » Hæc sunt mera frigiditas; et æque bene Palinurus dici potuit *non gratus magister*, quia *non gratus* erat Deo *Somno*, qui eum « liquidas projecit in undas præcipitem. » In præcedenti nota probavi *Graiam Sellen* esse *Veliam*: jam vero pueris notum ex Virgil. VI, 337 et sequent., Palinurum circa *Veliam* puppi excidisse et demersum fuisse. Statius manifesto alludit isti loco Virgilii,

> Ecce gubernator sese Palinurus agebat:
> Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,
> Exciderat puppi, mediis demersus in undis:

vides ipsa Statii verba, « qua puppe magister Excidit, et mediis miser evigilavit in undis: » et mox, vs. 365, orat Æneam Palinuri Umbra, « aut tu mihi terram Injice, namque potes, portusque require Velinos; » ubi scilicet corpus meum jacet. Etiam Statii *magister* a Virgilio est, vs. 353,

> Quam tua ne, spolirta armis, excussa magistro,

Deficeret tantis navis surgentibus undis.

Hoc igitur certissimum est, *Graiam Sellen* esse *Veliam; magistrum* hunc *Graium*, Palinurum: quæritur tantum, quomodo *Graius* dici potuerit quum *Trojanus* fuerit: Cruceus ait, Sive quia *nomen* habet *Graium;* sive quia *forte* erat *Graius*. Pessime; hoc enim modo *Astyanax*, et *Alexander* seu Paris, *Græci* forent, si *nomen* solum faceret Græcum; et de altero membro annotationis Cruceanæ, quum de patria Palinuri inter auctores sileatur, non magis *Graius* haberi potest quam *Ægyptius*, quam *Colchus*, quam *Assyrius*. Dudum videram Statium scripsisse, « Phrygius qua puppe magister Excidit; » ex Lucano, IX, 41,

. . . . hinc placidis alto delabitur auris
In litus, Palinure, tuum; neque enim æquore tantum
Ausonio monumenta tenes; portusque quietos
Testatur Libye Phrygio placuisse magistro;

et Pompon. Mela, II, 4, « Blanda, Buxentum, Velia, *Palinurus*, olim *Phrygii gubernatoris*, nunc loci nomen. » Ita, inquam, in libri margine emendaveram; sed sero: postea enim vidi Cruceum quoque vel Avantium ita conjectasse; et tandem ex vetusto codice hanc emendationem profert Nic. Heinsius ad Ovid. Met. XV, 626. Recte autem « Velia qua Palinurus puppe excidit; » quippe *Palinuri promontorium* erat juxta *Veliam;* unde geographi illa conjungunt. Strabo, lib. VI, post descriptionem Veliæ: Μετὰ δὲ ταύτην (Ἐλέαν) ΑΚΡΩΤΗΡΙΟΝ ΠΑΛΙΝΟΥΡΟΣ· Vell. Paterculus, II, 79, « quippe longe majorem partem classis circa *Veliam Palinurique promontorium* adorta vis Africi laceravit ac distulit; » Plinius, Histor. Nat. III, 5: « Oppidum Helia, quæ nunc *Velia: promontorium Palinurum;* » Serv. ad Virgil. Æneid. VI, 378; « Lucanis enim pestilentia laborantibus respondit oraculum, Manes *Palinuri* esse placandos: ob quam rem non longe a *Velia* et lucum et cenotaphion ei dederunt. » Virgilii locus sic habet:

Nam tua finitimi, longe lateque per urbes
Prodigiis acti cælestibus, ossa piabunt;

Qui locus, nisi omnia me fallunt, insigni absurditate fœtus est: si enim *finitimi*, quomodo *longe lateque per urbes?* idem est ac si dixisset *finitimi longinqui piabunt tua ossa;* quod sane mirum ducerem, nisi quod nihil mirum habendum est in poemate tam imperfecto. Sed ad Statium. Edidi igitur *Phrygius magister*, ita editurus etiamsi MS. auctoritatem non habuissem: nec dubito, quin multa ex his, quæ jam conjecturarum nomine veniunt, ab exemplaribus melioribus olim firmanda sint.

129. *Mæon et inde suum longo probat ordine vitæ Mæoniden, aliæque aliis natalibus urbes Diripiunt.* Omnium locorum in Statio difficilium hic est difficillimus: operæ pretium sit totum apponere et perpendere:

Nec simplex patriæ decus, et natalis origo
Pendet ab ambiguo geminæ certamine terræ.
Te de gente suum Latiis adscita colonis

Graia refert Selle; (Phrygias qua puppe magister
Excidit, et mediis miser evigilavit in undis;)
Mæon et inde suum longo probat ordine vitæ
Mœoniden, aliæque aliis natalibus urbes
Diripiunt, cunctæque probant: non omnibus ille
Verus; alit victos immanis gloria falsi.

Admodum infeliciter hic rem gessit Gronovius, Diatrib. cap. 55; ex sex enim vel septem conjecturis quas huic loco dedit, ne in una quidem stetit. Versu secundo voluit *in ambiguo;* verum erat *ab:* tertio legit *adscripta;* non opus erat, et elegantius *adscita:* quarto vult *gratus* pro *Graius;* probavi legendum esse *Phrygius.* Jam ad sextum venimus, *Mæon et inde suum,* etc. quem ita explicat: « Nunc, ut pateat mens Statii, ait ille, Mæonem e quo Homerus genitus, et unde a poetis patronymica appellatione *Mœonides* vocatur, nunc sero decidere controversiam, quæ de Mæonide sui patria fuerit tot inter urbes; et vel hoc exemplo probare Sellen ipsi patriam; quippe quum tantus poeta, quantus Papinius pater exstitit, non ab alia produci terra, alia urbe, alio cælo, potuerit quam quæ ipsum Homerum omnium principem dedit. *Longo ordine vitæ,* est, post multas hominum ætates. » Hæc igitur jam excutiamus. Sensus est: « *Geminæ* urbes certant de tuis natalibus; » primum *Velia* (supra enim probavi *Sellen* non aliam esse posse quam *Veliam,* Lucaniæ oppidum), *ubi Palinurus puppe excidit, et unde* (ita enim legit Gronovius pro *inde*) *Mœon probat suum Mœoniden.* Sed quomodo fieri potest, ut *Mœon* seu *Smyrnæus* probet suum Mœoniden ex *Velia,* Italiæ urbe? hoc prima fronte sibi ipsi contradicit, et æque absurdum est ac si dicas Nicandrum *Colophonium* natum esse *Londini,* Britanniæ urbe. Vel si *Mœon* cum Gronovio accipias pro *patre Homeri,* quæro quid illi cum *Lucaniæ* urbe, aut quo sensu *ille* dici possit probare filium suum Mœoniden ortum esse ex *Velia?* Mitto quod verba illa *longo ordine vitæ* falsum continent, nisi probari possit *Mœoniden* seu Homerum ex maxima parte commoratum esse *Veliæ;* pessime enim Gronovius interpretatur hæc verba, *post multas hominum ætates;* quum nemo unquam in hoc sensu ea usurparit; et si ferri posset hæc interpretatio, abundarent tamen hæc verba, quum satis esset dixisse, « et unde Mæon probat suum Mœoniden; » sine istis, *longo ordine vitæ,* quæ sententiæ et sensui nihil addunt. At quid si tota hæc de *Mœone* explicatio nullum habeat fundamentum? Et sane ita est. Lege modo hanc Domitii notam: « *Mœon.* Mendosus codex habet *Major:* nos *Mœon* legimus; quod insequens versus probat. » Vides vocem *Mœon* Domitii figmentum esse, pro *Major;* quam etiam plane habet Parmensis, « *Major* et inde suum. » Sed, quod majoris est momenti, deest alterum sententiæ membrum. Vide enim: *Geminæ terræ certant, Velia,* et *altera* quæpiam. Atqui *Velia* tantum comparet: ubi est altera, scil. *Neapolis?* Jam non adeo difficilis est aditus ad hujus loci sensum, qui hic est: « Duæ terræ certant de honore natalium tuorum; *Velia* et *Neapolis: Velia* dicit te *suum* esse de gente; *Neapolis* probat te *suum* esse longo

ordine vitæ, » ex mora quam ibi plerumque fecisti, et habitatione tua illic; unde *alumnum Parthenopes*, et *civem*, paullo supra eum vocavit. Nihil evidentius quam ita voluisse Papinium; et vox *suum* in isto versu, *Mæon et inde suum*, etc. clare monstrat se respondere præcedenti alicui, nempe τῷ *suum* in superiori versu, « Te de gente *suum*, etc. » Hæc est ipsa veritas; adeo ut nihil restet nisi ut *Neapolin* quæramus sub istis *Major et inde*. Ecce tibi eam, « Parthenopeque suum longo probat ordine vitæ: » jam totum locum relege:

> Te de gente suum Latiis adscita colonis
> Graia refert Selle;
> Parthenopeque suum longo probat ordine vitæ.

Mihi tam certum est Statium ita olim scripsisse, quam me nunc hæc scribere; omnino enim necessaria est *Parthenope*, ut respondeat τῇ *Veliæ*, et *geminam terram* efficiat. Ita Surrent. Pollii Felicis, vs. 133:

> Tempus erat, quum te geminæ suffragia terræ
> Diriperent, celsusque duas veherere per urbes;
> Inde Dicarcheis multum venerande colonis,
> Hinc adscite meis; pariterque his largus et illis, etc.

Id est, *Puteolanis* et meis *Neapolitanis*. Hucusque igitur mihi ad plenum satisfacio: sed quid fiet de sequentibus, *Mæoniden*, *aliæque aliis*, etc.? De iis desperandum est, donec inveniatur codex aliquis qui locum suppleat; mihi enim minime dubium est unum versum excidisse, cujus sensus hic esse debet: « Ita Smyrna et Athenæ: » (vel duæ aliæ quævis urbium contendentium) « sibi vendicant Mæoniden; aliæque urbes eum diripiunt aliis natalibus; et omnes proferunt sua argumenta quibus hoc probent. Atqui non fieri potest ut ille in iis omnibus natus sit: interea, illi qui hoc certamine exciderunt, sibi placent, quod magnis tamen exciderunt ausis; quod, licet falsitatis convicti sint, tamen est aliquid grande etiam in ipsa falsitate, quum quæstio tam magni momenti pendeat. » Optimus hoc modo exsurgit sensus. Asteriscis igitur locum, utpote mutilum, notavi: quod jam cuivis patet. Gronovius ita concipit:

> Mæon et unde suum longo probat ordine vitæ
> Mæoniden, aliæ quem aliis certantibus urbes
> Deripiunt, cunctæque probant:

infeliciter: nec enim Statius scripsisset *aliæ quem aliis*, tam dura elisione, et perpetuæ carminum ejus suavitati contraria: et *natalibus* sine dubio est vera et necessaria hujus loci lectio. Neque τὸ *Deripiunt* stare potest, sensu salvo; quippe *deripere* est ex *altiore loco* aliquid *rapere;* quod sensui hujus loci non congruit. Porro, nescio an satis latine dici possit *deripere* aliquem *aliis certantibus*, pro *abripere:* et putó non posse. Tandem concedit vir magnus tolerari posse illud *Diripiunt;* ut illa, *aliis certantibus*, sint auferendi casus, pro, « Quum aliæ interea etiamnum certent. » Jam ad se et veritatem redit; ut mirer ab illa unquam aberrasse. *Diripi* dicitur quidquid *magna contentione* et studio *expetitur;* Suetonius, Vita Persii poetæ, « editum librum continuo mirari homines

et diripere cœperunt; » Noster, Thebaid. V, 720, de filiis Hypsipyles postquam matrem invenerant; « per tela manusque Irruerunt, matremque avidis amplexibus ambo Diripiunt; » Juvenalis, Sat. VI, 404, « quis amet, quis diripiatur adulter, » ut legendum esse dudum annotarunt viri docti, pro *decipiatur;* Sidon. Apollinaris, carm. II, 420, « Diripiunt diversa oculos, et ab arte magistra, Hoc vincit quodcunque vides. »

132. *Alit victos;* id est, *inflat, tumidos* et superbos reddit; quo sensu hac voce utitur Sedulius, carm. lib. II, 224, ubi hunc Statii locum forte ante oculos habuit :

> Discipulos jubet esse suos, talesque supernæ
> Conciliat vitæ, quos non ventosa loquendi
> Gloria, nec vana de nobilitate superbus
> Sanguis alat; sed forma tacens, humilique refulgens
> Mente nitor, cælo faciat de plebe propinquos.

133. *Atque ibi dum profers annos, vitamque salutas. Ibi,* id est, *Neapoli.* At cur non *Veliæ?* inquies. Dicam tibi : infra, vs. 162, narrat Statius, juvenes ex Daunia et *Lucania* et aliis regionibus commeare solere ad Papinium patrem, eruditionis gratia : hi illum petierunt, inquit, *patria relicta.* Atqui *Velia* erat in *Lucania; Lucani* igitur juvenes dici non possunt *patria relicta* ire ad *Veliam,* quia *Velia* erat in eorum patria. Hæc observatio totum nodum semel solvit, et demonstrat quam vere emendavi *Parthenopeque* pro *Mæon et inde.* Vide etiam vers. 167 : « Quos propiore sinu, etc. » id est, *Neapoli* propiore, vel propinquo; et vs. 141, « Sit pronum vicisse *domi,* » id est, *Neapoli,* quam *patriam terram* vocat, Ad Uxor. vs. 13. Pro *vitamque salutas,* Heinsius ad Ovid Rem. Amor. vs. 93, legit *vitamque solutam,* quam interpretatur *otiosam, nullis occupationibus adstrictam.* Sed si hoc voluisset Statius, opinor dixisset *occupationibus* vel *curis solutam;* non simpliciter *solutam :* quæ si aliquid est, alia res est, nempe *mollis, luxuriosa.* Recte *vitam salutas :* vult, *initio vitæ, in ipso limine vitæ;* et translatio est a locis seu personis quas *primum* adimus et videmus, et quas primo statim congressu *salutare* solemus. Sic Epiced. Glauc. v. 78 et sqq., de infante recens nato :

> . . . . raptum te protinus alvo
> Sustulit exsultans, ac prima lucida voce
> Astra salutantem, dominus sibi mente dicavit;

ubi *salutare astra,* ut hic, *salutare vitam.* Vide et Claudian. in Pr. Cons. Stilich. I, 118. Elegantissimum quoque istud *profers annos,* et Statii eruditione dignum : sumta vox ab *artificibus,* qui *proferre* opera sua dicuntur, quum primum exhibent : Horatius, Art. poet. 130, « Quam si proferres ignota indictaque primus; » Noster, Theb. II, 215 et sqq.

> . . . . species est cernere avorum
> Cominus, et vivis certantia vultibus ora;
> Tantum ausæ proferre manus;

ita legendum, non *perferre*. Dicit igitur Statius, Dum specimen tantum annorum tuorum das, ante *veros annos*, et in ipso limine vitæ et pæne puer, protenus raperis ad certamina quæ viri vix implere valent. Hæc notanda duxi, quia Heinsius ad istum Ovidii locum τὸ *profers* interpretatur *differs* : non bene.

138. *Inde frequens pugnæ, nulloque*, etc. Nimis plebeium sapit vox *pugnæ* pro honesta illa contentione ex qua tanta laus et gloria victori contingebat. Lege, « Inde frequens *palmæ;* nulloque, etc. » Sæpe monui voces dissimillimas genuinis, pari numero syllabarum, et quæ ab eadem litera inciperent, his Silvis irrepsisse. Ita *turbes* pro *tingas, cantu* pro *creta, crudo* pro *crebro, docto* pro *dextro*, et similia : ita Thebaid. V, 346, « Illis in Scythicum Borean iter, oraque *ponti* Cyaneis arctata vadis ; » ubi vulgo sine sensu legitur *oraque primum : ostia ponti* vocat Thebaid. VI, 328. Eadem commutatio harum vocum *palma* et *pugna* Virg. Æn. V, 380, « Ergo alacris, cunctosque putans excedere *pugna* ; » ubi pro *pugna*, Pierius in Rom. et Longobard. Codd. invenit *palma ;* et ita edidit Heinsius. *Palmæ* vero est *victoriæ ;* quod non monendus esses, lector, nisi causa loci Virgilii, Georg. III, 100 et seqq., de equis :

> . . . . Ergo animos ævumque notabis
> Præcipue ; hinc alias artes, prolemque parentum,
> Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ ;

id est, *victoriæ*. Sed diu quæsivi quid sit istud, *artes prolemque parentum :* primo enim, ineptissime conjunguntur *artes* et *prolem ;* deinde, non de *prole* ibi agit Virgilius, sed de *equis admissariis*, seu iis qui in spem gentis submittendi sunt, a vs. 73 ad vs. 138 ; deinde de *matribus* ad vs. 146. Nihil igitur ad rem istud *prolem*, quum sensus hujusmodi esse debuerit : Ergo præcipue notabis animos et ævum *parentum* seu *eorum qui generaturi sunt ;* deinde alias virtutes *habitus*que, et quis dolor cuique victo, etc. Ne dubites quin Virg. scripserit, « hinc alias artes *moremque* parentum : » ita de apibus initio Georg. IV, 4 : « totiusque ordine gentis *Mores*, et studia, et populos, et prælia dicam ; » Lucret. I, 591 :

> Nec toties possent generatim secla referre
> Naturam, motus, victum, moresque parentum ;

et II, 663 : « retinentque parentum Naturam, et *mores* generatim quæque imitantur. » *Morem* vero non *mores*, propter sonum ; ut Georg. I, 51 : « Ventos et varium cæli prædiscere *morem*. » Servius reliquit aliquid in hunc locum ; sed verba ejus adeo corrupta sunt, ut nihil inde colligere possimus, nisi prius corrigantur. Sic igitur scribit : « *animos ævumque notabis Præcipue*. Ante omnia ætatem et magnanimitatem requires. *Post cætera ;* i. e. parentes et studium. » Ubi primo culpandus est Servius, qui interpretatur τὸ *notabis* per *requires*, quum verum sit *observabis :* deinde, verba ista *post cætera* non comparent in contextu Virgilii ; et si comparerent, non tamen explicari possent per ista *parentes et studium*. Sed hic librariorum error est, non Servii ; ille enim ita scripsit : « Ante omnia

ætatem et magnanimitatem requires; post, cætera, id est, parentes (forte *artes*) et studium. » Jam forte tibi videbitur Servium legisse *morem*, quod explicat per *studium*. Philargyrii observationem vide; sed vide tantum ut rideas : « *Prolem parentum* nove posuit; est enim proprie liberarum (lege *liberorum*), ut, *Geminam partu dabit Ilia prolem*. » Mirus magister hic.

141. *Sit pronum vicisse domi.* Recte hæc explicat Gronovius : « Dicat sane aliquis, pronum esse, facile esse sub domesticis judicibus coronas mereri : quid vero habebit invidia quo admordeat Achaicas victorias tuas? » *Sit* est concedentis; ita apud Propert. Eleg. II, 7, 5,

At magnus Cæsar : sit magnus Cæsar in armis;
Devictæ gentes nil in amore valent :

ita legendum; vulgo, *sed magnus Cæsar*. Sensus est : At, dicet aliquis, Cæsar est magnus, o Properti, et te cogere potest relinquere Cynthiam. Respondet ille : *Sit* Cæsar quantumvis magnus in *armis;* hæc nihil ad amorem. Vide locum suavissimum. Mox, vs. 144, *toties lassata;* recte : ut Silv. I, 5, 2 : « Nec lassata voco toties mihi numina Musas. »

142. *Germine Lernæ;* corona ex ludis Nemeæis : ea erat ex apio. Don.

143. *Athamantes pinu;* id est, corona ex ludis Isthmicis, quæ ex pinu dabatur. Athamantheam dicit, quoniam Isthmici ludi instituti erant pro Melicerte, filio Athamantis, secundum Pausan. Domit.

150. *Pios agrestes*, quos *simplices* vocat Manilius, IV, 140. « Extrema per illos Justitia excedens terris vestigia fecit, » ut de iis Virgil. Georg. II, 473. Vers. 151, *Siculusque senex*, Theocritus; quem tamen *Trinacriæ juvenem* vocat Virgilius, in Catalectis, XI, 19 et seq.

Dulcia jactantes alterno carmina versu,
Qualia Trinacriæ doctus amat juvenis.

Hæc omnia, utpote parva, *εἰς μίαν Μύκωνον* congessi.

154. *Saltusque ingressa viriles Haud formidata temeraria Leucade Sappho.* Locus minime suspectus; immo, hac ipsa parte qua mendosum puto, laudatus a summo viro Jos. Scaligero, Lection. Ausonianis; qui hæc notat, ad Cupidinem Crucifixum, vs. 24,

Et de nimboso saltum Leucate minatur
Mascula Lesbiacis Sappho peritura sagittis :

« Masculam vocat, quia, quum femina esset, præcipitem se dedit ex illo *saltu* ex quo *tantum solebant viri* sese impatientia amoris jaculari. Nam propterea dicebatur locus ille *ἅλμα τῶν ἐρώντων*, non *ἅλμα τῶν ἐρωσῶν* : unde *saltus viriles* vocat Statius; et Horatius et Ausonius noster vocant eam *masculam*. » Hæc Scaliger; qui tamen, quasi sui oblitus, statim

subjicit ex Ptolemæo Hephæst. catalogum ex Leucade se præcipitantium, in quo duæ *feminæ* comparent, *Artemisia* Mausoli regis uxor, et *Rhodope* quædam Emissena; quibus ex Athenæo, Dipnos. XIV, 3, *Calycen* quamdam addit Tollius. Si igitur *feminæ* æque ac *viri* ex hac petra se præcipitarunt, et auctores qui hoc produnt nihil notant quasi *nove* aut inusitate factum, quæro quare hi *saltus* appellentur *viriles*, quum *feminini* æque vere dici possint. Immo Menander, apud Strabonem, lib. X, pag. 311, ed. Casaub., dicit Sappho *primam* fuisse quæ ex Leucade se præcipitaret. Necesse igitur est Statium scripsisse, « *actus*que *egressa* virjles, » id est, *superans fortitudinem virorum;* cui conjecturæ ansam dedit locus Thebaid. VI, 33,

> Asperior contra, planctusque egressa viriles
> Exemplo famulas premit, hortaturque volentes
> Orba parens;

egressa, est *superans, præstans, excedens;* Thebaid. X, 834, « Seu virtus egressa modum, seu gloria præceps; » XI, 34, « Pan illi genitor: tener hinc constibus annos Egreditur; » quod *relinquere annos* vocat in Glaucia Melioris, vs. 109; Juvenal. VI, 635, « et finem egressi legemque priorum Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu; » Lucanus, lib. VII, vs. 593,

> . . . . nondum attigit arcem
> Juris, et humanum culmen quo cuncta premuntur
> Egressus, meruit fatis tam nobile letum;

et IX, 794, « Humanumque egressa modum super omnia membra Efflatur sanies. » *Transire mentes viriles* simili sensu Alcimus Avitus, de Laud. Virginitat. vs. 257, « Femineo sexu mentes transite viriles. » Seneca, de Ira, I, 1, « Non vides, ut omnium animalium, simul ad nocendum insurrexerunt, procurrant notæ, ac tota corpora solitum quietumque egrediantur habitum, et feritatem suam exasperent? » et de Brev. Vitæ, cap. 14, « Nullo nobis sæculo interdictum est: in omnia admittimur: et si magnitudine animi egredi humanæ imbecillitatis angustias libet, multum per quod spatiemur temporis est. » Ita, Epist. 41, « vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens lucus. » Sic « mensuram umbrarum egressæ Pyramides, » Solinus, cap. 45. Tac. Ann. XVI, 10: « modo muliebri ejulatu, aliquando, *sexum egressa*, voce infensa, clamitabat. » Mirus est hoc in loco Domitius, qui interpretatur *saltus viriles*, « carmen poeticum, quod virorum est; » et graviter eos insectatur qui pro *Chalcide* (quæ erat antiqua et depravata lectio) substituunt *Leucade*. Non opus est hoc commentum refutare. Olim restituam hanc vocem Propert. IV, 6, vs. 17, « Actia Iuleæ *Leucas* monumenta carinæ: » ubi vulgo legitur *pelagus monumenta;* sine sensu.

160. *Senosque pedes æquare solutis Versibus.* Non de *scriptore* patre hic agit Statius, sed veterum poetarum *enarratore* et *interprete:* male igitur qui explicant hæc verba « resolvere hexametra Homeri in alia

genera carminum. » Sed decepit eos vox *Versibus*, pro qua clare legendum *Vocibus* : quod ille *senis pedibus* (carmine heroico) scribebat, tu *solutis vocibus* (prosa) æquabas, et *passibus æquis* comitabaris, nec prosa tua majestatem carminis Homerici minuebas. Optime hæc explicat Ruffinus, carmine de Compositione et Metris Oratorum, vs. 9,

> Optimus Orator sequitur ratione poetas,
> Cognatus virtute sua; metrumque recusans
> Hic quoque vult numeris voces frænare vagantes:

voces vagantes sunt quas Noster *solutas* appellat; supra, vs. 101, « sive orsa libebat Aoniis vincire modis, seu voce soluta Spargere; » ita Geneth. Lucani, vs. 22, « Et vinctæ pede vocis, et solutæ. » His contrariæ *voces in nodum adstrictæ*, apud auctorem Paneg. ad Pisonem, vs. 59, « Seu juvat adstrictas in nodum cogere voces. » Rem optime exprimit Seneca, Consol. ad Polybium, c. 30 : « Agedum illa quæ multo ingenii tui labore celebrata sunt, in manus sume, utriuslibet auctoris carmina; quæ tu ita resolvisti, ut quamvis structura illorum recesserit, permaneat tamen gratia. Sic enim illa ex alia lingua in aliam transtulisti, ut (quod difficillimum erat) omnes virtutes in alienam te orationem secutæ sint. » Vide ad Lyric. ad Sever. vs. 67, ubi fusius dixi. Potes etiam legere *solutis Gressibus*.

163. *Jugera Dauni*. Rutulos intelligit, qui Ardeam tenuerunt; et Silius Italicus eos appellat *Dauniam pubem* : nam Daunus fuit pater Turni, qui Rutulis imperavit. Sequenti versu, *Veneri plorata domus*. Lavinium intelligit, ubi erant ædes Veneris communis nomini Latino, ut scribit Strabo, magna populorum celebritate ploratæ : nam Numicius fluvius proximus est, in quo Æneas filius est submersus. Domit.

171. *Et operta domos incendia servant*. Miraberis, lector, quo sensu *incendia* dici possunt *servare domos* : magis forte miraberis hanc lectionem defensam esse duobus magnis viris Gronovio et Gevartio; quorum ille ita scribit, Diatr. c. 35 : « *incendia* non proprie *servant domos* aut faciunt ut illæ illæsæ maneant; sed *inter* incendia continua domus illæsæ manent et servantur : ideo *incendiis* adscribit poeta quod *existit una* et conjunctum est *cum incendiis*, nimirum durationem et conservationem ædium; more familiarissimo poetis fingendi αἴτιον τὸ μὴ αἴτιον. » Erudite sane; et ita sæpe factum poetis negari non potest. Vide tamen quanto præstet, « et operta animos incendia servant; » qua *ignis* vivit *sub terris*, et incendia, licet *operta*, tamen *vigent* et *animos servant*. Ita scripsisse Statium evincit vox *operta*, quæ miraculum auget; quippe *operta* incendia *exstingui* solent; hic vero, Baiis, quanquam *operta*, et sub *aquis*, aquis permixta, tamen servant *animos* et vires suas. Si retineas *domos*, vox *operta* minime necessaria est; immo propositum poetæ destruit, et τὸ θαυμαστὸν penitus tollit; quid enim mirum, si *domus servantur* quum *incendia operta* sint? Scripsit ergo *animos*. Simili sensu

de Ætna Justinus, IV, 1, « Accedunt vicini et perpetui Ætnæ montis ignes, et insularum Æolidum, veluti ipsis undis alatur incendium. Neque enim in tam angustis terminis aliter durare tot sæculis tantus ignis potuisset, nisi humoris nutrimentis aleretur. » Natus error ex eo quod prima litera τοῦ *animos* amissa erat in ultima præcedentis vocis; inde ex *nimos*, quod non intelligendum erat, fecerunt *domos*. Contrario modo peccatum apud Vell. Paterculum, II, 27, ubi pro « vir *animi* bellique fortissimus, » sine dubio legendum est, « vir *domi* bellique fortissimus; » quæ phrasis sæpissime apud bonos scriptores occurrit. In hac voce, pariter ac Statius, depravatus est Propertius, III, 20, 9:

> Fortunata nimis, modo sit tibi fidus amicus!
> Fidus ego: in nostros curre, puella, sinus:

ita legendum; vulgo, *Fortunata domus*, et *Fidus ero*. Sed de his aliàs. *Animos* vero rebus inanimis sæpe attribui notum iis qui poetas etiam leviter attigerunt; Corn. Severus, Ætna, v. 280,

> Unde repente quies et multo fœdere pax sit,
> Cur crescant animi penitus, seu forte cavernæ
> Introitusque ipsi fervent, seu, etc.

supra, vs. 271, numero singulari,

> Nullum fallere opus, non mutos cernere sacros
> Ætnæi montis fremitus, animumque furentis;

ubi pro *mutos*, vetus editio habuit *multis*, pro quo substituit *mutos* Scaliger, et eum secutus Gorallus, quoniam, inquit, « metu et admiratione obmutescimus. » Atqui hoc non efficit vox *mutos* nisi simul addatur *causa* quæ mutos reddit; non enim dicere potes *mutus sum* simpliciter, pro *dolore mutus sum*, vel *metu mutus sum*, vel *admiratione*: pessime etiam Scaliger, qui conjungit duo epitheta *non mutos sacros* fremitus Ætnæ. Pro *multis*, non dubito quin legendum sit *vultu*: sed vocem *sacros* quam pariter corruptam puto, aliis relinquo qui huic poemati obscurissimo et depravatissimo manus admoturi sint. Idem, supra, vs. 145, « Nam quo liberior, quoque est animosior ignis, etc. » *Animos fluviis* passim assignat Noster: ita Theb. VII, 426, de Asopo flumine,

> . . . forte et trepidantibus ingens
> Descendebat agris: animos sive imbrifer arcus,
> Seu montana dedit nubes, seu fluminis illa
> Mens fuit, objectusque vado Pater arma vetabat;

ubi pro *nubes*, scribendum puto *tabes*, ut *nivem* intelligat Statius ex montium verticibus resolutam; et pro *fluminis* clare legendum *numinis;* modo enim præcessit *flumina* et *fluvium*. Similiter Thebaid. III, 671,

> Ut rapidus torrens animos cui verna ministrant
> Flumina, et exuti concreto frigore montes;

ubi eleganter *nives* vocat *concretum frigus*: hic locus confirmat meam conjecturam de τῷ *tabes* pro *nubes*. De *hyeme* Noster, Theb. XII, 652,

« longam indignata quietem Tollit hyems animos, ventosaque sibilat Arctos; » de *ventis* Virgilius, Æn. X, 356, « magno discordes æthere venti Prælia ceu tollunt animis et viribus æquis : » etiam *trocho animos* donat idem, Æn. VII, 383, « Dant animos plagæ. » *Servant animos*, ut Theb. VI, 711, « Jamque procul meminit dextræ servatque tenorem Discus; » Sil. Italicus, II, 287, « super instrepit acer, Et servat curtum perfractis ossibus axis. »

180. *Arma probare Monstrasti Saliis, præsagumque æthera certis Auguriis.* Ita optime emendavit Lipsius, Elect. I, 9 : ante erat *Monstratis aliis* vel *alis*, Rom. *halis*, sine sensu aut constructione : et tamen explicare conatur Domitius, et tueri Cruceus; minime refellendi. Deinde, pro *Auguriis*, credo legendum esse *Auguribus*, quia in toto hoc catalogo non *officia*, sed *personas* nominat. Ita *Salii, Quindecemviri, Flamines, Lupercî;* ad quam formam etiam *Augures*, non *Auguria*, dicendum esset : et forte totus locus ita legendus, « præsagisque æthera certum Auguribus : » *certum æthera monstrasti præsagis Auguribus*, id est, *non fallacem æthera* : Thebaid. VIII, 118, « Nam tibi præsagi, quisnam super auguris usus, Quum Parcæ tua jussa trahant? » et 204, « Ipse nihil certum sagis clangoribus æther Præcinet. » Ita *certis pennis* de re eadem Valer. Flaccus, I, 233. Si retineas *Auguriis*, non satis patebit *cui* monstravit certum æthera Papinius pater : volvit vero *Auguribus:* ita legendum; et postquam hæc scripsissem, ita in Parm. et Ven. inveni. Vide similes depravationes apud Gronov. ad Liv. XXI, 60.

188. *Hi Pontica frenant.* Parm. et Ven. habent *condita.* Et sane ultra quærendum puto de *τῷ pontica;* hujusmodi enim nomina solent denotare « res ad statum civilem et historiam nationum pertinentes; » non *ipsa loca.* Sic Καρχηδόνια et Τυρρηνικὰ apud Athenæum et alios significant *historiam Carthaginis* et *Tyrrhenorum*, non *Carthaginem*, et *Etruriam : negotia Thespiaca* dixit Arnobius, lib. VI, p. 198; Τὰ Θεσπιακὰ : *qui negotia Thespiaca scriptitarunt, οἱ τὰ Θεσπιακὰ γράψαντες.* Juvenalis, VIII, 220 : « in scena nunquam cantavit Orestes, *Troica* non scripsit. » Sic *Punica* suos libros inscripsit Sil. Italicus. Ad hanc igitur formam *Pontica* esset τὰ Ποντικὰ, res ad Ponti statum et historiam spectantes, non *ipse Pontus;* quod tamen sensus loci hujus postulat. Quærendum igitur puto.

195. *Talia dum celebras*, etc. Capitolium primum ædificatum a Tarquinio Horatius dedicavit : id arsit bellis civilibus : Sylla instauravit et dedicavit Catulus. Quum item bella civilia gererentur inter Vespasianum et Vitellianos pro imperio, Sabinus, Vespasiani frater, cum Domitiano adhuc puero in Capitolium confugit; et, ne penetrarent hostes, convulsas undique statuas objecit. In ipso aditu faces injectæ sunt; incertum an a propugnatoribus, an ab hostibus; arsitque Capitolium indefensum, ut scribit Tacitus. Id facinus post conditam urbem, ut idem

est auctor, luctuosissimum populo Romano accidit, nullo externo hoste. Eo tempore docebat Romæ pater Papinii, Capitolinumque incendium carmine deflevit mira celeritate in Vitellianorum invidiam. Vespasianus cœpit instaurare; sed eo moriente iterum incensum est, quod Domitianus restituit. Dourr.

198. *Et Senonum furias Latiæ sensere cohortes.* Ita vulgo editur. Vetustiores tamen Rom. et Venet. habent *sumsere*, notante et probante Gronovio, Diatrib. c. 57; et ita ego in Parmensi inveni. Optime et elegantissime. Noster, Theb. XI, 627: « Talia dequestus, paullatim sumserat iras Mortis; » Sil. Italic. X, 45: « neque enim, certamine sumto, Tempestas tanta, et rabies impune fuissent; » Arnobius, lib. VI, initio: « Quæ quidem nos cessamus non ideo vel exædificare vel facere tanquam impias geramus et scelerosas mentes, aut aliquem sumserimus temeraria in Deos desperatione contemtum; sed quod, etc. » Multus in usu hujus vocis Tacitus; Annal. II, 66: « occidi Cotyn jubet, mortemque sponte sumtam ementitur; » et ita passim, Annal. III, 7, « sumti exitii signa; » Annal. VI, 31, de Artabano rege Parthorum, « Is, metu Germanici fidus Romanis, æqualis in suos, mox superbiam in nos, sævitiam in populares sumsit; » Histor. III, 69: « Sed, quod in ejusmodi rebus accidit, consilium ab omnibus datum est, periculum pauci sumsere. » Optime igitur *sumsere furias*. Hæ voces pariter commutantur apud Ovid. Amor. II, 5, 53: « Torqueor infelix, ne tam bona senserit alter; » ubi in aliis libris erat *sumserit;* quod admisit Heinsius.

200. *Exeisis quum tu solatia templis... Concinis ore pio. Concinere solatia* nihili est: lege, *Concipis ore pio.* Ita Pietat. Abasc. vs. 3, « Hinc, Priscilla, tuo solatia grata marito Conciperem. » *Concipere solatia* est *solari*, ut *concipere fugas*, *fugere*, apud Ovid. Fast. II, 286; *spem concipere*, *sperare*, Sabinus, Epist. III, 79; et Lucanus, III, 134; *concipere bella*, *bellare*, Sil. Ital. XIII, 745; *concipere preces*, *precari*, Ovidius, Metam. VIII, v. 682: « Concipiunt Baucisque preces, trepidusque Philemon; » et innumera ejusmodi, quæ non exscribo: *n* et *p* in MSS. sæpe commutantur; ita supra, v. 59, *præcinerem* pro *præciperem*. Sic *onus* pro *opus* apud Ovid. Met. I, 47: « Sic opus inclusum numero distinxit eodem Cura Dei; » vulgo *onus;* sine sensu: *opus* est *orbis*, *mundus*, quem infra, v. 258, vocat *mundi molem operosam*. Lucanus, VI, 483: « Tantæ molis opus percussum voce recessit; » id est, *mundus;* ita enim et ibi legendum, pro *onus:* idem, X, 197: « Ast ego Cælicolis gratum reor, ire per omnes Hoc opus; » id est, omnes notitiam habere *mundi* et *naturæ*. Vide Senecam, de Provid. c. 1, ubi *mundum* vocat *tantum opus*. Pariter depravatus idem Ovidius, Met. XI, 257: « Pronus erat Titan, inclinatoque tenebat Hesperium tamone fretum: » atqui quomodo Titan *tenere* potuit Hesperium fretum, quum *pronus* tantum erat, non adhuc *occiderat?* Lege, *tepebat;* ut Met. I, 63: « Vesper, et occiduo

quæ litora sole tepescunt. » Sed hoc in notis suis jam video occupasse cl. Burmannum.

202. *Captivaque numina defles.* Tolerari potest: quum vero Gronovius, Reliq. ad Silv. testetur in MS. Flor. esse *flumina* (quod et in Rom. legi); in Cod. Salisb. et edit. Venet. *fulmina* (et ita Parmensis); nemini dubium esse potest quin Statius scripserit, « captivaque fulmina defles; » quemadmodum etiam edidit Gronovius. De incendio Capitolii, Jovis sedis, agit. *Fulmina* pro *Jove* qui ea jacit; exempla ubique. Soter. Gallic. vers. 64, « nec fulminis atri Sit metus: has ultro laudabit Juppiter artes. »

209. *Lustrataque Tempe Pulsantem. Tempe* sunt loca quævis amœna; inde *tempe Theumesia* Theb. I, 485; *Heloria tempe* Ovid. Fastor. IV, 477; Nonnus, Dionysiac. II, Δέλφιος αὐδήεντα μετήρχεο ΤΕΜΠΕΑ Πυθοῦς. Etiam absolute pro *nemora:* Theb. X, 119, in antro Somni, « effulgent silvæ, tenebrosaque Tempe Adrisere deæ. » Unde Hesychius Τέμεα explicat τὰ εὐύδρεα χωρία. Proprie, de *Thessalicis* scilicet, Virg. Georg. II, 486: « o ubi Tempe Spercheosque et virginibus bacchata Lacænis Taygeta! » ita enim legendum pro *campi* (præter elegantiam lectionis et propria nomina *Spercheos* et *Taygeta*) evincit Claudianus, XXVI, de Bello Getico, vers. 181, ubi hunc locum alludit,

> .... gemit irrita Tempe
> Thessalus, et domitis irrisam cautibus Œten;
> Spercheosque et virginibus dilectus Enipeus
> Barbaricas lavere comas.

Pariter corruptus Lucan. VI, 618, ubi pro *campi Rhodopæaque saxa*, legendum esse *Tempe*, probabit magnus Bentleius. Quis vero explicabit quænam sint hæc Statii *Tempe lustrata*, aut quo sensu sumenda ista vox *lustrata?* mihi omnino non liquet. Intelligit proculdubio poeta *lucos* et *nemora* Musis et Apollini dicata; sed quare hæc præter cætera *lustrata* dicuntur, aut quibus ritibus et ceremoniis *lustrabantur* hæc nemora nunquam legi. Placebitne hæc conjectura? « Me quoque vocales lucos monstrataque Tempe Pulsantem; » *monstrata Tempe, a te*, scil. *monstrata. Monstrare* propium in hac re verbum. Supra, *Monstrasti Saliis*, etc. Ita infra, v. 235,

> Tu cantus stimulare meos, tu pandere facta
> Heroum, bellique modos positusque locorum
> Monstrabas;

Protrept. ad Crispinum, v. 128, « Monstrabunt acies Mavors Actæaque virgo. » Ita passim apud Nostrum et alios. *Pulsantem Tempe* ut Achilleid. I, 10: « neque enim Aonium nemus advena pulso, Nec mea nunc primis albescunt tempora vittis. » Non displicet hæc conjectura; et eo magis, quod facile est investigare causam depravationis: scriptum erat nempe *mōstrata;* inde *mustrata*, et ex eo non intellecto *lustrata*. Nihil in hoc mirum, quum frequentes sint vices literarum *m* et *l* in libris

antiquis. Ita supra, v. 96, *domos* pro *dolos*. Sic apud Juvenalem, Sat. VI, vers. 605 et sqq.

> .... Stat Fortuna improba noctu
> Arridens nudis infantibus : hos fovet ulnis
> Involvitque sinu : domibus tunc porrigit altis,
> Secretumque sibi mimum parat :

ita legendum : vulgo, falso et sine sensu, *hos fovet omnes;* scriptum erat *olnis* pro *ulnis;* inde in *omnis,* id est, *omnes,* demigravit lectio. Plinius, Epist. IX, 12 : « Castigabat quidam filium suum quod paullo sumtuosius equos et canes emeret; » sic vulgo legitur; sed proculdubio scripsit Plinius, « equos et canes aleret. » Ita *summa* pro *Sulla* apud Senecam, Controv. II, 12, ut recte restituit Gulielmius. Sensum loci Statiani egregie illustrat Ovid. Trist. III, 7, 15 et seq. de Perillæ ingenio,

> Hoc ego Pegasidas deduxi primus ad undas,
> Ne male fecundæ vena periret aquæ.

Atque hæc olim commentatus eram. Jam vero incidi in conjecturam quæ impense placet; nempe *Ascræa* pro *lustrata :* « Me quoque vocales lucos Ascræaque Tempe Pulsantem; » ex Propertio, II, 13 et seq.

> Hic me tam graciles vetuit contemnere Musas,
> Jussit et Ascræum sic habitare nemus :

Ascra erat oppidum Bœotiæ, patria Hesiodi, qui supra, v. 151, vocatur *Ascræus senex*, ex Virgil. Ecl. VI, 70. Juxta hanc erat Helicon, et fons Aganippe, et *luci* Musis sacri; quos *vocales lucos* et *Ascræa Tempe* vocat Noster. *Ascræos fontes* Propert. II, 10, 25 : Symmach. Epist. I, 47, « Nisi forte in silvis Apollinem continuaris, ut ille pastor Hesiodus, quem poetica lauru Camœnalis familia coronavit. » Vides quænam fuerint hæ *silvæ* et *Tempe Ascræa;* nempe quæ olim incoluit Hesiodus *Ascræus,* Musis et Apollini sacra : hæc dicit Statius se pulsasse, et admissum fuisse. Optime omnia conveniunt; et unius tantum literæ *l* differentia est inter scripturam vocum *lustrata* et *ascræa,* in charactere Longobardico; ex quo transcripta esse omnia quæ nunc habemus harum Silvarum exemplaria, nullus dubito.

211. *Neque enim mihi sidera tantum Æquoraque et terras quam vos debere parenti.* Ita libri vetusti; quæ Domitius, quum non intellexit, depravavit hoc modo, *quantum ostendere parenti.* Et hunc secutæ sunt multæ editiones, et inter eas Gevartiana. Antiquam et veram lectionem restituit Gronovius, Diatrib. c. 57, et bene explicavit. Constructio est : « neque enim tantum est mihi debere parenti sidera æquoraque et terras, quam illi debere vos, o Musæ; » id est, non tanti existimo debere patri meo hanc lucem et cætera vitæ beneficia, quanti quod ille vos mihi primus monstravit : plus illi obligatus sum propter hoc, quam propter vitam. De voce *debere* in hoc sensu dixi supra ad II, 3, « tibi debet Hamadryas annos. » Sed multo melius, si quid video, legetur, « neque enim mihi sidera tanti Æquoraque et terras, quam vos debere,

parenti; » « neque enim tanti est mihi (id est, *non tanti duco*) debere parenti sidera et æquora et terras, quam (id est, *quanti*) debere illi vos, o Musæ: » facilius hoc et usitatius; et Latinitas videtur hoc postulare. Juvenalis, Sat. III, v. 54: « tanti tibi non sit opaci Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum; » et VI, 137: « tanti vocat ille pudicam; » Ovid. Rem. Amor. v. 751, exemplo appositissimo, « At tibi sit tanti, non indulgere theatris. » *Quam* pro *quantum* vel *quanti*; omnibus enim casibus et numeris servire potest. Petronius, in Catalectis, 21; de Neptuno marmoreo aquas fundente,

Quam melior, Neptune, tuo sors ista tridente!
Post pelagus dulces hic tibi dantur aquæ;

« Quanto melior est sors ista sorte tui tridentis! » Miræ brevitatis locutio est apud Manilium, V, 486, de iis qui sub aquila nati sunt,

Illius in terris orientis tempore natus
Ad spolia et partas surget vel cæde rapinas:
Quamque hominum dederit strages, dabit ille ferarum:

ita legendum pro *Quumque: quam*, id est, *quantum*: « quantum hominum strages ille dederit, tantum dabit ferarum. » Sosipater Charisius, lib. I, p. 66: « Hoc femur, hujus femoris: sed frequenter hujus feminis, huic femini dictum est; et pluraliter femina quam femora; » id est, « tam femina quam femora. »

219. *Quam tuus ille dies, qua non mihi gloria major!* Ita hunc locum vere restituit Politianus, Epist. VI, 1. Ante fuit, *Qualis et illa dies.* Sed non ex toto restituit; repetendum enim erat τὸ *quam*: « Quam tuus ille dies! quam non mihi gloria major! » elegans usus particulæ *quam*. *Quam non major* ut *quam nullus*, id est, *quam non ullus*, Kal. Decemb. v. 98,

Quos ibit procul hic dies per annos!
Quam nullo sacer exolescet ævo!

et Ovidio, Amor. II, 11, 27 et seq.

Quid? si concussas Triton exasperet undas?
Quam tibi tunc toto nullus in ore color!

vulgo *nunc* toto; Martial. Epigr. VI, 10, 5 et seq.

At quam non tetricus, quam nulla nubilus ira,
Quam placido nostras legerat ore preces!

Seneca, de Benef. VI, 23: « Vide quantum nobis permiserit, quam non intra homines, humani imperii conditio sit. » Sed verior est interpretatio, *quam non major*, id est, *quanto minor*; vide notam præcedentem, et ad Eqn. Max. vs. 82. Calpurnius Flaccus, Declam. XLV, « Quam plus ad vestra judicia cujusque, judices, proficiunt merita privata quam publica! » ubi τὸ *quam* non mutandum esse in *quanto* recte admonet clariss. Burmannus. Dicit igitur Statius, « quanto minor fuit in istis recitationibus mea quam tua gloria! tua scilicet, utpote qui

talem filium geneueras. » — In Addendis Marklandus: Emendavit Politianus, *Quam tuus ille dies;* recte; et huc adludit Venet., *Quamvis ille dies.* Ego addidi, *quam non mihi gloria major;* et ita Veneta. A.

222. *Spectatur Acetes Ille magis.* Immo *athletes*, ut optime emendavit Salmasius. Tædet errores et commenta Domitii transcribere, qui tuebatur *Acestes;* quem e vestigio subsequitur Cruceus; nisi quod legit *Acetes*, et pro *quovis patre* sumit: merito ob hoc Gronovio notatus, Elench. Antidiatr. cap. 7. Nec te terreat prima in *athletis* correpta; ita enim fieri solet; Ovidius, Metam. VI, 467: « Jamque moras male fert, cupidoque revertitur ore Ad mandata Procnes; » ubi vide N. Heinsium: Petr. Sat. 518, « Et baccis redimita Daphne, tremulæque cupressus; » et statim, « Atque urbanq Procne. » Sed hæc a me notata prior occupavit Heinsius; qui ex Horatio addit *cycnus* prima brevi; et *Therapnæus* secunda, ex Sil. Italico, XIII; vide Salmasium, Epist. 92; et ex eo Gronovium, Diatr. c. 57. Martialis, Epigr. V, 11:

Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno
Versat in articulo Stella, Severe, meus.

Ita *Procnesson*, prima brevi, apud Valer. Flacc. III, 34; *Cycnus* apud Auson. Epist. XX; et *magnetis*, Mosell. v. 316; *Atlanta* apud Sil. Ital. Sensus vero est: Pater qui ludis Olympicis filium *athletem* spectat, magis est *athletes* quam ipse filius; magis athletes *spectatur*, sc. *ab aliis;* quippe eum *attendunt cunei.* Ita Pietat. Abascant. vs. 216, « sed toto spectatur in agmine conjux Solus; in hunc magnæ flectuntur lumina Romæ; » et in Glaucia Atedii, vs. 173, « erant illic genitor, materque jacentis Mœsta; sed attoniti te spectavere parentes; » Theb. VIII, 564: « Nunc pedes ense vago, prensis nunc celsus habenis Ceu spectetur, agit; » ubi vetus scholiastes: « *ceu spectetur:* sic pugnabat, quasi virtutis suæ judice spectante: » ita legendum; vulgo implicatur hæc nota cum altera, et pro *spectante* legitur *spectare.* Ovid. ex Ponto. III, 1, 59: « Quidquid ages igitur, scena spectabere magna; » Sil. Italic. IX, 453: « lætus uterque Spectari Superis, acuebant mentibus iras: » ita forte legendum pro *addebant.* Hæc adnoto, quoniam Salmasius et eum secutus Gronovius legunt, *spectator athletes.* Non recte; præcessit enim *spectator* initio sententiæ, « Talis Olympiaca juvenem quum spectat arena Qui genuit: » quum *spectat* juvenem, id est, quum *spectator* est juvenis: æquumne erat ut *spectator* iterum ingereretur idem pater, et in eadem sententia? Seneca, de Providentia, cap. 4, « Militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem meliori causa sanguinem ostentant: idem licet fecerint qui integri revertuntur ex acie, magis spectatur qui saucius redit. » Nihil magis appositum esse potuit. Gravia iis denuntiat qui hanc emendationem respuunt Salmasius, Epistola, quæ præfigitur Elench. Antidiatr. Gronovianæ, his verbis: « De emendatione mea, *spectator athletes Ille magis*, nec tu dubitasti, nec dubitari posse scio, nisi a similibus illius hominis, cui neminem imperitia et ἀιρισία similem esse

judico. » Cruceum intelligit. Et quidem nollem me Crucei esse similem; nec tamen Salmasii minas metuo, quum optime sciam Statium scripsisse *spectatur* non *spectator*.

231. *Nam quod me mixta quercus non pressit oliva, Et fugit speratus honos, quum dulce parentis Invida Tarpeii caneret te nostra magistro Thebais. Urgebant priscorum exordia vatum, Tu cantus stimulare meos, tu*, etc. Locus notabilis ob errores doctorum virorum, quos (Scaligerum scilicet, Casaubonum, Petavium et Domitium) redarguit Gronovius, Diatr. cap. 58. Ipse in iis quæ eo loci adfert (alibi enim melius) non minus redarguendus. Scribit igitur totum locum sic:

> .... quum dulce parenti
> Invida Tarpeio caneret te nostra magistro
> Thebais (urgebant priscorum exordia vatum),
> Tu cantus stimulare meos;

quorum verborum constructio hæc est: « quum, te magistro, Thebais nostra invida (exordia priscorum vatum urgebant) caneret dulce Tarpeio parenti. » Ubi quæro, quare Thebais *invida* vocatur, et *cui* invida? *Veterum poetarum gloriæ*, inquit ille; « atque hoc explicat Statius in parenthesi illa, *urgebant priscorum exordia vatum*, id est, exagitabant Thebaida fama sua, quam illa parem sperabat, et apta est. Addit *dulce* poeta propterea, quia conscius suæ virtutis gloriosissimus vates, damnabat suos judices, eorumque censuram dedignabatur, et vel invitis illis bene se et scripsisse et recitasse confirmat. » Atqui primum, si hoc voluit Statius, parenthesis illa poni debuit post vocem *Invida;* non media illa (*Tarpeio caneret te nostra magistro Thebais*) quæ totam sententiam pendentem, turbatam, et confusam reddunt, interposita admittere. Nec melior interpres Gronovius in istis, *dulce parenti Tarpeio;* impossibile enim est Statium dicturum fuisse, se, vel Thebaida suam *cecinisse dulce parenti Tarpeio*, quum in isto agone *victus* fuerit, et propterea Jovem vocet *sævum* et *ingratum*, ad Uxor. vs. 31, de hac re: « Tu, quum Capitolia nostræ Inficiata lyræ, sævum, ingratumque dolebas, Mecum victa, Jovem. » Non igitur *dulce Jovi cecinit*, sed omnia contra; nec tam absurdus fuerit Statius ut hoc affirmaret. Mitto quod vocem *invida* (quæ *malitiam* et *vitium* plerumque, Statio semper denotat, accepit Gronovius de *honesta* illa *æmulatione* quæ alit ingenia. Sed et ipse, credo, sententiam de hoc loco mutavit; quippe in reliquis ad Silvas hæc invenio: « *Quum dulce parentis.* Potuit scripsisse:

> Nam quid me mixta quercus non pressit oliva
> Et fugit speratus honos, quum luce parentis
> Irrita Tarpeii canerem? Te nostra magistro
> Thebais urgebat priscorum exordia vatum;
> Tu cantus stimulare meos, tu pandere facta, etc.

luce parentis Tarpeii, die qui festus erat Jovi Capitolino, quoque agon ei committebatur: *irrita* canerem, quia, ut ait ad Uxorem, *Capitolia*

nostræ Inficiata lyræ: urgebat autem Salisb. non *urgebant:* et foret sensus: Cur enim tam infelix fui, quam dicam fuisse causam, ut in agone Capitolino victus non exhilarare te potuerim hac quoque palma occupata? Quæ sequuntur nihil huc pertinent; sed pergit enarrare pietatem et officia parentis erga se, etc. » Optima sane hæc et Gronovio digniora; et licet ex omni parte vera non putem, tamen ea sunt ut neminem illorum pudeat. Dudum videram legendum esse *canerem;* et sententiam novam incipere debere ab istis, *Te nostra magistro*, et explicari eo modo quo eam explicavit Gronovius. « Thebais nostra urgebat exordia priscorum vatum, » id est, *sequebatur, imitabatur* scripta et argumenta veterum poetarum; ad eorum exemplar exigebatur, *te magistro*, te monstrante. Hoc certissimum est: sed de priore sententiæ parte et conjectura Gronovii, « Nam quid me mixta, etc. » merito potes dubitare; non enim adeo insolens esse auderet Statius, ut cum Fortuna, seu Imperatore potius, disceptaret, et quereretur de malo eventu poematum suorum: deflere infortunium suum æquius et modestius erat, quam arroganti superbia palmam poeticam sibi vindicare contra judicium Domitiani, qui in eo agone a seipso instituto aut ipse præsidebat, aut, quod idem est, judices constituebat, a quibus ad publicum provocare maximæ esset et stultitiæ et impudentiæ argumentum. Istud igitur *quid* pro *cur* locum non potest habere, nisi summam arrogantiam et petulantiam Statio adfigas. Supra querebatur,

> Hei mihi, quod tantum patrias ego vertice frondes
> Solaque Chalcidicæ Cerealia dona coronæ
> Te sub teste tuli!

jam pergit, in eadem querela: « Heu quod me mixta quercus non pressit oliva, Et fugit speratus honos, etc. » paullisper hoc admittas et sana omnia et optime hucusque cohærentia præstabo: et quidem facile fuit ut vox *Heu* mutaretur in *Nam* initio versus, et literis minutis conscripta. *Heu quod* ut ad Uxorem, vers. 60, « Heu nunc illa tenet viduum quod sola cubile. » Et nisi ita legas, sensus imperfectus erit; quum nulla sit redditio, nihil quod respondeat τοῖς *Nam quod*, et sententiam concludat. Deinde legit Gronovius, « quum luce parentis Irrita Tarpeii canerem; » speciosa sane hæc; *lux parentis Tarpeii*, id est, *dies festus*, ut *dies Triviæ* Silv. III, 1; Thebaid. VII, 93, ad Archemorum, « Da, parve, tuum trieteride multa Instaurare diem; » id est, *festum tuum diem. Irrita canerem*, id est, *frustra*, ut Theb. VI, 768, *irrita frendit.* Stare igitur posset hæc conjectura, si a MS. aut varia lectione faveretur, aut nisi aliunde subverteretur. Vide enim: si retineas *irrita canerem*, bis idem dicentem feceris Statium; quippe si *fugit speratus honos*, non opus est ut dicat se *irrita cecinisse;* quum ob hanc ipsam rationem *irrita cecinit* quod *fugit speratus honos*, vel *fugit speratus honos* quod *irrita cecinit.* Si dixisset poeta, « Irritus sui sperati honoris quum irrita canerem, » non ferres; atqui eo recidit Gronoviana lectio. Retinendum igitur τὸ *Invida*, et alibi quærenda hujus loci depravatio, nempe in voce

dulce. Feliciter emendavi: « quum lustra parentis Invida Tarpeii canerem; » *lustra parentis Tarpeii* sunt quæ supra ad Uxorem, v. 92, vocat *Capitolina lustra*, « Et Capitolinis quinquennia proxima lustris; » Sorrentin. Pollii, v. 6, « Huc me post patrii lætum quinquennia lustri, etc. » et in Eucharist. ad Domitian. v. 62, « Sæpe coronatis iteres quinquennia lustris; » Thebaid. I, 421: « Non aliter quam Pisæo sua lustra Tonanti Quum redeunt. » Ignotior paullo vox *lustra* a librariis in *dulce* mutata fuit; ita, Lacrim. Etrusc. vs. 200, pro *lucida saxa*, Rom. edit. habet *dulcia*. Minime dubito quin veritatem eruerim; et mecum sentient æqui et boni harum rerum judices. *Lustra canerem*, ut supra, vs. 113, « Quum stata laudato caneret quinquennia versu: » idem est *canere lustra* et *quinquennia;* et hoc emendationem meam confirmat. Recte etiam *invida*: *invidere* et *invidum* poetis dicitur, quidquid rei alicui *contrariatur*, aut *votis non respondet;* in Arb. Ated., v. 38: « Immitem Brimo, stagna invida et invida tela; » Theb. X, 384: « Invida fata piis, et Fors ingentibus ausis Rara comes; » Seren. Sammonicus, libr. de Medicina, cap. 12, « Invida si maculat faciem lentigo decoram; » Val. Flacc. IV, 100: « Pingue solum, et duris regio non invida tauris; » id est, quæ taurorum laboribus *respondet*. *Fugit* igitur Statium speratus honos, quum caneret *lustra Capitolina* votis non respondentia, *invida;* ob quod Jovem vocat *sævum* et *ingratum*, carm. ad Uxor. v. 31, ut supra notavi. Nihil video quod huic emendationi opponi possit.

Et jam patet, quantum ii fallantur, qui hinc colligunt Statium commisisse suam *Thebaida* in agone Capitolino; inter quos sunt Casaubonus ad Suetonium, Gronovius in Diatrib. et Scalig. de Emend. Temp. et ad Ausonii Professor. V, ubi hæc leguntur: « In eo agone Statius post incredibilem totius Urbis exspectationem tandem Thebaidem suam recitavit. Sed non placuit, et contra eum alii coronati fuerunt; id quod ipse non uno loco in Silvis conqueritur, sed inprimis in Epicedio Patris: unde locus Juvenalis grammaticis non bene perpensus explicatur: « sed quum fregit subsellia versu, Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven; » nam satyrice dicit eum *fregisse subsellia versu*, quod, ut Comici loquuntur, *recitans non stetit*, sed *excidit*, hoc est *non placuit.* » Hic cogor queri de negligentia summi viri, et festinatione in scribendo; si enim rejecisset oculos ad versum Juvenalis abhinc secundum, certe vidisset ea verba *Promisitque diem* nihil minus quam de *agone Capitolino* intelligi posse; iste enim agon *stato* et fixo *die* celebrabatur: atqui Statius eo Juvenalis loco dicitur *promittere diem* urbi, quo recitaret: quæ verba demonstrant rem esse arbitrii sui, sive eo die recitaret, sive non; quod in die agonis Capitolini locum habere non potuit. Deinde ista explicatio verborum *fregit subsellia versu* per *recitans non stetit*, omnes Comicos superat; et miror unde in mentem viro maximo venire potuit ex istis verbis aliquid colligere, de Statii infortunio in committenda *Thebaide* sua ludis Capitolinis; aut quomodo potuit esse tam securus sensus, qui, secundum interpretationem ejus, hic est, « Quum

non placuit, esurit, nisi Paridi vendat intactam Agaven. » Atqui Juvenalis omnia contraria dicit, scilicet, « Quum maxime placuit, esurit, nisi, etc. » adeo ut, si Scaliger ex isto Juvenalis loco aggressus fuisset probare Statium in agone Capitolino *coronatum esse*, multo felicius ei cessisset. Et victum quidem esse Nostrum in eo agone ipse testatur, Silv. III, 5, ad Uxorem; sed in *committenda Thebaide* victum, id vero ex hoc aut alio quovis loco quem adducit Scaliger, aut quisquam alius, colligi posse pernego. Sed nec ex rei natura verisimile est ludis Capitolinis, commissam esse Thebaida, utpote argumenti tam alieni, nec quidquam facientis aut ad laudes *institutoris* aut *numinis* cui instituebantur; cujus rei in hujusmodi negotiis ratio præcipue habebatur: unde Delphidius apud Ausonium, loco supra memorato, dicitur *puer celebrasse Jovem*, in his ludis; unde etiam magis probabile est Statium hoc loco scripsisse *lustra*, ut simul forte adludat ad poematis sui titulum, qui foret, *Lustra* seu *Lustrum Jovis Capitolini*, vel *Lustrum Capitolinum*; in quo tam *Domitiani* institutoris, quam *Jovis laudes* optime conjungere potuit poeta: et *Jovem* quidem in eo poemate quod ludis Capitolinis committebat, Statium celebrasse inde probari potest, quod, quum exciderat, vocat Jovem *sævum* et *ingratum*, carm. ad Uxorem, prout supra monuimus: quare vero *ingratum*, nisi quod successum non attribuit poetæ *laudes* ejus canenti? *Imperatorem* quoque suas laudis partes in hujusmodi ludicris habuisse patet ab exemplo illo apud Tacit. Ann. XVI, c. 2, « Ac forte quinquennale ludicrum secundo lustro celebrabatur; a narratoribus oratoribusque præcipua materia in laudem principis adsumta est; » et ex Plinii Paneg. c. 54: « Et quis jam locus miseræ adulationis manebat ignarus, quum laudes Imperatorum ludis etiam et commissionibus celebrarentur? » Sed clare probat Quint. Inst. III, 7, 4, *laudes Jovis perpetuam* fuisse hujus Capitolini certaminis materiam: « An laudes Capitolini Jovis, perpetua sacri certaminis materia, vel dubiæ sunt, vel non oratorio genere tractantur? » *Thebais* igitur non committi potuit hoc agone, in quo *Jovis laudes* erant *perpetua* vatum materia. Sed aliud argumentum verissimum et firmissimum contra eos qui hoc de *Thebaide* statuunt, duci potest ex ipsa, lib. XII, 810 et sqq. ubi opus suum ita alloquitur Statius:

> Durabisne, precor, dominoque legere superstes,
> O mihi bissenos multum vigilata per annos
> Thebai? jam certe præsens tibi fama benignum
> Stravit iter, cœpitque novam monstrare futuris.

At qua fronte, quæso, dicere potuit Statius *famam jam stravisse benignum iter* huic poemati, si in commissione ejus excidisset, et *non placuisset*? Sed hæc satis. Obiter tamen monendus es pro « cœpitque novam monstrare futuris, » legi debere, « cœpitque viam monstrare futuris: » patet hoc tum ex sensu (qui in altera lectione nullus est), tum ex istis *Stravit iter*. Scis, opinor, τὸ *pressit* in istis, « Heu quod me mixta quercus non pressit oliva, » idem esse ac *cinxit*, *coronavit*; de qua voce

plenius ad Silv. II, 1, vs. 116; et *quercum* seu *coronam quernam* præmium esse victoris in hoc agone, utpote Jovi sacro, cujus arbor est *quercus*. Hæc corona ab ipso Imperatore iis imponi solita; unde Poetarum *laureatorum* morem manasse putat Scaliger ad locum Ausonii. Enormem hujusce loci interpretationem commentus est vir doctus, Annal. Statian. c. 16, servata vulgari lectione.

244. *Pharios dolores colunt;* lugent in sacris Isidis Phariæ et numinis Ægyptii. — *Mygdonios*, id est, Phrygios in sacris Cybeles. — *Et non sua funera plorant.* In sacris Isidis deflent Osiridem necatum, qui præsentabatur in sacris Cybeles; Atyn, qui abscidit genitalia; quorum neuter ad eas pertinet. DOMIT.

258. *Nec segnis labe senili Exitus instanti præmisit membra sepulcro.* Recte Gronovius, Elench. Antidiatrib. c. 7, pro *labe* legit *tabe;* Arnob. lib. II, p. 54, « Nos immunes malis ab his sumus, et non eadem ratione morborum incommoditatibus frangimur, et senectutis destruimur tabe? » Plin. Hist. Nat. II, 63: « ne mors lenta nos consumeret tabe; » Elegia scriptoris antiqui, edita Barthio, Adversar. XL, 18: « Nos voluit lenta tabe perire Deus; » Ovidius, Heroid. XXI, 59:

> Aut tibi jam nulla est speratæ cura puellæ,
> Quam ferus indigna tabe perire sinis:

ita recte emendarunt Scip. Gentilis et Heinsius, pro *labe:* auctor Ciris, vers. 253,

> Dulcia deinde genis rorantibus oscula figens
> Persequitur miseræ causas exquirere tabis;

ita legendum; vulgo, « causas exquirere talis: » supra dixerat, « amor noto te macerat igne; » et, « Nec levis hanc faciem (neque enim pote) cura subedit; » ubi quoque vulgo inepte *subegit:* et versu proxime sequenti, pro *Rhamnusia fallit*, legendum, *Amathusia fallar; Amathusia* est *Venus.* Deinde, pro *præmisit membra*, Gronovius vult *promisit*, metaphora a *debitoribus* sumta, qui *instantibus* creditoribus *promittunt.* Acute et ingeniose. Sic Phædr. III, Epil. v. 19: « Et mors vicina flagitabit debitum. » Sed nihil mutandum puto. Eleganter dicuntur membra *præmitti*, quando ægrotus lento et diuturno morbo gradatim evanescit, et *nil præter cutem morti relinquit*, ut de Tithono Horatius; quum « consumta membra Ad minimum redigantur onus, » secundum Ovidium, Metam. XIV, 149.

270. *Vates longæva infernæ Dianæ* est Sibylla, quam « lucis Hecate præfecit Avernis, » ut de ea Virgilius, Æneid. lib. VI, 564.

272. *Si Thessalicis Admetus in oris Silva una retro Phylaccida rettulit umbram.* Ita in antiquis editionibus legitur hic locus, quem per se satis depravatum, depravatiorem primus reddidit Domitius; quem se-

cutæ sunt plures editiones, et inter cæteras Gevartiana) pro *Silva una retro*, substituens *Silva una tetra*, et novo commento inducens umbram Admeti *referentem* umbram *Phylaceida*, i. e. *Protesilai*, ex inferis. Omnia falsa; et si vera essent, sensum Statio dignum non efficientia. Nihil igitur hunc moramur; ecce enim adest Heinsius, qui ad Ovid. Fast. I, 287, pro « Thessalicis Admetus in oris » legit « Thessalicas Alcestin in oras, » voce *Alcestin* absorpta in præcedente *alicis*, propter similitudinem literarum; cujus rei multa ibi et præclara sane exempla profert: et pro *Silva una*, ad Ovid. Heroid. XIII, 35, legit, litera mutata, *Si lux una*, quoniam *unus dies* Protesilao impetratus est, quo ad superos rediret, narrante Luciano in Dialogis Mortuorum; ut totus locus hoc modo constituatur, « si Thessalicas Alcestin in oras, Si lux una retro Phylaceida rettulit umbram. » Velles hæc tam vera esse, quam sunt ingeniosa et Heinsiana. Primum enim, etsi Protesilaus *unum diem* impetraverit, quo uxorem Laodamiam reviseret, tamen quum nihil tale de *Alcestide* memoriæ mandetur, fieri non potest, ut verba *lux una* utrique, Protesilao et Alcestidi, ex æquo conveniant; quod tamen postulat constructio, si *lux una* rettulit Alcestin, si *lux una* rettulit Protesilaum. Deinde, si utrique hæc verba *lux una* æque applicari possent, non tamen sensui satisfacerent, utpote *causam* hujus *reditus* non designantia, quod factum est in prioribus exemplis descensus Æneæ et Orphei, illius ob *patrem*, hujus ob *uxorem;* ita etiam in his fieri oportuit, Alcestidis propter *maritum* Admetum, Protesilai propter *uxorem* Laodamiam. Stare igitur non potest *Alcestin*, et ad Umbras iterum detrudenda est herois rari exempli. Latet aliquid aliud, quod Gronovius hoc modo expedire conatur, Diatr. cap. 59: « si Thessalicis Admetus in oris, Si lasciva retro Phylaceia rettulit Umbram; » « ex *Silva una* fecimus, inquit vir doctissimus, *Si lasciva*, non sane distorta apicum mutatione, et sensu exigente. *Phylaceia* est ipsa Laodamia, quam *lascivam* vocat, quippe cujus amor et desiderium conjugialia gaudia nimis reminiscebatur. » Sed nec hæc possunt subsistere: quippe Admetus non *rettulit* umbram uxoris Alcestidis, sed ipse ab ea *referebatur*, quum ea seipsam interfecerit, ut ille ad vitam et superos remitteretur. Deinde vide verba: « Admetus Thessalicis in oris rettulit umbram; » quid ad rem, qua *regione* id fecerit Admetus, modo fecerit? satis fuisset dixisse, Si Admetus, si Laodamia umbram rettulit, cur non mihi idem liceat? *locus* inepta et superflua circumstantia est, quum nihil sensui addat; ut mirer Gronovium non vidisse obvium hoc, « si Thessalicas Admetus in oras rettulit Umbram. » Et sane scripsit Statius *Thessalicas* in *oras;* et ab hoc invento restitutionem hujus loci auspicabar; cujus restitutionis progressum vide: quum notum sit *Admetum* ex inferis ab Alcestide *reductum* esse, non illam ab illo, patet legendum esse: « si Thessalicas Admeton in oras Rettulit. » *Quænam* vero rettulit *Admetum? uxor, Alcestis:* atqui nulla in hoc loco vel *uxoris* vel *Alcestidis* vestigia; quæramus igitur porro, *quænam* rettulit *umbram Phylaceida;* seu *Protesilaum:* hunc

quoque rettulit *uxor, Laodamia.* Uterque igitur, Admetus et Protesilaus hoc commune habent, quod uterque ab *uxore* ex inferis reducti fuerint. Jam ergo analysi certissima pervenimus ad sensum loci: Si *uxor* rettulit Admetum in oras Thessalicas, si *uxor* retro rettulit Protesilaum, cur, etc. Nihil ex his negari potest; omnia firmissima. Provisa re, verba minimum negotii tibi exhibebunt: ecce:

> .... Si Thessalicas Admeton in oras,
> Si *conjunx* retro Phylaceida rettulit umbram,
> Cur nihil exoret, genitor, chelys aut ea, Manes
> Aut mea?

In voce *una* vides *unx*, ultimam partem τοῦ *conjunx*: *t* vero et *c* sæpissime commutantur. Sententiam sensu et comparatione similem habes in Lacrim. Etrusc. vs. 192:

> Ergo et Thessalici *conjunx* pensare mariti
> Funus, et immitem potuit Styga vincere supplex
> Thracius? ah quanto melius pro patre liceret!

Omnia eadem sunt. Ovid. Art. Am. III, 19, « Fata Pheretiadæ *conjunx* Pagasea redemit. » Si hoc in loco falsus sum, de certitudine posthac desperabo. *Admeton* vero pro *Admetum*, terminatione Græca, ut *Cyllaron* apud Virgil.; *Mœnalon* Nostro, Thebaid. IX; *Menelaon* Ovidio; pro *Cyllarum*, *Mœnalum*, *Menelaum*: innumera exempla, et ubique invenies; Ovidius, Amor. III, 6, 29 et seq.

> Quid? non Alpheon diversas quærere terras
> Virginis Arcadiæ certus adegit amor?

In eadem elegia habes *Asopon*, *Inachon*, *Achelöon*. Sic vocem *Hymenæon* Claudiano restituit Heins. Rapt. Proserp. II, 230, ubi ante erat *Hymenæus. Umbram Phylaceida*, *Protesilaum*, quem *Phyllacidem heroa* vocat Propertius, Eleg. I, 19, 7, sqq. in hac historia:

> Illic Phyllacides jucundæ conjugis heros
> Non potuit cæcis immemor esse locis;
> Sed, cupidus falsis attingere gaudia palmis,
> Thessalis antiquam venerat umbra domum.

Conjugem Phylaceiam Laodamiam vocat Ovid. Trist. V, 14, 39. Vide autem artificium et τὴν ἀκρίβειαν Papinii in hac argumentatione: Si duo *viri*, Æneas et Orpheus, ille ob *patrem*, hic ob *minorem causam*, scilicet *uxorem*, potuerunt *vivi descendere* ad inferos, quare non mihi quoque hoc permissum sit, quum Æneam causa æquem, Orphea superem? Cur non ad te, o pater, ego descendam? Hucusque ex *sua* parte. Jam ad *patrem*: Si duæ etiam *mulieres* (et quanto hoc minus quam *viri!*) potuerunt *referre* ex inferis *maritos* suos, quanto justior est causa, ut tu veniam *redeundi* obtineres, *pater* nempe ad revisendum *filium?* Cur non ad me, o pater, tu ascendas? Ex priore parte hujus argumentationis patet retinendum esse *Detulit*, supra vs. 270 (ubi primum legendum esse *Rettulit* contenderat Markland., cujus notam sustulimus. A.), quum

de *descensu* tantum agat. *Retro retulit* ut apud Phædr. II, 1, 6, *retro pedem retulit;* ubi vide notas. Ita *retro redire* apud Ovid. Metam. XV, 249; *retro se recipere*, Eutrop. II.

283. *Et in media componat molliter alga.* Servius ad Virgilii Æneid. VI, 416, « Informi limo glaucaque exponit in *ulva*, » hæc habet: « *Ulva.* Herba palustri; quum marina dicatur alga; ut, *illisæ cautibus algæ.* » Si hæc observatio vera sit, et perpetuo vera, pro *alga* hoc loco legendum est *ulva.* Et sane hæc vox de *fluviali* herba sæpenumero occurrit, ut Via Domitiana, v. 68, de Vulturno, « crinem mollibus impeditus ulvis; » et Theb. IX, 419, de Ismeno, ut legendum esse locum supra monui, « stetit arduus alto Amne, simulque genas, et nexa virentibus ulvis Cornua concutiens, etc. » et ita passim apud omnes; non enim opus est exscribere, quæ ubique occurrunt. Sed aliud suadet usus, qui potior est centum grammaticorum auctoritatibus. Noster, Arb. Ated. vs. 33, « stagnisque sub altis, Pana sequi credens, ima latus implicat alga; » Theb. IX, 245, « ruit omnis in imos Turba lacus, viridesque metu stipantur in algas; » de *fluviis*, non *mari*, utroque loco agitur. Rutilius, Itinerario, I, 385, loco notissimo, de Judæis:

> Vexatos frutices, pulsatas imputat algas,
> Damnaque libatæ grandia clamat aquæ;

de *fluvio* loquitur. Recte igitur *alga* hoc loco.

285. *Illustremque animum Lethæis spargite sertis.* Recte; nec quidquam mutandum: Epithal. Stell. vs. 21, « Floribus innumeris et olenti spargere nimbo; » Apuleius, Miles. X, pag. 234, « Hinc Gratiæ gratissimæ, inde Horæ pulcherrimæ; quæ jaculis floris serti et soluti deam suam propitiantes, scitissimum construxerunt chorum, dominæ voluptatum Veneris coma blandientes. » Ita vulgo editur: et pro *Veneris coma*, reponunt *veris coma*, et interpretantur *flores;* sed hoc ante dixerat Apuleius. Codex Bertin. habet *corno:* lege, « dominæ voluptatum Veneri como blandientes; » *como*, κώμῳ, *comessatione.* Græcis vocibus libenter utitur Apuleius; ita, paullo ante, *bellicosum hormum.*

287. *In quo falsa dies, cœloque simillimus aer.* Atqui Pluto, postquam Proserpinam rapuisset, illam solatur promissione *purioris* luminis, apud Claudian. XXXV, de Rapt. Proserp. lib. II, 282 et sqq.

> Amissum ne crede diem: sunt altera nobis
> Sidera; sunt orbes alii; lumenque videbis
> Purius, Elysiumque magis mirabere solem;

et Val. Flacc. in descriptione sedis beatorum, I, 844, « ubi sol, totumque per annum Durat aprica dies, thiasique, chorique virorum: » non hæc bene conveniunt cum epitheto *falsa;* nisi per *falsam diem* intelligat lucem quæ *simulat* et imitatur hanc nostram superam; ut, *cœlo simillimus aer,*

« huic nostro cælo simillimus : » et hoc verum est ; ita supra, vs. 261, *falso somno*, qui *similitudinem* habuit *somni*.

288. *Qua porta malignum Cornea vincit ebur.* Ad fabulam quam eleganter expressit Virgil. Æneid. VI, 894 :

> Sunt geminæ Somni portæ : quarum altera fertur
> Cornea ; qua veris facilis datur exitus Umbris :
> Altera candenti perfecta nitens elephanto ;
> Sed falsa ad cælum mittunt insomnia Manes.

Adde Horat. Carm. III, 27, 41 ; 39 sqq.

> . . . . . an vitiis carentem
> Ludit imago
> Vana, quæ porta fugiens eburna
> Somnium ducit ?

BERNART.

292. *Scipio sic plenos*, etc. De eo, et hac opinione, Eutrop. lib. III : « Cui viro divinum quiddam inesse existimabatur : adeo ut putaretur etiam cum numinibus habere sermonem ; » Aurel. Vict. c. 49 : « In Capitolium intempesta nocte eunti nunquam canes allatraverunt ; nec hic quidquam prius cœpit, quam in cella Jovis diutissime sedisset, quasi divinam mentem acciperet. » Ridiculum istud Caligulæ, de quo Suetonius, cap. 22 : « Et noctibus quidem plenam fulgentemque Lunam invitabat assidue in amplexus atque concubitum : interdiu vero cum Capitolino Jove secreto fabulabatur, modo insusurrans ac præbens invicem aures ; modo clarius, nec sine jurgiis. »

CARMEN IV.

AD SOMNUM.

Crimine quo merui juvenis, placidissime Divum,
Quove errore miser, donis ut solus egerem,
Somne, tuis? tacet omne pecus, volucresque, feræque,
Et simulant fessos curvata cacumina somnos:
Nec trucibus fluviis idem sonus; occidit horror
Æquoris, et terris maria adclinata quiescunt.
Septima jam rediens Phœbe mihi respicit ægras
Stare genas; totidem Œtææ, Paphiæque revisunt
Lampades, et toties nostros Tithonia questus
Præterit, et gelido spargit miserata flagello.
Unde ego sufficiam? non si mihi lumina mille,

VARIÆ LECTIONES.

8. Pro *Œtææ*, Parm. *Ætheæ*; et *revisēt* pro *revisunt*. De his *Œtæis* et *Paphiis lampadibus* vid. Gronov. ad Senec. Herc. Fur. vs. 132; et Gevartium, Papin. Lect. V, 8. Ven. *Otheæ*; et pro *revisunt*, *recusent*. Non dubito quin Statius scripserit, « totidem Œtææ Paphiæque recursant Lampades; » id est, *redeunt*. Virgil. Æneid. I, 662, « Urit atrox Juno, et sub noctem cura recursat. » Et ita alibi ille, et alii. — Ed. pr. *Ætheæ.... revisunt*. A.

10. *Et gelido spargit miserata flagello*. Nescio quo sensu aliquis dici possit *spargi flagello*. Voluit, opinor, « et gelido tangit miserata flagello. » Sic infra, vs. 18, « extremo me tange cacumine virgæ; » Thebaid. lib. XI, vs. 150, « quum vero Acherontis operti Diva ter admoto tetigit thoraca flagello, Ardet inops animi; » VII, 579, « Has ubi vipereo tactas ter utramque flagello Eumenis in furias, etc. » Horatius, Carm. III, 26, 11, « Regina, sublimi flagello Tange Chloen semel arrogantem. » — Edit. princ. vulgatam tuetur. A.

11. Forte, *lumina centum*; et

Quæ sacer alterna tantum statione tenebat
Argus, et haud unquam vigilabat corpore toto.
Et nunc fors aliquis longa sub nocte, puellæ
Brachia nexa tenens, ultro te, Somne, repellit.
Inde veni; nec te totas infundere pennas
Luminibus compello meis (hoc turba precetur
Lætior); extremo me tange cacumine virgæ;
Sufficit, aut leviter suspenso poplite transi.

seq. versu forte quoque, *q. tantum in statione*. Ed. pr. nil mutat. Vide not. ad vs. 12. A.

14. Vulgo, *At nunc, heus, aliquis;* etiam apud ed. pr. A.

15. Pro *nexa*, forte legendum *nixa;* Propert. I, 16, 33, « Nunc jacet alterius felici nixa lacerto; » ubi tamen codex Palat. habet *nexa*. — Ed. pr. *nexa*. Mox pro *somne*, eadem *somno*, vitio typorum. A.

17. *Hoc turba precatur Lætior: extremo*, etc. Immo *precetur*, ex sensu. Ita Silv. II, 2, 139, « illo alii rursus jactentur in alto; » ubi male erat *jactantur* : vide quæ ibi adnotavi. — Ed. pr. *precatur*. A.

19. Pro *leviter*, Ven. Parm. et Rom. *levior;* et puto rectius : si enim retineas *leviter*, dictum fuisse oportuit « leviter et suspenso poplite. » — Ed. pr. *levior*. A.

NOTÆ

IN CARMEN QUARTUM LIBRI QUINTI

SILVARUM.

Ad Somnum. Dolore obitus paterni in vigilias ita inciderat (siquidem hæc Silva statim sequitur Epicedium patris), ut jam septem diebus somnum non admiserit : quo incommodo languescens, Somnum rogat, ut se ei impertiatur. Domit.

Vers. 12. Pro *alterna tantum statione*, Barthius mavult *alterna tamen in statione :* frustra : non enim opus est, quum constructio sit, « statione tantum alterna ; » *non continua, vicibus suis*, ut de iis Ovidius, qui *centum* tantum refert, non *mille*. Heinsius ad Ovidii Heroid. XVI, 314, hunc locum ita legit : « Quæ vafer alterna cante in statione tenebat Argus. » Et de priore parte emendationis *vafer* pro *sacer* facile concedo ; vide exempla quæ ibi adducit ; et ita profecto ego conjeceram, antequam hoc Heinsii videram. De cetero, non opus est ulla mutatione ; quum, ut dixi ante, constructio sit, statione *tantum alterna*. Forte tamen inserenda præpositio, « alterna tantum in statione tenebat, » elisa a præcedente litera *m ;* quia Ovidius, quem Noster imitatur, dixit, « Cetera servabant, atque in statione manebant? » ob quam rationem suspicor quoque Statium scripsisse *lumina centum*, non *mille*. Ille, Met. I, 625, « Centum luminibus cinctum caput Argus habebat ; » licet numerum augeat, Amor. III, 4, 19, « Centum fronte oculos, centum cervice gerebat Argus ; » Claudianus, XXI, in Pr. Cons. Stilich. I, 312 et seq.

> Argum fama canit centeno lumine, centum
> Corporis excubiis unam servasse juvencam.

Huic numero alludit Phædrus, Fab. II, 8 ; Apollodorus, Hyginus, et Val. Flaccus numerum non determinant. Imitatio tamen Ovidiana suspicioni meæ favet. Vox *mille* forte debetur repetitioni similium syllabarum *mina* vocis præcedentis.

14. *At nunc, heus, aliquis longa sub nocte*, etc. Inscitissime fecit Statius, si huic loco inseruit interjectionem vocantis *heus*, quæ nullius venustatis, nullius usus est, nisi ut versum impleat ; et ideo, si eam omit-

tas, melius procedet sensus. Servius ad Virgil. Æneid. I, 321, « *Heus*, inquit, juvenes, etc. » hæc notat : « *Heus* nunc adverbium vocantis est; alias interjectio dolentis est, ut, *Heus etiam mensas consumimus! inquit Iulus.* » Atqui fallitur Servius; quippe *heus* eo loco (qui est Æn. VII, 116) non *dolentis* est Iuli, sed *ludentis*, et *faceti*, et rem insolitam *cum joco* notantis; statim enim sequitur, « Nec plura adludens. » Sed et si *dolentis* aliquando sit *heus*, huic tamen loco non congruit: Statii enim non erat *dolere* quod aliquis tenens brachia nexa puellæ ultro somnum repelleret : hoc omnem *invidiam* et *malignitatem* superaret, sine ullo inde fructu; unde Bernartii *Heu aliquis* refellitur. Nec si hæc omnia concedamus, sanus adhuc erit locus. Unde enim scire potuit Statius, unde tam præfracte affirmare, aliquem tenentem puellam in brachiis ultro somnum repellere? *Conjicere* quidem hoc potuit, sed non pro comperto *affirmare*. Ergo scripsisse debuit, « et nunc forte aliquis tenens, etc. » et sane ita scripsit, « Et nunc fors aliquis, longa sub nocte, etc. » est enim imitatio Virgilii, Æneid. XI, 50, « Et nunc ille quidem spe multum captus inani Fors et vota facit; » ita in Tiburtino Vopisci, vs. 62 :

> Et nunc ignaræ forsan vel lubrica Nais
> Vel non abruptos tibi debet Hamadryas annos.

Quibus in locis si ejicias *fors* et *forsan*, facis Virgilium et Statium *affirmantes* res *incertas*, et de quibus *conjectari* tantum licuit; plane ut in hoc negotio. *Fors*, ut Coma Ear. vs. 5, « fors et de puppe timenda Transferet; » et Herc. Surrent. vs. 162, « (Da veniam Alcide) fors huic et pensa tulisses. »

16. Pro *totas pennas*, Barthius, Advers. XVIII, 17, proponit *totis pennis* : frustra : vide enim Theb. II, 208, de Fama ;

> Nec minus Ogygias eadem Dea turbida Thebas
> Insilit, et totis perfundit mœnia pennis ;

ubi « perfundere mœnia *totis pennis*, » est « infundere *totas pennas* mœnibus : » ita « infundere *pennas totas* luminibus, » est idem quod « perfundere lumina *totis pennis*. » Recte itaque *pennas totas*.

CARMEN V.

EPICEDION

IN PUERUM SUUM.*

Me miserum (neque enim verbis solennibus ulla
Incipiam nunc, Castaliæ vocalibus undis
Invisus, Phœboque gravis)! quæ vestra, sorores,
Orgia, Pieriæ, quas incestavimus aras?
Dicite : post pœnam liceat commissa fateri.
Numquid inaccesso posui vestigia luco?
Num vetito de fonte bibi? quæ culpa? quis error,
Quem luimus tantis mœroribus? ecce lacertis

VARIÆ LECTIONES.

* *Epicedion in filium.* Ita vulgo editur inscriptio miselli hujus carminis, ultimi inter Statiana tam ordine quam genio. Quomodo vero *filius?* quum ipse dicat, vers. 10, « Non de stirpe quidem, nec qui mea nomina ferret Oraque ; non fueram genitor. » Recte igitur conjeci *puerum :* cui addit Parmensis *suum ;* et ita edidi. Sic, vers. 52, « ignosce, puer; tu me caligine mersum Obruis ; » et 79, « Nonne gemam te, care puer? quo sospite, natos Non cupii ; » et ita lib. II, carm. 6, Consolatio ad Fl. Ursum de Amissione pueri delicati. Totum hoc carmen corruptissimum est : quamobrem plusculum mihi in illud permisi libertatis ; quam tamen eruditis me approbaturum esse spero. Mihi videtur Statius imperfectum reliquisse. Titulus in Ven. (et edit. pr. A.) est, *Ad Musas :* inepte.

2. Vulgo, *Incipiam, nec Castaliæ;* quod et habet ed. pr. Conf. not. A.

6. Edit. pr. *in accesso,* voce divisa. A.

8. Pro *mœroribus,* Parmens. *morientibus;* et pro *lacertis* eadem *lacessis;* Rom. *lacessit;* quod placuit Barthio, Adversar. XIII, 10. Sed *lacertis* bene defendit Gronovius,

Viscera nostra tenens animamque, avellitur infans;
Non de stirpe quidem, nec qui mea nomina ferret
Oraque; non fueram genitor : sed cernite fletus,
Liventesque genas, et credite planctibus orbi;
Orbus ego : huc patres, et aperto pectore matres
Conveniant; cineresque oculis, et munera ferte.
Si qua sub uberibus plenis ad funera natos
Ipsa gradu labente tulit, madidumque cecidit
Pectus, et ardentes restinxit lacte favillas;
Quisquis adhuc teneræ signatum flore juventæ
Immersit cineri juvenem, primaque jacentis
Serpere crudeles vidit lanugine flammas,
Adsit, et alterno mecum clamore fatiscat :
Vincetur lacrimis, et te, Natura, pudebit :
Tanta mihi feritas, tanta est insania luctus!
Hoc quoque cum *** in ter dena luce peracta

Diatr. c. 60. Primus ita emendavit Politianus, Epist. VI, 1. — Edit. pr. *mœroribus... lacessit.* A.

9. *Viscera nostra tenens, animaque avellitur infans.* Ferri potest; ut constructio sit : « Ecce infans, tenens viscera nostra, avellitur lacertis animaque : » et ita vult Heins. ad Claudian. pag. 37; qui ibidem testatur editiones quasdam vetustas habere *animamque*, quemadmodum ego conjeceram : et unice verum est *viscera animamque tenens*, propter conjunctionem *que;* quæ ad proximum *viscera*, non ad remotius *lacertis*, referenda est. Ita Piet. Abasc. Silv. V, 1, 47, loco simili, « Visceribus totis, animoque amplexa fovebat. » — Ed. pr. *animaque;* et *evellitur* pro *avellitur.* A.

11. Pro *Oraque*, legendum *Orave :* « nec qui mea nomina ferret Orave. » — Ed. pr. *Oraque.* A.

14. Pro *cineresque oculis*, forte *crinesque rogis.* Pro *munera*, vulgo (etiam apud ed. pr. A.) *carmina.* Vid. not. ad vs. 13.

17. Pro *restinxit favillas*, Parm. *restrinxit papillas;* et ita Domitii Codd. qui primus recte fecit *favillas.* Retinuit tamen *restrinxit;* et ita editio Gronovii : male; nisi sit operarum culpa. — Ed. pr. vulgatam exhibet. A.

19. *Primăque jacentis Serpere crudeles vidit lanugine malas.* Ita Parm. et sic Domitii Codices, sine sensu. Eidem debetur hujus quoque loci restitutio, *lanugine flammas;* de qua non est dubitandum. — Edit. pr. *primaque*, sine apice : mox *malas*, et *crudelis* pro *crudeles.* A.

24. Ita MSS. Vulgo *cum meditor ter dena :* quod plane habet ed. pr. Conf. not. A.

Acclinis tumulo, luctus in carmina verto,
Discordesque modos, et singultantia verba
Molior. Orsa *** est : atque ira tacendi
Impatiens : sed nec solitæ mihi vertice laurus,
Nec fronti vittatus honos : en taxea marcet
Silva comis, hilaresque ederas plorata cupressus
Excludit ramis : ignavo pollice chordas
Pulso; sed incertum digitis errantibus amens
Tundo chelyn : juvat heu! juvat illaudabile carmen
Fundere, et incomte miserum laudare dolorem.
Sic merui; sic me cantuque habituque nefastum
Adspiciant Superi : pudeat Thebasque novumque
Æacidem : nil jam placitum manabit ab ore.
Ille ego, qui toties blandus matrumque patrumque
Vulnera, qui vivos potui mulcere dolores;

26. Pro *Discordesque modos, et singultantia verba*, Venet. *Discordesque in singultantia verba*, spatio quoque relicto. — Ed. pr. vulgatam tuetur. A.

27. Sic MSS. Vulgo, *orsa dolor prohibet, atque ira;* quod plane habet edit. pr. ut et *Mollior* pro *Molior*. Vide not. ad vs. 24. A.

31. Forte legendum, *Excludit: tenues ignavo*, etc. Ed. pr. *Excludit ramis i.* nulla distinctione habita. Conf. not. ad vs. 30. A.

32. Vulgo *incertam*, et versu proxime seq. *Scindo* pro *Tundo;* etiam apud edit. pr. Vide not. A.

34. Pro *laudare*, forte reponendum *nudare*. Ed. pr. vulgatum versum tuetur. Vide not. ad vs. 33. A.

37. *Nil jam placidum manabit ab ore.* Immo *placitum;* nil quod ante *placuit*, posthac manabit ab ore : unde modo dixit, « pudeat Thebasque novumque Æacidem. » Ita Thebaid. VII, vs. 190: « placitusque vagæ Nycteidos ardor; » ut recte ex scriptis Gronovius, quem vide; Ovidius, Heroid. XIX, 208: « Tum placitas tuto pectore finde vias; » ita Heinsius ex Cod. Scriver. pro *placidas:* vide eum fuse agentem, ibi, et ad Art. Amat. I, 37, et alibi; et cl. Drakenborch. ad Sil. Italic. I, 11. — Edit. princ. *placidum*. A.

38. Pro *blandus*, Parm. *blando*. — Ed. pr. *blandus*. A.

39. *Qui vivos potui mulcere dolores.* Nihil mutant editiones; et tamen, nisi fallor, scripsit Statius, « qui veros potui mulcere dolores; » non *fictos*, non *simulatos* dolores, sed *veros*, qui maximi sunt, et amarissimi, et mulceri difficillimi. Sic Præfat. lib. III, « quum lugeret veris (quod amarissimum est) lacrimis senem patrem. » Ita *veros timores* Val. Flacc. VI, 459,

Ille ego lugentum mitis solator, acerbis
Auditus tumulis, et descendentibus umbris,
Deficio, medicasque manus, fomentaque quæro
Vulneribus, sed summa, meis : nunc tempus, amici,
Quorum ego manantes oculos et saucia tersi
Pectora, reddere opem, sævasque exsolvere grates.
Nimirum tunc vestra domans ego vulnera, mœstos
Increpui : nunc damna dolens alterna, reposco
Infelix lacrimas, et mitia carmina quæro.
Verum erat; absumtæ vires, et copia fandi
Nulla mihi, dignumque nihil mens fulmine tanto
Repperit; inferior vox omnis, et omnia sordent
Verba : ignosce, puer; tu me caligine mersum

et alibi; et Horat. Carm. I, 37; et Epist. I, 17, 57 : « Nulla fides lacrimis verisque doloribus adsit. » *Veros fletus* Ovid. Met. XI, 673; *vera gaudia* Heroid. XIII, 108; *verus ignis* Propert. I, 9. Vide Burmannum ad Ovid. Art. Amat. I, 62. Contra, apud Horat. in Art. Poet. vs. 318, pro *vivas voces*, supposuerunt *veras*. Vide ad Val. Flacc. V, 395.

43. Pro *amici*, Parm. *amicam*. — Ed. pr. *amici*. A.

45. *Reddite opem, sævas exsolvite grates*. Dudum emendaveram : « nunc tempus, amici (Quorum ego manantes oculos et saucia tersi Pectora) reddere opem, sævasque exsolvere grates; » ut apud Horat. I, 37 : « nunc Saliaribus Ornare pulvinar Deorum Tempus erat dapibus, sodales; » et exempla ubique. Sed sero video Heinsium quoque ita castigasse hunc locum, ad Claudian. Præfat. lib. I, in Rufin. v. 4. Sensus quidem est in altera lectione; sed hanc postulat poetica. — Ed. princ. *reddite opem : sævas exolvite g*. A.

46. Vulgo, « Nimirum quum vestra domus ego funera *mœstus*. » Pro *cum vestra*, Veneta, *cur*. — Edit. princ. *cum vestra domans ego funera questus*. A.

47. Vulgo (etiam apud edition. principem. A.), « Increpito, tunc damna dolens aliena, repono; » et sequenti versu, *tristia carmina servo*. Pro *repono*, Veneta, *repone;* et *serva* pro *servo*. Corruptissima hæc sunt : vide not.

50. Pro *flumine*, quod habent plures editiones, recte Scriverius *fulmine*, ut Epiced. Glauc. vs. 30, « me fulmine in ipso Audivere patres; » et ita sæpe. — Ed. pr. *fulmine*. A.

52. Pro *mersum*, vulgo (etiam apud edit. princ. A.) *mœstum;* et sequenti versu, *Obruis : a duro viso*, etc. quod et habet edit. pr. Conf. not. A.

Obruis ah! dira : viso sic vulnere caræ
Conjugis, invenit caneret quod Thracius Orpheus
Dulce sibi; sic busta Lini complexus Apollo
Non tacuit. Nimius fortasse, avidusque doloris
Dicar, et in lacrimis justum excessisse pudorem.
Quisnam autem gemitus, lamentaque nostra reprendit?
O nimium felix, nimium crudelis, et expers
Imperii, Fortuna, tui, qui dicere legem
Fletibus, aut fines audet censere dolendi!
Incitat, heu! planctus : potius fugientia ripas
Flumina devincas, rapidis aut ignibus obstes,
Quam miseros lugere vetes : tamen ille severus,
Quisquis is est, nostræ cognoscat vulnera causæ.
Non ego mercatus Pharia de pube loquaces
Delicias, doctumve sui convicia Nili
Infantem, lingua nimium, salibusque protervum
Dilexi : meus ille, meus : tellure cadentem
Excepi, et vinctum genitali carmine fovi;

56. *Nimius fortasse, avidusque doloris Dicor.* Statim repone, *Dicar,* id est, *dici possim.* Hoc sensus postulat. Ovid. Art. Amat. III, 115, « Adspice, quæ nunc sunt Capitolia, quæque fuerunt; Alterius dicas illa fuisse Jovis; » id est, *dicere possis.* Sic Kal. Dec. vs. 55, prout legendum, « Credas ad Tanaim ferumve Phasin, Thermodontiacas calere turmas. » Exempla ubique. Sic *devincas,* infra, vs. 63, ubi male Parm. *devinces.* — Ed. pr. *Dicor.* A.

58. Venet. *reprendis* pro *reprendit;* quod verum esse potest; ut Philet. Ursi, vs. 1, « Sæve nimis, lacrimis quisquis discrimina ponis. » — Ed. pr. *rependit.* A.

63. Pro *Flumina,* edit. pr. *fulmina.* A.

64. Pro *vetes,* ed. pr. *voles.* A.

66. *Pube.* Vulgo *puppe;* etiam apud edit. pr. quæ, seq. vers. pro *Delicias, doctumve,* habet *Edituas doctumque.* Conf. not. A.

68. Pro *Infantem,* Parm. monstrose, *Infastate.* — Ed. pr. *Infantem.* Mox, vulgo, *linguaque simul.* Edit. princ. *lingua simium.* Vide not. A.

70. Pro *Excepi, et vinctum,* Parm. et Rom. *Aspexi : atque unctum :* frustra : Epith. Stell. v. 109, « tellure cadentem Excepi, fovique sinu : » *recipere sinu* dicit Geneth. Lucan. vers. 38; *suscipere gremio* Claudian. in Rufin. I, 94. Recte quoque *et vinctum;* Ovid. Ibide, de illo recens nato, v. 235, « Membraque vinxerunt tinctis ferrugine

Pulsantemque novas tremulis ululatibus auras
Inserui vitæ : quid plus tribuere parentes?
Quin alios ortus, libertatemque sub ipsis
Uberibus tibi, parve, dedi; tu munera nostra
Ridebas, ignarus adhuc : properaverit ille,
Sed merito properabat, amor; ne perderet ullum
Libertas tam parva diem : nonne horridus ipsos
Invidia Superos, injustaque Tartara pulsem?
Nonne gemam te, care puer? quo sospite, natos
Non cupii; primo gremium cui protenus ortu
Adplicui, fixique meum; cui verba, sonosque

pannis; » ubi vide not. Burmanni; Plinius, Procem. lib. VII Hist. Nat. de homine : « Ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, et omnium membrorum nexus : itaque feliciter natus jacet, manibus pedibusque devinctis, fleus animal ceteris imperaturum. » Argute et eleganter. — Ed. pr. *Aspexi : atque unctum*, etc. A.

71. Vulgo, *Poscentemque novas*, etc. quod et retinet edit. pr. Vide not. A.

72. Pro *Inserui*, Parm. *Inferni*. — Ed. pr. *Inserui*. A.

73. Pro *ortus*, Parmens. *artus;* Rom. *arctus*. — Ed. pr. *artus*. A.

74. Vulgo, *heu munera;* etiam apud edit. princ. quæ, sequenti versu, pro *ignarus*, habet *ingratus*. Conf. not. A.

75. *Properaverat ille, Sed merito properabat, amor*. Parmensis habet *properaverit;* quod unice verum est. Objectio est, et objectionis solutio. Dicet aliquis; Satis festinus fuisti, o Stati, in amore tuo erga hunc puerum, donando illi libertatem adhuc infanti. Respondet Statius; Sed merito properavi et festinus fui in donando libertatem quæ tam brevis futura fuit. *Properaverit* est *sit ut properaverit*, vel *licet properaverit*, concedo ut properaverit; *tamen* merito properavit. Horatius, Serm. I, 10, v. 64 : « Fuerit Lucilius, inquam, Comis et urbanus; fuerit limatior idem, Quam rudis, et Græcis intacti carminis auctor, Quamque poetarum seniorum turba; sed ille, Si foret hoc nostrum fato dilatus in ævum Detereret sibi multa; » id est, *Sit ut* Lucilius *fuerit* comis et urbanus, *tamen*, etc. Ovid. Art. Am. I, 53 : « Andromeden Perseus nigris portarit ab Indis, etc. » — Edit. princ. *properaverat*. A.

76. *Ullum;* ed. pr. *omnem*. A.

78. *Injustaque*. Edit. pr. *Infaustaque*. A.

80. Pro *Non cupii*, Parmens. et Domitii codices *Concupii;* unde ille bene emendavit. — Edit. pr. *Non cupii;* et sequentia sic habet : *p. gemitum qui p. o. Implicuit fixitque mihi*. Vide not. A.

Monstravi, questusque et murmura cæca resolvens;
Reptantemque solo demissus ad oscula dextra
Erexi, blandoque sinu, jamjamque natantes
*Exercere genas, dulcesque accersere somnos :
Cui nomen vox prima meum, ludusque tenello
Risus, et e nostro veniebant gaudia vultu.

* * *

(*Desunt cætera.*)

82. Vulgo : *Monstravi* (*questusque et vulnera cæca resolvam*) ; etiam apud edit. princ. de quo vide not. A.

83. Pro *dextra*, Ven. *nostra*. — Ed. pr. *dextra*. A.

84. Lege : *blandique sinus j. j. n. Excepisse g.* et vide not. Ed. pr. *blandoque sinus j. j. nitantes Excepere g.* A.

85. Pro *accersere*, Ven. *arescere* ; et mox *tenebo* pro *tenello*. Plures sunt hic illic varietates, ex quibus tamen nihil bonæ frugis exculpi posse puto ; et tædet in hoc luto diutius hærere. — Ed. pr. nil mutat. A.

NOTÆ

IN CARMEN QUINTUM LIBRI QUINTI

SILVARUM.

• EPICEDION IN PUERUM SUUM. Epicedium est in puerum, quem infantem amisit, quum adoptasset, simul ac natus est. DOMIT.

VERS. 1. *Neque enim verbis solennibus ulla Incipiam, nec Castaliæ*, etc. Recte monuerunt viri doctissimi Petr. Scriverius et Isacius Pontanus scribendum esse, « neque enim verbis solennibus ulla Incipiam nunc, Castaliæ, etc. » referente Gronovio, Diatr. 60, ubi etiam notat artificium Papinii, quod in gravissimo luctu suspendit versum illo, *Incipiam nunc*, quasi singultu interstinguat. Verissimum hoc: et similis ars est Silv. II, 6, 12, sqq. ubi versus etiam singultit et frangitur:

> . . . . ne comprime fletus,
> Ne pudeat: rumpat frenos dolor iste; (Deisne
> Hei! tam dura placent?) hominem gemis, (hei mihi! subdo
> Ipse faces) hominem, Urse, tuum cui dulce volenti
> Servitium.

In his affectibus exprimendis, nemini poetarum, ut mihi videtur, cedit Statius. Pro *ulla*, Barthius voluit *ultra*; sed refellitur a voce *nunc*.

13. *Huc patres et aperto pectore matres Conveniant, cineresque oculis et carmina ferte.* Corruptissimus locus. Et primum, pro *aperto pectore* forte legendum *apertæ pectora*, ut apud Ovidium a quo hæc sumta sunt, Metam. XIII, 687 et seq.

> Ante urbem exsequiæ, tumulique, ignesque, rogique,
> Effusæque comas, et apertæ pectora matres;

licet *aperto pectore* idem dixerit, Fast. III, 15, « Fessa resedit humi, ventosque accepit aperto Pectore; » et ita alibi sæpe. Nihil igitur hic mutandum, contra omnia exemplaria. Monstra autem sunt quæ sequuntur, *cineresque oculis et carmina ferte*. Quomodo enim *ferrent cineres oculis?* an *excæcare* eos voluit Statius? *cineres* quidem *genis* et *capitibus* gestare solitos veteres in rebus luctuosis notissimum est; vide quæ no-

tavi ad Piet. Abasc. vs. 219; sed quis unquam *tulit cineres oculis* hac occasione? Nec melius istud *carmina*. *Poetæ* quidem dici possent *ferre* vel *inferre*, vel *conferre carmina* amicorum tumulis et Manibus; sed nihil hoc ad *matres*, quæ *comas* suas et *dona ferre*, et injicere solebant *pyris* ardentibus, non *carmina*. Habes jam veritatem, « crinesque rogis et munera ferte. » Nihil certius puto hac emendatione. Et de *crinibus* injectis *rogo* seu *rogis* norunt pueri. Noster, Theb. VI, 193, in funere Opheltis,

> At genitor, sceptrique decus, cultusque Tonantis
> Injicit ipse rogis, tergoque et pectore fusam
> Cæsariem ferro minuit, sectisque jacentis
> Obnubit tenuia ora comis;

Ovidius, Met. XIII, 427,

> Hectoris in tumulo canum de vertice crinem,
> Inferias inopes, crinem, lacrimasque reliquit;

Martialis, Epigr. X, 1, 2 et seq.

> Mutet Honor cultus, et iniquis munera flammis;
> Mitte coronatas, Gloria mæsta, comas.

Recte etiam et proprie *ferre munera rogis*: Ovid. Fast. II, 534, « Parvaque in exstinctas munera ferte pyras; » Noster, Thebaid. VI, 168, « quid dona, duces, quid inania fertis Justa rogis? » Lacrim. Etrusc. vs. 34, « Tu messes Cilicumque Arabumque superbis Merge rogis:... nos non arsura feremus Munera; » Ovid. Trist. III, 3, 81; « Tu tamen exstincto feralia munera ferto. » Innumera huc pertinentia ex utriusque linguæ auctoribus exscribere possem, nisi rem per se satis claram putarem, etiam sine ullis exemplis. Voces autem *crines* et *cineres* perpetuo commutantur in MSS. Sic Epiced. Patr. vs. 105, pro *crinemque*, Parm. et Rom. ex MSS. expressæ habent *cinerem*; et ita alibi non semel in his Silvis, et multis aliis aliorum auctorum locis. Pro *rogis* scriptum fuisse videtur *rocis*, propter similitudinem literarum *g* et *c*: inde *ocis*, *oclis*, *oculis*; quali fere errore *rogo* et *loco* commutantur apud Propert. I, 19, vs. 20. *Munera* vero et *carmina* sæpe subierunt vices: sic Tibull. IV, 1, vs. 7, pro *munera parva*, Ach. Statii Codd. habuerunt *carmina*. Passim in criticorum scriptis et variis lectionibus invenies.

22. *Et te, Natura, pudebit.* Pudebit te, o Natura, quoniam ego, qui non sum natura pater hujus, plus lugebo, quam ea quæ mater est infantis, vel qui juvenem genuit. DOMIT.

24. *Hoc quoque quum meditor ter dena luce peracta.* Sic vulgo editur. Domitius vero fatetur se in suis libris invenisse, « Hoc quoque cum.... in terdena luce peracta, » unde se suggessisse dictionem *meditor*. In Ven. et Parmensi plane est, ut in Domitii exemplaribus, spatio relicto inter voces *cum* et *in*; unde Gronovius, Diatr. c. 60, (culpata hac sinistra Domitii liberalitate) ita scribit: « Si conjectura res expediri po-

test, scripsit Statius, *Hoc quoque dum nitor :* nam postrema syllaba in sequentem vocem subsedit. *Niti carmen* dicitur, qui magno labore velut e quercu exsculpit. Atque hoc si non placet, malo hæc et quarti versus verba (*orsa et atque ira tacendi*) cum lacunis ponere, ut in MSS. codicibus habebantur, quam pati, ut Domitius pro Papinio legatur. Quod et ipsi facturi sumus, quum edituri hunc poetam ; et qui nos occupabunt, aut secuturi sunt, eis idem ut faciant, consilium damus. » Pareo monitis tuis, vir doctissime ; et ita edidi. Placet etiam conjectura tua, « Hoc quoque cum *nitor ;* » quæ *laboris* est vox ; Ovidius, Met. II, 72, « Nitor in adversum ; nec me, qui cætera, vincit Impetus ; » Corn. Nepos, Attico, c. XV, « Idem in *nitendo quod* semel admisisset, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere : » et huic bene respondet τὸ *Molior*, vs. 27, pro quo Parm. et Ven., *Mollior :* et *orsa* *** *est : atque ira tacendi Impatiens*, quemadmodum edidi, rejecto Domitii figmento, « orsa *dolor prohibet*, atque ira ; » licet ita citantem videam Heinsium, ad Auctor. Consol. ad Liv. Aug. vs. 210, « Tristia quum medius rumperet orsa dolor ; » quemadmodum recte emendat pro *ossa dolor ;* adducto hoc Statii, seu potius Domitii loco ad confirmandam emendationem. *Orsa* sunt *verba*, ut Thebaid. II, 451, « Non ultra passus, et orsa Injecit Tydeus sermonibus obvia : Reddes, Ingeminans, Reddes : » ita legendum ; vulgo *Injecit mediis*, et *Ingeminat.*

30. *Hilaresque ederas plorata cupressus Excludit ramis.* Totus locus in omnibus quas vidi ita habetur :

> . . . . en taxea marcet
> Silva comis, hilaresque ederas plorata cupressus
> Excludit ramis : ignavo pollice chordas
> Pulso ; sed incertam digitis errantibus amens
> Scindo chelyn.

Statium vero non ita scripsisse sum certus ; quippe plane inepta est positio vocis *ramis, cupressus excludit ederas ramis.* Quid ad rem quo pacto *excludat ederas cupressus*, utrum *ramis*, vel *foliis*, vel quo alio modo, dummodo *excludat ?* in Epiced. Patr. vs. 8, « funestamque ederis irrepere taxum Extimui, trepidamque (nefas !) arescere laurum : » non dicit, « extimui taxum *ramis* irrepere ederis, » et « laurum *ramis* arescere ; » quippe otiosa et puerilis foret ea ingestio vocis *ramis ;* quemadmodum in hoc loco. Scio istud Horatii, carm. II, 15, 9, « Tum spissa ramis laurea fervidos Excludet ictus ; » sed ibi constructio est *spissa ramis*, non *excludet ramis.* Imperitiæ quoque argui potest Statius insequenti parte sententiæ, *ignavo pollice chordas Pulso ;* deest enim epitheton τοῦ *chordas*, quod sensum adaugeat et diffundat ; quale esset *mœstas* vel *tacitas*, vel quid ejusmodi. Certum igitur est a Statio fuisse hanc distinctionem, « hilaresque ederas plorata cupressus Excludit : ramis ignavo pollice chordas Pulso. » Sub voce *ramis* latet epitheton τοῦ *chordas ;* quod jam quærendum. Et Parmensis pro *Excludit* habet *Excludi ;* unde verisimillimum est, vocem proxime sequentem a litera t in-

cipere debere, *tramis ignavo pollice chordas;* unde exit, « tremulas ignavo pollice chordas Pulso : » quod optime quidem huic loco convenit, et poetis usitatissimum est. Quum vero Noster alibi, Epist. ad Marcell. vs. 52, hæc habeat, « ubi Ausonio se condidit hospita portu Parthenope, tenues ignavo pollice chordas Pulso ; » et hic quoque puto illum scripsisse, « hilaresque ederas plorata cupressus Excludit. Tenues ignavo pollice chordas Pulso; sed, etc. » de quo judicent alii. Hoc certum est, Statium sæpe repetere solere sua hemistichia.

32. *Sed incertam digitis errantibus amens Scindo chelyn.* Dudum quæro quo sensu dicat Statius se *chelyn scindere*; et nullus occurrit præter *dilacerare, divellere;* qui hoc loco ferri non potest : statim enim sequitur, « juvat, heu! juvat illaudabile carmen Fundere : » atqui si chelyn *scidisset, nullum* carmen fundere potuit. Lege : « sed incertum digitis errantibus, amens Tundo chelyn. » *Digitis incertum errantibus*, ut Theb. V, 212, « Turbidus, incertumque oculis vigilantibus ; » quod alibi vocat « dubium mixtumque sopori. » Ovidius, Heroid. X, 9,

> Incertum vigilans, a somno languida, movi
> Thesea pressuras semisupina manus ;

Horat. lib. II, S. 5, 100, « Et certum vigilans, Quartæ sit partis Ulixes, Audieris, hæres ; » Noster, Herc. Surrent. v. 163, « Hæc ego nascentes lætum bacchatus ad aras ; » ubi vide quæ notavi. Potes etiam legere et facile defendere « insertam digitis errantibus ; » sed verissimum puto *incertum errantibus;* per quod ostendit se huic uni cogitationi defixum esse; et digitos quidem habere in cithara, animum vero in puero defuncto. Ob quod etiam dicit *amens Tundo chelyn :* sine mente et proposito ullo *digitos infringo citharæ*, ut loquitur alibi, Achill. I, 575. Propertius, III, 17, 35 :

> Vertice turrigero juxta Dea magna Cybebe
> Tundet ad Idæos cymbala rauca choros.

Prima litera vocis *Tundo*, utpote initio versus, omittebatur. Deinde ex *undo* fecerunt *cindo*, quum *u* et *ci* vel *ic* ejusdem sint ductus, ut Epiced. Patr. vs. 94, pro *cura*, scriptum erat *cicla :* addiderunt tandem literam *S*, et sic exiit *Scindo chelyn.*

33. *Juvat heu, juvat illaudabile carmen Fundere, et incomte miserum laudare dolorem.* Vides *illaudabile carmen*, et statim *laudare dolorem ;* quod per se suspicionem movet. Sed magis movebit, si quæras quid sit *laudare dolorem*, aut quomodo in idioma linguæ tuæ vertenda sit hæc locutio, ut sensus constet. Gronovius ita, Diatr. c. 50 : « Epicedio in Puerum veruam *laudare dolorem* dixit ; quia nimirum in dolore seu luctu laudabatur defunctus. *Laudare* verbum funebre. Glossarium : Ἐπιτάφιος, *epitaphium*, *nænia*, *laudatio.* Inde Statius, *incomte miserum laudare dolorem*, id est, incomte laudare defunctum in dolore, vel per dolorem miserum. Quare errat vir nobilissimus (Barthius), qui corri-

git *lacerare dolorem*, aut *laudare* compellare explicat, lib. XIV Advers. c. 7. Nec placet quod P. Scriverius noster volebat, *cantare*. » Non stare potest hæc Gronovii explicatio. Primum enim *laudare dolorem* non est *laudare per dolorem* vel *in dolore;* quod si voluisset Statius, dixisset *incomto miserum laudare dolore*, non *dolorem*. Nec de *defuncto* hic loquitur Statius, sed de *seipso* per totum locum : *laudare* ergo *dolorem* est *suum dolorem;* quod tamen sensum nullum habet : proinde depravata est vox *laudare*. Omnia sana tibi spondeo, si minima mutatione legas, « juvat heu, juvat illaudabile carmen Fundere, et incomte miserum nudare dolorem; » id est, ultro *ostendere*, et *profiteri*, *et cunctis notum facere* dolorem meum duobus modis, *illaudabili carmine* et *squallore;* unde sequitur, « Sic merui; sic me cantuque habituque nefastum Adspiciant Superi : » *nefastum cantu* propter *illaudabile carmen*, *habitu* propter τὸ *incomte*. Hæc interpretatio verissima est; conjectura verisimillima. *Nudare* est *ostendere*, *notum facere;* Ovid. Amor. II, 5, 5, « Non mihi delatæ nudant tua facta tabellæ; » Phædrus, Prolog. lib. III, v. 45,

> Suspicione si quis errabit sua,
> Et rapiet ad se, quod erit commune omnium;
> Stulte nudabit animi conscientiam;

ubi vide Burmannum; Nemesianus, Eclog. IV, 11,

> Tum tandem fessi, quos lusus adederat ignis,
> Sic sua desertis nudarunt vulnera silvis.

Contrario modo errarunt librarii, Capill. Earin. vs. 13, ubi pro *nube rapinæ*, reposui *laude rapinæ*. Pro *incomte*, Parm. *incomite*. Si novam vocem fingere liceret, optime hoc loco scripsisset Statius, « et *incomtu* miserum nudare dolorem : » *comtus*, vel *comptus*, (de qua scriptura vide Priscianum, lib. X, p. 897) esset *ornatus;* cujus contrarium esset *incomtus* : sed nihil sine exemplis admittendum.

42. *Fomentaque quæro Vulneribus* (*sed summa*) *meis*. Sumtum forte ex Ovidio, Pontic. II, 3, vs. 94, « Fomentisque juvas vulnera nostra tuis. » Cujusnam autem usus sunt istæ voces *sed summa?* ego quidem nescio : corruptas esse scio, sed non possum in præsens mederi. Video eas tentasse Heinsium ad Ovid. Pontic. IV, 11, vers. 20, hoc modo : « fomentaque quæro Vulneribus, sed vana, meis; » infeliciter; nemo enim *quærit vana fomenta vulneribus suis*. Nisi τὸ *vana* adverbialiter et Græco more pro *frustra*, sumi voluerit vir summus; quo modo tamen Statius non scripsisset, propter ambiguum. Latet epitheton τοῦ *fomenta*.

46. *Nimirum quum vestra domus ego funera mœstus Increpito, tunc damna dolens aliena, repono Infelix lacrimas, et tristia carmina servo*. Corruptissimus locus. Et sensus facile perspicitur : Ego, inquit poeta, qui olim medebar vestris vulneribus, nunc invicem vestras manus posco : qui olim scriptis meis vos consolabar, nunc carmina consolatoria a vobis postulo. Gronovius, Diatr. c. 61, ex Rom. edit. quæ pro *domus*

habet *domans*, resoribit eum Lindenbrogio, « quum vestra domans ego funera mæstos Increpito. » Verissimum istud *domans*, et *mæstos*; pro quo Rom. *questus*: non male. Sed quomodo *quum increpito?* dixisse debuit in subjunctivo, *quum increpitem*, vel *increpitarim* in præterito, ut supra *tersi*. Et quid est *domare funera?* vel quis hujus loci sensus, si in prosam orationem resolvas verba, « quum vestra domans ego funera mæstos Increpito? » Lege minima mutatione : « Nimirum tunc vestra domans ego vulnera, mæstos Increpui. » *Tunc*, eo tempore, quum vos doluistis. *Domans vulnera*, id est, *superans, vincens* dolorem vestrorum vulnerum carminibus. Sic Glauc. Melior. vs. 14, « satiare malis, ægrumque dolorem Libertate doma; » Thebaid. II, 176, « O quam te parcum in præconia famæ Mens agitat matura tuæ! quantumque ferentem Fortunam virtute domas! » id est, *superes Fortunam virtute;* Seneca, Troad. vs. 349, et sqq.

> Compescere equidem verba, et audacem malo
> Poteram domare; sed meus captis quoque
> Scit parcere ensis;

idem, Hippol. vs. 438,

> Namque anxiam me cura sollicitat tui,
> Quod te ipse pœnis gravibus infestus domas;

et Medea, vs. 506, « Quin potius ira concitum pectus doma; » Phœn. vs. 77, « pectus antiquum advoca, Victasque magno robore ærumnas doma; » ubi *ærumnas doma*, ut hic *vulnera domans*, et *dolorem doma*, loco Statii supra citato. *Vulnera* vero pro *funera*, quod sensum nullum habet. De commutatione harum vocum in MSS. vide Drakenborchium ad Sil. Italicum, I, 399, et Heinsium ad Ovidium passim. Dixi aliquid ad Pietat. Abasc. v. 18. Deinde, *mæstos increpui*, id est, *corripui*, et monui vos non nimium indulgere dolori vestro : Ovid. Fast. VI, 385,

> Jam ducibus somnum dederat labor : increpat illos
> Juppiter, et sacro, quid velit, ore docet;

Tacit. Annal. II, 87, « Neque tamen ob ea Parentis Patriæ delatum et antea vocabulum adsumpsit; *acerbeque increpuit* eos, qui Divinas Occupationes, ipsumque Dominum dixerant. » Sic *vehementer increpare* apud Plin. Epist. VI, 5. Τὸ *Increpare* simpliciter, *lenioris* est notionis, ut in hoc loco. Sequitur : « tunc damna dolens aliena, repono Infelix lacrimas, et tristia carmina servo; » in quibus frustra sensum quæsiveris. Totum locum ita ex conjectura constitui :

> Nimirum tunc vestra domans ego vulnera, mæstos
> Increpui; nunc damna dolens alterna, reposco
> Infelix lacrimas, et mitia carmina quæro.

Omnia jam cohærent et sibi respondent, minima et usitatissima mutatione. « Alterna damna dolens, » id est, « alternis, vicissim, mea vice *nunc*, » ut vestra *tunc*, seu olim. Supra, vs. 21, « alterno mecum clamore fatiscat. » Sic *alterna pectora* Theb. V, 721 : « matremque avidis

complexibus ambo Diripiunt flentes, alternaque pectora mutant; » id est, *alternatim*, modo hic, modo ille, pectora matri applicant; Theb. XI, 454, « alternaque murmura volvunt Mussantes. » Exempla obvia tam apud Nostrum quam alios; vide Gronov. ad Thebaid. XI, 43. Frequentes vices literarum *i* et *t*. Sic *alia* pro *alta* Tiburtin. Vopisc. v. 104; *saltante* pro *saliente* Juvenal. Sat. VI; et innumera ejusmodi quæ ubique occurrunt. Deinde pro *repono* restitui *reposco*, sensu postulante; Martialis, Epigr. VIII, XXXVIII, 1 et sqq.

Qui præstat pietate pertinaci
Sensuro bona liberalitatis,
Captet forsitan, aut vicem reposcat;

Plinius, Epist. II, 9, « Te quoque obsecro, ut aliquam oneris mei partem suscipere tanti putes : reddam vicem, si *reposces;* reddam, et si non *reposces;* » Noster, Theb. V, 488, « fremit impia plebes Sontibus accensæ stimulis, facinusque reposcunt; » Ovidius, Metam. XIII, 178, in oratione Ulixis,

. . . . per me jacet inclytus Hector
Illis his armis quibus est inventus Achilles.
Arma peto : vivo dederam, post fata reposco:

ita legendum et distinguendum. Vulgo ponitur τίλεια στίγμα post *Hector;* et sequens versus sic legitur, « Illis hæc armis, quibus est inventus Achilles, Arma peto : vivo, etc. » sine sensu. Infra, eod. libr. v. 235, « Amissamque mea virtutem voce reposco; » ubi nonnulli codices habent *repono*, pariter ac in hoc Statii loco. Deinde, *et tristia carmina servo*. Nullus in his sensus; quid enim est *servare tristia carmina?* Recte puto me emendasse, *et mitia carmina quæro*. Ipse in vestro dolore vos *increpui*, fortis et animosus; sed nunc in propriis damnis, reposco *lacrimas* mollis, et « *mitia* carmina requiro. » Curtius, IV, 10, « Crederes Alexandrum inter suas necessitudines flere, et *solatia* non adhibere, sed *quærere*. » Sumtum videtur ex Horat. Carm. I, 16, 26 : « nunc ego mitibus Mutare quæro tristia. » Sic supra, vs. 40, « lugentum *mitis* solator. » De hac voce vide quæ notavi in Epist. ad Marcell. vs. 49, « nos otia *miti* Solamur *cantu*. » Pariter commutari videntur *mitis* et *tristis* apud Lucanum, IX, 1059 et sqq.

. . . . quam magna remisit
Crimina Romano mitis Fortuna pudori,
Quod te non passa est misereri, perfide, Magni
Viventis!

vulgo legitur *tristis fortuna*, sensu aliter postulante. Pro *Increpito*, *tunc* Parm. et Ven. *Increpitans*, *qui;* scriptum nempe erat *Increpui*, cujus ultimam partem *pui* repetierunt in voce *qui*, ejecto τῷ *nunc:* sequitur, *Verum erat :* id est, *æquum*, *justum erat* vos mihi conferre talia carmina, quia ego ante vobis dedi, et quia nunc meæ vires absumtæ sunt; ut recte Gronovius, Diatr. c. 61, ubi hanc significationem illustrat exemplis. Unde patet frustra esse Heinsium, qui ad Claudian. in Eutrop. II, 155, voluit, *Verum eat;* et *Verum* accepit pro *Sed*.

52. *Tu me caligine mœstum Obruis : a duro viso sic vulnere*, etc. Legendum, *tu me caligine mersum Obruis*; Thebaid. VI, 510, « tandem caligine mersum Erigit accursu comitum caput; » X, 735, « illi atra mersum caligine pectus Confudit sensus; » Sil. Italicus, VIII, 45, « Obtegitur densa caligine mersa vetustas; » XI, 122, « Tantane, Omnipotens, caligine mersa latere Fata placet? » Virgilius, Æneid. VI, 267, « Pandere res alta terra et caligine mersas; » Manil. IV, 396, « Rursus et in magna mergis caligine mentem; » Claud. XVIII, in Eutrop. I, 492, « tanta caligine mergi Calcarique sinas; » Plinius, Hist. Nat. IV, 12, « densa mersa caligine. » Sed nimius sum. *Mersum obruis*, ut Ovid. Metam. XI, 569, « et rupta mersum caput obruit unda. » Similiter hæ voces *mœstus* et *mersus* a librariis confusæ sunt, Ovid. Met. I, 380, ubi vide Burmannum. Hoc igitur certissimum sit. Sequitur difficillimus locus:

> . . . . a duro viso sic vulnere caræ
> Conjugis, invenit caneret quod Thracius Orpheus
> Dulce sibi : sic busta Lini complexus Apollo
> Non tacuit.

Ita omnia exemplaria. Et Barthius, Adversar. XIX, 7, tentabat, referente Gronovio, « tu me caligine mœstum Obruis, adjuro : viso sic, etc. » frigidissime : vel, « tu me caligine mœstum Obruis ah dura! viso, etc. » melius hoc. Alius Gronovii amicus voluit, « tu mi caligine merso Obvius adfer opem : viso, etc. » admodum improbabiliter et vage. Dan. Heinsius, apud Gronov. Diatr. c. 51, corrigebat, « tu me caligine mœstum Obruis arsurus : viso, etc. » non bene : non enim ex eo quod *arsurus* erat puer caligine obruebatur Statius, sed quia *mortuus* erat; et si ex eo tantum quod *arsurus* erat, doluit Statius, facile poterat huic dolori occurrere *condiendo* illum odoribus et aromatibus, et non permittendo illum *comburi*; quemadmodum Priscillæ faciebat Abascantius, carm. I hujus libri. Non igitur verum est *arsurus*. Gruterus in Schedis voluit, « Obruis, *ah durus!* viso *si* vulnere; » et mox quoque, « *si* busta Lini; » quod explicatione et Œdipo indiget. Videamus jam quid adferat ipse Gronovius, Diatr. c. 61 : « Apparet hoc maxime queri Statium, venam et verba se deficere. In quo se cum Orpheo et Apolline comparat. Quid est ergo, *Orpheus invenit, quod caneret? non invenit*, erat dicendum; ut in Pietate Abascantii, vs. 202 et sqq.

> . . . . qualis conspecta conjuge segnis
> Odrysius vates positis ad Strymona plectris
> Obstupuit, tristemque rogum sine carmine flevit.

Qui unicus locus docet quomodo hic scribendum sit : nempe : *haud diro viso sic vulnere*. Sic Orpheus, viso diro vulnere caræ conjugis, quod serpens talo ejus inflixerat, haud invenit dulce sibi, quod caneret. Et mox : *sic busta Lini complexus Apollo Conticuit*. Estque simile vitium a librariis commissum infra, *quo sospite natos Non cupii*; nam ita recte Domitius, quum MSS. haberent, *Concupii*. Totus ergo locus sic scribatur :

> . . . . ignosce puer; tu me caligine mœstum

Obruis. Haud, diro viso sic vulnere caræ
Conjugis, invenit caneret quod Thracius Orpheus
Dulce sibi : sic busta Lini complexus Apollo
Conticuit. »

Hæc vir summus, ceterorum conjecturis forte meliora, sed nequaquam Statiana, si modo ego genium et manum poetæ aliquatenus valeam distinguere. Certe si in omnibus exemplaribus ita scriptum hunc locum invenissem, non dubitassem corruptum pronuntiare. Primo enim, Statius non admisisset istum ordinem vel potius turbam et confusionem verborum, « haud, diro viso sic vulnere caræ Conjugis, invenit caneret quod Thracius Orpheus. » Nec dixisset *diro viso vulnere*, sed *viso vulnere*, quod satis est sine *diro*. Nec verum est quod dicit Gronovius de Orpheo *non inveniente* quod caneret post visum vulnus conjugis : certe aliter Virgilius (quem Noster sequi solet) Georg. IV, 464, ubi inducitur « solans ægrum *testudine* amorem ; » et, « Te veniente die, te decedente *canebat ;* » quod et de *Apolline* post mortem *Lini* affirmat Ovidius, Amor. III, 9, vs. 23. Sed (quod præcipuum est contra Gronovium) quomodo se comparare potuit Statius Apollini et Orpheo *silentibus*, quando ipse *non sileat?* nonne enim *canit* hoc Epicedion? nonne dicit de seipso, supra, vs. 33, « juvat heu, juvat illaudabile carmen Fundere? » ergo, necesse est ut comparet seipsum, *canentem* hoc Epicedion post mortem pueri, Apollini et Orpheo *canentibus;* huic, post mortem Eurydices ; illi, post mortem Lini : et proinde, omnino jam falsum est Gronovii « *haud* invenit quod caneret, » et, *Conticuit*. Dicit Statius : Quemadmodum Orpheus, viso vulnere Eurydices, *invenit* quod caneret, solito quidem carmine longe inferius, tamen *dulce sibi* saltem, utpote quod solaretur ægrum amorem ; et quemadmodum Apollo post funus Lini *non tacuit*, id est, *cecinit* aliquid ; sic ego, defuncto hoc puero, « luctus in carmina verto, Discordesque modos et singultantia verba Molior, » et *voluptatem* quamdam *capio* in fundendo ignobili et *illaudabili* carmine ; « *juvat* heu, juvat ! *illaudabile* carmen Fundere ; » hoc me consolor, illorum exemplo : meliora non possum, quum abierint usitata *copia* et *inventio*, et nihil animo occurrat, nisi humiles conceptiones et verba sordida et vulgaria. Hic est sensus, satis jam apertus : et hinc patet retinendum esse *Non tacuit*, et non verum esse *haud invenit*. Depravatio plane latet in vocibus *a duro*, quæ ad præcedentem sententiam reducendæ sunt, quum sub illis occultetur epitheton τοῦ *caligine :* « tu me caligine mersum Obruis *indigna*, » vel *insolita*, vel quidpiam ejus sensus. Proximum erat *ah dira ;* et ideo ita edidi, licet vix putem esse Statii : nec placet *obscura*, quod obvium erat conjectanti. Viam aperui ; ingrediatur aliquis felicius : caveat tamen ; non enim cujusvis est Statium corrigere, prout summorum virorum exemplis vides.

66. *Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces Delicias.* N. Heinsius ad Ovid. Met. VII, 56, pro *puppe* legit *pube ;* verissime ; *Pharia pubes*

est *Ægyptia juventus* : sic *pubes Achiva*, isto Ovidii loco ; *Graiam pubem*, Val. Flaccus, VI, 5, ubi pariter erat *puppim* ; Cicero, de Finib. II, 6, « aut, si magis placeret suo more loqui, quam *Omnes Danai*, *Mycenenses*, *Attica pubes*, reliquique Græci, qui hoc anapæsto citantur : » ita legendum ; vulgo, « quam, *ut* Omnes Danai, etc. » *quam sc. voluptatem* ; vide præcedentia. *Germana pubes* Persius, Sat. VI, 44 ; et similia apud omnes. Pro *Delicias*, Ven. *Ede tuas* ; Parm. et Rom. *Ædituas* ; quod explicat Domitius : « Ædituas *picas* appellat, quoniam in fastigio templorum frequenter insidere solent ; *Æditui* autem dicuntur templorum custodes. » Ridiculam hanc interpretationem dudum notavit Gevartius, Papin. Lect. V, 9, ubi defendit et explicat *Delicias* ; quod confirmat Quintilianus, Instit. I, 2, « Verba, ne *Alexandrinis* quidem permittenda *deliciis*, risu et osculo excipimus ; » ubi *deliciæ* sunt *pueri delicati*. De his Martialis, Epigr. IV, XLII, 1 et sqq.

Si quis forte mihi posset præstare roganti,
Audi, quem puerum, Flacce, rogare velim :
Niliacis primum puer is nascatur in oris ;
Nequitias tellus scit dare nulla magis.

Ex quo loco æque bene legere posses in Statio, *loquaces Nequitias*, quod a τῷ *Ædituas* non longius abest quam τὸ *Delicias*. Pro *doctumve*, Parm. et Rom. *doctumque* ; quod omnino verum est. *Vulnera nostræ causæ*, versu præcedenti, sunt *nostra vulnera*, si locus recte habeat : *nostra causa* pro *nos*, ut *causa veneni* pro *venenum* apud Ovid. Met. IV, 19, et innumera ejus formæ. Sed de loci sanitate dubito.

68. *Infantem, linguaque simul, salibusque protervum.* In MSS. est *lingua simium* ; et ita editt. Parm. et Rom. ; Ven. *lingua summum*. Quod quum non intellexerint, fecerunt primo *lingua simul* ; deinde ad supplendum versum addiderunt *que : linguaque simul* : quod et aliis auctoribus sæpe factum est. Domitius legebat *Simium*, et intelligebat animal istud quod Græci πίθηκον vocant : « Ego, inquit, non habebam puerum emptum ex grege et catasta Ægyptiorum ; qui a mangone eruditi loquaces sunt tanquam picæ, aut gestibus *simium* imitantur ; sed natum apud me adoptavi. » Euge, bone interpres, ad Phædri Fabulas ablegande, ubi « arbores loquuntur, non tantum feræ. » T. Demsterus, ad lib. V Rosini Antiquitat. probat conjecturam viri docti legentis *lingua Samium*, quod accepit pro *acuto*, ex Nonio Marcello. Sed hunc refutat Gronovius, Diatr. c. 61, et legit *lingua simili* ; et fuse et erudite explicat de puero pantomimo, quem, inquit, *protervum lingua simili* dicit, qua nimirum sensus sermonemque aliorum comœdice refert. Optime sane ; nisi quod propius est scripturæ Codicum, una tantum litera mutata, « Infantem, lingua *nimium*, salibusque protervum : » *nimium lingua*, ob quod supra vocat *loquaces Delicias* : Horat. Carm. II, 12, 5, « Nec sævos Lapithas, et *nimium* mero Hylæum. » Sic *immodicæ mero rixæ* Carm. I, 13 ; *immodicum dictis laxarten* Val. Flaccus, V, 597, ubi vide Burmannum, qui ex Tacito locum adducit Hist. I, 35, « Ignavissimus quisque,

et, ut res docuit, in periculo non ausurus, *nimii verbis*, linguæ feroces. » Sic *multus sile* Plinius, Hist. Nat. XXXV, 11, de Mecophane pictore, « alias durus in coloribus, et *sile multus;* » ita recte emendaverunt Gronovius et Pintianus. *Sil* est pigmenti genus : *multus sile* qui eo pigmento multo utitur. Potes etiam legere *linguæ nimium*, ut apud Sil. Italicum, V, 232, « *nimium* pugnæ, *nimiumque* cruoris ; » sed non opus est, quum *lingua nimium* sit æque probum. Vide Burmannum ad locum Val. Flacci.

71. *Poscentemque novas tremulis ululatibus auras.* Nullus in his sensus. Infans enim modo natus non *poscit novas auras ululatibus*, quum certe plus *auræ* jam habeat, quam quum in matris utero inclusus fuit. Quare igitur *posceret auras*, quum jam in *auram apertam* editus sit? æquius erat ut diceretur « poscere novum nutrimentum » vel *mammam* matris, quam *auras*. Scripsit Statius, « Pulsantemque novas tremulis ululatibus auras Inserui vitæ : » Auson. Epigr. 108, 4, « Principio tremulis gannitibus aera pulsat ; » Lucan. VI, 225, « lætus fragor æthera pulsat Victorum ; » Sil. Italicus, XVII, 135, « Quadrupedem, elatis pulsantem calcibus auras ; » Claudian. XIX, Prol. lib. II, in Eutrop. vs. 51, « Improbe, quid pulsas muliebribus astra querelis? » Ovidius, Met. III, 706, « Penthea sic ictus longis ululatibus æther Movit ; » Avien. Descr. Orb. vs. 753,

> Producit noctem ludus sacer : aera pulsant
> Vocibus, et crebris late sola calcibus urgent ;

idem, vs. 842, de Tauro monte, « nunc autem subrigit idem Obliquas arces, et flexilis aera pulsat ; » ubi forte scribendum *flexibus. Impellere auras* eodem sensu Ovidius, Met. III, 20, « mugitibus impulit auras. » Contrario modo mutatam a librariis hanc vocem credo, Protrept. Crispin. vs. 125, ubi pro *pulsat*, puto Statium scripsisse *poscit*.

74. *Uberibus tibi, parve, dedi : heu munera nostra Ridebas ignarus adhuc.* Scio quid dici possit pro hac licentia poetica *dedi heu*, ubi vocalis ante vocalem non eliditur. Sed Statius non tantum sibi permisit in his Silvis ; vix in Thebaide, nisi ubi turbate et præcipitanter oratio concipitur ; vel ante nomina locorum aut hominum, Græco more. Unde recte emendavi, « *Tu* munera nostra Ridebas ; » quod sermonis elegantia postulabat. Deinde, pro *ignarus adhuc*, Parm. et Rom. *ingratus ;* quemadmodum etiam habere MS. Senens. et Venet. edit. notat Gronovius, Diatr. c. 33 ; quod comprobat hac explicatione, « beneficium meum nondum intelligebas, nec gratus esse poteras. » Mihi multo potius videtur *ignarus :* Tu, inquit, risu excipiebas meum munus, *ignarus adhuc* quantum beneficium tibi contuleram. Sic de Glaucia Melioris Martial. Epigr. VI, 29, 3 et seq.

> Munera quum posset nondum sentire patroni,
> Glaucia libertus jam Melioris erat ;

hoc est, *ignarus adhuc* Glaucia libertus erat Melioris; non *ingratus*. Claudianus, XXIX, Laude Serenæ Reg. vs. 82, « alio tum parvus in axe Crescebat Stilicho, votique ignarus agebat. » De commutatione vocum *ignarus* et *ingratus* consulas Heinsium, ad Ovid. Met. VII, 711.

80. *Primo gemitum qui protenus ortu Implicuit, fixitque mihi.* Mendosissimus locus: nec a libris, aut interpretibus quidquam auxilii. Vox *gemitum* sine dubio corrupta est; præcessit enim, « Nonne *gemam* te, care puer? » nec sensum ullum habet « gemitum implicare alicui. » Pro illa igitur primo substitui *gremium*, memor similis harum vocum mutationis in Eleg. ad Liv. August. vs. 115; et pro *qui, cui*, ut mox, « *cui* verba sonosque Monstravi: » unde etiam apparet legi oportere, *Implicui* vel *Adplicui fixique*; de *seipso* enim et suo affectu loquitur; sic *cupii, Monstravi, Erexi*; et pro *mihi, meum*, scil. *gremium*. Hæ omnes sunt parvæ mutationes, et quæ a cautissimo critico admitti possunt in loco desperato. Jam igitur exit, « primo gremium cui protenus ortu Adplicui fixique meum; cui verba, sonosque Monstravi: » sensu optimo, et sententia cohærenti. *Adplicui gremium* est *admovi*, in caritate exprimenda usitata vox: Lacrim. Etrusc. vs. 17, « tenet ecce seniles Leniter adplicitos vultus; » quemadmodum illic restitui pro *implicitos*; vide quæ ibi notavi: Petronius, Satirico, « Ego Gitoni *adplicitus* cum clamore flevi. » Recte etiam *cui fixi gremium meum* pro *adfixi*, (vide Lyric. ad Sever. vs. 18) quod teneriorem quoque affectum exprimit: Auctor Consolat. ad Liv. Aug. vs. 91, « Adfigique suis moriens tua pectora sensit; » ubi tamen Heinsius maluit *Adfligi*, quia sequitur, *vultu lumina fixa tuo*. Ego potius mutandam putarem vocem *fixa*, quia *Adfligi* violentius est, quam ut conveniat *morienti*: ibidem, vs. 95,

> At miseranda parens suprema neque oscula fixit,
> Frigida nec fovit membra tepente sinu;

ita legendum; vulgo, *tremente sinu*: verum et elegans esse *tepente* ostendit antitheton *Frigida*. *Fixit* ibi est *adfixit*; licet in ea quoque voce varient Codices. Si quis magis verisimilia proferre possit, vel hæc vere refutare, libens ego vineta cædam mea.

82. *Et vulnera cæca resolvam.* Totus locus in omnibus editionibus ita legitur et distinguitur:

> .... cui verba sonosque
> Monstravi (questusque et vulnera cæca resolvam),
> Reptantemque solo demissus ad oscula dextra
> Erexi.

Numquam intellexi sensum istius parentheseos, « questusque et vulnera cæca resolvam. » Cujus *questus resolves*, o Papini? *tuos* an *infantis*? si *tuos*, jam *resolvisti* per totum hoc Epicedion, quod vix aliquid habet præter *questus*; si *pueri*, dicere debuisti *resolvi*, ut *monstravi, erexi*: atque hinc ad sensum loci aditus fiebat: « cui verba sonosque Monstravi, questusque et vulnera cæca resolvi: » loquitur de affectu suo et officiis

erga puerum : Monstravi illi, inquit, verba sonosque; et *resolvi* seu *explicavi* questus ejus, quos ego solus intellexi. Quænam vero *vulnera cæca* quæ resolvit Noster ? Facilis jam emendatio, percepto sensu,

> . . . . cui verba sonosque
> Monstravi, questusque et murmura cæca resolvens;
> Reptantemque solo demissus ad oscula dextra
> Erexi.

Murmura cæca : antequam loqui poterat, et sonos articulatos proferre, ego questus ejus et ejulatus intellexi, et aliis explicavi. *Resolvere* est *explicare, aperire;* Virgilius, Æneid. VI, 29, « ipse dolos tecti ambagesque resolvit, Cæca regens filo vestigia; » quem locum non dubito quin Statius in animo habuerit, et alium Æneid. X, 97, « ceu flamina prima Quum depressa gemunt silvis, et cæca volutant Murmura; » ita legendum esse alibi monui, pro *deprensa fremunt*. Recte vero *murmura :* Theb. V, 613,

> Heu ! ubi siderei vultus ? ubi verba ligatis
> Imperfecta sonis ? risusque et murmura soli
> Intellecta mihi ?

qui locus hunc egregie illustrat; Glaucia Melior. vs. 104,

> Tu tamen et motas etiam tum in murmura voces,
> Vagitumque rudem, fletumque infantis amabas.

Clare confirmat hanc emendationem Ausonius, Protreptico, vs. 67,

> . . . . Multos lactantibus annis
> Ipse alui; gremioque fovens, et murmura solvens,
> Eripui tenerum blandis nutricibus ævum :

palam imitatur hunc Statii locum, quemadmodum sæpe alibi facit; et hinc etiam stabilitur *gremium* pro *gemitum*. Paulinus, lib. de Sancto Joanne Bapt. vs. 207, de puerili ætate loquens, « Blanditiæ risusque silent, incertaque cessant Murmura; » Eumenius, Grat. Act. Constantino, c. X, « Diu venturi hominis partus optatur; diu *vagitus inconditi* locuturam differunt vocem; » Noster, Theb. VI, 164,

> Illa tuos questus, lacrimososque impia risus
> Audiit, et vocis decerpsit murmura primæ.

Crebro commutantur hæ voces a librariis. Ita Theb. X, 440, pro *supremaque murmura volvens*, Codex Petrensis habet *vulnera*. Et alibi passim invenies.

84. *Blandoque sinu jamjamque natantes Exercere genas, dulcesque accersere somnos.* In Parmensi et Romana editionibus ita concipitur hic locus difficillimus : « blandoque sinus jamjamque nitentes Excepere genas, etc. » Ven. quoque *sinus*, et *Excepere;* sed deest vox *nitentes;* pro qua Rom. habet *nitantes*, quod ita explicat Domitius : « *Nitare* est oculo et aliorum membrorum nisu conari; unde *nictus* dicitur. Papinius *nitantes* dixit prima quidem brevi. *Sinus* (inquit) meus *excepit* genas

pueri *nitantes*, hoc est, palpitantes propter somnum quem ei accersebam. » Legebat igitur *sinus excepere* : sed tunc oportuit *blandi sinus*; et *accersere*, penultima producta; quod non admittit metrum. Tho. Reinesius, Epist. ad Daumium, legebat (prout me monuit amicus, liber enim non est ad manum), « blandusque fui jamjamque natantes Exercere genas. » Sed hæc conjectura difficultatem unam tollit, majorem relinquit; nempe quid sit *Exercere genas*. Omnia tentanti diu mihi videbatur locus mutilus; quod facile accidere potuit ad finem carminis imperfecti; et ideo asterisco locum insignivi in contextu meo, mæstus quod in ultima operis parte tam male mihi cessisset. Jam vero, perpenso sensu et MSS. lectione, nulla pæne mutatione Statium sibi restitui :

> Reptantemque solo demissus ad oscula dextra
> Erexi; blandique sinus jamjamque natantes
> Excepisse genas, dulcesque accersere somnos :

« et blandi *fuerunt* sinus excepisse oculos jamjamque natantes; et accersere dulces somnos. » Tota hujus loci difficultas erat in defectu verbi substantivi *fuerunt;* quæ ellipsis frequens Papinio, ad obscuritatem usque; ut alibi notat Gronovius; et exempla in qualibet pagina. *Blandi excepisse*, ut apud Horat. Carm. I, 12, 11, « Blandum et auritas fidibus canoris Ducere quercus. » Vide exempla hujus Græcismi apud Bentleium ad Carm. I, 1. *Natantes genas* seu *oculos;* quæ indubitata est lectio; Auctor Consol. ad Liv. Aug. vs. 93, « Lumina, cærulea jamjamque natantia morte; » Ovidius, Met. V, 71, « Jam moriens, oculis sub nocte natantibus atra : » plura notavi, ad Uxor. vs. 39. Blandi *excepisse et accersere;* qua temporum mutatione nihil frequentius : Eq. Max. vs. 100, « Apelleæ cuperent te scribere ceræ, Optassetque novo similem te ponere templo. » *Excepere* pro *Excepisse*, ut Theb. III, 355, pro *Explorasse* Cod. Petrensis *Explorare*. Tolle igitur asteriscum ex contextu, et in ejus locum admitte, « blandique sinus jamjamque natantes Excepisse genas : » et, si quid de Statio bene meruerim, Κρότον δός.

SILVARUM FINIS.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

Præfatio recentioris Editoris ad Lectorem. Pag. ix
Marklandi Præfatio. xxiij

PUBLII PAPINII STATII SILVARUM LIBRI QUINQUE.

LIBER PRIMUS.

Epistola ad Stellam. 3
Notæ in epistolam ad Stellam. 7
Carmen I. Equus maximus Domitiani. 11
Notæ in carmen primum. 18
Carmen II. Epithalamion Stellæ et Violantillæ. 39
Notæ in carmen secundum. 59
Carmen III. Villa Tiburtina Manlii Vopisci. 89
Notæ in carmen tertium. 99
Carmen IV. Soteria Rutilii Gallici. 128
Notæ in carmen quartum. 135
Carmen V. Balneum Claudii Etrusci. 148
Notæ in carmen quintum. 152
Carmen VI. Kalendæ Decembres (Saturnales). 156
Notæ in carmen sextum. 163

LIBER SECUNDUS.

Epistola ad meliorem Atedium. 171
Notæ in epistolam ad Meliorem Atedium. 173
Carmen I. Glaucias Atedii Melioris delicatus. 175
Notæ in carmen primum. 190
Carmen II. Villa Surrentina Pollii Felicis. 203
Notæ in carmen secundum. 213